

# DECISIONES

BO: MEM:

## R.P.D. GVGLIELMI DVNOZETI

ARCHIEPISCOPI SELEVCIEN.

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ

AVDITORIS.

Ex originalibus depromptæ, suis necessarijs fulcitæ, triplicique Indice Argumentorum, Decisionum, & materiarum instructæ.

AD EMINENTISSIMVM, ET REVERENDISS. PRINCIPEM D.

D. PETRVM OTTHOBONVM

S. R. E. TIT. S. MARCI

CARDINALEM AMPLISSIMVM.

SANCTISS. DOMINI NOSTRI CLEMENTIS IX. PRODATARIVM &c.






ROMÆ,

Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.

M. DC. LXVIII.

Superiorum permissu, & Priuilegio.



EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO
PRINCIPI DOMINO
# D. PETRO OTTHOBONO
S. R. E. TIT. S. MARCI
CARDINALI AMPLISSIMO,
Sanctiss. D. N. Clementis IX. Prodatario &c.



*Io: Scipio de Pol Santronchetus Nob. Auenionen. in Romana Curia Aduocatus P. F.*



Venio mea Patria, Eminentissime Princeps, non solum priscis temporibus habuit Oldradum legum Professorem famigeratum, Castrensem prælegentem, & dein Rectorem Carpentoracti, Ripam à S. Nazario, Alciatum, Aemilium Ferrettum, Goffredum, aliosque huiusce farinæ viros, sed & nostro hoc Aeuo duos non inæquales Iurisconsultos in legum studio educauit Guglielmum Dunozetum S. Rotæ Auditorem postea Archiepiscopum Seleucieñ, & dein in eadem Ciuitate Auenionis Prolega-

legatum, nec non Io. Antonium Bellonum ipso etiam nomine Clarissimos; Cum autem Eminentissime Princeps editio Decisionum dicti Guglielmi mihi obtingat, & quod Auenione iuri vacauerit, illicque dignissimè præfuerit cum magno omnium applausu, & quod huiusmodi officium à quondam Amato S. Rotæ Decano eius nepote fuerit mihi demandatũ, sicuti iam sub auspicijs Eminentiæ Vestræ Decisiones Amati nepotis in lucem prodierunt ita merito nunc accedunt; & patrui Decisiones à D. Mario Fino dicti Amati adiutore concinnatæ, vt qui in exarandis decisionibus disertus, ipsisque causis decidendis es peritissimus has non inelegantes Decisiones benignè excipias, protegasque & hoc grati animi mei specimen, deuotæque seruitutis obsequium Tibi meo Patrono continuo ob oculos exhibeatur. Vale. Romæ pridie Kalendas Decembris MDCLXVIII.



# INDEX
# ARGVMENTORVM
## OMNIVM DECISIONVM
### Bon. mem. R. P. D. Guglielmi Dunozeti Archiep. Seleucien. Sac. Rotæ Romanæ Auditoris.

Argumentum 1. Romana Pecuniaria.

Creditum vt iustificatum dicatur in certa summa, quæ probatio sit necessaria.

Argumentum 2. Ferrarien. Affictus.

Examinantur plures nullitates oppositæ contra examen testium remissorialium.

Argumentum 3. Calciaten. Decimarum

Capitulum cæteriq; habentes curam animarum, habent pariter iuris assistentiam quoad exactionem decimarum.

Argumentum 4. Assisien. Spolij.

Requisita spolij assignantur, & ex quibus probata dicantur.

Argum. 5. Leodien. Canonicatus.

Spolium ex quibus dicatur probatum ad effe ctum, vt spoliatus sit restituendus ad suam possessionem.

Argum. 6. Romana Gemmæ.

De restitutione certæ gemmæ, quæ cum fuerit à Fideicommittente data in dotem, ab hęrede fideicommissario tanquam grauato prætendi nequit.

Argum. 7. Vrbeuetana Bonorum.

Sententia mandans reintegrandum illum, qui facto proprio cecidit à possessione est iniusta, ideoque reuocationem meretur.

Argum. 8. Fauentina Alimentorum.

Alimenta à fratre petens, se natum ex communi patre tenetur probare, saltem per præsumptiones, & coniecturas, quarum plures hic adnotantur.

Argum. 9. Romana pecuniaria.

Mandatum nemine citato relaxatum, & in actis non iustificatum, est nullum.

Argum. 10. Argentina Canonicatus.

Indultum obtentum, quo conceditur, vt non præsens in Curia examini se subijcere non teneatur, iustificat clausulam, *si per diligentem examinationem idoneum reperęris*.

Argum. 11. Regien. Beneficij.

Possessori antiquiori dandum est mandatum de manutenendo, etiamsi posterior possessor authoritate Iudicis fuerit in possessionem immissus vigore sententiæ iniustæ, & cuius iniustitia probatur.

Argum. 12. Romana Locationis.

Mandatum de voto Consultoris relaxatum sub falso supposito locationis iam extinctę per superuenientiam noui tituli executioni non debet demandari.

Argum. 13. Burgen. Quindemniorum Sancti Ægidij.

Sententia iniusta non transit in iudicatum, & iniustitia resultat si fuerit lata sub falso supposito; Concordia pariter inita sub falso supposito corruit, nec est apta pro substinenda sententia desuper lata.

Argumentum 14. Romana Nullitatis contractus.

Quibus casibus filiusfamilias ex mutuo obligetur.

Argum. 15. Romana iuris nominandi.

Inhibitio Rotalis siuè iusta, siuè iniusta omninò est timenda; Vndè omnia illa, quæ post ipsam fuerunt facta tanquam in illius spretum attentata reuocantur.

Argum. 16. Ianuen. Census.

Depositum factum à non debitore ad effectū extinguendi Censum alterius non obligat Creditorem ad accipiendas pecunias oblatas etiamsi deponens constituat se debitorem nomine principalis debitoris quando nominis mutatio Creditori non fuit intimata, & alia requisita similis extinctionis non sunt seruata.

Argum. 17. Seguntina Præsidentiæ.

Statutum circa Ecclesiastica adhoc, vt valeat requiritur quod fuerit totius capituli, vel saltem maioris partis consensu conditum,

a Apo-

Argu-

# Index Argumentorum.

Argumentum 69. Romana, seu Florentina Cambiorum.

Cambia ex quibus iustificentur.

Argum. 70. Elnen. Beneficij.

Arbitrio est locus ad effectum supersedendi in executione Breuis non docto clarè, & apertè de reseruatione super qua Breue fundatur, Iuspatronatus in priuatis personis ex quibus probetur.

Argum. 71. Ferrarien. Bonorum.

Alienatio bonorum Ecclesiæ non sustinetur etiam in vtilitatem Ecclesiæ sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, & quid si bona alienata sint incognita, & incerta, vel difficilis recuperationis. Gratia si in euidentem &c. nulliter executa amplius executioni demandari non potest.

Argum. 72. Romana Spolij.

Sententia nulla etiam in possessorio dicitur spoliatiua: Deuolutio ob canonem non solutum non incurritur nisi lapso triennio, nec incurritur per impositionem census super fundo emphiteutico nisi prohibita sit expresè omnis alienatio. Deuolutio ob negationem dominij requirit declatationem Iudicis.

Argum. 73. Ferrarien. Affictus.

Syndicus ex quibus dicatur legitimè constitutus.

Argumentum 74. Ciuitatis Castelli Bonorum.

Consuetudo quod Ecclesia etiamsi velit pro se retinere bona deuoluta, teneatur alijs concedere ex quibus probata non dicatur.

Argum. 75. Firmana Altaris.

Electus à minori parte patronorum quando præferatur electo à maiori parte, & quid stante statuto, seu consuetudine, quod præsentatio non valeat nisi fuerit facta à duabus ex tribus partibus.

Argumentum 77. Carthaginen. Decimarum.

Monaci & Religiosi omnes sunt exempti à solutione Decimarum de noualibus, & huic exemptioni non censetur derogatum à Summo Pontifice per generalem derogationem nisi expressa facta fuerit mentio.

Argum. 78. Niciẽ Spolij.

Sententia valida & iusta est confirmanda.

Argum. 80. Romana Consulatus.

Statutum Consulatus Florentinorum cap. 3. & 15. non est ordinatorium, sed inuitatorium.

Argumentum 81. Ariminen. Fideicommissi.

Filiorum appellatione non veniunt nepotes, & quamplures examinantur coniecturæ prò inclusione & exclusione nepotum, & quando testator dicatur habuisse rationem conseruandæ agnationis.

Argum. 82. Treueren. Decimarum.

Arbitrio non est locus pro sanatione nullitatum sententiæ ex defectu citationis, & iurisdictionis.

Argum. 83. Romana Pecuniaria.

Extinguens censum ad alterius fauorem, seu commodum nõ potest prætendere vsuras, seu damna, quæ fuit passus per d. extinctionem si in ista non sibi præcauit.

Argumentum 84. Salernitana Contributionum.

Iura quæ non sunt in forma probanti non debent retardare exequutionem sententiæ, quæ fecit transitum in iudicatum.

Argum. 85. Romana Casalis.

Bona minoris possunt alienari quando vsuræ superant fructus bonorum hæreditariorum & quando maritus non vult dotem in stabilibus, sed in pecunia.

Argum. 86. Romana Pecuniaria.

Restitutio in integrum aduersus sententiam, & rem iudicatam vt detur debet constare clarè de illius iniustitia.

Argum. 89. Meleuitana Emphyteusis.

Alienatio rei Ecclesiæ, quæ fuit confirmata per sententiam Iudicis vigore Breuis Apostolici præsumitur valida & vtilis.

Argum. 90. Bononien. de Monterentijs.

Institutus in vsufructu quando alio instituto in proprietate solum post mortem vsufructuarij efficiatur hæres in totum cum onere restituendi hæreditatem vsufructu finito hæredi scripto per fideicommissum, & quę coniecturæ suffragentur.

Argum. 92. Iacen. Portionis.

Ex quibus dicatur iustificata, gratia Apostolica.

Argument. 93. Cataniẽ Quartæ Portionis.

Beneficium litigiosum quando dicatur, vt sit locus subrogationi gratiosæ, & quando dicatur adesse lis.

Argum. 94. Romana Vineæ.

Melioramenta probantur per relationem periti, sed facta lite pendente dicuntur facta mala fide, & quando per cautionem de illis reficiendis impediatur retentio.

Ar-

# Index Argumentorum.

Argum. 95. Elnen Beneficij.

In Iurepatronatus hæreditario quid debeat per præsentatum probari, vt præsentatio suum sortiatur effectum, an in Iurepatronatus hæreditario Ecclesia acquirat libertatem vbi Ecclesia succedit patrono, & an clausula, constito quod beneficium spectet ad Episcopi collationem debeat iustificari.

Argum. 96. Barbastren Iuris præsentandi.

Iuspræsentandi, ac nominandi Vicarium ex certa fructuum dismembratione, ac illorũ alteri applicatione censetur concessum simultaneè, & coniunctim non priuatiuè.

Argum. 97. Bouen. Pensionis.

Pensionarius contra Titularem habet bonum ius in summarijssimo possessorio, ex quasi possessione exigendi, & multo fortius si exhibeat litteras reseruationis.

Argum. 99. Romana Pecuniaria.

Præscriptioni statutariæ vt sit locus quæ requirantur, & quando excludatur ob contrarias præsumptiones.

Argum. 100. Salernitana Præstationis Annuæ.

Solutio facta in causam piam si annuatim durauerit per longum tempus inde resultat obligatio etiam absque expressione causæ, itaut in posterum totidem sit soluendum.

Argumentum 101. Calaguritana de Viana.

Remissoria non conceditur ad probañ iuspatronatus in quo cadit præsumptio vsurpationis & quod debet probari per scripturas etiam si articularetur scripturarum cõbustio si de istarum præcedente existentia non doceatur.

Argumentum 102. Toletana Confraternitatis.

Clausula, & ad viam iuris reduxit, adiecta in moderatione inhibitionis non potest retardare executionem rei iudicatæ.

Argum. 105. Mediolanen. Matrimonij.

Ad Matrimonium contrahendum cogendus est qui illud ita promisit & sub tali promissione virginem stuprauit præcipuè si non adsit disparitas status, & personarum.

Argum. 106. Meliten. seu Portugallen. Commendæ.

Inferiores tenentur litteris in forma Breuis à Papa expeditis obedire siuè sint præceptiuæ siue monitoriæ, & quando præceptiuæ, vel monitoriæ dicantur.

Argumentum 107. Lucana Iurispatronatus.

Attentata sunt gesta lite pendente, & de istis quando possit dari etiam contra tertium.

Argum. 108. Firmana Pecuniaria.

Mora ob non implementum intra certum tempus potest purgari, & quando purgata dicatur.

Argum. 109. Toletana Decimarum.

Remissoria conceditur in prophanis vbi articuli sunt releuantes, immò sufficit releuantia vnius tantum articuli, & quid si remissoria petatur postquam alij testes fuerunt in partibus examinati, & didicita testificata.

Argum. 110. Romana Annuli.

In conflictu probationum circa rei dominium multoties Iudices solent viam mediam tenere diuidendo bona inter collitigantes.

Argumentum 112. Salernitana Parochialis.

Gesta lite pendente, & post inhibitionem rotalem sunt notoriè attentata, & quando exceptione rei iudicatæ nequeant excusari.

Argum. 113. Foroliuien Bonorum

Mixtura inter possessorium, ac diffinitiuam sententiam quando dicatur concurrere, itaut non intret dispositio Agidianæ.

Argumentum 114. Veronen. Contributionum.

Inhibitio moderanda est si fuerint verificata contenta in clausula, *constito*, sub cuius forma mandatum fuit illam moderari.

Argumentum 115. Bononien. de Monterentijs.

Institutus in vsufructu quando alio instituto in proprietate solum post mortem vsufructuarij efficiatur hæres in totum cum onere restituendi hæreditatem vsufructu finito hæredi scripto per fideicommissum.

Argum. 116. Romana Pecuniaria de Cæsarinis.

Vsuræ quando non possint prætendi ab extinguente censum cuius fructus alter soluere tenebatur ob non factam interpellationem, etiamsi illas prætendat actione negotiorum gestorum non requirente dictam intimationem.

Argum. 117. Pampiloneñ Beneficiorum de Taffala.

Rei iudicatæ executio iam cæpta non potest impediri sub prætextu restiturionis in integrum, nec interesse remoti, & quando dicatur cæpta executio.

Ar-

# Index Argumentorum.

ex vxoris, sed ex statuti dispositione percipiat.

Argumentum 163. Cornetana Pecuniaria.

Substantia obligationis ex quibus non dicatur innouata.

Argum. 164. Colimbrien. Prædij.

In spolio probando quæ sint necessaria etiam ratione dominij directi.

Argum. 165. Meliteñ Baiuliuatus.

Causæ expeditio quando non possit retardari ab habente rescriptum pro admissione ad causam.

Argum. 166. Campanieñ Prioratus.

Habens antianitatem ac expectatiuam de prima vacatura, vel habens benemerentiam, an sit præeligendus ad dignitates Religionis Hierosolymitanæ.

Argum. 167. Romana Census.

Quando dicatur liquido constare de attentatis.

Argumentum 168. Cusentina Præcedentiæ.

Restitutio in integrum quando deneganda, & plura traduntur in materia præcedentiarum.

Arhum. 169. Romana seu Castren. Affictus.

Obligatio facta à Procuratore sine speciali mandato afficit Dominum qui successiuè ratificauit.

Argum. 170. Romana Saluiani.

Immissio in Saluiano vt detur quæ requirantur, & an obstet quod census fuerit impositus super re Ecclesiastica prohibita alienari: Immissio non datur stante exceptione melioramentorum.

Argum. 171. Pampilouen Beneficiorum.

Remissoria ex quibus denegetur vniuersitati ad probañ se esse constitutam in quasi possessione immemorabili alicuius iurispatronatus.

Argument. 172. Perusina Expensarum.

Quæ expensæ victori veniant reficiendæ.

Argum. 173. Romana Retractus, seu Prælationis.

Censuario licet ante Bullam sanct. mem. Pij Quinti receptum esset non competere retractum, tamen hodie secus est: Bulla fel. rec. Gregorij XIII. super retractu, vt habeat locum quæ requirantur, vicino vt cōpetat retractus, quid nam probare teneatur

Argum. 174. Romana Canonum.

Domus si expresse sit vendita eum onere soluendi canones tunc emptor tenetur ad illorum solutionem: Dominium quando deducitur incidenter qualiter probetur: obligatio cameralis quæ comprehendat.

Argum. 175. Valueñ Parochialis.

Manutentio debetur possessori, & quando possessio probetur per instrumentum locationum iuncta fructuum perceptione.

Argumentum 176. Bononien. Indemnitatis.

Solemnitates statutariæ an sint necessariæ in compromisso facto per minorem. Statutū Bonon. de arbitr. lib. 2. in quibus casibus loquatur: minor an teneatur seruare solemnitates statutarias in actu necessario.

Argum. 177. Castreñ Affictus.

Obligatio facta à filio nomine patris quando censeatur ratificata à patre.

Argum. 178. Castreñ Affictus, seu residui Cedulæ.

Quando non liceat ad vlteriora procedere in executione, seù relaxatione mandati pro solutionibus maturatis attenta exceptione damnorum & interesse passorum per Conductorem.

Argumentum 179. Romana Manutentionis.

Manutentio quando debeatur contra sententiam Iudicis notoriè nullam, & iniustam.

Argum. 180. Romana Census.

Census vt validè dicatur constitutus quæ requirantur & ad effectum illius extinctionis qualis actus sit necessarius.

Argum. 181. Bononieñ Fideicommissi de Aghucchijs.

Donatio facta extraneo contēplatione alimētorum eū conditione quod ipso moriente sine filijs ipsa donata reuertatur ad donantes, vel eorum hæredes, an cadete possit sub generali fideicommisso Donatarij casu quo ipsi filij, vel ipse Donatarius decederet sine filijs.

Argum. 182. Imoleñ Pecuniaria.

Procurator potest obligare in forma Cameræ suū principalem etiam si non habeat speciale mandatum procuræ ad eum obligandum in forma Cameræ.

Argum. 184. Romana Pecuniaria, seu Cedulæ Banchariæ.

Cedula Bancharia de stylo Curiæ habet paratam executionem sicuti obligatio Cameralis. Locationis contractus non venit rescindendus si aliquid in eo conuentum non adimpleatur quando id non pendet à

vo-

Ar-

Ar-

Argum.295. Romana census seu Drogheriæ.
Censum ad effectum extinguendi si alicui fuerint datæ pecuniæ cum obligatione tamen de restituendo prioribus, & anterioribus creditoribus non obstante prætensa satisfactione poterit agi vtili actione, ex æquitate. Exceptio cedendarum quando non admittenda.

Argum.296. Firmana Hæreditatis.
Institutio mutua regulariter non dicitur prohibita, quando sit tamen ex mutua, & simplici affectione, secus si conditionaliter facta sit scilicet ad aucupandam alienam hæreditatem, & reijcitur Sarmien. opinio, dum non benè sentit, quod vt institutiones captatoriæ dicantur, sufficiat esse correspectiuas licet dispositiones nō sint conditionales, quia nihilominus iudicandū est, à conuentione processisse &c. ac recipitur opinio Cuiacij, qui non ex proprio capite, sed cū textibus locutus est in hac materia.

Argum.297. Ferrarien. Dotis.
Attentata vt purgata dici valeant quæ sint necessaria.

Argum.298. Firmana Hæreditatis.
Correspectiuæ licet quando sunt duæ dispositiones, si vna deficiat, altera quoque necesse est, vt corruat, tamen regula ista non est perpetua, ideoque potissimum cessat, quando subiecta materia id non patitur. veluti si simus in duobus testamentis correspectiuis, cum ambulatoria sit humana voluntas, vsque ad extremum vitæ spiritū, vndè si vnus reuocet testamentum, alius nō censetur quoque mutare suum, dum aliud non disponit.

Argum.299. Treueren. Bonorum.
In alienatione bonorum Ecclesiæ copulatiuè requiritur causa, & solemnitas, Beneplacitum Apostolicum in alienatione bonorū Ecclesiæ, hodie vigore Paulinæ est necessarium sub pœna nullitatis alienationis. Alienatio bonorum Ecclesiæ, licet fiat in aliam Ecclesiam, nihilominus requiruntur solemnitates.

Argum.300. Romana Lucri Dotis.
Mandatum de manutenendo debetur habenti possessionem de tempore motæ litis.

Argum.301. Romana census seu Drogheriæ.
Obligati extinguere censum non sunt liberati per consignationem pecuniarum alicui factā sub fideiussione de restituendo Prioribus & potioribus, quando superuenerunt molestiæ.

Argum.302. Parmen. Pioratus.
Reseruatio cessat in beneficijs de iurepatronatus, & de isto quando dicatur constare. fusè discutitur.

Argum.303. Pampilonen. de Tafalla.
Iurispatronatus materia ad effectū concedendæ remissoriæ reputatur prophana. In materia prophana ad hoc, vt concedatur remissoria, quid sufficiat. Iuspatronatus in antiquissimis; quando probetur.

Argum.304. Fononien. Legati.
Testamenti executio non est retardanda prætextu falsitatis, nisi incontinenti probandæ, quando illud fuit recognitum, & nec est aboletum, nec cancellatum, quod procedit etiamsi in diuerso iudicio (in quo tamen ille, qui perit testamenti executionem, non fuit citatus) tale testamentum falsum fuit declaratū, & Notarius in penā vltimi supplicij fuit condemnatus, ac prædicta sententia executioni demandata. Notarij confessio, quod confecerit instrumentum falsum non præiudicat tertio nec ipsi instrumento.

Argum.305. Romana deuolutionis domus.
Possessor anterior quando sit manutenendus aduersus posteriorem ex facto Iudicis possidentem ex quo Iudex non ritè & rectè processerit. Appellatio in possessorio, quando detur.

Argum.306. Recanaten. Hæreditatis.
Statuta non comprehendunt bona extra locū ac iurisdictionem statuentium existentia, prout nec comprehendunt personas exteras etiamsi de bonis in loco sitis agatur, & vt ista etiam bona comprehendant quæ requirantur.

Argum.307. Oxomen. Beneficij.
Ex quibus dicatur iustificata gratia Apostolica etiam si tantum vnus modus vacationis ex pluribus iustificetur.

Argum. 308. Vicentina Matrimonij.
Assignantur necessaria requisita pro validitate matrimonij.

Argum.309. Nullius, seu Aprutina Iurisdictionis.
Episcopis debetur manutentio exercendi iurisdictionem spiritualem in omnibus locis suæ Diœcesis. Et qualiter debeant probare, quod aliqua loca existant in sua Diœcesi, & quo casu duriori onere probandi grauentur.

Argumentum 310. Cæphaluden. Archidiaconatus.
Pro retardatione executionis Breuis sufficit quod narrata in gratia reddantur turbida, & quando dicatur turbida probatio, quod Archidiaconus esset prima dignitas.

Ar-

# Index Argumentorum.

Argum.312.Romana Domus,seu Aromatariæ
Venditionem non vnicam, sed diuersam conuincit diuersitas rei venditæ, pretij, & pactorum adiectorum.

Argum.313. Romana Vsusfructus.
Onus super re legata impositum, & ad legatarium, & ad heredem spectare potest iuxta conjecturatam mentem testatoris.

Argum.315. Cordubeñ Iurispatronatus.
Proximitas grauati & non grauantis licet regulariter attendatur, attamen ab ista opinione ex coniecturis receditur, & quæ sint coniecturæ.

Argum.316.Cremoneñ Beneficij.
Communitas an possit nominare personas sibi gratas Episcopo, quæ curam animarum exerceant ita quod Episcopus teneatur illas approbare.

Argum.317. Romana Fideicomm.de Spinis.
Immissio fideicommissarijs vt sit concedenda quæ requirantur.

Argum.318. Luneñ Sarzaneñ Oblationum.
Super oblationibus destinatis ad certum vsû Episcopus habet intentionem fundatam tam de iure, quam ex dispofit. Concil. super oblationibus vni simpliciter factis solus Parochus habet intẽtionem fundatam: Et alia assignantur quando Episcopus, & Capitulum insimul cõcurrunt ad aliquem actum.

Argum.320. Mediolaneñ Decimarum.
Causa criminalis debet silere quousque causa ciuilis prius intentata per rem iudicatam fuerit terminata.

Argum.321. Sulmoneñ Pecuniaria.
Statutaria Vrbis præscriptio ligat etiam forenses, & quamuis instrumenta, seu chirographi alibi sint confecta, si tamen eorum executio in Vrbe petatur, Administrator bonorum, dum est creditor Domini præsumitur se de suo credito satisfecisse,quod si non fecerit, dum id erat in sua potestate sibi imputet, si deinde illud reperiat præscriptum. Forensi vt detur restitutio in integrum aduersus statutorum dispositiones ignorantia debet esse ex omni parte probabilis, & sine culpa, vel negligentia.

Argum.323. Veroneñ Contributionum.
Manutentio non denegatur constito de possessione, & quando per superuenientiam noui tituli censeatur immutata possessio absque alia declaratione, necnon per decennium quando non dicatur amissa possessio.

Argum.324. Bononieñ Legati.
Sententia pro falsitate testamenti lata contra Notarium quando non noceat legatarijs.

Argum.325 Mediolaneñ Decimarum.
Decimæ assignatæ pro dote Ecclesiæ non possunt spectare ad Rectores.

Argum.327. Clusina Grani.
Iudicium coram A.C. etiam cum forensibus vltra montes, quando sustineatur etiam si non agatur vigore obligationis Cameralis, vel alterius obligationis executiuæ: Procuratoris Constitutio vt dicatur nulla, vtpotè facta sine solemnitatibus à minore, minoritas est probanda: Nullitates prioris sententiæ tolluntur per secundam in iudicatum transactam.

Argum.328.Nullius,seu Penneñ iurisdict.
Iuris assistentia quam habet Episcopus quoad actus iurisdictionales in sua diœcesi cessat alio existente in possessione ad effectum manutentionis.

Argum 329. Romana Pecuniaria.
Litteræ quando contineant mandatum, ita quod illarum vigore mandans remaneat obligatus: Successor in Episcopatu quando non teneatur pro debito antecessoris, sed istius hæres.

Argum.330. Calagurit.Erectionis Cappellæ.
Iuspatronatus Ecclesiæ, quando non spectat ad Parochianos tunc isti non possunt se opponere dotationi, ac fundationi Cappellæ in d. Ecclesia cum ad dictum effectum exuberet consensus Rectoris, & licentia Ordinarij.

Argum.331. Valentina prætensæ promissionis.
Matrimonium quis præcisè non dicitur promisisse per promissionem de matrimonium non contrahendo nisi cum tali, cum ex huiusmodi verbis resultet tantum obligatio de non contrahendo cum alia.

Argum. 332. Tiburtina prætensi Spolij.
Remedium reintegrandæ non competit sine præcedenti possessione: Possessio quando nõ dicatur probata ex clausula constituti, ex inuentario, necnon ex locationibus.

Argum.333. Anconitana Bonorum.
Quando de fructibus possit pacisci ab initio, & ad quam rationem.

Argum 334. Romana Domus.
Fructus ex pecunia debentur quando ista fuit subrogata loco stabilium, quæ debebantur, & hoc casu taxatio ad rationem scut.5. pro centenario est licita.

Argum.335. Perusina Pecuniaria.
Restitutio in integrum aduersus rem iudicatam neque minoribus competit quando non

# Index Argumentorum.

non datur læſio non modica & iſti fuerunt per conſortes defenſi: Rei iudicatæ executio petita non poteſt retardari per ſuperuenientem commiſſionem reſtitutionis in integrum.

Argum. 336. Veroneñ Contributionum.

Examinantur nonnullæ nullitates ex defectu ſcilicet legitimi iuramenti ſine decreto Iudicis reſpectu examinis decreti ſine traſportatione integrorum actorũ ac proceſſus per contradictas ob exiſtentiam procuratoris in Curia.

Argum. 337. Sabineñ Cenſus.

Sententię ex quibus dicantur conformes itaut ſit locus ſtatuto Vrbis lib. 1. cap. 180. de duabus cõformibus. Reijciuntur nonnullæ nullitates ex defectu mandati procuræ, iuramenti calumniæ, ac tranſportationis actorum, & approbatur ſententia, quod cenſuario debeatur prælatio etiam in ſubhaſtatione.

Argum. 338. Veroneñ Contributionum.

Subexecutor executorialium quoad cenſuras non poteſt ſe immiſcere ſine notorio vitio attentatorum cum pariter, fructuum liquidatio, & ſimilia cognoſcenda ſint per Rotam, & non per ſubexecutorem.

Argum. 339. Aquitanieñ Prioratus.

Fatalia ob impedimentum partis quando non dicantur lapſa, ita quod cauſa non ſit deſerta non obſtante lapſu biennij, ac vlterioris temporis, & hæc materia latè examinatur.

Argum. 340. Romana Domus, ſeu Aromatarię

Appellatio vt dicatur interpoſita coram Iudice, quid ſufficiat.

Argum. 341. Ferrarieñ Cappellaniæ.

Iuſpatronatus Eccleſiaſticum exiſtens in Eccleſia in qua Cardinalis eſt Epiſcopus non dicitur reſeruatum vigore regulæ 8. ſed remanet ſub diſpoſitione iuris, & ſic patroni debent præſentare, & Epiſcopus inſtituere.

Argum. 342. Toletana Parochialis.

Poſſeſsor quando non dicatur ſe habuiſſe pro ſpoliato etiam ſi petierit reintegrationem, itaut ſit manutenendus.

Argum. 343. Nullius, ſeu Aprutina Iuriſdictionis.

Teſtes examinati extra terminum remiſſoriæ dicuntur examinati ſine iuriſdictione, quo caſu aut raro, aut nunquam talis defectus ſanari poteſt.

Argum. 344. Romana Donationis.

Clauſula, conſtituti, adiecta donationi nullæ nullam transfert poſſeſſionem manutenibilem, & quando ſecunda donatio dicatur nulla ob aliam præcedentem.

Argum. 345. Macerateñ Iuris prætij.

Pretia rerum per peritos æſtimãda ſunt & eſt modus approbatiſsimus, nec ad dictũ effectum magni faciendæ ſunt locationes, & præſertim in vrbanis.

Argum. 346. Meleuitana Familiæ de Chiantar.

Voluntas Teſtatoris ſi per Papam fuerit commutata dummodo omnium intereſſe habentium accedat aſſenſus non poterit legitimè executioni demãdari ſine omnium aſſenſu, & aliter facta corruit.

Argum. 347. Valliſoletana Parochialis.

Filius patrimonialis vigore Conſtitutionis Synodalis Valliſoletanæ, vt quis dicatur, quæ requirantur.

Argum. 348. Tiburtina Læſionis, ſeu prætenſæ reſciſſionis contractus.

Contractus, vt reſcindatur ex capite læſionis, iſta debet concludi de tempore contractus.

Argum. 349. Lauretana Parochialis.

Reſignatarius qui poſſeſſionem accepit debet manuteneri donec de nullitate reſignationis diſcutiatur.

Argum. 350. Romana Vineæ.

Contractus à pupillo, vel pupilla ſine Tutore, ſed cum auctoritate Curatoris ſpecialiter, ad contrahendum à Iudice deputati, quando valeat, & teneat. Alienatio bonorum pupilli facta eo, quod creditores vrgeant, quando valida ſit.

Argum. 351. Romana Domus.

Bona emphyteutica Eccleſiaſtica, quidquid ſit de iure, hodie ex generali conſuetudine non poſſunt retineri per alias Eccleſias ſed iſtæ tenentur alijs vendere.

Argum. 352. Bononieñ Fideicommiſſi de Lutio.

Fructus à die motæ litis reſtituendi non veniunt niſi fuerint percepti.

Argum. 353. Romana Domus.

Tranſactio vt ex falſa cauſa reſcindi valeat, concludenter dicta falſa cauſa eſt probanda.

# INDEX CAVSARVM IN QVIBVS EMANARVNT DECISIONES

## Bon. mem. R. P. D. Guglielmi Dunozeti Archiep. Seleucien. Sac. Rotæ Romanæ Auditoris.

## A



## B

C



Com-

Nullius

# S



# T



To-

# AD LECTOREM.


*POST exarata à D. Mario Fino Argumenta, & Summaria omnium Decisionum vtriusque Auditoris multa quidem in primo Tomo bo. me. Amati, & multa alia in parte harum Decisionum bo. me. Guglielmi earumque Indice emendari corrigique curaui. Sed quia errores solent se mutuo consequi; si qui forsan vlterius irrepserunt, benignitatis tuæ erit illos emendare totiusque Operis mecum Deo Optimo Maximo debitam gloriam referre.*

*Scipio Santronchetus.*

*Ens agit aut patitur quod verbum denotat, vnde*
*Signa cui casus fim, formaque fæx rudis est.*

# PRIVILEGIORVM SVMMA
## Pro Impressore Camerali, & Vaticano.

Clemens Papa Octauus Diplomate sanxit, ne quis citra voluntatem Dominici Basæ, olim in Typographia Vaticana impressoris Sacram Bibliam, Concilia generalia, Epistolas decretales Libros ad Ecclesiasticum munus pertinentes, ac etiam Sanctorum Patrum volumina; Libros etiam cuiuscumque generis, vel nouiter ab ipso edendos, vel nouis additionibus auctos, per decennium ab editione cuiusque voluminis imprimat, vel impressa venalia habeat. Quod priuilegium Paulus Papa V. peculiari Chirographo in fauorem Hieremiæ Guelfi I.V.D. ac impressoris Cameralis transtulit, indulsitque: Idem Gregorius Papa XV. litteris expeditis ratum, firmumque haberi voluit. Violatores excommunicationis latæ sententiæ pœna puniuntur. Quod si in terris S. R. E. subiectis id contigerit, confiscatione etiam Librorum, ac quingentorum ducatorum auri solutione mulctabuntur, vt latius patet in literis ipsius Gregorij Papæ sub datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 21. Octobris 1621, Pontificatus sui Anno primo. Ac idem Vrbanus Octauus peculiaribus litteris datis apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 23. Maij 1628. Pontificatus sui anno quinto in fauorem Andreæ Brogiotti Impressoris Cameralis, & Vaticani transtulit, indulsitque. Ac iterum Innoc. X. peculiaribus litteris datis apud sanctum Petrum in fauorem Angeli Balladori, pariter Impressoris Cameralis, ac Vaticani; confirmauit sub annulo piscatoris die prima Martij 1646. Et tandem omnia supradicta priuilegia, & gratias amplè confirmauit, & indulsit Alexander Septimus in fauorem Zenobij Masotti, præsentis Impressoris Cameralis, & Vaticani, datis litteris die 14. Decembris 1663. Pontificatus anno Decimo.



Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Mag. Sac. Pal. Apost.

*I. de Angelis Archiepisc. Vrbinaten. Vicesg.*

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus S. Palatij Apost. Magister.

# DECISIONES R.P.D. GVGLIELMI DV NOZETI SAC. ROTAE ROMANAE AVDITORIS.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Lunæ 10. Iunij 1613.*

### ARGVMENTVM.

Creditum vt iustificatum dicatur in certa summa, quæ probatio sit necessaria.

### SVMMARIVM.

1 *Confessio non concludens de necessitate interpretatur pro confitente.*
2 *Fructus post extinctionem census nullo modo solutos creditor cēsus obtinere nequit.*
3 *Confessio solutionis facta à creditore non suffragatur absque adminiculis.*
4 *Fructus census post illius extinctionem non debentur.*
5 *Interesse non praecedente interpellatione, seu mora non debetur.*
6 *Epistola Principum illos obligant in summa in illis contenta.*

### DECISIO I.



QVONDAM bo: me: Dux Iulianus Cæsarinus, filius, & hæres quondam D. Ioannis Georgij obtinuit ab A. C. mandatum contra Serenissimum D. Ernestem ex Ducibus Bauariæ postea sacri Imperij Electorem, & Archiepiscopum Coloniæ Agrippinæ, pro scutis 5875. b.40. quorum duo millia destinata erant in extinctionem cuiusdam census venditi DD. de Glorerijs, reliqua verò sibi deberi asserebat, pro fructibus d. census solutis iisdem Glorerijs, necnon pro fructibus post extinctionem d. census, quia ex pecunijs prouenientibus ex venditione Montis Cæsarini dicebatur extinctus post relaxationem mandati cum pecuniæ sequestratæ ex Hispania ad Vrbem fuissent transmissæ d. D. Dux obtinuit ab A. C. mandatum de cōsignando, à quo mandato cum pro parte Serenissimi Ferdinandi Electoris Coloniensis hæredis dicti Serenissimi Ernestis fuisset appellatum, causaque mihi commissa, dubitaui an constaret de credito DD. de Cæsarinis, & vsque ad quam summam, in casu, & ad effectum, de quo agitur, quo dubio proposito die Lunę 10. Iunij 1613. Informante tantum Agente dicti Serenissimi Archiepiscopi, & Procuratore dictorum DD. de Cæsarinis sæpius citato, DD. censuerunt non constare eos esse creditores nisi de summa scutorum duorum millium.

Fundamentum DD. fuit in Epistolis dicti Serenissimi Ducis Ernestis, quibus agnoscit debitum certi census scutorum duorū millium non exprimendo qualitatem istius

 census

census, à quo venditus, & à quo emptus
1 fuerit, & ita † hæc confessio non limitata, non præiudicat confitenti, eum non sit certa & clara, prout requiritur, *l. si quis intentione ambigua, ff. de inditijs, Rota decis. 441. num. 9. & 462. num. 1. par. 1. diuers.* Vnde DD. de Cæsarinis si volebant censum venditum dictis DD. de Gloretijs consequi, vnà cum fructibus incumbebat specifica, & clara probatio esse eumdem censum ad quem tenebatur dictus Serenissimus Ele-
2 ctor, † multo minus possunt obtinere fructus post extinctionem census, nullo modo solutos, ex traditis per *Grauett. consil. 132. num. 11.*

Nec releuat solutio scutorum 180. facta pro fructibus d. census nomine Ducis Ernestis, nam vltra quod non constat de vllo mandato ipsius qui soluisse dicitur, non colligitur ista solutio, nisi per confessio-
3 nem DD. de Cæsarinis, † quæ sine adminiculis non est sufficiens. *Fel. in cap. fin. num. 11. & ibi Paris. num. 54. de præscript.* Deinde non constat hanc solutionem fuisse factam pro fructibus istius census, de quo agitur.

Quod verò ad fructus petitos post extinctionem census ad illos nullo modo teneri dictum D. Serenissimum Ferdinandum
4 DD. dixerunt, quia † si dicti census etiam debitor fuisset d. Serenis. Ernestes tamen eo extincto nulli amplius debentur fructus vt fuit resolutum in vna *Romana Salniani interdicti 23. Ianuarij 1600. coram bo: me: Litta.* Nec debentur hi fructus eo colore quod census fuit extinctus de pecunijs redactis ex venditione locorum Montis Cæsarini, cum non constet de aliqua inter-
5 pellatione † propter quam d. Serenissimus Ernes, aut illius hæres fuisset constitutus in mora, prout requirebatur ad hoc vt dd. fructus pendere teneretur, *gloss. 1. in fine, in l. quod te, ff. si certum pet. vbi Bart. nu. 12. Ias. num. 5. Rip. num. 34. Hended. cons. 50. num. 23. lib. 1. Surd. decis. 179. num. 21.*

Placuit tamen DD. constare de credito scutorum 2000. ex quo est confessio in dictis litteris d. Ducis Ernestis quoad hanc summam. Et licet in rigore iuris stante etiam statutaria præscriptione allegata posset etiam de dicta summa dubitari, ta-
6 men † cum adsint epistolæ Principis supremi Magnati directæ DD. crediderunt illas obligare dictum Principem, & per consequens Serenissimum Ferdinandum ad summæ pecuniarum in ea expressæ solutionem teneri, ex notatis per *Bart. in l. nuda de donat. & per Innoc. post alios in cap. si cautio de fide instrum. Ruin. cons. 231. nu. 7. lib. 1.*

Et ita fuit decisum.

## FERRARIEN. AFFICTVS.

*Die Lunæ 17. Iunij 1613.*

### ARGVMENTVM.

Examinantur plures nullitates oppositæ contra examen testium remissorialium.

### SVMMARIVM.

1 *Remissoriæ forma ad vnguem seruari debet.*
2 *Citatio vigore Remissoriæ facienda ad valuas Ecclesiæ non est rectè facta, si fuerit facta ad valuas Palatij.*
3 *Citari non debet vti absens, qui habet domicilium.*
4 *Concursus populi verisimiliter maior est in Ecclesia maiori, quàm in Palatio.*
5 *Legitimatio personarum ante omnia in iudicio facienda.*
6 *Fides Notarij non facit sufficientem probationem.*
7 *Citatio ad hoc vt non sit nulla ipsius copia cum insertione totius tenoris debet dimitti.*

### DECISIO II.

CVM dubitatum esset in causa pendente inter Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Cardinalem Estensem, & Communitatem Bagnacaualli iuxtum testes examinati vigore Remissoriæ Rotalis ad instantiam dictæ Communitatis essent rectè & rite examinati, proposito dubio DD. nemine discrepante dixerunt, testes nulliter fuisse examinatos, & ex multis nullitatibus adductis per Informantes pro dicto Illustrissimo Cardinale duas potissimum nullitates inducere indicarunt.

1 Harum prima, quia † forma Remissoriæ non fuit seruata quæ ad vnguem obseruari debuit, & præteriri non potuit, *l. statutum de rescript. in 6. l. aut qui aliter in princ. & ibi Bart. ff. quod vi aut clam.* aliter necessario nullitas inducitur, *Verall. decis. 111. par. 1. Rota decis. 3. de dolo & contum. in nouiss. Achill. decis. 24. eod. tit.*

Et inter multa quæ deducuntur in specie hoc videtur releuans circa modum ci-
2 tandi, nam † iuxta formam remissoriæ debebat

bebat citari dictus Illustrissimus Cardinalis ad valuas maioris Ecclesiæ, & tamen eitatus fuit ad valuas Palatij, quia locus præscriptus in dicta remissoriali succedebat
3 loco domicilij, & ideo † absens ibi debuit citari, *Clem. causam, §. quod si forsan de elect. glos. in Clem. 1. de iudicijs*, Vnde non potuit mutari locus destinatus. *Castr. cons. 22. n. 3. l. 1. Boccac. de literis remiss. cap. 6. num. 20. & cap. 8. num. 4.*

Addi & potest ideò fortè locum fuisse à
4 Rota præfixum, quia † maior verisimiliter concursus est populi in Ecclesia maiori, quam in Palatio, *Achill. decis. 19. de dolo, & contum.*

Secunda nullitas clara visa fuit DD. ex defectu legitimi mandati tàm pro parte eius, qui pro Communitate petijt executionem remissoriæ, quàm pro parte dicti Illustrissimi Cardinalis, quia de neutro saltem legitimo mandato constat in processu,
5 nam † ante omnia legitimandæ erant personæ comparentium, *Iason. in l. 2. num 4. C. de edicto Diui Adr. tollendo, Alex. cons. 59. num. 2. lib. 2.*

Nec obstat, quod dicitur eum qui pro parte Communitatis comparuit fuisse Syndicum, & Antianum, quia hoc non iustificatur, & licet id non fuerit oppositum à dicto Cardinale cõsiderandum est nullum tunc temporis comparuisse, qui hoc obijcere posset, deinde idem prætensus Syndicus in examine vltimi testis comparuit cum legitimo mandato, quod prius facere potuerat.

Nec etiam obstat, quod adducitur comparuisse quemdam substitutum à Procuratore habente sufficiens mandatum à dicto
6 Cardinale, vt attestatur Notarius, † quia non placuit DD. fidem in hoc casu adhiberi assertioni Notarij, nam ex ea sufficiens non inducitur probatio, *Dec. cons. 512. num. 2.*

Ponderata est etiam ab vno DD. alia
7 nullitas, ex eo, quod † non fuit relicta copia citationis cum insertione totius tenoris, *Put. decis. 27. lib. 2. in non. imp. Guidob. decis. 1. tit. de cit.*

Ex quibus & alijs deductis fusissimè per Informantes pro parte Illustrissimi Cardinalis Estensis ita fuit decisum.

## CALCIATEN. DECIMARVM.

*Die Veneris 21. Iunij 1613.*

### ARGVMENTVM.

Capitulum cæterique habentes curam animarum, habent pariter iuris assistentiam quoad exactionem decimarum.

### SVMMARIVM.

1 *Capitulum cui imminet cura animarum habet præsumptionem iuris in exactione decimarum sua Parochia.*
2 *Possessio specialis, & generalis quoad exactionem decimarũ ex omnibus prædijs existentibus in toto districtu alicuius Diœcesis suffragatur quoad decimas ex prædijs intrà dd. fines existentibus.*
3 *Manutentionem ad obtinendam leuior requiritur probatio.*
4 *Citatio legitimè facta in principio est sufficiens pro tempore prorogato.*
5 *Impedito iniustè non currit tempus.*
6 *Prorogationem approbanti, eaque vtenti non currunt tempora.*

### DECISIO III.

IN causa vertente inter Capitulum Calciateñ, & litis consortes ex vna, & Fratres Sancti Hieronymi Monasterij de Estrilla ex altera, dubitaui vtrum dicto Capitulo Calciateñ, & litis consortibus dandum esset mandatum de manutenendo in quasi possessione exigendi decimas territorij de Villalouar, de quibus agitur, DD. affirmatiuam sunt amplexi.

Moti sunt ea præcipuè ratione, quia
1 dictum † Capitulum, & litis consortes, quibus cura imminet animarum, habent præsumptionem, & assistentiam iuris in exactione decimarum suarum Parochiarũ, *c. cum contingat de decim. cap. ad decimas de de rest. spol.* deinde plenè per testes probata est specialis possessio dicti Capituli percipiendi decimas ex prædijs emptis à dicto Monasterio, necnon vniuersalis exigendi decimas ex omnibus agris sitis in toto di-
2 strictu de Villalouar, † quæ sufficit vt prædia de quibus controuertitur comprehendantur, *Bart. in l. 1. §. si quis hoc interdicto num. 1. ff. de itin. actuq. priu. Bald. in l. 1.*

A 2 *num. 22.*

*num.21. Cade emancip. lib. Felin. in cap. auditis num.10. de praescript.*

Considerarunt etiam DD. ferè probatam esse per dictos testes quasi possessionem immemorabilem, quae non erat neces-
3 saria cum agatur de manutentione, † pro qua obtinenda leuior requirebatur probatio, quam ea quę colligitur ex depositionibus dictorum testium, *Castr. cons. 3. lib. 2.* & in hoc casu fuit dictum in vna *Corduben. Decimarum 25. Octobris 1593. coram bon. mem. Seraphino, & postea in vna Valentina Decimarum 20. Februarij 1598. coram bon. mem. Peregrino.*

Non obstat nullitas allegata ex defectu citationis ad videndum iurare testes, quia
4 citatio † legitimè facta reperitur in principio, & sufficiens est etiam pro tempore prorogato.

Nec obstat etiam, quod dicitur expiratum fuisse terminum, & sic non intrare materiam prorogationis, quia petitio facta fuit in tempore, & stante denegatione
5 termini 80. dierum, qui debebatur, & † sic impedimento iniustè praestito, interim non currebat tempus, *cap. plerumque, & ibi gloss. in ver. negligentia de rescript. cap. 2. in fin. ibi si per eum non steterit, de eo qui mitti in possess. vbi gloss.* plures adducit concordantes cum alijs allegatis per informantes, idque tanto magis quia d. Mona-
6 sterium † eandem approbauit prorogationē eaque visus est examinando eodem tempore testes, vnde difficillimè eam nunc reprobare potest, *arg. l. Pomponius, ff. de neg. gest.* & alijs per informantes adductis.

Ex quibus ita fuit decisum.

## ASSISIEN. SPOLII.

*Mercury 26. Iunij 1623.*

## ARGVMENTVM.

Requisita spolij assignantur, & ex quibus probata dicantur.

## SVMMARIVM.

1 *Possessio dicitur satis probata, per testes de visu deponentes.*

2 *Possidere dicitur ille qui litem sustinuit, & mandatum de manutenendo obtinuit.*

3 *Possessione auctore Iudice priuatus non dicitur spoliatus.*

4 *Possidens omninò citari debet etiamsi iniustè possideat.*

5 *Tertius possessor semper debet citari licet iniustè possideat.*

6 *Interdicto reintegrandae agenti nulla exceptio, nec compensatio obyci potest.*

## DECISIO IV.

DOMINI dixerunt constare de spolio Benedicti Talenti, eumque in primis esse restituendum: nam primum extremum plenè probatum est, adest enim Iudicis decretum, & subhastatio, cuius vigore dictus Benedictus possessionem adeptus est, quae probatur per testes, qui de perceptione fructuum per biennium de vi-
1 su deponunt, † ex quo satis superque probatur dictum Benedictum hęc praedia subhastata possedisse. *l. Titia, vbi Bart. ff. de solut. Aym. cons. 107. num. 2. vers. 2. Paris. cons. 107. num. 22. lib. 1. Cas. de Grass. dec. 10.*
2 *num. 3. de caus. possess. & propriet.* † Secundum extremum dicebatur probatum ex eo quod Pamphilius litem sustinuit, & per mandatum de manutenendo per dictum Pamphilium obtentum, *iuxta decis. Caput. 369. par. 2.* & fuit dictum in vna *Bononien. Spolij 25. Decembris 1600. coram bon. mem. Card. Pamphilio.*

Nec obstare visum fuit DD. Bene-
3 dictum † priuatum fuisse sua possessione auctore Iudice, qui propterea dici posset non spoliatus, *l. iustè possidet, ff. de acq. poss.* quia hoc procederet si Iudex ritè & legitimè processisset, non autem quando nulliter sententiam tulit. *Abb. in l. conquerente num. 8. de restit. spol. Rota decis. 802. num. 7. par. 1. diuers.* quinimmo Iudex non rectè & ritè procedens dicitur spoliare, *Roman. cons. 158. num. 6. Aym. cons. 18. num. 8. Caputaq. decis. 186. par. 1.* & fuit dictum *in Romana Spolij 21. Februarij 1600, coram bon. mem. Iusto.*

Non processisse autem ritè Iudicem ex eo liquet, quia Benedictus non fuit cita-
4 tus, † qui omnino citari debuit etiamsi iniustè possideret. *cap. licet Episcopus de praeb. in 6. cum alys per Honded. cons. 20. num. 46. & seq. lib. 1. Rota d. decis. 802. num. 8. par. 1. diuers.*

Nec etiam obstare dictum fuit possessionem dicti Benedicti fuisse spoliatiuam, quod subhastatio nulliter, & iniustè facta fuerit, & ita dici posse possessionem dicti Benedicti fuisse nullam. Placuit enim Do-
5 minis hec responsio † semper debuisse citari dictum Benedictum tamquam tertium possessorem

posseſſorem, licet iniuſtè poſſidentem. Ideo in primis & ante omnia iſtud vltimū ſpolium eſt purgandum. *l. prima, §. qui vi. & l. cum fundum 4. de vi & vi arm. l. ſi quis ad ſe fundum, C. ad l. Iul. de vi publ. l. vltim. vbi omnes de ord. cognit. cum alys per Menoc.*
6 *recuper. poſſ. remed. 1. num. 382.* † Agenti enim interdicto reintegrandæ nulla exceptio obijci poteſt, *l. vlt. in fine, Cod. de compenſ.*

Ex quibus ita fuit deciſum.

## LEODIEN. CANONICATVS.

*Veneris 28. Iunij 1613.*

### ARGVMENTVM.

Spolium ex quibus dicatur probatum ad effectum, vt ſpoliatus ſit reſtituendus ad ſuam poſſeſsionem.

### SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio anterior probatur ex inſtrumento quod ſufficit alio non exiſtente in poſſeſſione.*
2 *Poſſeſſio probatur ex ſuſtentatione litis.*
3 *Reſtitutio in beneficialibus non datur abſque titulo colorato.*
4 *De ſpolio verò attentata conſtat cum fuerit datum mandatum de immittendo, & capta fuerit poſſeſſio pendente termino ad appellandum.*
5 *Clauſula amoto quolibet illicito detentore facit executorem mixtum.*
6 *Appellatio de iure Canonico datur à quocumque grauamine.*
7 *Decretum irritans poſſeſſionem annullat.*
8 *De eiectione, & reſtitutione priuſquam de Canonica inſtitutione agi debet.*
9 *Prædo eſt ſecundum rigorē iuris reſtituendus.*

### DECISIO V.

DOMINI dixerunt Ioannem Iacobeum tanquam ſpoliatum eſſe reſtituendū poſſeſsioni Canonicatus in Eccleſia Sancti Mononis Naſſouieñ Leodieñ Diœceſ. quia extrema neceſſaria ad obtinendum in hoc iudicio concludenter fuerunt pro-
1 bata, † anterior poſſeſsio Ioannis quæ pro primo extremo requiritur probatur ex Inſtrumento, quod ſufficit alio non exiſtente in poſſeſſione. *Menoch. remed. 3. retin. num. 575. Rota diuerſ. deciſ. 506. num. 1. par. 1.* fuit dictum *in Calciaten. Legionen. præſtimonio-rum Ven. 10. Decembris 1604. coram R. P. D. meo Decano,* & aliàs ſæpe.

2 Secundum † extremum probatur per poſſeſſionem captam per D. Ioannem Dothee, & ex eo quod litem ſuſtinuit, *Caput. deciſ. 370. par. 2.* fuit dictum *in vna Romana portus molæ 22. Iunij 1607. coram R. P. D. meo Canalerio.*

3 Nec obſtare dicebatur † in beneficialibus non dari reſtitutionem abſque titulo colorato. *cap. ad decimas de reſtit. ſpoliat. Clem. vnic. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. Gemin. conſ. 57. nu. 3. verſ. ſuper reg. de trien. Caſſad. deciſ. 3. num. 4. & deciſ. 4. num. 1. de reſt. ſpol.* Nam vltra quod pro parte Iacobei conſtabat de prouiſione Apoſtolica, quę licet fuerit obtenta poſt ſpolium tamen ſuffragatur pro titulo colorato cum adhuc effectum attendatur tempus reſtitutionis. *Achill. deciſ. 4. de reſtit. ſpol.* & fuit dictum in vna *Canallicen. Canonicatus coram bo: me: Illuſtriſſimo Paleotto.* fuit etiam reſponſum non habere locum in ſpolio attentato, *Rot. deciſ. 2. de reſtit. ſpol. in nou. & 11. eod. tit. in antiq. Capell. Toloſ. quæſt. 15. num. 3. in add.* & fuit dictum *in Romana Beneficiatus S. Petri 2. Maij 1669. coram bon. mem. Illuſtriſſ. Seraphino.*

4 De ſpolio verò attentato clarè conſtabat ex eo quod fuit datum mandatum de immittendo, & capta poſſeſſio per Dotheam, nedum pendente termino ad appellandum, *cap. non ſolum de appellat. in 6. cap. 2. vt lit. pend. eodem lib. Rota diuerſ. deciſ. 6. num. 1. par. 2.* ſed poſt interpoſitam appellationem nec poterat in dubium verti dari appella-
5 tionem ſtante poſſeſſore, & † clauſula, *amoto quolibet illicito detentore,* quæ facit executorem mixtum, *Abb. in cap. ſi de cætero num. 8. & Felin. num. 9. de re iud. Mohedan. deciſ. 7. de reſtit. ſpol. Achill. deciſ. 6. num. 5. ſuper reg. trienn.* Imò cum executor nulliter proceſſerit nō iuſtificata gratia Dothee niſi per teſtes nulliter examinatos dabatur appellatio etiam ſi alias non concederetur
6 cum † de iure Canonico à quocumque grauamine appellatio detur, *cap. ſuper eo, & ibi DD. vbi Dec. num. 16. de appell.*

7 Non obſtat, † per decretum irritans poſſeſſionem Iacobei remanſiſſe ſine fundamento, *Caput. deciſ. 307. num. 4. par. 3. Caſſad. deciſ. 1. num. 2. de reſtit. ſpol. Rota diuerſ. deciſ. 24. num. 5. & deciſ. 149. num. 2. par. 2.* & per conſequens non poſſe habere locum primū extremum, *Rota deciſ. 7. nu. 1. de reſtit. ſpol. in nou.* Nam id ceſſat hoc caſu

 ex quo

ex quo in noua prouisione fuit facta mentio de dicta irrita possessione, vt fuit resolutum in prædicta *Cauallicen. Canonicatus coram Illustris. Paleotto*.

Quæ fusissimè deducta sunt, vt probaretur Iacobum nullum ius habere in dicto Canonicatu: ea altiorem requirunt indaginem, & in indicio petitorio sunt discu-
8 tienda: nam prius de eiectione, & restitutione, quam de Canonica institutione agi debet, *l. in litteris de restit. spol.* vbi, ea ra-
9 tio adducitur, quia prædo etiam est secundum rigorem iuris restituendus, *l. 1. §. qui à me de vi, & vi arm. l. vlt. de acq. possess. l. 20. de donat. inter vir. & vxor.*

Ex his ita fuit decisum.

## ROMANA GEMMÆ.

*Veneris 14. Iunij 1613.*

### ARGVMENTVM.

De restitutione certæ gemmæ, quæ cum fuerit à Fideicommittente data in dotem, ab hærede fideicommissario tanquam grauato prætendi nequit.

### *SVMMARIVM.*

1 *Hæres non potest impugnare factum defuncti.*
2 *Euictionis exceptio impedit restitutionem.*
3 *Possidere quis præsumitur, ex titulo praeambulo.*
4 *Testes ex certa scientia deponentes fidem faciunt.*
5 *Testis de auditu saltem adminiculum præbet.*

### DECISIO VI.

INtroducto iudicio per Excellentissimũ D. Alexandrum Ducem Sfortiam fideicommissarium bon. me. D. Alexandri Sfortiæ contra D. Franciscam Sfortiam Marchionissam Palauicinam super restitutione cuiusdam gemmæ non mediocris valoris, & pulchritudinis probatis extremis necessarijs ad obtinendum remedium, *l. fin. C. de edict. Diu. Adr. Toll.* nempè fuisse factum locum fideicommisso ad fauorem D. Ducis vigore testamenti D. Cardinalis gemmamque prædictam per D. Cardinalem possessam fuisse vsque ad eius obitum in illiusque hæreditate remansisse, fuit datum dubium, an D. Duci esset consignanda gemma, quo proposito DD. quatenus ipse Dux reperiatur fuisse hæres quondam D. Marij Sfortiæ negatiuè respondendum esse censuerunt. Ratio decisio-
1 nis fuit, quia D. Dux vti hæres dicti Marij qui dictam gemmam dedit in dotem Dominæ Franciscæ Marchionissæ non potest amplius illius factum impugnare, *l. cum à matre C. de rei vindic. Surd. consi. 221. nu. 24. & seqq. Menoch. qui plures cumulat cons. 89. num. 6. & seqq. Peregr. de fideicommiss. art. 33. num. 2. & seqq.* vel saltem tenetur de
2 euictione, quæ exceptio impedit restitutionem ex regula quem de euictione tenet actio de qua in *l. 2. de exceptione rei vendita in l. vindicantē de euictio, vt per Corneum in d. l. fin. num. 42. Peregr. d. art. 33. num. 6.*

Existimarunt enim DD. satis concludenter probatum gemmam fuisse datam in dotem à DD. Mario D. Marchionissæ ex verbis in chirographo, seu pactis dotalibus his verbis conceptis (*Et in oltre se gli daranno gioie, & altri abigliamenti destinati à detta Signora, che importano buona somma*) Tum etiam quia reperitur dicta gemma penes eamdem D. Franciscam Marchio-
nissam, nec ex alia causa probatur tradi-
3 ta, nam cum dicta verba pactorum dotalium ad illam gemmam congruè possint referri, censetur, & præsumitur tradita, *l. quadam mulier, ff. de rei vindic. l. 2. C. de acquiren. possess. Crauett. cons. 158. num. 13. Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 23.*

Adsunt & duo testes quorum vnus oculatus alter ex certa scientia deponit gemmam fuisse consignatam D. Marchionissæ
4 per D. Marium, qui fidem faciunt, *l. vbi numerus ff. de test.* Horum enim vnus examinatus fuit, pro parte D. Ducis, cui sti-
5 pulatur, alter testis licet de auditu, qui saltem adminiculũ præbet, *Caphal. cons. 540. num. 110. Caput. decis. 206. n. 4. par. 2.*

An verò d. D. Dux Sfortia sit declarandus hæres d. D. Marij cum hæc quæstio altiorem requirat indaginem specialiter discutiandum esse DD. censuerunt.



VR-

VRBEVETANA BONORVM.

*Mercurij 26. Iunij 1613.*

ARGVMENTVM.

Sententia mandans reintegrandum illum, qui facto proprio cecidit à possessione est iniusta, ideoque reuocationem meretur.

*SVMMARIVM.*

1 *Restitutio non competit ei, qui facto proprio cecidit à possessione.*
2 *Contractus minoris celebratus sine solemnitatibus statutarijs est nullus.*
3 *Minoritas debet concludenter probari.*
4 *Minoritatis priuilegio non gaudet colitigans vbi adest pactum in contrarium.*

DECISIO VII.

INformantibus DD. Comitibus Sfortia, & Galeatio fratribus de Marescottis, sententiam latam extra Rotam ad eorum fauorem esse reuocandam quo ad D. Sfortiam Rota censuit ex capite iniustitiæ, dum sententia mandat reintegrandum, & restituendum D. Sfortiam ad possessionem bonorum vigore instrumenti concessorum Dominis de Marsiano, cum claram habeamus regulam restitutionem non compete-
1 re ei, qui facto proprio cecidit à possessione, *Socci. in l. rem quæ nobis num. 8. de acquiren. possess. Dec. cons. 191. num. 24. Paris. cons. 1. num. 163. in fin. & seq. lib. 1. Natt. cons. 162 nu. 6. Put. decis. 275. in princ. lib. 3. Cassad. decis. 4. num. 6. de rest. spol. Rot. dec. 1. sub num. 2. & decis. 2. de rer. permut. in nou. & decis. 131. & 132. par. 1 diuers.*

Non obstat, quod D. Sfortia esset minor, & per consequens contractus celebra-
2 tus absque solemnitatibus fuit nullus ex dispositione, *Statut. Vrbis cap. 117. & 151. lib. 1.* Nam de minori ætate non constat,
3 quæ tamen vti suæ intentionis fundamentum erat concludenter probanda, *l. cum te, C. de probat. l. si minorem, C. de restit. in integr. Surd. decis. 75. num. 9. & 10.* Nec po-
4 terit iuuari ex persona D. Galeatij minoris ratione indiuiduitatis iuxta *decis. 709. n. 3. par. 1. diuers. & per Menoch. de recuper. remed. 15. n. 13.* Nam vltra quod d. ratio hoc casu cessat propter conuentionem partiũ in ipso instrumento, in quo fuit conuentum solum Galeatium vti posse priuilegio minoris ætatis quandocumque ipse factus maior voluerit à contractu resilire, quoad D. Galeatium notoriè minorem, an sit infirmanda, vel confirmanda sententia hoc in specie disputandum esse DD. censuerunt.

FAVENTINA ALIMENTORVM.

*Mercurij 26. Iunij 1613.*

ARGVMENTVM.

Alimenta à fratre petens, se natum ex communi patre tenetur probare, saltem per præsumptiones, & coniecturas, quarum plures hic adnotantur.

*SVMMARIVM.*

1 *Filiatio per præsumptiones, & coniecturas probatur.*
2 *Filiationis probationem inducit conuersatio assidua patris cum matre.*
3 *Pater licet sæpius in dubium reuocetur, attamen semper mater certa existit.*
4 *Alimenta se aliquandiu à patre accepisse probans filiationem non probat.*
5 *Testes deponentes de fama, vel communi opinione, non probant, nisi dicant à quibus audiuerint.*

DECISIO VIII.

IOanni Paulo prætendenti alimenta à Petro vti fratre ex Hieronymo communi patre Dominis visum fuit illa non deberi ex quo Ioannes Paulus non probauit se esse dicti Hieronymi communis patris filium, licet enim receptum sit filiatio-
1 nem probari per præsumptiones, & coniecturas, *glos. in l. Lucius Titius, ff. de condit. & demonstr. Canonistæ in cap. Michael de fil. presbyt. Surd. cons. 1. num. 39. & seqq. Decian. resp. 1. num. 96. & seqq. lib. 3. Menoch. de arbitr. casu 89. num. 1.* Et præcipuè vbi agitur pro consequendis alimentis ad quem effectum minus concludentes probationes sufficiunt, *Bart. in l. si neget de liber. agnosc. Couar. pract. quæst. cap. 6. num. 8.* & fuit latè deductum *in Romana filiationis 23. Ianuar. 1610. & 4. Febr. 1611. coram Reuerendiss. D. Lugdunen.* Tamen hoc casu tales coniecturæ, ac præsumptiones non concurrunt. Nulli enim dantur actus, ex quibus præsumptiones desumi solent, quales sunt nominatio patris, educatio, tractatus con-

cu-

cubinatus, vel saltem assidua conuersatio
2 Hieronymi cum matre, ex qua præcipua, ac vrgens solet deduci præsumptio filiationis, vt per *gloss. in d. cap. Michael in ver. constiterit, Surd. d. cons. 1. num. 43. Menoch. d. casu 89. num. 26. Rota in d. Romana filiationis de anno 1610.* Imò tantum abest, vt fuerit probatus concubinatus, vel aliqua conuersatio, vt nec quæ fuerit mater in processu legatur, & tamen licet quis sit
3 pater sæpius in dubium reuocetur, nihilominus certa semper existit mater, *l. quia litigandi causa in fin. cum l. seq. ff. de in ius voc.*

Non obstat dictum Ioannem Paulum in domo dicti Hieronymi à Petro filio ali-
4 menta aliquandiu accepisse, quia hoc, vel ad pietatem referendum, vel ad leuissimã suspicionem aliquam ex qua hodie non potest cogi D. Petrus ad illa præstanda tanquam debita.

Minus obstãt testes deponentes de filiatione, quorum pauci de publica voce, &
5 fama, quia nullam certam neque verisimilem scientiæ causam reddunt, vt in his terminis *Ruin. cons. 52. num. 7. lib. 5. Marcabr. cons. 13. num. 65.* Ex quibus Dominis placuit non deberi alimenta Ioanni Paulo, & eo minus, quia vni ex Dominis visum fuit non liquere hæreditatem dicti Hieronymi adeo fuisse pinguem, vt Ioannes Paulus, qui ex propria industria Atomatariæ, quã artem optimè callet sibi ad victum necessaria parare potest, debeat Petrum filium legitimum, & hæredem Hieronymi ad alimenta eroganda compellere.

Et ita decisum.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Lunæ 4. Nouembris 1613.*

## ARGVMENTVM.

Mandatum nemine citato relaxatum, & in actis non iustificatum, est nullum.

## SVMMMARIVM.

1 *Testes examinati ad perpetuam rei memoriam satis probant.*
2 *Mandatum nemine citato relaxatum est nullum.*
3 *Mandatum in actis non iustificatum est nullum.*
4 *Tempus non currit vbi à die habita notitia fuit appellatum.*
5 *Sententia iniusta nunquam transit in rem iudicatam.*

## DECISIO IX.

Die Lunæ 10. Iunij proximè præteriti proposito per me dubio, an constaret de credito DD. de Cæsarinis, qui obtinuerant vigore mandati ab A. C. relaxati sibi consignari scuta 5735. quorum 2000. prætendebantur pro sorte principali cuiusdam census, & reliqua pro fructibus decursis dicti census, qui dicebatur debitus à Serenissimo Archiepiscopo Electore Colonien. fuit resolutum non constare de credito dd. DD. de Cæsarinis nisi vsque ad summam scutor. 2000. nullosque fructus potuisse legitimè exigi, cum vtraque pars reclamaret rursus idem dubium proposui non informantibus DD. de Cæsarinis licet sæpius citatis, & DD. decreuerunt standũ esse in decisis, ex rationibus in dicta decisione allegatis contra quam quoad fructus nihil penitus fuit deductum.

Quo verò ad sortem principalem, stante confessione dicti Serenissimi, & personarũ qualitate nihil innouandum esse DD. visum fuit, ex rationibus quæ in supradicta decisione continentur.

Quæ verò fuerunt deducta per memoriale à DD. de Cæsarinis ad impediendam causæ expeditionem, videlicet non constare de legitimatione comparentis, ac personæ dicti Serenissimi Electoris fuerit sublata ex facto, productum enim fuit mandatum Procuratoris in actis cum declaratione, & renunciatione Serenissimorum Ducum Bauariç patris, & fratris dicti Serenissimi Electoris in fauorem ipsius Serenissimi Archiepiscopi Electoris, examinatique summariè, & ad perpetuam rei memoriam
1 testes super dicta legitimatione quæ inde satis probatur.

Quo verò ad rem iudicatam quam dicebant obstare dicto Serenissimo DD. placuit non constare de re iudicata, ne dum quia mandatum de consignando fuit rela-
2 xatum nemine citato, & sic nulliter, *l. ea quæ, C. quomod. & quand. Iud. l. 1. ff. quæ sent. sine appell.* Sed etiam quia ex iam decisis constat de notoria iniustitia dicti man-
3 dati, quod debuit iustificari ex eisdem actis, alias nullum est, *cap. inter cæteras de re iud. Surd. cons. 61. num. 50. & seq.* & fuit sæpius

sæpius in Rota decisum, & nuper in vna Romana Fenestrarum die 20. Octobris prateriti coram R.P.D. meo Vbaldo.

4 Dicitur etiam ab informantibus non potuisse currere tempus, quia appellatum fuit à die habitæ notitiæ dicti mandati, *Auth. hodie C. de appell. Ang. consf. 302. num. 4. Rom.*
5 *consf. 343. num.* 18. Adde & sententiam iniustam nunquam transire in rem iudicatam.

Ex quibus Domini mandarunt causam expediri.

## ARGENTINA CANONICATVS.

*Veneris 8. Nouembris 1613.*

### ARGVMENTVM.

Indultum obtentum, quo conceditur, vt non præsens in Curia examini se subijcere non teneatur, iustificat clausulam, *si per diligentem examinationem idoneum repereris.*

### SVMMARIVM.

1 *De validitate constat cū ex reuolutione actorum de iurisdictione ex commissione de mādato procuræ comparentis, ac de legitimis citationibus apparet.*
2 *Clausula*, si per diligentem examinationem idoneum esse repereris, *iustificatur per indultum obtentum cum concessione, vt non præsens in Curia examini se subijcere non teneatur.*

### DECISIO X.

Domini vna tantum parte informante dixerunt sententiam Rotalem esse
1 confirmandam. De validitate constabat ex reuolutione actorum, in quibus de iurisdictione ex commissione, de mandato procuræ comparentis, ac de legitimis citationibus apparebat, vt fuit dictum in *Mediolanen. Iurispatronatus* 22. *Iunij* 1609. *coram Reuerendissimo D. Lagdunen. & in Toletand Canonicatus* 11. *Decembris* 1609. *coram Illustrissimo Lancellotto.* De iustitia verò ex decisione quæ placuit Dominis rationibus optimè in ea deductis, ex quibus gratiam D. Ioachimi concludenter fuisse iustificatam colligitur.
2 Verum quia aderat clausula, *si per diligentem examinationem idoneum esse repereris*, pro illius iustificatione Dominis visum fuit illam suppleri per Indultum postea obtentum, quo conceditur Ioachimo, vt examini subijcere se non teneatur si non esset præsens in Curia, vt per testes fuit concludenter probatum illum fuisse, & esse à Curia absentem, domiciliumque habere in Ciuitate Iuburgensi, distante à Ciuitate Argentina, quod solum illi onus probationis incumbebat stante dicto Indulto.

Ex quibus ita fuit decisum.

## REGIEN. BENEFICII.

*Veneris 15. Nouembris 1613.*

### ARGVMENTVM.

Possessori antiquiori dandum est mandatū de manutenendo etiamsi posterior possessor authoritate Iudicis fuerit in possessionem immissus vigore sententiæ iniustæ, & cuius iniustitia probatur.

### SVMMARIVM.

1 *Possessor antiquior venit manutenendus.*
2 *Possessio probatur ex confessione.*
3 *Possessio posterior præsumitur clandestina, & non manutenibilis.*
4 *Possessio authoritate Iudicis capta non præiudicat certo possessori.*
5 *Citationis personalis defectus in specie ad sententiam facit clarè constare de nullitate.*
6 *Defectus citationis personalis non corrigitur per citationes ad audiendam voluntatem Iudicis.*
7 *Iudex litteris non iustificatis nulliter dat mandatum de immittendo.*
8 *Clausula*, verificato, *& clausula*, vocatis vocandis, *facit executorem mixtum.*
9 *Executio est attentata cum fuerit facta pendente termino ad appellandum.*

### DECISIO XI.

Rota censuit dandum esse mandatum de manutenendo D. Prospero
1 antiquiori possessori, de illius enim possessione constat ex publico instrumento, quod sufficit alio non existente in possessione, *Menoch. de retinend. remed. 3. n. 575. Rot. diuers. decis. 506. num. 1. par. 1. decis. 62. num. 1. par. 2. fuit dictum in Mediolanen. Canonicatus 6. Iunij 1607. coram R. P. D. meo Pamphilio, in Bononien. bonorum de Tassonis 26. Iunij præteriti coram eodem, in Leodien.* Ca-

*Canonicatus* 28.*Iunij praeteriti coram me*, &
2 alias sæpè. Illa quoque probatur ex confessione D. Iulij Cæsaris in sua gratia, *l.cum praecum C.de lib.caus. Rot.diuers. decis.* 802. *num.*2.*par.*1.

3 Non obstat possessio Iulij Cæsaris, quia tanquam posterior præsumitur clandestina, & non manutenibilis, *cap.licet causam, & ibi DD.de probat. Rot.diuers.decis.*19.*n.*1. *par.*2. Et licet capta fuerit authoritate Iudicis, tamen cum Iudex ad illius traditionem nulliter, & iniustè processerit non
4 priuauit Prosperum sua possessione, *l.fin. C.si per vim, vel alio modo, l.fin. C.comminat.Epistol.Ruin.consil.*17.*sub num.*5.*lib.*5. *Abb.in cap.conquerente num.*8.*de restit.spoliat.* & fuit sæpè decisum.

5 De nullitate clarè constabat ex defectu citationis personalis in specie ad sententiam *glos.in cap. sæpè in verbo ad id de verb. signif. glos. in cap. cum contumacia in verbo respondeat de haeret. in* 6. *fuit dictum in Conchen.decimarum* 15. *Decembris* 1604. *coram Illustrissimo Lancellotto, & in Viglienanen. iurispatronatus* 17.*Iunij* 1605. *coram Reue-*
6 *rendissimo D.Lugdunen.* Quæ suppleri non potuit ex citatione emanara ad audiẽdam voluntatem Iudicis, vt per *Felin. in c. consuluit num.*16.*de offic. Deleg. Roman.singul.* 372. *& ibi addit. fuit dictum in Rom. spolij de Pinis* 3. *Ianuar.*1605. *coram Reuerendissimo D.Bononien.*

7 Nulliter etiam & iniustè processit dum non iustificatis litteris decreuit mandatum de immittendo, vt fuit dictum in *Mediolanen. iurispatronatus* 22. *Maij* 1609. *coram Reuerendissimo D.Lugdunen.& in dicta Leo-*
8 *dien.* Cum enim adesset clausula, *verificato*, & clausula, *vocatis vocandis*, quæ faciebant executorem mixtum, erat procedendum cum causæ cognitione,& ab eius sententia dabatur appellatio, *Guidop.decis.*70. *num.*3.*Card.cons.*63.*in princ.Rota decis.*32. *de rescript.in antiq. & decis.*30.*de rescript.in nou.* & fuit pluries decisum.

9 Et ex hoc resultat executionem fuisse attentatam, vti factam nedum pendente termino ad appellandum, *cap.non solum de appell.in* 6.*cap.*2. *vt lite pend. eod. lib. fuit dictum in Aurien. parrochialis de Correda* 14.*Maij coram Reuerendissimo D. Damasceno, in dicta Leodien. & alijs decisionibus per informantes allegatis*, sed etiam post interpositam appellationem, *Lancell. de Attent.cap.*12. & fuit sæpè decisum.

Ex quibus, & alijs latè deductis per informantes cum clarè constet nulliter iniustè, & attentatè processum, & d. Prosperum non habuisse se pro spoliato, illi meritò fuit resolutum concedendum esse mandatum de manutenendo ex decisionibus allegatis.

## ROMANA LOCATIONIS.

13. *Nouembris* 1613.

### ARGVMENTVM.

Mandatum de voto Consultoris relaxatum sub falso supposito locationis iam extinctæ per superuenientiam noui tituli executioni non debet demandari.

### *SVMMARIVM.*

1 *Possessionis causa censetur mutata per superuenientiam noui tituli.*
2 *Id procedit etiam absque aliqua animi declaratione.*
3 *Via executiua obligationis Cameralis remanet vulnerata per sententiam.*
4 *Sublocationis controuersia impedit iudicium euacuationis.*

### DECISIO XII.

ROTA censuit mandatum relaxatum per Consules Agriculturæ non esse exequendum, ea præcipuè ratione, quod vorum Consultoris, vigore cuius dictum mandatum relaxatum fuit fundarum erat, in eo, quod vi primæ locationis iam finitæ tenebatur D.Iulius Bonauentura liberum dimittere Casale, de cuius locatione agitur, & tamen d.D.Iulius illud non retinebat in vim dicti primi Instrumenti; sed in vim vltimi, tanquam Subconductor Thadæi Narsini, qui ius ab ipsomet D. D. Bartholomæo de S.Cruce dicti Casalis
1 domino habebat; itaque superueniente nouo titulo sublocationis, potuit d. Iulius sibi mutare causam possessionis, *l.cum nemo, & ibi glos. C.de acquir.possess.* quia non ipse sibi mutare, sed sibi dicitur mutari, *l.fin.§.vlt. ff. si pars hared.l.*3.*§.illud l.qui bona §.* 1.*ff.de acquiren.poss.* Imò & dice-
2 retur mutata causa possessionis ex sola superuenientia tituli noui absque alia animi declaratione, *l. non solum, §.quod vulgo, ff. de vsucap.l.*2. *§.fin.ff.pro empt.* Hæcque opi-

opinio contra consilium *Socin.* 131. *lib.* 3. tanquam iuri, & æquitati magis consona, in Rota obseruatur, vt dicitur in *decis.* 4. *Achill. de caus. poss. & propr.* quæ fuit confirmata in vna *Sabinen. Castrorum* 17. *Aprilis* 1581. *quæ habetur par.* 2. *diuers. dec.* 143. *num.* 4.

Secundo visum fuit Dominis non esse locum executioni, ex eo, quod mandatum erat relaxatum stante obligatione Camerali apposita in instrumento primæ locationis, quia hæc obligatio videtur vulnerata per sententiam latam à Iudice Capitolino in fauorem dicti Iulij contra d. Nursinum, antequam instrumentum secundæ locationis fuisset per renunciationem dicti Nursini dissolutum, & ita semper D. Bartholomæo obstabit in iudicio executiuo

3 vulnus illatum per sententiam, per quod executio obligationis Cameralis solet retardari, *Rot. diuers. par.* 2. *decis.* 132. *num.* 1. cum alijs allegatis per *Gonzal. super regul. Cancell. reg.* 8. *gloss.* 6. *num.* 202. & 225.

Non obstant quæ in contrarium adducuntur, ad ostendendam iniustitiam sententiæ Iudicis Capitolini, dictumq; D. Iulium vigore Instrumēti sublocationis conditionatæ, non purificata conditione nullum ius habere, hæc enim altiorem requirunt indaginem, & concernunt bonum ius, interim tamen quousq; hæ quæstiones discutiantur, quæ spectant ad validitatem illius sublocationis cessare debet executio, & quodcumque mandatum executiuū,

4 controuersia enim sublocationis impedit iudicium euacuationis, *Ias. in* §. *præiudiciales instit. de act. Crauett. cons.* 280. *latè Menoch. cons.* 301. *num.* 24. & *seqq.* Postea verò videbitur particulari dubio, de bono iure dicti Bartholomæi, quod expressè Domini reseruarunt.

## BVRGEN. QVINDEMNIORVM SANCTI ÆGYDII.

*Die 23. Nouembris 1613.*

### ARGVMENTVM.

Sententia iniusta non transit in iudicatum, & iniustitia resultat si fuerit lata sub falso supposito; Concordia pariter inita sub falso supposito corruit, nec est apta pro substinenda sententia desuper lata.

### SVMMARIVM.

1 *Sententia lata ex falso supposito est reuocanda.*

2 *Ob temporis lapsum non datur locus restitutioni in integrum.*

3 *Concordia non producta in actis nil releuat.*

4 *Iuramentum in transactione appositum de iure non repellit successores.*

5 *Transactio à Sede Apostolica non confirmata nullo modo ligat successores ad beneficium.*

6 *Transactio à Sede Apostolica confirmata supplet defectus solemnitatum non autem causæ.*

7 *Transactio corruit si corruit suppositum sub quo fuit facta.*

### DECISIO XIII.

DOMINI non tactis nullitatibus sententiæ Rotalis illam tanquam iniu-

1 stam reuocandam esse dixerunt, cum enim lata esset cū eo præsupposito, quod quindemnia deberentur Capitulo Burgen. de omnibus beneficijs vnitis etiam ante fel. mem. Pij Quinti concessionem, & postea illud fundamentum penitus sublatum fuit, tam ex lectura dictæ concessionis, quam ex decisionibus factis in hoc iudicio triduo coram Illustrissimo Seraphino, & bo. me. Peñia. Ideò hæc sententia tanquam iniusta non potest subsistere.

2 Nec obstat, quod dicitur ob temporis lapsum non esse locum restitutioni in integrum. Respondetur enim ex lectura Breuis Pij V. dictarumque decisionum ita clarè, & euidenter constare de notoria iniustitia dictæ sententiæ, vt non possit transire in rem iudicatam, *Dec. in cap. nouit num.* 10. *de iud. Butr. cap. suam de pœn.* & *cons.* 156. *num.* 4. *vol.* 4. *Capol. qui alios refert cons.* 442. *nu.* 47. & *seq. Surd. cons.* 61. *n.* 50. nam euidens iniustitia annullat sententiam, *cap. inter cæteros de re iud.*

Nec obstat allegata à Capitulo Burgē concordia, tum maximè quia ad hunc vs-

3 que diem non reperitur producta in actis, & ideo nulla de ea haberi potest consideratio.

Quatenus tamen daretur hæc prætensa transactio visum fuit DD. ex illa supradictam sententiam nullo modo posse con-

4 firmari; Tùm quia quantum ad iuramentum in ea appositum de iure illud non re-

pel-

pellit successores, prout sunt isti beneficiati, qui modo agunt, tum etiam quia
5 cum talis transactio non sit à Sede Apostolica confirmata nullo modo ligat successores ad beneficium, *Feder.de Sen.conf.*84.
6 *per tot. Abb.conf.*56.*num.*2.*lib.*1. Et quando appareret ex ea suppleretur solum defectus solemnitatum, & non causæ.

Causa enim dictæ transactionis videtur erronea super qua transactum est, fundamentum enim dictæ concordiæ in eo innixum erat præsupposito de iure Capitulum, & beneficiatos S.Ægidij teneri ad solutionem dd. quindemniorum, quod
7 cum corruat per dictas decisiones, corruat etiam concordia necesse est, *l.*1.*C.de error. calcul.Rot.decis.*160.*num.*9.*par.*1. cum alijs adductis per informantes.

Ex quibus ita fuit decisum.

## ROMANA NVLLITATIS CONTRACTVS.

*Mercurij* 20. *Nouembris* 1613.

### ARGVMENTVM.

Quibus casibus filiusfamilias ex mutuo obligetur.

### SVMMARIVM.

1 *Filijfamilias contractus, & obligationes etiam iuramento vallata tanquam nulla à statuto irritantur.*

2 *Sen. Consul. Maced. Remedio illi tantum iuuantur, qui cum erant in patris potestate eo inscio contraxerunt.*

3 *Filius quo casu dicitur à patris potestate solutus.*

4 *Filiusfamilias obligatur quando pater voluit ipsum filium seorsum viuere, ab ipso, illi asignando certas pecunias.*

5 *Patria potestate durante nulla inter patrem, & filium oritur obligatio.*

6 *Natura non patitur vt vnus, & idem sibi sit debitor, & creditor.*

7 *Pater filio in potestate constituto non potest donare.*

8 *Filiusfamilias obligatur ex mutuo per eum accepto quando pater illi concessit facultatem administrandi bona sua.*

9 *Pater si filium semel constituit in quasi possessione libertatis non potest illum amplius patria potestati submittere.*

10 *Filius semel constitutus in quasi possessione libertatis non potest amplius ad S.C. recurrere.*

11 *Filiusfam. munera, quæ patresfamilias obeũt faciens bene obligatur.*

12 *Filiusfam. obligatur ex mutuo patre sciente, & non contradicente.*

13 *Filiusfam. obligatur ex mutuo sibi facto dum adest in præsidijs, & castris tanquam miles.*

14 *Mutui tempus, & non stipulationis attenditur ad hoc, vt habeat locum Macedonianum S.C.*

15 *Filiusfam. obligatur ex mutuo, quod consumptum est in ipsius necessarios vsus.*

16 *Filiusfam. vt ex mutuo obligetur requiritur quod seorsum à patre habitet, & habeatur loco patrisfamilias.*

17 *Filiusfam. habitare seorsum à patre dicitur etiam in eadem domo si portio sibi pro alimentis fuerit asignata.*

18 *Filiusfam. asignato sibi à patre peculio dicitur in sui iuris possessione constitutus.*

19 *Filiusfam. ad hoc, vt obligetur, requiritur, quod per deconnium sit habitus, vt paterfamilias.*

20 *Frustra recurritur ad coniecturas cum claræ adsunt probationes.*

21 *Filiusfam. vt obligetur ex mutuo sufficit, quod habitauerit seorsum à patre etiamsi habitatio non fuerit longo tempore confirmata.*

22 *Filius à patre ad vnum vsum emancipatus censetur quo ad omnes actus patria potestate solutus.*

23 *Filiusfam. non potest obijcere S. C. cum sibi à patre peculiaris rei administratio permissa fuit.*

24 *Filiusfam. contractum initum dum erat in patria potestate sui iuris effectus ratum habens ad illum tenetur.*

25 *Filiusfam. ex mutuo naturaliter obligatur, & soluens sibi non competit conditio indebiti.*

26 *Filiusfam. contractui de nouo consentiens ratione obligationis naturalis obligatur cum per illam omnis error excludatur.*

27 *Exceptio inferens necessario dolum malum concludenter debet probari.*

## DECISIO XIV.

ROTA audita vtraque parte censuit sententiam latam à secundo Collate-

terali Capitolij de voto DD. de assectamento esse iustam, & confirmandam licet
1 enim statuta Vrbis cap. 152. omnes contractus obligationesque à filijs familias etiam sacra iurisiurandi religione vallatas tanquam nullas irritasque damnent, tamen vltra limitationes in dicto cap. allatas excipiuntur reliqui omnes casus, qui de iure Cæsareo filios familias impediunt quo minus vigore S.C. Maced. actiones creditorum elidere possint, vt expressè sonant postrema verba d. cap.

Quo stante fundamento visum fuit non posse Martinum Coronam beneficium di-
2 cti S.C. implotare hi enim eo, & solum remedio iuuantur, qui cum essent in patris potestate eo inscio pecunias mutuo, vel fœnori sumpserint, non autem illi, qui sui iuris effecti possunt se obligare viceq; versa obligari.

3 Existimarunt Domini dictum Martinum ad effectum de quo agitur solutum fuisse patria potestate, ex eo, quod ipsemet pater cum filio contraxerit, vt apparet ex instrumentis productis in actis, pater enim in primo certam pecuniarum summam filio ad effectum vt seorsum viueret assignauit; in secundò verò cum pro illo ad quemdam annuum censum se obligasset expressè à d.Martino liberationem stipulatus est,
4 & ita pater cum filio tanquam cum extraneo cõtrahens rationes filij à suis separans legitimam illi necessariò concessit personam standi in iudicio, contrahendi, paciscendi sicut alij qui sui iuris existunt, durante siquidem patria potestate nulla inter patrem, & filium oritur obligatio, *Curat.ad Afflict. in l. frater à fratre, tract. 9.*
5 *col.3.* quia propter nodum nexumque patriæ potestatis vnius personæ vice funguntur, *l.10.de opt.leg. §. an seruo instit.de leg.*
6 Cumque non patiatur natura, vt idem sibi
7 sit debitor, & creditor, inde fit vt pater non possit filio in potestate constituto donare, *l.donationes quas parentes, C. de donat. inter vir. & vxor. l.2.vbi glos. & DD.C.de inoff.test.*

Obseruatum etiam fuit in d.Instrumento assignationis factæ filio datam expressè à patre facultatem ipsi locandi, expellendi colonos sola interdicta alienatione domuum, quarum pensiones filij arbitrio relinquebantur, pacto apposito, vt dictæ pensiones accrescant, vel decrescant periculo filij, quod fieri non potuisset si prius sui
8 iuris non esset factus, cum sine vlla distinctione quicquid acquirit filius ad confestim eodem momento acquirat patri, *§. igitur liberi Inst. per quas personas nobis acquiratur, l.cum oportet, C. de bon.quæ liber.*

Ex his indubitati iuris est patrem ipsum
9 si viueret qui filium per tot actus constituit in quasi possessione libertatis non fore audiendum, si vellet ipsum rursus patriæ potestati submittere, *Riminal. cons.108.*
10 *num.7.lib.1.per tex.l.1.C.de patr.potest.* quo casu non potest filius recurrere ad S.C.remedium, quia saltem actionem de dolo, vel stellionatus teneretur, *Caph.cons.324. num. 25.*

Dum igitur, Andreas creditor videret
11 Martinum cum ipsomet patre contrahentem, & cum multis alijs personis, vt apparet ex pluribus instrumentis eundemque locantem expellentem colonos, omniaque alia munia obeuntem, quæ patres familias obeunt, non vana simplicitate deceptus, nec iuris ignorantia cum ipso nomen contrahere visus est, *l. si quis ff.ad S.C.Macedo.*

Idque tanto magis quod posset dici interuenisse consensum tacitum patris, quo casu cessaret dispositio statutorum Vrbis ex depositionibus siquidè testium produ-
12 ctorũ, & examinatorũ ab ipsometMartino, & præcipuè tertij testis dicto, constat patrem de hoc mutuo certiorem factum, ex quo tacitus resultat consensus, nisi appareat expressa contradictio, *l. honoris §. vlt. de Decurion.l.2. ff.ad S.C.Macedo, Ang.Aret. in §.penult.instit.quod cum eo Illustriss.Card. Mant. de tacit. & ambig.lib.8.tit.7.n.29.*

Vlterius deductum fuit per informantes pro dicto Andrea aliquam partem pecu-
13 niarum mutuo datam à creditore Martino dum in præsidijs, id est Castris tanquã miles nomen militiæ dedisset, quo casu arcetur à S.C.beneficio, *l.vlt.ad S.C. Maced.* nec facit instrumẽtum societatum officiorum celebratum fuisse in Vrbe; mutui
14 enim tempus non stipulationis in hoc casu est attendendum, *l.4. §.si à filio familias ad S.C. Macedo*; alia verò non contemnen-
15 da pars dicti mutui reperitur data, & consumpta in vsus d. Martini necessarios, ex quo cessat etiam S.C. remedium, *l. in pupillo in fin. ff.de solut.*

Nec obstat, quod ex decisione coram Reuerendissimo Archiepiscopo Bononien. facta in simili causa 5.Iuni.1604. obijcitur
16 requiri cumulatiuè, vt seorsum à patre filius

lius habitet, & habeatur loco patris fami-
lias ad effectum validandi contractus hu-
iusmodi. Respondetur enim statuta vltra
duas istas limitationes excludere omnes
casus à iure comprehensos, vt superius di-
ctum est, & quatenus hæc duo simul re-
quirerentur tamen possent dici ea pro-
bata.

17 Quoad primum licet constaret Romæ
semper Martinum in domo paterna habi-
tasse, tamen cum assignata fuerint separa-
tim alimenta nec fuerit patris commensa-
lis, semper dicetur seorsum à patre vixis-
se, ex doctrina, *Bald. in l. prima numer.* 10.
*C. de leg. quem sequitur Angel. & Imol. in
eadem lege*; nisi ergo eadem cum patre
mensa vsus fuit, non dicetur simul cum
patre habitasse, *Imol. in l. si quis ita, ff. de
condit. & demonst.*

18 Quoad secundum non dubitandum est
quin ipse gesserit se tanquam patrem fa-
milias talisque habitus, nam & ab ipso pa-
tre cōstitutus est in quasi possessione sui iu-
ris, dum ei proprium peculium assignauit
eique eius liberam administrationem con-
cessit, potuit illud itaque inscio patre ad
instar serui obligare, *l.4. in princ. ff. de pe-
cul. l. per seruum, §. 1. de acquiren. rer. do-
min.*

Non obstat etiam quod ex doctrina Al-
ciati *in tract. de præsumpt. reg.* 2. §. 2. aiunt
19 requiri, vt per decennium sit habitus, vt
paterfamilias hoc enim procederet vbi
simplex adesset præsumptio, quia per hoc
tempus sufficiens induceretur probatio, sed
in hoc casu vbi adest ipsius patris reiterata
confessio, qui cum filio tanquam cum ex-
traneo contraxit, cuius exemplum alij cre-
20 duli creditores sequuti sunt frustra ad
coniecturas recurritur cum claræ adsunt
probationes.

21 Adde & sufficere simplicem habitatio-
nem seorsum à patre, etsi non sit confir-
mata à longo tempore, *Vrsill. ad Afflict.
decis.* 300. *num.* 19. *Guglielm. de Benedict. lo-
quens de statuto Tholosano in cap.* 209. *Ray-
nutius in verbo matrem insuper Cleri n.* 25.
*de testam. quem refert, & sequitur Cassan. ad
consuetud. Burgund. rubr.* 6. §. 6. *in verb.
emancipè*, vbi ex multis doctrinis conclu-
22 dit filium à patre ad vnum actum emanci-
patum censeri quoad omnes actus solu-
tum patria potestate.

Nec obstant epistolæ confessioque cre-
ditoris, quia non est controuersum, vtrum
Martinus fuerit tempore contractus filius
familias, sed solummodo vtrum potuerit
creditor cum illo attenta statuti limitatio-
ne pacisci.

Nec facit quod latè deducitur stante
prohibitione à patre facta alienandi do-
mos, quarum pensiones filio erant assigna-
tæ non induci separationem, respondetur
enim hodie non agi vtrum alienatio, aut
hypotheca sit valida, sed vtrum potuerit
pensiones assignatas alteri obligare, & an
ei competat exceptio S.C. quæ non potest
23 obijci, cum pater rem peculiarem permit-
tit à filio administrari, *l. item si fil. famil.
§. quanquam ff. ad Maced.*

Nec obstat denique quod dicitur saltem
primam societatem scutorum 400. factam
antequam pater cum filio quidquam egis-
set nullo iure posse subsistere, fructusque
indebitos esse, quia tunc temporis Domi-
nus Martinus erat sub patria potestate,
24 sufficit enim quod postea dictus Martinus
sui iuris effectus ratum habuerit, quod sub
potestate patris inutiliter promiserat, *l. sed
etsi pater ff. ad S. C. Macedon. l. Zenodorus,*
25 *C. eod.* Obligatus siquidem erat naturali-
ter, *l. quia naturalis eodem tit.* Et ideò illi
si soluisset, non competebat conditio in-
debiti, maximè cum fidem suam soluen-
do liberasset, *l. naturaliter, l. fideicommis-
sum, ff. de condit. indebit.* Idemque est cum
26 de nouo consensit ratione obligationis
naturalis, per quam omnis error excludi-
tur, *arg. l. Iudex, ff. eod. tit. & in simili casu
datur decisio Illustrissimi Seraphini in Roma-
na adrogationis.*

Quæ verò adducuntur de societatibus
officiorum simulatis, vsuris prohibitis, con-
tractibus illicitis expressè damnatis *in cap.*
153. *lib.* 1. quia in processu nulla releuans
reperitur probatio, non indigent respon-
27 sione, cum enim inferant necessario do-
lum malum, & delictum dicti Andreæ
creditoris debuerunt concludenter pro-
bari.

Ex his sententiam Iudicis Capitolini
esse iustam, fuit decisum.

ROMANA IVRIS NOMINANDI.

*Veneris 15. Nouembris 1613.*

ARGVMENTVM.

Inhibitio Rotalis siuè iusta, siuè iniusta omninò est timenda; Vndè omnia illa, quæ post ipsam fuerint facta tanquam in illius spretum attentata reuocantur.

*SVMMARIVM.*

1 *Inhibitionem post Rotalem omnia emanata tanquam in illius spretum attentata sunt reuocanda.*

2 *Instrumenta locationum, & exactionum pensionum faciunt constare de possessione.*

3 *Inhibitionis Rotalis cognitio non spectat ad Iudices, seù partes, sed tantum ad ipsam Rotam, seù Signaturam pro moderatione Commissionis.*

DECISIO XV.

CVM Vniuersitas Coquorum obtinuisset committi in Rota causam Iactationis, & iactionum contra D. Ciprianum super quasi possessione Iuris nominandi, seù eligendi Rectorem ad eorum nutum amouibilem ad Parochialem SS. Vincentij, & Anastasij, ac super possessione quarundam domorum prope dictam Ecclesiam existentium, & vigore dictæ commissionis die prima Iunij inhibitione obtenta illam D. Vicegerenti dicto Cipriano, ac alijs legitimè intimata fuisset prouisio verò dicti Cipriani dictæ Ecclesiæ in Vicariam perpetuam impetrata die 13. Iunij, possessio verò capta 2. Iulij, & postea exactiones pensionum dictarum domorū factæ fuissent; DD. censuerunt omnia præ-
1 dicta fuisse attentata, † quæ venirent reuocanda tanquam emanata in spretum Inhibitionis Rotalis *c. non solum de appellat. in 6.* quæ siuè iusta, siuè iniusta omninò timenda erat. *Rot. decis. 26. de appell. in antiq. Put. decis. 395. lib. 2. Caput. decis. 93. par. 2. Achill. decis. 29. de appell. Lancell. de attent. par. 1. cap. 3. num. 123. & c. 20. ampliat. 11. Rot. diuers. decis. 785. num. 1. par. 1. fuit dictum in Agrigent. beneficij 2. Martij 1609. coram R. P. D. Pamphilio, & in Romana Attentatorum 27. Martij coram Reuerendiss. Damasceno.* In quam sententiam eo libentius DD. ierunt,
2 quo † per plura Instrumenta locationum, & exactionum pensionum constabat de possessione vniuersitatis prædictarum domorum ex cumul. per *Gabr. de locat. concl. 4. num. 2.*

3 Nec spectabat ad Iudicem, vel partem cognoscere de iuribus illius *Achill. dicta decis. 29. Rot. dicta decis. 785.* & fuit dictum in *Valentina Decimarum 12. Maij 1606. coram bo. me. Penia, & in dicta Romana Attentatorum*; Vltra quod erectio Vicariæ, cuius vigore fuit prouisus Ciprianus non loquitur de domibus dictæ Vniuersitatis, & fuit facta cum clausula, *sine præiudicio alicuius*, vndè tanto minus in spretum Rotalis Inhibitionis erat vlterius procedendum ad executionem; sed pars debebat, vel recurrere ad Signaturam pro moderanda Commissione, vel ad Rotam pro moderatione anhibitionis, *Lancell. de attent. dicto c. 20. ampliat. 2. nu. 5. Put. d. decis. 395. Achill. d. decis. 29.* & fuit dictum *in dicta Romana Attentatorum.*

Et ità fuit decisum Vniuersitate tantum Informante, licet sæpius dictus Ciprianus fuerit citatus.

IANVEN. CENSVS.

*Veneris 29. Nouembris 1613.*

ARGVMENTVM.

Depositum factum à non Debitore ad effectum extinguendi Censum alterius non obligat Creditorem ad accipiendas pecunias oblatas etiamsi deponens constituat se debitorem nomine Principalis debitoris quando nominis mutatio Creditori non fuit intimata, & alia requisita similis extinctionis non sunt seruata.

*SVMMARIVM.*

1 *Mandatum relaxatum à Iudice à quo si constat de eius validitate, & iustitia debet executioni demandari.*

2 *Depositum antecedens factum à non debitore non compellit Creditorem ad retrouendendum sibi Censum.*

3 *Hoc etiam procedit si depositum fuisset factum ab illo qui se debitorem principalem constituit.*

4 *Nominis mutatio facta inscijs Creditoribus illis non nocet.*

5 *Obligatio ad faciendum aliquid intra tempus cum clausula annullatiua si nō impleatur tempore præscripto remanet extincta.*

6 *Depositum factum ad effectum extinguendi Censum non prodest sinè disdicta.*

7 *Depositum factum ad effectum extinguendi*

*Censum post duos menses à die disdictæ Censum non resoluit secundum Bullam Pij V.*

8 *Decretum Iudicis impleri debet in forma specifica.*

9 *Citatio præsumitur per comparitionem partis citatæ, nō autem per comparitionem partis citantis.*

10 *Depositum factum ad effectum extinguendi Censum cum conditionibus ad quas Creditores non tenentur non iuuat.*

11 *Creditoris ius per stipulationem Notarij acquisitum irreuocabiliter intelligitur ad effectum, vt qui se obligat non possit pænitere non autem ad effectum, vt tertius si id ratum non habeat efficiatur Creditor.*

## DECISIO XVI.

1 DOMINI dixerunt † mandatum relaxatum per A.C. pro fructibus Census esse exequendum, quia de validitate illius nulla suberat dubitatio, & de iustitia constabat ex Instrumento Census qui non fuit extinctus nisi anno 1611. à Domino Duce Altemps.

Nec visum fuit Dominis releuare depositum anterius factum à D. Duce Cæsio,
2 nàm † cum Domini de Auria non essent illius Creditores nullo iure tenebantur pecunias per eum oblatas recipere, & retrouendere Censum, prout instabat dictus D. Dux Cæsius, quicquid sit dicendum quando agetetur de sola illius extinctione.

Non obstat fuisse factum depositum ex quo Dux Cæsius constituit se debitorem
3 dicti Census, nàm † præterquamquod hæc
4 nominis mutatio facta fuit inscijs † Credi-
5 toribus, illa † obligatio remansit extincta, dum intra tempus præscriptum duorum annorum cum clausula resolutiua Census non fuit extinctus *l. 1. & 2. & tot. tit. de leg. commiss. Illustriss. Mant. de tacit. & ambig. conuent. lib. 4. tit. 29.* Et licet dici posset hoc procedere Duce ab Altæmps volente, tamen de eius voluntate satis constare visum fuit, ex eo quod postea ipse sciens volensque soluit fructus, Censumque extinxit, cum alijs coniecturis ponderatis per Informantes.

6 Præterea † depositum non potuit suffragari D. Duci ad effectum extinctionis Cēsus, quia remanet sine disdicta, ne dum ex eo quod illa facta fuerit à D. Duce ab Altaemps, & ab eodem reproducta ad retrouendendum sibi censum cum clausula, vt alias pecuniæ deponerentur penes Montem Pietatis, depositum verò diuerso mo-
7 do factum fuit. Sed † ex eo quod fuit factum post duos menses sicque contra expressa verba Constitutionis fel. record. Pij V. *vt fuit decisum in Anconitana Census 24. May præteriti coram R.P.D. meo Vbal-*
8 *do*, Et eo minus suffragari potuit quia † decretum factum fuit cum intimatione pro certa die, & hora intimandis, & de tali intimatione nullibi constat, *Rolan. cons. 63. num. 13. lib. 3. Put. decis. 174. lib. 1. fuitque dictum in dicta Anconitana Census.* Nec suffragatur comparitio Procuratoris Ducis
9 allegantis contumaciam, quia † comparitio partis citatæ, non autem citantis facit, vt præsumatur citatio, *vt latè fuit deductum in d. Anconitana Census.*

Placuit etiam Dominis aliud fundamē-
10 tum † depositum scilicet non fuisse purum, & liberum, sed appositis conditionibus ad quas dicti hæredes Auriæ vigore Instrumenti Census non tenebantur, & per consequens non suffragatur, *Salyc. in l. acceptum num. 1. circa medium, C. de vsuris cum alys allegatis in vna Farfen. pecuniaria 19. Decembris 1609. coram Reuerendiss. Bononien.*

11 Nec visum fuit posse obstare rescriptum Motu proprio erectionis Montis, pro extinctione debitorum Ducis Cæsij in quo cauetur, vt Creditores in receptione pecuniarum teneantur cedere iura ad fauorem Montistarum; Et vigore, accollationis Dux effectus fuerat debitor, & dicti hæredes Creditores cum illis fuerit acquisitum ius irreuocabiliter vigore stipulationis Notarij *ex Ruba. Alex. cons. 117. num. 4. vers. etsi dicatur Cephal. cons. 33. num. 13. & seqq. lib. 1. cum alys per Informantes,* nàm responderunt DD. dictam conclusionem subsistere ad effectum, vt qui se obligat non possit pœnitere, non autem ad effectum, vt tertius si id ratum non habeat efficiatur Creditor, *Rot. diuers. decis. 683. num. 4. par. 1. & fuit dictum in Casenaten. bonorum 27. Iunij 1612. coram Reuerendiss. Bononien.* Vnde cum dicti hæredes non possint dici creditores, nec etiam Dux potest dici debitor, quia hæc sunt correlatiua, sequitur non intrare rescriptum Motu proprio.

Ex quibus, & multis alijs adductis per Informantes ità fuit conclusum.

SE-

SEGVNTINEN. PRÆSIDENTIÆ.

*Mercurij 4. Decembris 1613.*

## ARGVMENTVM.

Statutum circa Ecclesiastica adhoc, vt valeat requiritur quòd fuerit totius capituli, vel saltem maioris partis consensu conditum, Apostolica authoritate confirmatum, ac vsu receptum, & hoc ità per testes idoneos debet probari.

## SVMMARIVM.

1 *Statutum circa Ecclesiastica non sustinetur, nisi factum fuerit totius, vel maioris partis Capituli consensu.*

2 *Confirmatio Apostolica non præsumitur ex concursu 30. annorum circa aliquod, non probata illius obseruantia.*

3 *Statutum adhoc, vt valeat requiritur quod sit vsu receptum.*

4 *Testes habentes interesse in illo negotio, super quo deponunt non probant.*

5 *Statutum ab omni ratione alienum tanquam monstrum duo capita in eodem corpore constituens difficillimè, est admittendum.*

6 *Dissonum non est multiplicari capita tanquam officia diuersa membrorum.*

7 *Statutum dans simul duo capita vndè plura possunt oriri scandala non sustinetur.*

8 *Iurisdictio alicuius Ducatus licet non possit diuidi, potest tamen quoad exercitium separari.*

9 *Diuisio in eodem Choro, eodem tempore, & circa eamdem materiam, aut nunquam, aut difficillimè potest simul subsistere absque specie scandali publici.*

## DECISIO XVII.

AD infirmandas duas Sententias Rotales, inducitur quoddam statutum conditum, vt dicitur anno 1477. quo cautum est, vt absente Decano principalis dignitas dignitatibus, & antiquior Canonicus reliquis præsideat Canonicis, quo non obstante Domini censuerunt prędictas sententias esse confirmandas.

1 Non enim colligi potest adfuisse consensum totius Capituli, & Canonicorum, quia non factum legitur in die Capitulari, & tamen iste consensus, aut maioris partis requirebatur *c. noui, & c. quanto de his quæ fiunt à Prælatis, Felyn. in c. cum accessissent nu. 15 de constit. & DD. communiter, & Abb. præcipuè in c. cum omnes num.* 11. *de constit.*

2 Nec † confirmatio aliqua Apostolica potest præsumi ex cursu 30. annorum non probata illius obseruantia, *Alex. cons.* 12. *num. 7. & cons. 17. num. 8. & seqq. lib. 4. & fuit dictum in Perusina beneficij 4. Iuly* 1608. *coram bo. me. Penia.*

3 Et † in hoc præcipuè casu cum non cõstet statutum fuisse vsu receptum prout requiritur *c. in istis §. leges*, & ibi *Gemin. num. 15. vers. sed si consuetudo 4. dist. Alex. cons. 138. num. 1. lib. 1. Caputaq. decis. 203. par. 3.* sed tantum abest, vt de dicta obseruantia statuti constet, quin imò vsum contrarium à Canonicis concludenter probari decisum fuit per quatuor conformes decisiones in hac causa maturo Iudicio factas quarum rationes Dominis iterum placuerunt.

Hoc posito fundamento existimarunt Domini testes pro parte dignitatum examinatos nihil releuans probare, tùm quia dicta eorum, vt apparet ex lectura non precisè statutum hoc positum in vsu fuisse probant, tùm etiam quia (duobus testibus exceptis) reliqui sunt ex dignitatibus, &

4 ità † tanquam interesse in hac causa habẽtes repulsam passi sunt in supradictis decisionibus, reliqui verò duo qui supersunt, neque etiam probant, quia vnus eorum vacillat, & Interrogatorijs videtur vtramque obseruantiam approbare, aut saltem negari non potest hanc probationem per contrariam clariorem à Canonicis factam in causa fuisse sublatam, vt benè ponderatum est in prima, & secunda decisione.

5 Quod eo facilius procedit, quia † hoc statutum tanquam ab omni ratione alienũ velut monstrum duo capita in eodem corpore constituens dificillimè est admittendum *cap. quoniam de offic. ordinar. c. cum non ignores de præbend. Caputaq. decis. 275. par. 3.* omnis namque potestas impatiens consortis erit.

6 Nec obstat responsio data ex † *Anchar. in dicto c. quoniam in 5. notabili*, vbi ait non esse dissonum multiplicari capita tanquam officia diuersa membrorum, quia id procederet si in Decani absentia dignitates præsiderent, authoritate ipsius Decani, & tanquam ab ipso deputatæ, quod non quadrat in hoc casu, quia Canonicus anti-

7 quus præsidet iure proprio, prout etiam Dignitas vellet præsidere, & sic formaliter adessent duo capita, Vnde plura oriri possent scandala, quæ sapienter in dictis decisionibus fuerunt obseruata, & præuisa.

8 Hinc etiam † cessat dictum *Felyn. in c. qui*

*in Ecclesiarum num. 9. de const.* qui vult Iurisdictionem alicuius Ducatus licet non possit diuidi, posse tamen quoad exercitiū separari; nàm eo casu cum non sint diuersa capita ex quibus diuersa decreta eodem tempore oriri possint, nullum potest subesse inconueniens, nam alias idem *Felyn. sub eodem num. 9.* voluit diuisionem faciendam esse per distinctionem temporum in
9 euentum discordiæ, Vndè † infertur diuisionem illam in eodem Choro, eodem tempore circaque eandem materiam, aut nunquam, aut difficillimò posse simul subsistere absque specie scandali publici.

Et ex his ità fuit decisum vtraque parte informante.

## ROMANA DOMORVM, ET IVRIS-NOMINANDI,

*Mercurij 11. Decembris 1613.*

### ARGVMENTVM.

Possessio ad effectum retinendi sola suffragatur eoque magis si sit titulata.

### SVMMARIVM.

1 *Manutentio datur possidenti de tempore motæ litis.*
2 *Possessio probatur ex locationibus effectum sortitis.*
3 *Quasi possessio nominandi acquiritur vnica nominatione.*
4 *Possessio titulata eo magis manutenenda.*
5 *Sola possessio in summarijssimo iudicio retinenda attenditur.*
6 *Possessio posterior tanquam clandestina non attenditur ad effectum manutentionis.*
7 *Possessio precaria non est manutenibilis.*

### DECISIO XVIII.

CVM in alia decisione facta in hac causa die 15. Nouembris præteriti fuerit dictum constare de attentatis quæ venirent reuocanda cum possessio tradita fuerit D. Cipriano in spretum inhibitionis Rotalis, Vniuersitas Coquorum petijt sibi dari manutentionem in possessione domorum, & iurisnominandi Rectorem in Ecclesia SS. Vincentij, & Anastasij, & proposito dubio sæpius citato Cipriano Domini pro Vniuersitate sola informante
1 responderunt optima ratione, quia † de possessione Vniuersitatis constabat de tempore motæ litis *§. retinendæ Instit. de interd.*
2 Et quoad domos † possessio probatur ex locationibus effectum sortitis, ex pensionum exactione, *Alex. in l. quamuis §. si conductor ff. de acquir. possess. Ferret. cons. 325. num. 2. fuit dictum in Lucerina beneficij 6. Februarij 1609. coram R. P. D. Caualerio, & in hac causa dicta die 15. Nouembris.*

Quo verò ad quasi possessioně iurisnominandi illa probatur ex ipsa nominatio-
3 ne facta de persona Cipriani, † quæ licet sit vnica tamen est sufficiens ad acquirendam quasi possessionem *Rip. in c. cum Ecclesia Sutrina num. 91. de caus. possess. & propr. Rol. cons. 47. num. 27. lib. 2. fuit dictum in Cesenaten. Iurispatronatus 10. May 1606. coram Reuerendiss. D. Lugdunen. & alias sæpè.*

Quam manutentionem tanto magis cō-
4 cedendam Domini existimarunt, quia † possessio Vniuersitatis est titulata ex concessione Pauli tertij, & alijs iuribus ex deductis per *DD. in c. licet causam, vbi Dec. numer. 99. & seqq. de probat. Caput. decis. 339.*
5 *par. 2.* licet † in hoc iudicio summarijssimo retinendæ sola possessio attendatur, vt fuit dictum *in Cesenaten. Parrochialis 10. Nouembris 1603. coram bon. me. Illustrissimo Pamphilio, in Toletana. Decimarum 11. Februarij 1604. coram R. P. D. Decano, & alias sæpè.*

6 Non obstat possessio Cipriani, nàm † capta vigore suæ prouisionis, vti posterior tanquam clandestina non est manutenibilis, *DD. in dicto c. licet causam Rot. diuers. decis. 506. num. 5. par. 1. fuit dictum in Vicen. Prioratus 18. Iunij 1607. coram R. P. D. Pamphilio,* & alias sæpissimè, & multo minus quia fuit declarata attentata *Rot. diuers. dec. 616. sub num. 3. par. 1.* & fuit resolutum in pluribus causis, & signanter nuper coram me in
7 Regień Beneficij, † possessio verò anterior capta vigore nominarionis, ne dum non suffragatur Cipriano tanquam precaria *l. 1. ff. vti possid.* sed ex illa possessione in vim dictæ nominarionis capta debetur Vniuersitati manutentio ex supra deductis.

Ex quibus fuit resolutum Societati Coquorum dandum esse mandatum de manutenendo quoad domos, & iusnominandi.



RE-

## RECINETEN. BENEFICII.

*Mercurij 11. Decembris 1613.*

### A R G V M E N T V M.

Expulso indebitè à possessione beneficij dandum est mandatum de manutenendo, & pro illo retardando non sufficit aliquid obijcere, dum postea citatus silet.

### S V M M A R I V M.

1 *Mandatum de manutenendo indebitè expulso è possessione alicuius beneficij est dandum.*

### D E C I S I O XIX.

PROPOSITA à me nuper hac causa, 
1 cum Dominis visum esset † dandum esse mandatum de manutenendo D. Prospero Martilleto in possessione Beneficij à quo indebitè fuerat expulsus, D. Iulius Cæsar Paganus in termino expeditionis dicti mandati eum è petijt, & semel audiretur super decisione extensa in fauorem cuius iterum hodie illud idem dubium proposui vna tantum parte informante; & Quia dictus Iulius Cæsar sæpius citatus informare recusauit Domini ponderatis iterum rationibus dictæ decisionis, nihil opponente dicto Iulio Cæsare steterunt in decisis, mihique, vt mandatum de manutenendo dicto Prospero Martelleto relaxem imposuerunt.

## MACERATEN. SEV TOLENTINA LEGATORVM.

*Lunæ 16. Decembris 1613.*

### A R G V M E N T V M.

Legatum factum famulis in recognitionem longæ seruitutis non tollitur ex eo quod procedente tempore Testator soluit famulis mercedem, & in Instrumento solutionis dictum sit pro omni eo quod possent prætendere occasione seruitutis, quia sunt quid diuersum. Illud enim à liberalitate, hoc à Causa necessaria procedit.

### S V M M A R I V M.

1 *Sententia notoriè iniusta colligitur ex ipsamet.*

2 *Testator soluens in vita quod in Testamento reliquerat liberat hæredem.*

3 *Legatum factum in remunerationem beneficiorum, quia causa est expressa, & adhærens legato dicitur causa finalis.*

4 *Quietantia facta pro omni eo quod quis prætendere posset occasione seruitutis, non facit cessare legatum relictum ob seruitia præstita.*

5 *Conditio quã Testator non apposuit substantiæ legati non facit cessare legatum.*

6 *Legata per solutionem factam in vita Testatoris an sint adempta pendet à voluntate eiusdem Testatoris.*

7 *Testator qui post solutionem factam legatarijs ex causa non mutauerit consilium cum potuerit, & sunt alia adminicula, non intelligitur ademisse.*

8 *Testatoris voluntas optimè probatur per Testes.*

9 *Hæredi, ne Hæreditas remaneat exhausta competunt Iuris remedia.*

### D E C I S I O XX.

DOMINI censuerunt sententiam de partibus esse infirmandam, ex capite iniustitiæ, licet plura concurrerent ex quibus illam nullitatis vitio subiacere di-
1 cendũ esset, † iniustitia namque aderat clara dum Monialis hæredes fuerunt absolutæ à solutione legatorũ eodem testamento in quo ipsæ sunt descriptæ heredes relictorum per D. Lauram Nicolao, & alijs ipsius
2 Lauræ dum vixit famulis; † licet enim verum sit, quod quando Testator in vita soluit quod in testamento reliquerat hæres iterũ soluere non teneatur, *l. Lucius 1. de leg. 2. l. filia legatorum C. de legat.* Tamen id non procedit quando interuenit causa noua. *Bald. & Castren. in d. l. Lucius idem Bald. in d. l. filia num. 4. & fuit resolutum in Camen. legati 20. Febr. 1606. coram Reuerendiss. Bononien. & in alia Camen. legati 22. Iunij 1609 coram Illustriss. D. Card. Lancellotto.* In casu
3 autem isto † legatum fuit factum de anno 1606. in recognitionem longæ, & fidelis seruitutis factæ per legatarios ipsi Testatrici, quæ vti expressa, & coherens legato finalis fuit. *Bart. in l. demonstratio falsa, §. quod autem ff. de condit. & demonstr. Illustrissim. Mant. de coniect. vlt. vol. lib. 6. tit. 14. num. 14. & 15. Cephal. in his fere terminis cons. 80. numer. 11.* Quæ quidem causa gratuita fuit, procedens ex mera liberalitate, & gratitudine Testatricis, *vt per Cephal. loc. alleg.* solutio verò de anno 1611. fuit facta pro omni, & toto eo quod prætendere poterant hi
4 famuli ob seruitutem præstitam, & sic † pro

sala-

salario de iure debito, & per consequens solutio fuit ex causa necessaria, vltra quod cum dicta solutio fuerit facta post quinquennium à die legatorum potest intelligi pro dicto tempore, & pro repotanda obligatione ab istis famulis præstandi idem seruitium vsque ad obitum Testatricis ex allegatis per Informantes.

5 Non obstat quod in Instrumento fuerit facta quietantia de toto eo quod potuissent prætendere occasione seruitutis, quia non propterea cessat illa gratuita remuneratio, qua mota fuit Testatrix ad remunerandū, & legandum, *Cephal. d. consil. 80. num. 12. & cons. 81. num. 8. & fuit dictum in d. Comen. coram Illustriss. Lancellotto*.

Non obstat conditio apposita in legato de non petendo aliud pro seruitute, seu

6 mercede, quia † cum conditio non fuerit apposita substantiæ legati, sed conditioni, deficiente conditione non deficit legatum, *Bald. cons. 478. nu. 2. vers. præterea aduertendis lib. 1. Aret. cons. 93. num. 10. vers. sed his non obstantibus, & fuit dictum in d. Comen. coram Illustriss. Lancellotto*.

7 Considerarunt etiam Domini † quod cum quæstio hęc an per solutionem factam in vita censeantur reuocata, seù adempta legata pendeat à voluntate Testatricis, *vt per Bart. & alios in d. l. Lucius, & per Illustriss. Mant. de coniect. lib. 12. tit. 2.* in casu isto

8 ad fauorem legatariorum † ne dum concurrebat præsumpta voluntas beneuolentiæ, qua illos testatrix prosequebatur, *Soccin. Iun. cons. 79. num. 37 lib. 3. Menoch. cons. 162. num. 25 lib. 2. & præsumpt. 110. nu. 12. lib. 4. & dixit Rota in d. Comen.* & ex quo non mutauit testamentum cum posset, *Castren. cons. 314. nn. 2. in fin. & cons. 148. vers. præterea, lib. 2. Paris. cons. 61. num. 44. lib. 2. Decian. resp. 46. num. 53. lib. 2. & fuit dictum in d. Comen.* Sed aderat expressa, & clara voluntas optimè probata per testes *Alberic. in d. l. filia legatorum in fin.*

Ad illud autem quod dicebatur remansuram hæreditatem exhaustam propter varia legata, vltra quod id concludenter non probatur, fuit responsum *in dicta Comen.*

9 posse † hæredem vti beneficio inuentarij, & alijs iuris remedijs si quæ ei competunt.

Et ex his decisum fuit sententiam esse infirmandam.

BONONIEN. SEPARATIONIS THORI

*Lunæ 19. Decembris 1613.*

A R G V M E N T V M.

Remissoriales litteræ ibi debent exequi vbi testes commorantur, tanto magis quando testes examinandi sunt decrepitæ ætatis, vel aliter impediti, nec sufficit obijcere de metu, vbi omnis metus cessat.

*S V M M A R I V M.*

1 *Litteræ remissoriales ibi debent exequi vbi testes commorantur.*
2 *Aequalitas in iudicijs est obseruanda.*
3 *Testes decrepitæ ætatis, aduersa valetudine, officijque publici impediti, vbi habitant sunt examinandi.*
4 *Metus præsumptio cessat in Ciuitate, in qua Legatus residet.*
5 *Testes coram Iudicibus difficillimè possunt subornari.*
6 *Perhorrescentia priuatis nullo iure potest obijci.*
7 *Periculum imminens tollitur per adsistētiam Procuratoris testium examini.*
8 *Maritus, & vxor non sunt diuersæ diœcesis, diuersumque forum sortiri non possunt.*
9 *Vxor contrahens matrimonium in Ciuitate, vbi manet maritus, illius domicilium, & forum contraxisse dicitur.*

D E C I S I O XXI.

ROTA vtraque parte informante censuit litteras remissoriales exequendas in Ciuitate Bonon. ea præcipuè ratio-

1 ne, quia regulariter † ibi debent exequi vbi testes commorantur. *S. & quoniam sumus in Auth. de testib. l. Iudices, & in Auth. apud eloquentissimum, C. de fide instrum.*

Idque tanto magis, quia Illustrissima D. Antonia examinari curauit testes in ea-

2 dem Ciuitate, & ita † æqualitas in iudicijs est obseruanda, *cap. in indiţijs de reg. iur in 6. Bald. in l. fin. C. de fructib. & lit. expen.* quam semper Rota solita est exactè obseruare, *vt fuit decisum in Elliren. pensionis 10. Februarij 1597. coram Corduba, & in alijs causis*.

Ponderarunt etiam aliqui ex Dominis maiorem partem testium nominatorum esse ratione decrepitæ ætatis, aduersæ valetu-

letudinis officij, munerisque publici impe-
3 ditam, † sicque non debent extrahi huiusmodi testes à loco solitæ habitationis, sed ibidem examinari, *cap. si qui testium de test. l. 3. §. testes, ff. de testib. Peregrin. lib. 3. decis. 271. Rota diuers. decis. 221. lib. 2. par. 3.*

Non obstat D. Antoniam nimiam mariti potentiam perhorrescere cum vix, vt dicitur possit in dicto loco procuratores reperire, quin maximum vitæ discrimen adeant, vt ex multis coniecturis id intendunt probare informantes pro ea. Respon-
4 detur enim † omnem iusti metus præsumptionem cessare in Ciuitate, in qua Illustrissimus Legatus residet, & ius dicit, omnesque Iudices Legationis sunt forenses coram quibus erunt testes examinandi,
5 qui † ideo difficillimè possunt subornari coram Iudicibus, qui contra priuatum Ciuem Bononien. delinquentem lege agere quandocumque possunt, & ita cessat illa
6 perhorrescentia, † quæ priuatis nullo iure potest obijci, *l. si per impressionem, C. quod metus causa l. 1. C. si Rector Prouinciæ cum alijs alleg. per informantes.*
7 Deinde † ad euitandum hoc imminens periculum poterit D. Antonia procurare, vt aliquis Vrbis Curialis huic examini testium intersit, prout in simili causa hoc remedio vsa est Rota *in illa Rauennaten. Terrarum 1560. coram Paleotto relata inter diuers. lib. 3. par. 3. decis. 611.*

Nec obstare visum fuit *cap. statutum, §.*
8 *cum autem de rescriptis in 6.* hic enim textus huic nostro casui non potest applicari, quia non possunt dici maritus, & vxor diuersæ Diœcesis, diuersumque forum sortiri, nam
9 licet † D. Antonia sit origine forensis, tamen ex quo matrimonio Bononiæ coniuncta est domicilium Ciuitatis, in qua nata est dereliquisse; vt mariti domicilium cōtraheret, forumque eius sortiretur existimatur, *l. fin. §. rescripserunt, ff. ad municipalem, l. mulieres, Cod. de incolis, & al lib. 10. l. vnic. C. de mulierib. in quo loco lib. 10. glos. in l. origine, Cod. de municip. & orig. lib. 10. Bart. in l. cum quadam num. 1. de iurisd. omnium Iudicum.*

Et ità fuit decisum.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS ADMINISTRATIONIS.

27. *Nouembris 1613.*

ARGVMENTVM.

Curator testamentarius suæ administrationis rationem reddere tenetur.

*SVMMARIVM.*

1 *Curator cum alicuius bona administrauerit, cumque de eius cura non dubitetur ex iuris dispositione cogitur rationem reddere.*

DECISIO XXII.

CVM D. Octauius Donus filius, & hæres q. D. Alexandri Doni intentasset iudicium administrationis bonorum, & hæreditatis contra D. Pirrum Albericum curatorem testamentarium, velletque suā intentionem fundare, causa mihi cōmissa, dubitaui, an D. Pirrhus teneatur reddere rationem administrationis curæ, in casu, & ad effectum, de quo agitur, quo dubio proposito D. Octauio tantum informante, & altera parte non reclamante Domini resoluerunt D. Pirrhum teneri reddere rationē.
1 Cum † enim de eius cura, & administratione non dubitetur, sequitur clara iuris conclusio eum teneri reddere rationem D. Octauio maiori facto, *l. aduersus, & l. rationes, C. de admin. tut. l. 1. §. officio, ff. de tut. & ratio. distrah. cum sim.*

Hoc enim Domini dixerunt, quatenus d. ratio non sit sufficienter reddita, quod in processu causæ examinandum esse censuerunt.

Et ita decisum.

BONONIEN. DE MONTERENTIIS.

*Luna 3. Decembris 1613.*

ARGVMENTVM.

Ex quibus dicatur probatum, quod venditionis, & transactionis contractus non fuerint simulati.

*SVMMARIVM.*

1 *Instrumenta publica probatam faciunt probationem.*
2 *Simulatio plenè probari debet.*
3 *Solutio pretij in Instrumento declarata facit exclu-*

*excludere simulationem contractus.*

4 *Instrumentum transactionis arguit effectum habuisse venditionem.*

5 *Actus possessorij subsecuti post transactionem contractus validitatem arguunt.*

6 *Locationes plures iunctis adminiculis probant dominium, & possessionem.*

7 *Expensæ in aliqua re factæ regulariter, non solent fieri nisi à possessore, vel Domino rei.*

8 *Simulatio sine causa esse non potest etiamsi plures concurrant coniecturæ.*

9 *Venditor licet remaneat in possessione rei venditæ non ideo oritur præsumptio, quod venditionis contractus sit simulatus.*

10 *Possessio remanet probata per clausulam constituti.*

11 *Vsufructuarius per quamcumque alienationem, seu traditionem rei alteri factam, aut alio quocumque modo nullum infert præiudicium ei, cuius nomine res ipsa detinetur, vel possidetur.*

12 *Possessio venditoris potest referri ad titulum vsusfruct. in ipso venditionis instrumento reseruati, & postea relicti per testatorem in suo testamento. & num. 13.*

14 *Liber Casastri, & Colectarum, ac onerum realium, non probat nec dominium, neque possessionem.*

15 *Instrumentum non debet præsumi elusorium cum causa non affertur, qua possit illud dici elusorium.*

## DECISIO XXIII.

CVM venditionis, & transactionis contractus, de quibus agitur, simulati prætenderentur, & coram bon. mem. Penia in cuius locum ego suffectus sum fuerit, resolutum non constare de causa simulationis, dubitaui, au dicti contractus suum sortiti sint effectum, quo proposito Domini affirmatiuè responderunt, publica enim dictorum contractuum instrumenta
1 dantur, † quæ cum faciant probationem probatam, *l. cum precibus, C. de probat, §. item verbor. instr. de inutil. stipul. Bald. in l. quoties in fin. C. de Iudic. Dec. cons. 36. num. 2.* in D. Sebastianum asserentem non habuisse effectum transferunt onus id probandi,
2 & quidem concludenter ex quo † simulatio plenè probanda sit, *Bald. cons. 21 lib. 4. sub num. 1. Granett. consil. 145. num. 2. lib. 1. Castr. cons. 388. num. 2. vers. 2. si vellet lib. 1. & fuit dictum in hac causa coram Penia,* quã
3 probationem nedum non adesse, sed † plura concurrere visum fuit, quæ ipsam effectuationem concludentissimè probant, nempè adest solutio pretij de qua in dictis instrumentis coram Notario, & testibus, Instrumentum ipsum transactio-
4 nis, † quod effectum habuisse venditionẽ
5 arguit. *Ruin. cons. 16. num. 12 lib. 4.* † & actus possessorij subsecuti post transactionem, *Rota diuers. decis. 147. par. 1.* dantur enim
6 plures locationes, † quæ licet solæ non probent dominium, nec possessionem tamen vbi plures sunt, prout hic probant iunctis adminiculis, *Paris. cons. 104. nu. 81. lib. 1. cum aliis per Menoch. de præsumpt. præsumpt. 63. num. 14. lib. 6.* Pro adminiculis concurrunt plures expensæ diuersis tem-
7 poribus factæ, † quæ regulariter non solent fieri, nisi à possessore, vel Domino rei, *Roman. cons. 200. in puncto. Natt. cons. 13. num. 13. Surd. cons. 155. num. 9.*

Quæ omnia non possunt dici simulata, quia nulla causa aderat simulandi, vt fuit
8 decisum, & † sine causa non datur simulatio, etiamsi plures concurrerent coniecturæ secundum opinionem, quam Rota tenet *inter diuers. decis. 69. & fuit sæpè decisum.*

Nec visa fuerunt releuare ea, quæ in contrarium adducebantur, & præcipuè
9 quod † venditrix semper remanserit in possessione, nam vltra quod hæc coniectura in causa nõ sufficit ad reddendũ con-
10 tractum simulatum, & † de possessione Iulij emptoris ante transactionem constabat ex clausula *constituti*, tàm de iure communi, *per l. quod meo, & ibi tradunt DD. ff. de acquir. possess.* quam ex forma statuti Bonon. *sub rubric. de prouision. tit. pactum constituti de possidendo, & libell. in vendit. in volum. crimin.* quæ possessio nunquam potuit postea interuerti per Lucretiam vsufructuariam, & naturaliter possidentem stante præsertim statuto Bononien. *de pænis, in rubr. de pan. venden. rem alior. vers.*
11 *item dicimus eod. vol.* † vbi expressè disponitur vsufructuarium per quãcumque alienationem, seu traditionem rei alteri factã, vel per denegationem dominij, aut alio quocumque modo nullum posse præiudicium afferre, ei cuius nomine res ipsa detinetur, & possidetur, post transactionem constabat ex dictis locationibus; & expensis factis mediante persona sui procurato-
12 ris, fuit etiam responsum † possessionem venditricis posse referri ad titulum vsusfructus in ipso venditionis instrumento re-

seruati,

seruati, & postea relicti per Iulium in suo testamento. *Roman.caus.304. Alex.cons.28. lib.5. Natt. cons.628. num. 21. in fine lib.3.*

13 Idque tanto magis, quia † finito vsufructu translatum fuit dominium huiusmodi ad hæredes Iulij transigentis, & ita ad hunc vsque diem constabat dictos contractus suum sortitos effectum.

Ex libro verò Catastri, & Collectarum, ac onerum realium non poterat coniectura

14 aliqua sufficiens deduci † cum ille non probet, nec dominium, nec possessionem. *Bart.in l. si pater, C.de act.empt. & ibi Bald. nu.1. Alex.cons.68.n.3. vers.bene facit illud lib.3.* licet liber in quo D.Lucretia domina huiusmodi prædij dicitur non sit liber Catastri, sed Custodis Gabellæ in quo describuntur fructus vecti ad Ciuitatem in solutione Gabellæ; nec mirùm si Coloni continuarunt in denunciando se Colonos D. Lucretiæ, cum ignorassent dicti instrumenta, & fructus conducebantur ad domum Iulij in qua habitabat Lucretia.

Reliqua verò parum concludere visa sunt, & præsertim contra tot publica in-

15 strumenta, † quorum cum nec simulandi, nec faciendi tot actus elusorios aliqua afferebatur causa, nec aliquo probationis genere fuerit ostensum pretium per Iulium solutum fuisse restitutum Domini dixerunt nó posse dici dictos contractus suum non sortitos effectum.

Ex quibus ita fuit decisum.

## REGIEN. BONORVM.

20. *Decembris 1613.*

## ARGVMENTVM.

Legatario competit immissio in bonis emphyteoticis Possessio quando capi possit propria auctoritate, & non præmissa citatione in obtentione associationis.

## SVMMARIVM.

1 *Possessio capta pendente termino ad appellandum est nulla, & reuocãda, etiamsi per partem non fuisset appellatum.*

2 *Appellatio de iure Canonico datur in quolibet possessorio, maxime quando decretum continet mixturam.*

3 *Qui non appellat à decreto illud approbasse censetur.*

4 *Possessionẽ rei emphyteuticæ dominus propria auctoritate capere non potest, nisi in concessione adsit pactum.*

5 *Citatio requiritur indiuidua ad audiendam sententiam, præcipuè post semel interpositam appellationem.*

6 *Quando Iudex pronunciat per viam ex iulia datur appellatio ad effectum suspensiuum, etiamsi alias de iure non concederetur.*

7 *Citatio non requiritur in associatione data per Iudicem quando quis capere potest possessionem propria auctoritate. Contrarium verò vbi petit immitti in possessionem. num.8.*

9 *Qui non appellat acquiescere videtur.*

10 *Pro legato datur Saluianum.*

11 *Clausula ad habendum, & quicquid placuerit faciendum, facit vt emphyteusis transeat ad hæredes extraneos. Etiam ad fœminas incapaces emphyteusis Ecclesiasticæ, nu.12.*

13 *Possessio probatur ex possessione, & substentatione litis.*

14 *Immissionem non impedit possessio capta post mortem defuncti.*

15 *Exceptio dominij, & proprietatis non releuat, vbi non probatur incontinenti.*

16 *Exceptio requirens altiorem indaginem non impedit immissionem.*

## DECISIO XXIV.

DOMINI censuerunt non esse dandum mandatum de manutenendo Francisco, sed immissionem Mariæ, ratio

1 primæ partis decisionis fuit, † quia possessio per Franciscum capta, fuit nulla, & attentata; ex quo fuit capta pendente termino ad appellandum, *cap.non solum, & ibi glos.in verbo innouata de appellat. in 6. Mohed. decis.11.num.3.de præb. Rota diuers. decis.6. num.10.par.2. fuit dictum in Auenion. Parrochialis de Correda 15.Maij 1607. corã Illustrissimo D.meo Damasceno, & in Agrigentina Beneficij 21. Iuny 1610 coram R. P. D.meo Pamphilio, & nuper coram me in Regien. Beneficij die 15.Nouembris 1613.* quod procedit etiamsi per partem non fuisset appellatum, cùm tunc taliter gesta saltem per viam nullitatis reuocentur, *Cas. de Graff. decis.2. de appellat. cum alijs allegatis in causa Ferrarien. bonorum de Tassonis 26. Iunij præteriti coram eodem R. P. D. Pamphilio.*

Nec potest dubitari, quin detur appella-

2 tio, quia † de iure Canonico datur in quolibet possessorio, *Abb.in cap.cum ad sedem num.3.vers.aut quærimus de rest.spol. Card. in Clem.*

in Clem.vnic.num.51.& seqq. & ibi Vitalin.
num.37.de sequestr. possess.& fruct. Couarr.
pract. qq. cap.23.num.8. vers. prima conclu-
sio, & fuit dictum in Mediolanen. Legati 30.
Octobris 1584. coram bon. mem. Illustrissimo
Card. Pamphilio. & multo magis, quia di-
ctum decretum continebat mixturam pro-
prietatis, Contard.in l.vnic. C.de momen: in
lim. ratione mixturæ, Menoch. de adipisc. re-
med.4.num.153. Rota diuers.decis.356.n.1.
par.1. Denique visum fuit Franciscum non
posse vti dicta possessione ex quo illa fuit
suspensa per eumdem Iudicem, dum post-
quam comparuit procurator Mariæ, Iudex
suspendit suum decretum, & gesta ad in-
3 stantiam Francisci; † à quo decreto cum ip-
se non appellauerit illud approbasse cen-
setur, l.ab eo, C.quomod.& quand. Iud. l.fin.
Cod. de sent. quæ sine cert. quantit. gloss. in
cap.cum cessante, vers. sed quantum ad illud,
de appell. Surd.cons.300.num.38.fuit dictum
in Tirasonen. Capellæ 15.Ianuarij 1596. co-
ram bon.mem.Litta, & in Romana Cottici 6.
Martij 1606. coram Reuerendiss. D.meo Da-
masceno.

4 Nec potuit Franciscus capere posses-
sionem propria auctoritate, quia in instru-
mento concessionis non adest pactum,
nec de iure in hoc casu talis facultas com-
petere poterat, cum Franciscus prætende-
bat hæc bona ob lineam finitam, vt per Af-
flict.decis.97. Gabr.cons.88.in fin.lib.2.dixit
Rota in Mediolanen. Locationis coram Fabio
quæ est 58.in fine lib.2.par.3.diuers.& in Al-
ben.Feudi de Mulatijs 14. Decembris 1584.
coram Bubalo, fusissimè Illustriss. Mantic. de
tacit. & ambig.lib.22.tit.22.num.4. Guidop.
decis.207.num.1. qui hanc opinionem in
Parlamento Delphinatus obseruari sicut
in toto Galliæ Regno testatur, Rebuff. de
constit. reg. glos.5.num.64.

5 Præterea considerabant Domini † quod
etiam si Francisco talis facultas competere
potuisset, nihilominus cum non potest
competere simpliciter, sed in casum deuo-
lutionis ob lineam finitam non poterat illi
esse locus, nec eius vigore ingredi posses-
sionem, nisi prius declarato per Iudicem
causa cognita, & sic parte citata, quod præ-
tensæ deuolutioni esset factus locus, Bart.
in l.creditores sub num.14.C.de pignor. Aret.
cons.82.num.1.& 2. Gozad. cons.95.num.3.
Roland.cons.20. num.23. lib.1. Afflict. d.de-
cis.97.num.2.& 3. Gabr. d.loco, & cons.67.
num.13.lib.2. Corbul. de caus. priuat.ob non
solut.can.quæst.12.sub num.4. & fuit dictum
in Cæsenaten. Spolij 22. Iunij 1592. coram
Illustrissimo Card. Mantica, & in Bononien.
bonorum de Ganalibus 11. Ianuarij 1602. co-
ram bon. mem. Card. Pamphilio.

Nec Francisco suffragari potest confir-
matio ab eodem Iudice postea facta, quia
6 illa † quoque subiacet vitio nullitatis ne-
7 dum ex defectu citationis, † quæ require-
batur indiuidua ad audiendam sententiam
glos. in c.cum contumacia, in verb.respondeāt.
de hæretic.lib.6. & in Clem. sæpè, in verb. ad
id de verb. significat. fuit dictum in Conchen.
Decimarum 15. Decembris 1604. coram Il-
lustrissimo D.Card.Lancellotto, & in Viglie-
uanen. Iurispatronatus 17.Iunij 1605. coram
8 Reuerendiss. D. Lugdunen. † nec fuit suffi-
ciens ad audiendam voluntatem Iudicis,
Felin.in c.consuluit, num.16. de offic.delegat.
Bero.in c. quoniam contra num.88. de probat.
Roman. sing.372. fuit dictum in Roman Spo-
lij de Pinis 31.Ianuarij 1605.coram Reueren-
rendiss. D. Bonon. & nuper corā me in d. Re-
9 gien. Beneficij; sed etiam † quia emanauit
post recusationem Iudicis, & interpositam
appellationem. Innoc. in c. cum speciali. &
ibi DD. de appellat. Lap. allegat.1. cum alijs
per Lancellott.de attent. post recusat. sub n.2.
Achill.decis.3.de except.fuit dictum in Roma-
mana, seu Tiburtina Castrorum 4.Iulij 1607
coram Reuerendiss. D. Lugdunen. & in Ro-
mana administrationis tutelæ 18.Martij 1611
coram R.P.D. meo Manzanedo.

Præterea considerabant Domini, quod
10 Iudex pronūciauit per viam cedulæ, † quo
casu dabatur appellatio ad effectum su-
spensiuum etiam si alias de iure non con-
cederetur. Contard.in l.vnic.lim.3.num.48.
Benintend. decis.72. & fuit dictum in Bar-
chin. Prioratus 28.Ianuarij 1609. coram R.
P. D. meo Decano.

11 Non obstat, quod † vbi petitur per Iudi-
cem associatio, non requiritur partis cita-
tio, ex Soc.cons.167.num.13.vers.3.licet opp.
& Alex. cons.131. sub num.4. lib.4. & alijs
allegatis per informantes. Quia vltrà quod
Doct. loquuntur in casu quo Rector pos-
set propria auctoritate capere possessio-
nem, quod causa cognita deuolutio esset
declarata per superius deducta, in quibus
12 terminis non versamur, fuit † responsum
obiectum procedere, quando ille qui ha-
bet facultatem capiendi possessionem pro-
pria auctoritatem adit Iudicem petendo
ab eo sibi concedi familiam, & associari,
vt possit ingredi propria auctoritate ad eui-
tandā rixam; secus si ab eo petit se immitti
in pos-

in poſſeſſionem, ſeu ſibi concedi licentiam illam ingrediendi, vt fecit Franciſcus, tunc enim requiritur citatio, vt poſt alios diſtinguunt *Iaſ.in l.2. ſub num.113. C.de iure emphyt. & Neguſ.de pignorib.par.4.num.23. & ſeq. Vrſil.ad Afflict. deciſ.326.*

Fuit etiam dictũ quod ob ſuſpenſionem
13 factam per Iudicem dictæ poſſeſsionis † cui Franciſcus acquieuit, vt dictum eſt, ob non interpoſitam appellationem, ipſe non po-
14 teſt illa iuuari, † ad confirmationem verò cum fuerit proceſſum iudicialiter habent locum nullitates prædictæ, ex cumulat *per Iaſ.in l.2. num.113. C. de iur. emphyt.*

15 Dandam verò immiſſionem Mariæ DD. dixerunt ex vtili Saluiano, quod pro legato datur, *Gabr.conſ.46.num.20.& 43.lib.1. & conſ.94. num.23. lib.2. Rota diuerſ. deciſ. 654.num.3.lib.3.par.3. fuit dictum in Vrbeuetana Legati 9. Ianuarij 1587. coram Illuſtriſſimo Card. Blanchetto, & in Fauentina Legati 24. Nouembris 1589. coram Illuſtriſſ. Card. Pamphilio, & alias ſæpe*. Requiſita verò ad obtinendum in Saluiano adſunt cum de credito conſtet, ex legato, & ex Inueſtirura cum clauſula, *ad habendum, &*
16 *quidquid placuerit faciendum*, † quę operatur, vt emphyteuſis tranſeat ad hæredes extraneos, *Socc.conſ.266. num.38. in fin. & ſeqq.lib.2. Crauett. conſ.256. num.4. verſ.& breuiter puto. Roland.conſ.55.num.24.lib.3. fuit dictum in Imolen. bonorum 13. Nouemb. 1592. & 8.Martij 1596.coram Illuſtriſſimo Pamphilio, & in Nonantulana bonorum 14. Iunij 1610. & 31.Ianuarij 1611. coram Reuerendiſſ. D.Damaſceno*, & etiam ad fœmi-
17 nas, † quæ non ſunt incapaces emphyteuſis Eccleſiaſticæ, *Bero.in cap.in præſentia num.40.vbi de communi de probat. Clar.in §. emphyteuſis quæſt.82. & fuit dictum in Romana domus, & emphyteuſis 6.Martij 1595. coram Illuſtriſſimo Pamphilio.*

18 De poſſeſſione defuncti conſtat † ex confeſsione Franciſci, & de huius poſſeſſione, ex ſubſtentatione litis, in qua in ſpecie petit manutentionem.

19 Nec dicta poſſeſsio Franciſci poteſt impedire immiſsionem, quia capta poſt obitum Lepidi, *ex trad. per Menoch. de adipiſc. rem.5. num.598. in 13. caſu*, & eo minùs, quia illegitimè, & vitioſè poſsidet ex ſupra deductis.

20 Nec releuat exceptio dominij, & proprietatis cum hoc caſu non poſsit probari incontinenti, ex quo bona non poſſunt dici deuoluta ob prædictam clauſulam, *ad habendum*, & plura poſſunt deduci pro parte Mariæ, quæ etiam in præterito excludent Rectorem, *vt per Menoch.de adipiſc. rem.4. num.386.& 598.cum ſeq.*

Inde patet reſponſum ad id, quod dicitur non poſſe dari immiſsionem eo quia hoc teſtamentum legitur ſcriptum in frau-
21 dem bullæ Pij V. nam † cũ Maria legataria nondum eſſet vxor filij naturalis teſtatoris non poteſt directè dici factum in fraudem Bullæ, ſed, cum quæſtio ſit ſuper interpre-
22 tatione Bullæ, † hæc exceptio viſa fuit requirere altiorem indaginem, & proinde non impedit immiſsionem, *vt not. per text. in l.2. & in l. fin. C. de edict. Diu. Adrian. tollend.*

Et quibus ita fuit deciſum vtraque parte informante.

## BOVEN. PENSIONIS.

*Veneris 25. Ianuarij 1614.*

### ARGVMENTVM.

Cenſuræ relaxatæ contra Capitulum eo quia non ſoluebat quamdam penſionem, declarantur nullæ, cum de ipſius paupertate conſtet.

### *SVMMARIVM.*

1 *Cenſuræ nullæ declarantur relaxatæ per contradictas præcedente ſolum quadam citatione ad comparendum infra certum tempus.*
2 *Paupertas Capituli præſtat excuſationem à ſolutione penſionis.*
3 *Capitulum à cenſuris eſt abſoluendum ne ſub prætextu impoſſibilitatis illis remaneat innodatũ, & Eccleſia debito ſeruitio fraudetur.*

### DECISIO XXV.

INFORMANTE tantum Capitulo Domini cenſuerunt intrare arbitrium pro illius abſolutione, cenſuræ namque contra Capitu-
1 lum † nulliter relaxatæ videbantur per cõtradictas præcedente ſolum quadam citatione ad comparendum infrà 30. dies, & tamen illa non fuit reproducta niſi poſt tres annos, *ad l. ſed ſi per Prætorem, ff. ex quibus cauſ. maior. Anchar. conſ.97. num.7.* & de iuſtitia mandati de manutenendo in vim cuius fuerunt relaxatæ cenſuræ Domini valdè dubitarunt ex pluribus, & præſertim
2 ex eo quod † Capitulum conſenſit relaxationi ſequeſtri per quod ſatis cautum videtur

detur R. P. D. Olgiato iuxta etiam Capi-
3 tuli paupertate † vt per Gigan. de pension. quaest. 80. num. 5. vers. excusat etiam. Domini dixerunt Capitulum esse absoluendum, ne sub praetextu impossibilitatis remaneat censuris innodatum, & Cathedralis Ecclesia debito seruitio fraudata.

## PERVSINA HÆREDITATIS.

*Veneris vlt. Ianuarij 1614.*

### ARGVMENTVM.

Agitur de quodam statuto Perusino, quod cum sit fauorabile est omninò attendendum, & cum agat de Compromissis partes cogit ad compromittendum.

### SVMMARIVM.

1 *Compromissi petitio de iure communi non admittitur in iudicio executiuo.*
2 *Quod magis procedit cum nulla exceptio contra testamentum possit opponi.*
3 *Causa non est compromittenda vertentibus differentijs iam decisis.*
4 *Laudum acceptatum facit silere exceptionem rei iudicatæ contra petentem nouum compromissum.*
5 *Filia prætendens se enormissimè læsam potest via ordinaria agere.*
6 *Statutum si mãdet Iudici vt procedat ad cõpromissum faciendum, vbi infra terminum non fuerunt exceptiones probatæ, & Iudex id non egerit, & passus fuerit extra terminum laudum producere non potest amplius sententiam ferre super compromisso.*
7 *Statutum mandans compromitti debet omnino attendi.*

### DECISIO XXVI.

DOMINI dixerunt non esse locum statuto Perusino de compromissis ad impediendam immissionem vigore, *l. fin.*
1 *C. de edict. Din. Adr. toll.* quia & ipsum † statutum expressè excipit causam testamentorum, & † de iure communi petitio compromissi non admittitur in iudicio executiuo, *Bart. in l. elegantur in princ. ff. de condit. & demonstr. Roman. cons. 262. num. 2. Alex. consil. 82. num. 2. vers. 2. lib. 1. Ias. consil. 26. num. 16. lib. 1. fuit dictum in vna Romana de Capizucchis 21. Maij 1600. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno,* & † præsertim
2 cum nulla exceptio contra ipsum testamentum possit opponi, cum fuerit productum non abolitum, non cancellatum, nec aliqua parte vitiatum, *Bald. in l. 1. in princip. ff. de transact. & in l. ancillæ, C. de furt. Alex. d. cons. 82. num. 4. & consil. 62. num. 6. lib. 2. Ias. d. cons. 26. num. 16. Gozzad. cons. 22. n. 9. & cons. 98. num. 16. Capic. decis. 48. num. 2. Caputaq. dec. 229. lib. 1. in manuscript. Ioseph Ludou. decis. Perus. 47. nu. 11.* Et quoad hoc pars vim non faciebat.

Verum quia aliæ differentiæ inter easdem partes vertuntur quarum aliquæ fuerunt per laudum decisæ Domini non dubi-
3 tarunt † quoad eas non esse locum nouo compromisso non obstantibus traditis super hoc statuto per *Corn. cons. 46. num. 4. & seqq. lib. 2. & Honded. cons. 9. num. 13. & seqq. lib. 1.* quia prædicti Doctores non loquuntur, quando prout hoc casu non fuit super eisdem differentijs factum compromissum & laudum latum, per quod iam fuit satisfactum *arg. l. boues, §. hoc sermone, ff. de verb. significat.* cum ibi cumulatis per *Tiraquell.*
4 Eoque magis quia † laudum fuit acceptatum, & sic obstat exceptio rei iudicatæ petenti nouum compromissum, *Honded. super eodem statuto, cons. 84. num. 37. & seqq. lib. 1. Caputaq. d. decis. 229.* quam exceptionem expressè admisit statutum Perusinum, vt in Summario pro parte filiarum dato, &
5 dum † filiæ prætendunt se enormissimè læsas non est illis interdictum iuris remedijs via ordinaria agere coram me.

Nec obstare visum fuit, quod laudum non fuit productum intra terminum datũ
6 à statuto, nam † cum statutum mandet Iudici, vt procedat ad compromissum faciendum, vbi intra terminum non fuerunt exceptiones probatæ, & Iudex id non egerit, & passus fuerit extra terminum laudum producere, non potest amplius sententiã ferre super compromisso faciendo ex traditis per *Innoc. in c. cum Bertoldus num. 4. vers. vel dic, quod à principio de sent. & re iudic.*

Quoad omnes alias differentias, quæ inter partes vertere possunt siue illæ non fuerunt in dicto laudo comprehensæ, siue fuerint in eodem reseruatæ, aut quæ postea ratione administrationis factæ post laudum partibus competere possunt, in his omnibus Domini dixerunt locum esse statuto, & eius vigore partes cogendas esse ad
7 compromittendum, † statutum enim Perusinũ est fauorabile dum cogit partes ad compromissum, modumque præscribit quo

lites

lites, & iurgia non solum inter propinquos, & consanguineos, sed etiam inter conciues citius abreuiato longo iudiciorũ circuitu sopiantur, & sic magis quieta remaneat Ciuitas, dum eius incolæ à laboribus, & expensis liberantur, *arg. l. properandum, C. de iudic. latè Blanch. de compromiss. quæst. 1. & num. 1. & seq. Honded. super hoc statuto cons. 9. num. 12. lib. 1. & d. cons. 84. n. 4.* ex quo colligitur illud laudabile statutum esse in viridi obseruantia à multis annis adhunc vsque diem in dicta Ciuitate Perusina.

Ex his ita decisum vtraque parte informante.

## CIVITATIS CASTELLI BONORVM.

*Mercurij 26. Februarij 1614.*

### ARGVMENTVM.

Probata possessione concludenter possidens debet habere mandatum de manutenendo cum aliquid in contrarium non adducatur.

### *SVMMARIVM.*

1 *Possidenti de tempore motæ litis si citatus non comparuerit dandum est mandatum de manutenendo.*

2 *Possessionem concludenter probat testis de visu, & de actibus possessorijs deponens.*

3 *ad Iudicium summarijssimum sufficit minus plena probatio.*

## DECISIO XXVII.

INFORMANTE tantum D. Deonoraeum D. Episcopus citatus non comparuerit, Domini resoluerunt illi dandum mandatum de manutenendo super bonis em-
1 phyteuticis † per ipsam posessis de tempore motæ litis, *§. retinenda institut. de interdict. Caputaq. decis. 198. par. 2.* & fuit sæpissimè decisum, & signanter coram me *in Rhegien. Beneficii 15. Nouembris præteriti & in Romana domorum, & iuris nominandi 11. Decembris eiusdem anni.* De possessione verò concludenter deponunt duo testes de visu, & de actibus possesso-
2 rijs, † qui cum in omni negotio sufficiant, pro concludenti, & plena probatione, *c. in omni de testib.* multo magis in hoc sum
3 marijssimo iudicio, † in quo receptum est minorem plena probatione sufficere, *ex cumul. per Menoch. retinen. remed. vltim. num. 34.* & fuit sæpe in Rota decisum.

## SEGVNTINEN. PRÆSIDENTIAE.

*Veneris 21. Februarii 1614.*

### ARGVMENTVM.

Ex consuetudine concludenter probata in absentia Decani, & Prioris Ius præsidendi in Choro spectat ad Antiquiorem Canonicum.

### *SVMMARIVM.*

1 *Clericus ordine inferior repugnat quod præcedat dignioribus.*

2 *Consuetudo contra ius non præscribitur per decennium, sed requiruntur 40. anni.*

3 *Consuetudini plurimum deferendum est.*

4 *Dictionis alternatiuæ, vel, sufficit dictum verificari in vna parte.*

5 *Canonicus senior præsumitur instructior, & sapientior quam iunior.*

6 *Præsidentia includit facultatem monendi, & corrigendi.*

7 *Exercere iurisdictionem in superiorem nemo potest.*

8 *Primicerius non repugnat, quod præsideat dignitatibus maioribus.*

9 *Primicerij Iurisdictione alicui à Capitulo tradita non repugnat, quod in dicto actu Primicerium repræsentet non obstante, quod exercens dictum officium sit in dignitate constitutus, num. 10.*

11 *Consuetudo non dicitur contra ius vbi agitur de modica iurisdictione.*

12 *Consuetudo decennalis suffragatur quando non est contra ius.*

13 *Iurisdictio totalis residet penès Ecclesiam, Capitulum, & ipsos qui sunt de Collegio Capituli.*

## DECISIO XXVIII.

CVM sub die 22. Iunij 1609. coram R. P. D. meo Pamphilio fuerit resolutum ex consuetudine concludenter probata pro parte Canonicorum in absentia Decani, & Prioris ius præsidendi in Choro spectare ad antiquiorem Canonirum, fuit lata sententia ad fauorem Canonicorum, & in gradu appellationis coram Reuerendissimo D. Lugduneñ, & coram R. P. D. meo

mco Vbaldo in eius locum subrogato ad alias resolutiones fuit deuentum, lataque sententia, & causa mihi commissa, dum post disputatum dubium super confirmatione causa esset in calculo ferendę sententiæ, agentes pro dignitatibus habuerunt recursum ad Sanctissimum à quo obtinuerunt audiri de nouo super prædicta decisione. Vnde dato dubio, an esset recedendum à decisis vtraque parte informante, Domini vnanimi voto censuerunt standū esse in decisis, rationibus in d. decisione optime deductis, & ponderatis.

Quibus non visum fuit obstare præcipuum dignitatum fundamentum consuetudinem
1 prædictam esse directè contra ius, † cum iuris ratio, & Hierarchiæ Ecclesiasticæ ordo repugnet vt inferior ordine Clericus dignioribus præsideat, *cap. cum inferior, de maior. & obed.* cum ad satietatem allegatis
2 per informantes pro dignitatibus, ex † quo inferebatur præscriptionem huius consuetudinis non sufficere decennalem, sed de iure Canonico requiri quadragenariam. *Panor. in cap. fin. de consuet. & ibi cæteri DD. communiter, Felin. in c. statuimus num. 2. de maior. & obed. Rota decis. 5. de consuetud. in nouis.* Fuit enim responsum quicquid sit vtrum quadragenaria sit probata, nec necessario subsistere semper decisionis fundamentum
3 nullibi iure cautum reperiri, vt consuetudo, cui plurimum debetur (vt vltra allegatos in decisione bene *Turrecrem. in cap. perlectis, distinct. 25.*) & quæ præsidentiam attribuit antiquiori Canonico in præiudicium Dignitatum censeatur legi, & rationi contraria.

Nam B. Isidorus in *d. c. perlectis*, in absentia Primicerij non detulit hunc honorem alijs dignitatibus, sed ei qui lege proximus est, aut eruditione Turrecremat. verbum illud, lege, cum asserat posse intelligi de dispositione Chori, vel ratione ordinis, vel temporis optimè verificari potest de antiquiori Canonico, licet non sit dignitas propter illam dictionem alterna-
4 tiuam, *vel*, qua vsus est Turrecrem. † ob quam sufficit eius dictum verificari in vna parte, *l. si hæredi plures, ff. de condit. instr. l. si ita quis stipuletur, ff. de verb. obligat. §. si plures condit. instr. de hæred. instit. cap. inter cætera, de rescript.*

Considerabant etiam Domini, quod cū *text. in cap. perlectis* loquatur alternatiuè lege, aut eruditione, & per consequens vt dictum est satis superque esse, vt eius dispositio in vna parte verificetur, consuetudinem in Ecclesia Seguntina interpretatam esse hoc eruditionis, verbum de antiquiori Canonico, prout verba d. can. in originali, quæ sunt (eruditione his explendis certus) id clarè inferunt, & non sine
5 magna ratione † cum talis verisimiliter eruditior, hoc est instructior, & sapientior ob senium, & temporis diuturnitatem, quo diuinis officiis interfuit in hoc munere cen seri debeat, quam iunior, qui nuper ad dignitatem fuerit assumptus, quo argumento vtitur *Anacletus in cap. porro 85. distinct. & Callistratus in l. semper, ff. de iure immunit.*

Vnde non incongruum, nec iuri, aut rationi repugnans alicui videri potest, si in absentia Decani, & Prioris fuit per Capitulum deputatus dictus antiquior Canonicus, sed iuri, & rationi consonum, & laudabili consuetudine institutum censeri debet.

Ex quibus corruit illa differentia facta per informantes inter præsidentiam, vel præheminentiam, quia in aliquibus casibus inferiori exhibetur honor à superiori sed in nullo casu debet maiori præsidere
6 minor † cum præsidentia includat facultatem
7 monendi, & corrigendi, † & exercere iurisdictionem in Superiorem nemo potest *d. cap. cum inferior. de maior. & obed.* Nam præterquamquod in his terminis magis congruum est, vt iunior corrigatur a seniore, quam senex à iuniore, respondetur hoc casu non posse dici inferiorem exercere iurisdictionem in superiorem, quia eo ipso quod per absentiam Decani, & Prioris antiquior Canonicus exercet officium hoc, quod de iure spectat ad Primicerium, *dicto c. perlectis*, & fuit dictum in dicta decisione ille consideratur cum auctoritate, & pote-
8 state Primicerij, quem sicut non † repugnaret præsidere dignitatibus maioribus, nempe Archidiacono, & Archipresbytero, ex quo habet suum officium distinctum *d. cap.*
9 *perlectis, Host. in c. vnic. de offic. Primic.* † habet quoque à lege iurisdictionem, vt ea, quæ ad eius officium pertinent rectè, & ritè in Ecclesia administrentur, & fiant, ità non repugnat, quod alius non existens in dignitate exerceat eamdem iurisdictionem sibi traditam à Capitulo, quod in hoc actu repræsentat.

10 Et nihil referre, an exercens dictum officium in absentia Primicerij, & hoc casu in absentia Decani, & Prioris sit in dignitate

tate constitutus, sensit etiam *gloss. in d. cap. perlectis in verb. aut lege*, vbi æquiparat litteraturam dignitati, vt facit optimè *text. in d. l. semper*. vbi Callistratus testatur maiores illos Romanos eumdem penè honorem senibus, quem Magistratibus tribuisse.

Deinde cum non agatur de totali iurisdictione, sed modica quadam coërctione
11 certo loco & tempore † limitata consuetudo non dicitur contra ius, *Butr. in c. fin. in 2. lect. num. 39. vers. oportet. de consuetud. cum alijs in dicta decisione allegat.* & per
12 consequens † sufficit consuetudo decennalis optimè, & concludenter probata.

Minus obstare visum fuit argumentum desumptum ex eo quod in decisione corã me facta die 4. Decembris præteriti dictũ fuit antiquiorem Canonicum non præsidere in loco iure Decani, aut Prioris, sed iure proprio, vnde informantes pro dignitatibus inferunt adesse iuris resistentiam, vt Canonicus iure proprio legem dicat superiori.

Nam sensus decisionis non est hic, sed quod Canonicus antiquior in Choro non præsidet auctoritate ipsius Decani, aut Prioris, & tamquam ab ipsis deputatus, nec minus vti Canonicus priuatus iure proprio per absentiam prædictorum sibi deuoluto, sed vti repræsentans in hoc actu
13 Ecclesiam, & Capitulum † penes quod radicaliter residet tota iurisdictio in ipsos qui sunt de Collegio Capituli, vt per *Innoc. in c. cum non ignores num. 2. de præbend.* à quo eadem Iurisdictio tamquam à fonte ad antiquiorem Canonicum per consuetudinem delata fuit.

Ex quibus ita omnibus Dominis votantibus decisum fuit.

## FERRARIEN. AFFICTVS.

*Lunæ 9. Decembris 1613.*

### ARGVMENTVM.

Examen testium ex quibus sanatum dicatur.

### *SVMMARIVM.*

1 *Per repetitionem testium super Interrogatorijs intrat sanatio, vbi adest clausula arbitrio.*
2 *Citatio executa in Columna Palatij vicini Ecclesiæ sustinetur licet iuxtà formam remissorialium fuisset exequenda ad valuas Ecclesiæ.*
3 *Clausula arbitrio solet relaxare iuris rigorem.*
4 *Citationis defectum supplet comparitio.*
5 *Testes quando fuerunt repetiti super Interrogatorijs adhuc durante termino remissoriæ potius dicitur continuatum examen, quam aliud de nouo factum.*
6 *Sumpto extracto ex originali Instrumento alijs concurrentibus pro illius veritate venit deferendum.*
7 *Defectus minus considerabilis per comparitionem Procuratoris, & per repetitionem testium super Interrogatorijs stante clausula arbitrio sanatur.*

## DECISIO XXIX.

DOMINIS visum fuit intrare arbitrium pro sanandis nullitatibus, quas adesse in testium examine fuit resolutum, nisi obstet defectus mandati pro
1 parte Communitatis. † Cum enim fuerint repetiti testes super interrogatorijs datis pro parte Illustrissimi D. Cardinalis qui nihil potuisset agere quam id quod fecit intrat sanatio, vbi adest clausula *arbitrio Put. decis. 301. lib. 3. Cas. de Grass. decis. 11. num. 18. de probat Crescen. decis. 1. de fer. Caput. decis. 149. part. 1.*
2 Et præsertim quia † non adest defectus totalis citationis, cum executa fuerit citatio in columna Palatij vicini Ecclesiæ, licet iuxtà formam remissorialium fuisset exequenda ad valuas Ecclesiæ *Vant. de null. tit. 14. nu. 24. Vestr. in prax. cap. 1. lib. 3. Rot. decis. 11. de dol. & contum. in nou.* cum alijs allegat.

Quin imò cum posteà Procurator D. Cardinalis comparuisset, ac dederit inter-
3 rogatoria absque dicta clausula, † quæ solet relaxare iuris rigorem, *Crescen. decis. 4.*
4 *de testib.* & fuit sæpè decisum † talis nullitas quodammodo videtur de iure sublata, ex eo quod comparendo coram Iudice ostenditur Procuratorem Illustrissimi Cardinalis certiorem factum de eo super quo facta fuit citatio *Rot. d. decis. 11. de dol. & contum. Caputaq. dec. 293. par. 3. Cas. de Grass. decis. 15. de testib. nu. 6. Surd. consil. 227. nu. 16.* cum aliis allegat. in vna *Mutinen. bonorum 5. Martij 1607. coram R. P. D. meo Manzanedo.*

Nec obstare visum fuit hos testes non fuisse examinatos, sed repetitos super in-
5 terrogatorijs, quia † cum durante adhuc termino remissoriæ fuerint data interro-

gatoria potius videtur continuatum examen quam aliud de nouo factum.

Nullitas ex defectu mandati comparentis pro D. Cardinale fuit sublata per exhibitionem publici sumpti extracti ex originale Instrumenri mandati ad omnes lites cum facultate substituendi facti per D. Cardinalem in personam D. Fabritii Cauctij qui substituit comparentem cum interro-
6 gatorijs, † Cui sumpto dandam esse fidem ex pluribus pro illius veritate concurrentibus Domini non dubitarunt.

Alia verò nullitas ob non seruatam
7 formam remissoriæ, & aliqui alij † defectus minus considerabiles per comparitionem Procuratoris postea factam, & per repetitionem restium super interrogatorijs stante clausula, *arbitrio*, sanabiles visi fuerunt.

Et ità decisum quatenus non obstat defectus mandati pro parte Communitatis, quod specialiter videndum esse Domini censuerunt.

## PERVSINA DOTIS.

*Veneris 20. Decembris 1613.*

### ARGVMENTVM.

Maritus non cogitur suæ vxori dare alimenta dum illi bona omnia fuerunt confiscata, vndè mandatum relaxatum fuit declaratum nullum, tum ex hoc capite, rum quia fuit relaxatum sub die in qua non cadebat citatio.

### SVMMARIVM.

1 *Mandatum relaxatum sub die in qua non cadebat citatio nullum declaratur.*

2 *Alimenta vxori non debentur à marito cui fuerunt omnia bona confiscata.*

### DECISIO XXX.

DOMINI censuerunt mandatum relaxatum per Gubernatorem Perusiæ ad fauorem D. Hieronymæ pro alimẽtis causa suæ dotis contra D. Baltasarem eius maritum esse exequendum, nec de nouo relaxandum contra D. Hectorem.

Ratio primæ partis decisionis fuit, quia
1 fuit † nulliter relaxatum sub die in qua non cadebat citatio, *Rot. diuers. decis. 705. in fin. par. 3.* Deinde petebatur exequi cõtra D. Hectorem vti Donatarium omnium bonorum ex traditis per *Cassan. super consuetud. Burgund. rubr. 4. §. 12. in fin.* quod tamen in facto non subsistit cum ex Instrumento donationis appareat illum esse donatarium particularem contra quem non potest agi, nisi in casum quo bona quæ remanserunt apud donantem non sufficerent, vt latè per *Dec. cons. 236. incip. in casu proposito num. 4. vers. sed, tamen prædictis, & numer. 5. & seqq.*

Minus verò visum fuit posse agi contra ipsum vigore suæ promissionis in eodem Instrumento donationis factæ de soluendo huiusmodi debitum, quia adest expressa declaratio facta in alio Instrumento prædictam promissionem intelligendam quoad sortem principalem.

Deinde agebatur de alimentis debitis per Balthasarem de tempore quo fuerunt
2 illi confiscata omnia bona † ad quæ ipse vti omnibus bonis destitutus non tenebatur sicut non poterat cogi ad restitutionem doris *l. 2. & 3. ff. de sentent. pass.*

Ex quibus resultat nec esse relaxandum nouum mandatum contra D. Hectorem, & multo minus quia quatenus etiam deberentur alimenta, & posset agi contra Dominum Hectorem, tamen cum simus in alimentis præteritis agendum esset via ordinaria, quod Domini expresè reseruarunt.

Et ex his ita fuit decisum vtraque parte informante.

## FIRMANA ALTARIS.

*Veneris 31. Ianuarij 1613.*

### ARGVMENTVM.

Subrogatio gratiosa colliriganti, vr nequeat denegari ex defectu calumniosæ litis, ralis calumnia requiritur à principio litis.

### SVMMARIVM.

1 *Subrogatio gratiosa non denegatur collitiganti si lis à principio non fuit calumniosa.*

2 *Præsentatus à minori parte patronorum data nullitate præsentationis colliigantis est præferendus, & totum ius in eo consolidatur.*

3 *Patroni data ignorantia vacationis excusantur, nec inde dicitur iustificata deuolutio.*

### DECISIO XXXI.

ROTA censuit non constare de calumnia, ob quam D. Ricciotto possit

sit denegari subrogatio in locum Coriolani collitigantis, licet enim Ricciottus succubuerit in hac causa per tres senten-
1 tias conformes tamē † ad effectum, vt subrogatio possit denegari, non satis est quod in lite mora euenerit, sed requiritur, quod lis fuerit à principio calumniosa, & mota per calumniam, *Cassad.decis.5. lit. pend. & decis. 7. de dol. & contum.* Quod quidem principium huic liti per Ricciottum inten-
2 tatæ non adest, quia † cum ipse fuerit præsentatus à veris patronis, licet à minori parte tamen data nullitate præsentationis Coriolani prout ipse prætendebat ob non seruatam ipsius fundationis formam totum ius remanebat pænes ipsum, *c.dudum il primo de elect. glos. in c. 1. de iur. patron. Abb. cons.54.sub num.3. par. 1. Federic. de Senis. cons.102 circa fin. Lambertin. de iur. patron. par.3.lib.2.art.4.quæst.5.nu.2.* Vndè etiamsi in prima gratia aliqua narrauerit, quæ minus vera apparerent, non tamen ex eo sequitur litem calumniosè fuisse motam prout requiritur, vltra quod de manifesta iniustitia dictæ gratiæ ad hunc effectum, nec satis constat, quia etsi fundata sit in deuolutione, & deuolutio non fuerit iusti-
3 ficata, quia † Plebanus, & Prior excusantur ex eo quod vacationis notitiam non habuerint, *c.quanquam de elect.lib.6. c.2. de concess.præben.* potuit tamen Ricciottus probabiliter sperare illorum scientiam se facile probaturum.

Sed quicquid sit quoad iustificationem narratorum in dicta gratia cum postea fuerit obtenta gratia si neutri non potest dici lis calumniosè prosequuta, & licet fuisset decisum non fuisse iustificatam, & ex hoc capite latas sententias, tamen multa deducuntur contra decisiones quæ visa sunt tali consideratione digna, vt non solum sufficere existimauerint adhoc, vt Ricciottus non possit dici, quod substinuerit litem calumniosam, sed aliqui ex Dominis dubitauerint an possent subsistere dictæ decisiones.

Quod autem dicebatur de extinctione litis, ac de periurio Ricciotti Domini particulariter videndum esse censuerunt.

Ex his vtraque parte informante decisum fuit non posse à subrogatione gratiosa prætextu calumniæ Ricciottum repelli.

HISPALEN. QVINTORVM.

*Veneris 28. Februarij 1614.*

Argumentum ex Summario.

SVMMARIVM.

1 *Fructus lapsu triennij præsumuntur consumpti.*
2 *Fructus bona fide, etiamsi indebitè percepti non sunt restituendi nisi quis effectus fuerit locupletior.*
3 *Locupletior quis effectus non præsumitur nisi probetur.*
4 *In mala fide est percipiens fructus, quos scit ad se non spectare, & quando dicta mala fides euitetur.*
5 *Fides simplex, fidem non facit.*

DECISIO XXXII.

DOMINI dixerunt fabricam non teneri restituere quintum ratione sequestri Rotalis; Eo quia cum vt fuit decisum in hac causa coram bo: me: Penia, nec Capitulum, nec Ecclesia, nec distributores fructuum fuerint in causa, nec illis intimatum sequestrum, vnde bona fide
1 percepti fructus, † qui lapsu triennij consumpti præsumuntur *glos. & DD. in l.1.C. si aduers. vsucap. Neguz. de pign.5.membr.5.par.*
2 *in princ.nu.12.* Non † sunt restituendi, quatenus essent indebitè percepti, nisi ex eo quod fabrica fuerit effecta locupletior, *l.idem, & ibi glos. in vers. locupletior, l. si fortem, §.libertus, & ibi Soccin. num. 10. & alij ff. de condit. indeb. Bart. in l.quod indebitum*
3 *num.2. & alij ff. eod.* Quod † tamen non præsumitur, sed præcisè est probandam per partem aduersam, *Angel.cons.133. num. 2. in 4.puncto vers. sed omnia, & cons. 160. in fin.cum alijs per Menoch.de recuper.remed.15. num.186. & seq. Peregr.de fideicomm. art.49. num.116.*

Non obstat quod dicitur fabricam fuisse
4 in mala fide, quia † percepit fructus, quos scit ad eam non spectare; Nam fabrica asserit fructus ad se spectare, ex priuilegio Apostolico, & consuetudine immemorabili, quam allegare illi sufficit, dum super illa non fuit introducta lis, & ad excludendam malam fidem.

Potest etiam dici non fuisse concludenter probatū fabricam percepisse istud quintum, quod Hieronimus prætendit, quia
5 fuit producta † simplex fides, quæ fidem non facit *l. si quando C. de testib. l. Iudices C. de*

*de fide instrum. c. 2. extra de test. b. Alex. cons. 33. num. 13. lib. 6. Cephal. cons. 384. num. 21. & seqq.*

Ex quibus ità fuit decisum vtraque parte informante.

VLIXBONEN. TABERNARIORVM.

*Lunæ 10. Martij 1614.*

ARGVMENTVM.

Episcopi possunt certas leges sancire per quas Tabernarij, ac similes personæ sint prohibiti certis horis vendere humano victui necessaria.

*SVMMARIVM.*

1 *Episcopi possunt leges sancire in his quæ ad cultum diuinum spectant dummodo sacris canonibus non repugnent.*
2 *Episcopis licet adiuuando Canones addere nouam pœnam etiam pecuniariam laico sibi alias in temporalibus non subiecto.*
3 *Christiani diebus festis debent abstinere ab operibus seruilibus.*
4 *Penes Episcopum residet potestas condendi leges, quomodo dies festi seruandi sint.*
5 *Necessitas excusat ab obseruatione festi.*
6 *Regulæ limitatio est probanda.*
7 *Excommunicatio pro re leui non debet infligi.*

DECISIO XXXIII.

DOMINI censuerunt Constitutionem in Synodo Reuerendissimi Archiepiscopi Vlixbonen. editam anno 1536. qua cauetur ne Tabernarii diebus festis vsque ad finem sacræ concionis in ipsamet Ciuitate, in alijs verò locis vsque ad eleuationem Sanctissimi Sacramenti vendere humano victui necessaria sub certa pœna pecuniaria possint, esse seruandam.

Ratio præcipua huius Decisionis, fuit
1 quia † Episcopi possunt in his quæ ad cultum diuinum spectant in eorum Synodis leges, & decreta sancire dummodo sacris Canonibus non repugnent. *c. cum super his, & ibi DD. de maior. & obed. c. cum animarum de constit. in 6. Roderic. Suar. leg. c. 4.*
2 *num. 2.* Imo, † & adiuuando canones ipsis licet addere nouam pœnam *glos. in clem. ne Romani in verb. tollit. de elect. Abb. in c. cum dilectas num. 10. vers. potest tamen statuendo de consuet. Couar. de sponsal. 2. part. c. 6. numer. 17. Molin. de primogen. lib. 2. c. 16. nu. 11.* etiam pecuniariam laico sibi alias in temporalibus non subiecto *Abb. in c. licet nu. 8. de pœn. Felin. in c. irrefragabili num. 5. vers. prima conclusio de offic. ordin.*

Cum enim ex dispositione iuris Diuini
3 Sacrorumque Canonum † diebus festis Christiani abstinere debeant ab operibus seruilibus ex illo Decalogi præcepto Sabbata sanctifices *c. 1. c. licet de ferijs*, cũ multis alijs late adductis per *Couar. variar. resolut.*
4 *lib. 4. c. 19. num. 1. & 2.* certumque sit † curam seruandi festiuitates Episcopis quibus præcipua animarum cura demandata est competere, necessario sequitur penes eos potestatem condendarum constitutionum quomodo dies festi seruandi sint, residere, vt per *Nauar. in manuali c. 13. nu. 8. & 15. Siluest. in sum. in ver. Dominica q. 7.* & vnus ex Dominis similem Constitutionem stabilitam à Sancto Carolo Cardinali in tertio Synodo Prouinciali Mediolani inuiolabiliter obseruari attestatur.

Nec obstat quod à cauponibus, & Ta-
5 bernarijs dicitur † eos excusandos ex causa necessitatis ob frequentem concursum militum adnenarum, aliarumque personarum in Vrbe populo abundanti *c. fin. de ferijs S. Thom. 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 3. Nauar. in manual. c. 13. num. 6.* cum alijs adductis per informantes, nam dictis cauponibus, & Tabernarijs onus probandæ concludenter huius necessitatis de tempore quo per Constitutionem venditio interdi-
6 citur † incumbit cum eam adducant tanquam limitationem ad regulam prædictam *Dec. in l. 1. num. 7. ff. de reg. iur. Rot. diuers. decis. 22. num. 4. & 5. par. 1.*

Et hæc quidem necessitas non solum non videtur probata, sed nec etiam verisimilis respectu modici temporis, quo prohibita est venditio Esculentorum, & poculentorum; Eo enim modici temporis spatio nullum afferri potest damnum, aut præiudicium considerabile ex quo huiusmodi necessitas inducatur, quæ si adfuisset tanto tempore populo Magistratuque non reclamante hæc constitutio adhunc vsque diem constodita non fuisset, vt fuit ponderatum coram bo: me: Penia 4. Maij 1611.

Vnde Domini existimarunt ipsos Tabernarios, & caupones extremam hanc populi necessitatem tanquam fundamentũ suæ intentionis allegantes non esse audiendos cum quoad ipsos nulla necessitas adsit vendendi, hoc modico tempore imò agant de lucro, & quæstu captando, si verò populis

pulis hæc Constitutio grauis, & intollerabilis aduenis ciuibusque Vlixboneñ videbitur reclamante Magistratu, vel Plebe ratione publicæ vtilitatis tunc eorum postulationi ex rationabili causa poterit prouideri.

Quæ dicuntur circa applicationem pœne non respiciunt validitatem Constitutionis, sed illius executionem vltra quod non spectat ad Tabernarios delinquentes cui applicetur pœna pecuniaria perscrutari.

Quoad pœnam excommunicationis at-
7 tinet † quæ ità leuiter in re minima non debet infligi, vt consideratum fuit in dicta decisione coram bo: me: Penia responsum fuit cum dubium solummodo agat de validitate Constitutionis in qua nulla mentio excommunicationis, non esse præsentis inspectionis, sed vtrum possit Episcopus contra Tabernarios procedere per viam excommunicationis hoc poterit specialiter examinari.

Ex quibus vtraque parte informante ità fuit decisum.

## CALCIATEN. DECIMARIVM.

*Veneris 2. Maij 1614.*

### ARGVMENTVM.

Gratia per solam Signaturam supplicationis. Imo ex solo verbo Papæ dicitur perfecta, Et an, & quando supplicantem pœnitere possit antè expeditionem litterarum beneplaciti Apostolici.

### SVMMARIVM.

1 *Supplicationem si quis porrexit super confirmatione concordiæ post illius expeditionem non potest amplius eum penitere.*

2 *Gratia per solam Signaturam, & etiam ex solo verbo Papa dicitur perfecta etiam litteris non expeditis.*

3 *Litterarum Apostolicarum expeditio requiritur non pro gratiæ perfectione, sed solum, vt possit procedi ad executionem gratiæ.*

4 *Transactio super Decimis sine Papæ authoritate inter personas Ecclesiasticas non interdicitur itaut non sit locus pænitentiæ etiamsi supplicatio nondum signata sit.*

5 *Pænitentia numquid locus sit antè expeditionem litterarum beneplaciti Apostolici.*

6 *Declaratoria nunquam conceditur sine contumacia.*

7 *Contumacia in non parendo litteris quando non possit considerari, seu ista sit excusabilis, & num.8.*

## DECISIO XXXIV.

ROTA vtraque parte informante censuit supplicationem signatam, pro confirmatione concordiæ initæ, inter Decanum, Capitulum, & litis consortes, ac Monasterium Diuæ Mariæ della Estrella super solutione decimarum esse relaxandã, non obstante contradictione Capituli, ea
1 præcipuè ratione, quia † post obtentam confirmationem, non est locus pœnitentię, *Rot. diuers. decis.* 810. *par.* 3. *diuers.* fuitque dictum in vna *Bononien transactionis* 5. *Decembris* 1607. *coram R.P.D. meo Decano*, & alias sæpe.

Non obstat quod dicitur alias expeditas literas non fuisse, quia cum supplicatio porrecta de mandato vtriusque partis fue-
2 rit signata, † per solam signaturam, gratia fuit perfecta, solo enim verbo perficitur *c. quidam, & ibi Bart. num.* 10. *Imol. num.* 8. *de renunciat. Cassad. decis.* 1. *eod. tit. nu.* 6. *vers. sed si prius, Caput. decis.* 88. *part.* 3. *Put. dec.* 94. *nu.* 2. *lib.* 2. *Sarnen. in reg. de infirm. quæst.* 18.
3 Expeditio † enim literarum requiritur solum, vt possit ad executionem gratiæ procedi, non autem ad illius substantiam, aut perfectionem, *Rot. decis.* 87. *num.* 3. *& seq. de rescript. in antiq. Cassad. decis.* 4. *nu.* 2. *de caus. possess. Caput. decis.* 301. *num* 4. *part.* 3. & licet supplicatio ante registrationem possit per Papam lacerari, ex eo tamen, non sequitur esse locum inter partes pœnitentię, post Signaturam supplicationis si per Papam non laceretur.

Et hæc eo magis Domini admittenda censuerunt, quia agitur de concordia super decimis inter personas Ecclesiasticas,
4 quibus † nullo iure transactio, & concordia super Decimis sinè Papæ authoritate interdicitur, *c.* 2. *& ibi Abb. & DD. de transact. Rebuff. de decim. quæst.* 13. *num.* 16. 20. *&* 26. Vnde posset dici non esse locum pœnitentiæ, etiamsi supplicatio nondum esset signata *Alex. cons.* 40. *num.* 1. *lib.* 5. *Paris. cons.* 1. *nu.* 129. *& seq. lib.* 1. *Cephal. cons.* 91. *num.* 9.

Nec obstat regula de consensu, & quod latè ab informantibus pro Capitulo deducitur, antè expeditionem literarum beneplaciti Apostolici locum esse pœnitentiæ,
5 hoc † enim procedit in beneficialibus, aut in materia super qua non licet transigere

sine

sine beneplacito Sedis Apostolicæ, vt latè per *Put.decis. 343. lib. 1. in nou. impress.* & fuit decisum in dicta Bononien.

Quæ proponuntur circa nullitatem, & enormem læsionem, non respiciunt supplicationis relaxationem, neque impediunt literarum expeditionem, quin imò læsio prætensa præsupponit concordiam, quæ si ex capite nullitatis, aut læsionis rescindenda sit, hoc particulari dubio examinandum esse Domini existimarunt, præcipue quia causa nullitatis dictæ concordiæ, mihi cōmissa reperitur, semperque opponi potest de læsione, aut nullitate etiam literis expeditis.

Ex his resultat decisio secundæ partis dubij, an sit danda declaratoria contra Monasterium, ob non paritionem mandato de manutenendo relaxato ad fauorem Capitu-
6 li, † nunquam enim conceditur declaratoria sine contumacia, *Oldrad. cons. 277. Cassad.decis. 22. sub num. 2. de rescript. & dec. 12. num. 2. & seq. de pens.* & fuit sæpè decisum,
7 sed hic nulla potest considerari contumacia, dum Monasterium obtulit se paratum soluere decimas iuxtà formam concordiæ, in qua fuit renunciatum liti, ad tradita per *DD. in c. 1. de transact. Mohed. decis. 3. eod. tit.*
8 vel saltem non potest denegari, quin † concordia præbuerit legitimam causam non parendi, *Oldrad. d. cons. 277. Rot. diuers. decis. 77. num. 1. par. 1.*

Et ex his fuit decisum, relaxandam esse supplicationem, & non esse dandam declaratoriam.

VERCELLEN. VNITATIS CAPITVLI.
*Veneris 18. Aprilis 1614.*

ARGVMENTVM.

Vnitas duorum Capitulorum, itaut vnum constituatur, ex quibus probata dicatur.

*SVMMARIVM.*

1 *Vicarij deputatio vacante Sede est actus Iurisdictionalis competens Capitulo, & Canonicis Cathedralis.*
2 *Vnitas duarum Ecclesiarum colligitur ex actu apprahensionis possessionis per Episcopum in vtraque Ecclesia.*
3 *Presbyteri Diaconis, Diaconi Subdiaconis sunt preferendi licet posterius recepti.*
4 *Dignitates Ministrorum gradu, & dignitate inter se differentes in Ecclesia militante Deus esse voluit ad instar Ecclesia triumphantis prout etiam in profanis.*
5 *Ordo receptionis est seruandus inter Canonicos eius ordinis, gradus, & dignitatis.*
*Limita nisi obstet consuetudo.*

DECISIO XXXV.

PENDENTE lite in Rota coram bon: me: Penia inter Canonicos S. Eusebij, & Canonicos S. Mariæ Maioris Ciuitatis Vercellen anno 1598. fuit decisum dandum esse mandatum de manutenendo Canonicis Sanctæ Mariæ concurrenter quo ad omnes actus etiam iurisdictionales cōpetentes Canonicis S. Eusebij, verum quia remanebat difficultas indecisa quomodo, & quo ordine constitui, & ordinari deberent, cum insimul conueniunt tàm in Choro, quàm in processionibus, & alijs omnibus actibus, ideò super hoc proposito dubio pro illius decisione firmandum esse censuerunt Canonicos vtriusque Ecclesiæ cōstituere vnum corpus, vnicum Capitulum, Ecclesiam Cathedralem constituens, ex deductis, & decisis coram bo: me: Penia 12. Iunij 1598.

Plures enim actus concurrere visum est, qui dictam vnitatem necessario inferunt quorum præcipuus est Sede Episcopali vacante omnes simul concurrere in deputa-
1 tione Vicarij, † qui actus iurisdictionalis non competit nisi Capitulo, & Canonicis Cathedralis, *c. cum olim. de maior. & obed. c. vnico eod. tit. lib. 6.* cum alijs allegatis coram bo: me: Penia.

Quod autem Canonici S. Mariæ concurrant in deputatione Vicarij ex eo quia faciunt vnum, & idem Capitulum clarè legitur in deputatione facta de anno 1572.
2 Adest, & actus apprehensionis possessionis per Episcopū in vtraque Ecclesia ex traditis per *Innoc. in c. in literis num. 7. vers. credimus autem de restit. spol.*

Considerarunt etiam Domini Dignitatem Ecclesiæ S. Mariæ in omnibus actibus incedere cum dignitatibus Ecclesiæ S. Eusebii, præcedereque ipsos Canonicos S. Eusebij, nàm si quælibet Ecclesia constitueret corpus separatum, prædicta Dignitas incederet cum Canonicis S. Mariæ.

Hæc etiam vnitas probatur per Instrumentum transactionis initæ inter eosdem Canonicos vtriusque Ecclesiæ 1220. & per Bullas Innoc. Tertij, Gregor. Noni, & Vrbani

bani Quarti, in qua enunciatur in Rota fuiſſe latam Sententiam, quæ in iudicatum transierat in fauorem vnitatis Capituli, quæ omnia optimè fuerunt ponderata in decisione D. Peniæ.

Hoc præſuppoſito, & vnitate firma remanente Domini dixerunt Canonicos
3 vtriuſque Eccleſiæ debere ſimul conuenire ſeruato ordine, & gradu receptionis ſecundum conſtitutionem, *c. ſtatuimus de maior. & obed.* vt ſcilicet Præsbyteri Diaconos, Diaconi Subdiaconos, nulla habita distinctione quod aliqui reſideant in Eccleſia S. Euſebij, & alij in Eccleſia S. Mariæ, quodque prius Diaconi, vel Subdiaconi recepti fuerint, præcedere debeant, dicto *c. ſtatuimus, & ibi DD. omnes c. non oportet il 1. cap. nonnulli, cap. Diaconi ſunt 93. diſtinct.*

Sicut enim in Eccleſia triũphante Deus diuerſas, tam gradu, quam dignitate inter
4 Angelorum Hierarchias conſtituit, ita & in Eccleſia militante miniſtros gradu, & ordine, & dignitate inter ſe differentes eſſe voluit, *can. ad hac, & ibi gloſ. 89. diſt.* quam distinctionem conſtitutiones Canonicæ amplexæ ſunt, *d. cap. ſtatuimus*, & alijs iuribus allegatis, ſicut in dignitatibus prophanis idem iure ciuili ſancitum eſt, *l. vt gradatim ff. de muner. & honor. l. 1. ff. de albo ſcribend. Caſſan. in Catalog. glor. mund. par. 4. conſid. 46. verſ. 1. iuri diuino.*

5 Inter Canonicos verò eiuſdem ordinis, gradus, & dignitatis ſeruandus eſt ordo receptionis, *cap. 1. & ibi DD. de maior. & obed. Imol. in d. cap. ſtatuimus col. 1. verſ. & ſic ſi duo ſunt cum alijs relatis per Gonzal. ad reg. 8. §. 3. proœm. num. 23. & ſeqq.*

Sed quia Canonici Sancti Euſebij allegabant conſuetudinem in contrariũ, quam probaturos ſe aſſerebant, & pro parte Canonicorum S. Mariæ dicebatur d. conſuetudinem tanquam ambitioſam, & iuri repugnantem non eſſe attendendam, DD. dixerunt eſſe ſeruandum ordinem prædictum, niſi obſtet conſuetudo in contrariũ de cuius validitate, & releuantia poſtea videbitur, & pro ea dandam eſſe remiſſoriam cenſuerunt.

Et ita vtraque parte informante fuit deciſum.



## ARIMINEN. FIDEICOMMISSI.

*Veneris 2. Maij 1614.*

### ARGVMENTVM.

Conditio ſi ſine filijs licet regulariter compræhendat tàm maſculos, quàm fœminas, attamen quandoque ab hac regula receditur ob contrariam voluntatem Teſtatoris, & ex quibus de iſta conſtare dicatur.

### SVMMARIVM.

1 *Conditio, ſi ſine filijs, regulariter in vltimis voluntatibus comprahendit etiam fæminas.*
2 *Ab hac concluſione ſæpius Rota receſſit ex coniecturis.*
3 *Teſtatoris mens debet attendi vt lex ſuprema, & elicitur ex coniecturis.*
4 *Coniectura excluſionis fæminarum eſt ſi in vna parte teſtamenti ſint excluſæ.*
5 *Item ſi in vlteriori ſubſtitutione fuerint vocati maſculi.*
6 *Item ex qualitate maſculinitatis ſæpiùs repetita.*
7 *Teſtamenti totus tenor ſpectandus eſt, & ex antecedentibus, & conſequentibus, perpetuaque eius continentia mens Teſtatoris elicitur.*
8 *Conditio impoſita legatario videtur etiam repetita ſubſtituto.*
9 *Agnationi voluiſſe conſulere Teſtatorem colligitur ex qualitate maſculinitatis ſæpius repetita, & ex excluſione propriarum filiarum.*
10 *Agnationis conſeruandæ vbi fuit habita ratio ſub nomine filiorum non venire fæminas Rota cenſet, & ita conciliantur deciſiones contrariæ.*
11 *Filij in conditione poſiti cenſentur vocati ex coniecturis.*
12 *Filiorum appellatione non continentur nepotes.*
13 *Limita ſi aliud ſuadeat præſumpta mens Teſtatoris.*
14 *Iudicis arbitrio remittuntur coniecturæ voluntatis cum quaſi quæſtio facti ſit.*
15 *Iudex non debet eſſe contentus vna coniectura ne pernicioſiſſimè erret.*
16 *Sub nomine cartarum videntur legati etiam libri concurrentibus tamen tribui coniecturis.*

DE-

DECISIO XXXVI.

ORTA lite inter Dominicum,& Thomam pronepotes ex Antonio filio Masini Testatoris, ac Clementiam,& Gaudentiam neptes ex Balthassare filio eiusdem Masini super fideicommisso, quod prætendebatur purificatum ad fauorem dictorum pronepotum per mortem Balthassaris sine filijs masculis, proposito per me dubio, super hoc, DD. locum factum fuisse fideicommisso censuerunt. Et quia difficultas consistebat, an in substitutione, de qua agitur, his verbis concepta: *Et si quis dictorũ suorum filiorum decesserit sine filijs legitimis, & naturalibus, partem præmorientis deuenire voluit*, conditio, *si sine fi-*
1 *lijs*, intelligenda sit de filijs masculis, an verò compræhendat etiam fæminas, Domini in illam ierunt sententiam, fæminas in hoc casu non compræhendi, licet enim
2 regulariter in vltimis voluntatibus sub nomine filiorum fæminæ contineantur, *l. si quis ita ff. de testam. tut. l. ita scriptum, ff. de leg. 2. & constat ex cumulatis per Illustrissimum Mant. de coniect. vlt. volun. lib. 11. tit. 14. num. 2. & seqq. & ex deductis in vna Camerinen. fideicommissi coram Illustris. Seraphino, quæ est 880. par. 1.* Tamen ex coniecturis à prædicta conclusione sæpius Rota recessit, & in specie in vna *Camerinen. hæreditatis 29. Iunij 1592. coram bon. mem. Cardinali Blanchetto, & in Nucerina fideicommissi 16. Ianuar. 1595. & die 24. Nouembris eodem anno coram D. Card. Mant.* quas ipse refert loco allegato.

Hæc opinio maxima ratione fulcitur,
3 quia in testamentis, & fideicommissis voluntas Testatoris, vt suprema lex, debet attendi, *l. in conditionibus in princ. ff. de condit. & demonstr. l. fideicommissa, §. item si quis in fin. de leg. 3. l. cum quæstio, in fin. C. de legat.* quæ quidem voluntas post mortem Testatoris necessario ex coniecturis elicienda est, *leg. licet Imperator, & ibi Bart. num. 10. de leg. 1. l. cum proponebatur l. Titia la prima, §. vlt. ff. de leg. 2. l. si quis locuples, ff. de manumiss. testam. l. cum virum, C. de fideicomm.*

Plures verò hoc casu coniecturę contra fœminas concurrunt, quarum potissima deducitur ex vltima substitutione facta, si omnes filij Testatoris decesserint sine filijs
4 masculis, in qua, dum expresse excluduntur fœminæ, ad fauorem substitutorum, idem dicendum est in hac, cum aliqua diuersitatis ratio minimè possit assignari, vt post Dec. quem refert distinguit, *Soc. iun. cons. 158. num. 48. vol. 2. Pancirol. qui alios cumulat cons. 91. n. 18. Rimin. iun. cons. 191. num. 299. Surd. cons. 564. num. 7. lib. 4. Illustriss. Mant. de coniect. lib. 6. tit. 13. num. 8. Peregr. art. 25. num. 32.*

5 Imò maior ratio in hoc Testamento cõsiderari potest, in vltima scilicet substitutione, vocatos fuisse minus dilectos, & in hac filios ipsius Testatoris, *Dec. cons. 15. num. 2. vers. modo sic, Paris. cons. 53. num. 27. lib. 3. Socc. iun. cons. 10. num. 17. lib. 2. Surd. cons. 447. num. 25.*

Vehemens etiam coniectura vrget, voluisse Testatorem inuitare nepotes prærogatiua sexus, filiabus, & neptibus exclusis,
6 quia adiecit filijs in cõditione positis hanc qualitatem masculinitatis toties repetitam quæ affectionis cuiusdam præcipuæ, & enixæ erga masculos praeclarum argumentum est, *Cephal. cons. 251. num. 77. Molin. de primogen. lib. 3. cap. 5. num. 56. Decian. cons. 44. num. 14. & 15. lib. 3. Surd. cons. 369. num. 17.* Si enim totius Testamenti verba in principio, medio, & in fine examinentur, id egisse Testatorem multis gradibus, vt bona obuenirent maribus, non fœminis, ap-
7 parebit, spectandus enim totus Testamenti tenor, vt videri possit Testatoris voluntas, mares fœminis anteponendi; indubitati scilicet iuris est, non ex vno versu testamenti ius dici oportere, sed ex antecedentibus, & consequentibus, perpetuaq; continentia testamenti, & scriptura in omnibus eius partibus cõsiderata, atq; perpẽsa, *Ang. in l. si seruus plurium, §. fin. & ibi Ias. n. 3. in fin. de leg. 3. latè Cardin. Mantic. de coniect. lib. 6. tit. 13. nu. 3. & seqq. & clarè Surd. d. cons. 564. num. 6. & seqq.* vbi ait nos potius versari in declaratione verbi, quam in repetitione qualitatis, tanto magis, quia non sumus in oratione loquente de alijs personis, sed de eisdem *Rub. Alex. cons. 71. num. 6. Illustriss. Mantic. qui plures cumulat d. lib. 6. tit. 13. num. 9. vers. sed quando, Menoch. cons. 95. num. 83. & præsumpt. 84. n. 7. lib. 4. Surd. d. cons. 564. num. 7. vers. & vbi hæc sententia.*

Ex quibus coniecturis qualitas masculinitatis licet in hac testamenti particula omissa censetur repetita, vt ex simili coniectura conditio imposita legatario instituto, videtur etiam repetita substituto, *l. cum pater §. ab intestato de leg. 2.* Sicut posita conditio in institutione videtur repetita in

ta in legato, *l. vltima*, *§. vltimo ff. de dol. except. l. cum ſeruus ff. de condit. inst.* & poſita in legato, cenſetur repetita in tranſlatione legati, *l. legatum ſub conditione, ff. de condit. & demonſtr.* Voluntas ſiquidem Teſtatoris colligitur, crediturque eam rationem voluiſſe ſeruari, ſequentibus gradibus, quam primo filiorum ſuorum præfiniuit, ſicut ex præcedenti ſcriptura ſubſtitutionis definitur in *d. l. cum proponebatur ff. de legat. 2.* vt quo iure in ea fuerint hæredes ſcripti, eodem etiam ſint in ſequenti fideicommiſſo inſtituti, *l. ſi plures ff. de vulg. ſubſtit.*

Conſiderarunt etiam Domini ſepties in dicto teſtamento repetitam qualita-
9 tem maſculinitatis, nec alium poſſe colligi Teſtatoris ſenſum, niſi vt agnationi ſuæ conſulere voluerit, *Peregr. d. art. 25. num. 47. Molin. de primogen. lib. 1. cap. 5. n. 35 Decian. reſp. 31. num. 96. & 99. lib. 1. & fuit dictum in vna Bononien. fideicomm. de Pannolinis vener. 10. Decembr. 1610. coram Reuerendiſſ. D. Lugdunen.* Quod eo magis confirmatur, quia non ſolum excluſit propriã filiam, donec adeſſent maſculi ex deſcendentibus à Teſtatore; ſed etiam expreſsè excluſit neptes à portione relicta vxori, *Cephal. conſ. 137. numer. 12. Surd. conſ. 316. num. 9. Illuſtriſſ. Mantic. lib. 11. tit. 14. n. 20.*
10 *verſ. præterea poteſt dici*. Vbi autem fuit habita ratio conſeruandæ agnationis Teſtatorem ſub nomine filiorum non vocaſſe fœminas, Rota ſemper cenſuit, & ita conciliandas eſſe deciſiones in hac materia diuerſas, & repugnantes fuit dictum *in vna Nucerina, & in Fulginaten. fideicommiſſi 22. Martij 1599. coram Illuſtriſſimo Lancellotto*.
11 Ex quibus coniecturis ſimul iunctis reſultat etiam Thomam, & Dominicum fuiſſe vocatos, licet reperiantur in conditione poſiti, *Decian. conſ. 31. num. 128. lib. 1. conſ. 28. num. 10. lib. 2. Hond. conſ. 61. nu. 28. lib. 1. Card. Mant. de coniect. lib. 11. tit. 2. num. 19. Menoch. præſumpt. 76. num. 14. lib. 4. Ciriac. conſult. 35.* Maximè quia reperiuntur expreſsè vocati ad portionem relictam auiæ, vxori Teſtatoris, *Gerard. Mazzol. conſ. 2. n. 40. verſ. ſed in caſu isto cum alijs per Surd. conſ. 539. numer. 7. lib. 4. Menoch. conſ. 135. num. 7. Iaſ. conſ. 108. num. 19. verſ non quoque obſtat lib. 4.* quod in pluribus cauſis Rota ſequuta eſt, vt inter *diuerſ. deciſ. 322. num. 5. par. 1. in Spoletana Terrarum 21. Iunij coram D. Card. Mellino in Vrbeuetana fideicommiſſi 10. Decembris 1607. coram R. P. D. meo Decano*, & in alijs.

Nec obſtat maximum Clementi, & Gaudentiæ fundamentum fuiſſe ſolum in
12 conditione poſitos filios, quorum appellatione non continentur nepotes, *l. 6. ff. de teſtam. tutel.* Teſtatores enim leges ipſas imitantur, quæ liberorum appellatione vtuntur, quoties quid vniuerſo generi præſtitum volunt, filiorum quoties filijs ſolis, nepotum quoties nepotibus ſolis, *l. liberorum §. 1 ff. de verb. ſignif.* & ex multis rationibus, & auctoritatibus optimè, & fuſiſſimè ponderatis, fuit deciſum in vna *Ariminen. fideicommiſſi vlt. Iauarij 1614. coram R. P. D. meo Veroſpio*, quibus conſultatio *Cuiac 42.* in terminis addi poteſt.
13 Reſpondetur enim ſæpius etiam cum aliud ſuadet præſumpta mens Teſtatoris, vel interpretatio iuſta, in iure ſub nomine filiorum nepotes comprehendi, vt in *l. Senatusconſulto de ritu nupt. l. iuſta ff. de verb. ſignif. l. penult. C. ad Macedon.* Deciſio autem ſupradicta in propoſita facti ſpecie optimè ſubſiſtit, ſed huic noſtro caſui applicari non poteſt, in quo vrgent tot coniecturæ, ſepties ſcilicet repetita qualitas maſculinitatis, in omnibus teſtamenti partibus expreſſa excluſio neptum, in prima ſubſtitutione portionis relictæ vxori, & in vltima facta omnibus filijs Teſtatoris, conſeruandæ agnationis mens, & conſilium, quæ in dicta deciſione non concurrebant; Et licet ſeperatæ non ſufficerent ad hoc, vt à regulis iuris, & recepta verborum interpretatione, & proprietate recedatur, omnes tamen ſimul iunctas ſufficere Domini iudicarunt, prout accipiendæ ſunt in interpretanda Teſtatoris voluntate, cum
14 enim coniecturæ voluntatis, quaſi quæſtio facti ſit, in æſtimatione Iudicis ponenda eſt, *l. voluntatis C. de fideicomm. l. ex verbis*
15 *de donat. int. vir. & vxor.* qui non vna tantum contentus eſſe debet, ſed plures concurrere neceſſe eſt antequam quidquã ex eis conſtituere rectè poſſit, ne ſub poteſtate iuriſdictionis, vel ſpecie quoque prima oblata voluntatis erret pernicioſiſſimè, vt eleganter obſeruat *Cuiac. conſult. 35. vbi id probat auctoritate Vlpiani in l. libro-*
16 *rum §. quod tamen, ff. de leg. 3.* qui ſub chartarum nomine libros legatos videri, tribus concludit argumentis, quod dixerit Teſtator chartas vniuerſas, quod nullas alias chartas, quam libros habuerit, quod ſtudioſus ſtudioſo ita legauerit, ac ſimiliter in *l. prædia, §. balneas eod. tit.* non ex vna,

D ſed

sed ex pluribus coniecturis colligitur legato domus balneas contineri, & ita in hoc casu licet regulariter sub nomine filiorum nepotes non comprahendantur, tamen ex tot simul vrgētibus coniecturis, in hoc Testamento censeri comprēhensos fuit firmatum, cùm enim variæ sunt præsumptiones, variè etiam ex Testatoris voluntate solet responderi, iuxta *l. nonnunquam, ff. ad Trebell. Illustrisf. Mantic. dicto lib. 14. tit. 11. num. 23. & 24.*

Ex quibus simul iunctis, vtraque parte informante, existimauerunt Domini constare de purificatione fideicommissi ad fauorem Dominici, & litis consortium.

## OVETEN. BENEFICII.

*Lunæ 28. Aprilis 1614.*

Argumentum ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Impediens se citari habetur pro citato, & ad hunc effectum sufficit præsumptio quæ oritur ex interesse.*

2 *Declaratoria non conceditur non seruatis quatuor terminis seruari solitis.*

3 *Impedimenti præsumptio remanet turbida, & incerta, si plures sint, qui habent interesse.*

4 *Impedimenta sunt plenè probanda ad effectum concedendæ declaratoriæ.*

5 *Valor beneficij expressus per non excessum non includit ascensum.*

## DECISIO XXXVII.

DOMINI in vtraque parte dubij, respondendum esse contra informantem censuerunt, non enim visum fuit concedi posse declaratoriam contra Andream Brada prætensum intrusum, quia licet pro-
1 pter impedimenta, quis procitato habeatur, & ad hunc effectum, sufficiat præsumptio, quæ oritur ex interesse, impedimentum scilicet præstitum fuisse, per Iudices laicos, & instante eo, cuius intererat, *c. quoniam frequenter, §. porrò, & ibi scribentes vt lite non contestata, fuitque decisum coram Illustrissimo Seraphino 14. Nouembris 1594. in vna Cartaginen. probationis, & postea coram Reuerendiss. Damasceno 27. Octob. 1606.*
2 Tamen non constat de intrusione d. Andreæ in hoc beneficio, & contra ipsum seruatos fuisse quatuor terminos seruari solitos iuxta *decis. Mohed. 1. de sent. ex communic.*

Quin imò, constat ex relatis in facto, plures alios in hac causa interesse habuis-
3 se, quo casu interuentus pluriū elidit quodammodo præsumptionem, remanetque turbida, & incerta, vt fuit dictum in causa *Pampilonen. Prioratus 1603. coram Reuerendiss. D. Bononien. & alias sæpè.*
4 Vnde visum fuit ad effectum cōcedendæ declaratoriæ, impedimenta plenè esse probanda, facta fuisse per eum, contra quem petitur declaratoria, tuncque non sufficit supradicta præsumptio, vt pluries distinxit Rota, & in specie nuper in vna *Ianuen. census 17. Iunij coram R. P. D. Pirouano.*

Quo verò ad secundam partem dubij, existimarunt Domini non esse relaxandum mandatum executiuum pro fructibus, quia non exhibentur articuli, quos in Signatura Sanctissimi habitos fuisse pro verificatis asserunt informantes, deinde vehemens vrget coniectura, dictos articulos emanasse ad iustificandum valorem beneficij, qui
5 solet exprimi per non excessum, & ideò non concludunt iustū valorem, per ascensum ad ducatos 40. prout prætenditur, vt firmatur *in decis. Seraphini 1017. numer. 5. & postea fuit dictum in Aretina pensionis 28. Maij 1606. coram Illustrisf. Mellino.*

Ex quibus ita fuit decisum.

## VRBEVETANA BONORVM.

*Veneris 9. Maij 1614.*

ARGVMENTVM.

Statutum Vrbis requirens certas solemnitates in contractu minorum habet locum in quocumque contractu læsiuo etiam per indirectum.

*SVMMARIVM.*

1 *Contractus nullitas ex defectu solemnitatum statuti Vrbis habet locum in quocumque contractu læsiuo etiam per indirectum.*

2 *Aetas minor probatur ex libro Parochi.*

3 *Minor est prohibitus contrahere etiam si deficiant soli tres menses, vt efficiatur maior.*

4 *Minoris ætas ad effectum nullitatis contractus de iure respicitur de momento ad momentum.*

DE-

## DECISIO XXXVIII.

CVM à ſententia extra Rotam lata, daretur appellatio, Domini circumſcripta executione, quæ pro Dominis Mareſcottis anno præterito prætendebatur, dixerunt dictam ſententiam eſse confirmandam, tanquam iuſtam, fuit enim lata ſuper reſciſſione contractus concordiæ initæ à dd. DD. Sfortia, & Galeatio, in minori ætate conſtitutis, non ſeruatis ſolemnitatibus ſtatuti Vrbis, cap. 113. & 151.
1 lib. 1. de contractibus minorum, quæ quidem nullitas locum habet in quocumque contractu læſiuo, etiam per indirectum, *Put. deciſ. 162. num. 2. lib. 1. Creſcen. deciſ. 3. de conſtit.*

Probatur minor ætas Sfortiæ, ex fide authentica Parochi, cuius ſcriptura recognita fuit, per duos teſtes iuxta ſtylum Cu-
2 riæ, ex qua natiuitatis elicitur concludens probatio, *arg. l. 2. in princ. ff. de excuſat. tutor. Crauet. de antiq. temp. par. 1. §. vidimus & aliunde num. 34. Mandoſ. in reg. 18. q. 10. num. 3. & ſeqq.*

Qua fide ſtante, Domini non dubitarunt clarè conſtare de minori ætate d. D. Sfortiæ; ipſe enim ſacro baptiſmatis fonte ſuſceptus eſt die 17. Septembris 1589. & inſtrumentum concordiæ, de cuius validitate agitur, celebratum fuit, die 26. Iu-
3 nij 1609. ſicq; deficiunt circiter tres menſes, adhoc vt vigore ſtatuti Vrbis, dictus D. Sfortia maior habeatur, intratq; diſpoſitio dicti ſtatuti, irritans minorum obligationes factas, ſine præſcriptis ſolemnitati-
4 bus, minoris enim ætas reſpicitur de iure ad hunc effectum, de momento ad momentum, per textum expreſsum in *l. 3. §. minores ff. de minor. facit l. in vſucap. ff. de diuerſ. & temp.*

Quo verò ad Galeatium, nō aderat difficultas, quia ipſe minor ætate eſt Sfortia fratre primogenito, & partes ipſæ in inſtrumento enunciant ipſum eſse minorem.

Ex quibus vna tantum parte informante ita fuit deciſum.

## MACERATEN. CENSVS.

*Mercurij 14. Maij 1614.*

### ARGVMENTVM.

Valet contractus mulieris ad ipſius vtilitatem etiam nullis adhibitis ſolemnitatibus ſtatutarijs, & quid ſi in huiuſmodi contractibus fuerint adhibiti conſanguinei remotiores non vocatis proximioribus.

### SVMMARIVM.

1 *Obligatio Cameralis eſt exequenda quando conſtat de legitimo mandato comparentis, ac de legitimis citationibus.*
2 *Deceptis, & non decipientibus iura ſuccurrunt.*
3 *Minor in bono captando ſe aſſerens maiorem non poteſt poſtea implorare beneficium reſtitutionis in integrum.*
4 *Mulier ad ſui fauorem, ac vtilitatem poteſt valide contrahere etiam ſine ſolemnitatibus ſtatutarijs.*

## DECISIO XXXIX.

DOMINI vna tantum parte informante dixerunt, ſententiam latam ab A. C. tanquam validam, & iuſtam eſse confirmandam, proceſſit enim in executione ob-
1 ligationis Cameralis, vigore facultatum, & ex reuolutione actorum, de mandatis procuræ comparentium, ac de legitimis citationibus conſtat, vt fuit dictum in *Mediolanen. Iuriſpatronatus 22. Iunij 1609. coram Reuerendiſſimo Lugdunen, & alias ſæpè.*

De iuſtitia verò dictæ ſententiæ conſtat, quia Iudex mandauit exequi inſtrumentum, in quo mulier cum decreto Iudicis, & conſenſu proximiorum cum iuramento contraxerat, ſeruatis ſolemnitatibus ſtatutarijs.

Nec potuit retardari executio d. Inſtrumenti iuriſiurandi religione vallati, ſub prætextu quod alij proximiores parentes, in loco contractus adeſſent, quia ipſamet dolosè cum iuramento aſſeruerat, nullos alios proximiores conſanguineos adeſſe,
2 ſicque aduerſus dolum proprium non eſt audienda, *Caſtr. conſ. 53. num. 3. par. 2. Ruin. l. 1. §. nunciatio. num. 211. ff. de nou. oper. nunciat.* cum multis allegatis per *Odd. de reſtit. in integr. q. 83. art. 3. num. 12. & 18.*
3 Sicuti dicitur de minore, cum agitur de lucro captando, cum ſe maiorem eſſe iurauit, tunc non poteſt beneficium reſtitutionis in integrum implorare, *l. ſi alterius, §. ſi tamen, C. ſi min. ſe maio. dix. Seraph. priuil. 83. num. 50. d. Odd. loc. cit.* Deceptis enim, & non decipientibus iura ſubueniunt, *l. 2. §. verba ff. ad Senat. conſ. Vel. l. ſi is, qui mi-*

*norem, C. si min. se ma.o. dix. cap. cum vniuersorum de rer. permut.*

In quam sententiam, eo lubentius Do-
4 mini iuerunt, quia mulier in euidentissimam vtilitatem contraxit, cum enim esset obligata ad solutionem census annui, qui soluebatur ad rationem decem pro centenario, ad quem extinguendum pecunias accepit, censumq; constituit ad rationem scutorum octo pro centenario, vnde cum ipsa dotem, seu patrimonium non distraxerit, infertur etiam non seruatis solemnitatibus statuti potuisse licitè, & validè contrahere, *Soc. cons. 80. num. 12. vol. 4. Tiraq. de legi. connub. in verbo de son mariage glos. 8. num. 62. per l. cum hi, §. eam transactionem, ff. de transact.*

Ex quibus pro confirmatione sententiæ A.C. fuit capta resolutio.

## CIVITATIS CASTELLI BONORVM.

*Mercurij 21. May 1614.*

### A R G V M E N T V M.

Inuestituræ renouationi non est locus, quando Ecclesia vult retinere pro se, & quando inuestitura non suffragetur illegitimis.

### *S V M M A R I V M.*

1 *Emphyteusis finito tempore concessionis deoluitur.*
2 *Concessum ad tempus post illud censetur denegatum.*
3 *Emphyteusi Ecclesiastica finita non potest Ecclesia cogi ad faciendam alteri inuestituram, si vult pro se bona retinere.*
4 *Dictio*, tantum, *est taxatiua, & exclusiua.*
5 *Emphyteusis renouatione non eget, qui est comprahensus in prioribus inuestituris.*
6 *Emphyteusis concessio non suffragatur illegitimo si concedens non habuerit notitiam illegitimitatis.*
7 *Et in dubio non videtur de illegitimis sensisse.*
8 *Testes de auditu non probant sufficienter.*
9 *Testes examinati parte non citata nullum faciunt probationis genus.*

### D E C I S I O XL.

DOMINI dixerunt Reuerendissimum D. Episcopum Ciuitatis Castelli iure denegasse renouationem inuestituræ petitæ per D. Miliorutium, nam cum per
1 mortem D. Dionoræ ad cuius vitam fuit facta concessio bona in emphyteusim data ad mensam Episcopalem sint deuoluenda, *§. emphyteusim auth. de non alien. reb. Eccles. Corbul. de caus. priuat. ob finit. semp. & de caus. priuat. ob finit. lin. in princip. Cephal. cons. 345. num. 12. & seq. lib. 3. fuit dictum in Cæsenaten. bonorum 14. Martij 1601. coram Reuerendiss. Lugdunen.* Quia conces-
2 sum ad tempus post illud censetur denegatum, *l. Imperator ff. de postul. statu liber. §. Stichum ff. de leg. 2. Surd. decis. 189. num. 9.*
3 *& DD. supra allegat.* Non potest cogi D. Episcopus ad faciendam alteri inuestituram, dum vult pro se bona retinere, *Abb. in cap. bona il 2. num. 28. de postul. prælat. Curt. sen. cons. 47. num. 10. Gozzad. cons. 39. num. 18. vers. non obstat, & vers. 3. Clar. in §. emphyteusim quæst. 42. vers. 3. modo Caputaq. decis. 303. & 304. par. 1. & fuit dictum in Rauennaten. bonorum 20. Nouembr. 1587. coram bon. mem. Card. Mantic. & in alia Rauennaten. bonorum 20. Nouembris 1597. coram bon. mem. Card. Pamphilio*; & multo minus quando cõcessio fuit facta ad vitam D. Dionoræ cum taxatiua illa, *tantum*, quæ
4 excludit omnes alias personas, quæ non reperiuntur inclusæ, *l. 1. vbi Bart. ff. si quis ius dicen. non obtemp. l. non solum, §. tale, ff. liber. leg. l. 3. §. cum titia, ff. de adim. leg. Soccin. cons. 198. num. 1. lib. 2. Curt. iun. consil. 12. num. 4. Surd. cons. 403. num. 63. & consil. 572. num. 46.* Maximè quia bis fuit facta concessio cum dicta dictione, *tantum*, ad vitam Dionoræ, ad *l. Balista ff. ad Trebell. Purpur. cons. 118. num. 25. Cephal. cons. 158. num. 41. Vincen. de Franch. decis. 123. nu. 5. vers. etsi rem vellet pro se retinere, Cald. de iur. emphyt. lib. 1. quæst. 8. num. 9. vers. hac autem, & q. 11. num. 15. vers. hac quæstio*; iuncta præsertim promissione dicta bona liberè dimittendi, & relaxandi mortua Dionora, *glos. in Clem. Dudum, in verb. liberè de sepult. Anchar. cons. 408. in fin. Crauett. cons. 122. num. 5. Gozzad. cons. 91. n. 21. vol. 1. ex Alex. in l. si mihi, & Titio, n. 19. ff. de verb. oblig.*

Quo verò ad Dionoram quę pariter vna cum Miliorutio petijt renouationem Do-
5 mini dixerunt illam non egere aliqua noua inuestitura cum sit compræhensa in prioribus.

Nec obstare visum fuit Dionoræ tanquam illegitimæ dictam concessionem minimè suffragari, ex eo, quod D. Episcopus non

6 non habuit notitiam illegitimitatis, prout requiritur, vt illegitimus acquirat ius ex inueſtitura, vt fuit dictum in *Ariminen. bonorum 4. Aprilis 1579. coram Robuſterio, Illuſtriſſ. Mant. de tacit. & ambig. conuent. lib. 22. tit. 10. num. 11.* quę notitia hoc caſu nō poterat præſumi dum inueſtitura fuit facta à Procuratore habente mandatum ad re-
7 nouandum, in caſibus tamen licitis, † & in dubio de illegitimis Epiſcopus non videtur ſenſiſſe, *Bald. in cap. quæ in Eccleſiarum num. 42. de conſtit. Card. Mant. loc. allegat. 10.* nam fuit reſponſum illigitimitatem non
8 fuiſſe ſufficienter probatam, cum † teſtes deponant tantum de auditu, *c. licet cauſam*
9 *de probat.* Vltra quod † nec fuerunt examinati citata parte, quo caſu nullum faciunt probationis genus, vt fuit ſæpe deciſum.

Et ex his fuit dictum D. Epiſcopum nō teneri renouare, & inueſtire DD. Dianoram, & Antonium Miliorutium.

## SALERNITANA CONTRIBVTIONIS.

*Lunæ 12. Maii 1614.*

### ARGVMENTVM.

Appellatio interponi debet coram Iudice, & non coram Notario; Reſtitutio in integrum non impedit executionem rei iudicatæ acceptatæ à parte, & de qua notoriè conſtat in actis.

### SVMMARIVM.

1 *Appellatio de iure eſt interponenda coram Iudice non coram Notario.*
2 *Notarius quilibet ex ſtylo Curiæ in abſentia Notarii cauſæ poteſt rogari de appellatione coram Iudice ad referendum eidem cauſæ Notario.*
3 *Iuſtitia ſententiæ Rotalis depromitur ex deciſione cauſæ.*
4 *Reſtitutio in integrum non impedit executionem rei indicatæ, de qua notoriè conſtat in actis, & num. 5.*

### DECISIO XLI.

Domini cenſuerunt conſtare de re iudicata, quæ ſit exequenda cum à ſententia lata in Rota non fuerit intra legitimum tempus appellatum, & ita tranſitum fecit in iudicatum; nec poteſt dici appellatum fuiſse, licet procurator Monialium cedulam appellationis vltima die termini in manibus Notarij dicatur dimi-
1 ſiſſe, † debuit enim appellare coram Iudice, & non coram Notario, prout de iure requiritur, *cap. vt debitus de appell. eod. tit. lib. 6. Veſtr. in prax. cap. 3. num. 17. & 57. lib. 7.*

Nec excuſationes allegatæ à dicto procuratore Monialium viſæ ſunt Dominis releuantes cum notoriè ſit liber acceſſus ad Iudices, quorum benignitas, & facilitas
2 omnibus informantibus aditum præbet † & ex ſtylo Curiæ, quilibet in abſentia Notarij cauſæ, potuit rogari de d. appellatione ad referendum.

3 De iuſtitia verò ſententiæ, † ſtante deciſione corā R. P. D. mco Vbaldo facta DD.
4 non dubitarunt. Et † licet cauſa reſtitutionis mihi commiſſa reperiatur propterea executio non poteſt impediri, quia conſtat ex reuolutione actorū, & ex proceſſu fuiſſe acceptatam pro parte Abbatis, & Monachorum rem iudicatam die 26. Aprilis anni 1613. fuit præfixus terminus Monialibus ad docendum de appellatione, eiuſque legitima proſecutione ad effectum executionis ſententię cum intimatione, deinde die 22. eiuſdem menſis, & 10. Maij ſequentis citatus fuit d. procurator Monialium, ad taxationem expenſarum, & relaxationem mandati, ſeù litterarum executorialium tam pro ſuo, quàm pro omnibus contentis in d. ſententia.

Quo poſito fundamento non retardatur
5 executio † petita per commiſſionem reſtitutionis in integrum, *Caſtr. in auth. quæ ſupplicatio num. 3. verſ. vel dic melius, C. de precib. Imp. in l. 4. §. condemnatum, num. 30. verſ. aliquando petitur reſtitutio. ff. de re iudicata, Put. deciſ. 285. lib. 2. Rota diuerſ. deciſ. 346. num. 6. par. 1. fuit dictum in Bonon. de Ballis 19. Martij 1607. coram Reuerendiſſ. D. Lugdunen. & latiſſimè, ac doctiſſimè coram R. P. D. mco Pamphilio, in Ferrarien. bonorum 26. Iunij 1613.*

Ex his vna tantum parte informante (cum procurator Monialium ſæpe citatus informare neglexerit) ita fuit deciſum.

## ROMANA CASALIS.

*Veneris 23. Maii 1614.*

### ARGVMENTVM.

Bona ſtabilia minorum non poſſunt validè alienari niſi ex cauſa neceſſaria, ſeu in caſu vrgentis, & imminentis æris alieni.

*SVMMARIVM.*

1 *Alienari non possunt bona stabilia minorum nisi ex causa necessaria, aut in casu vrgentis, & imminentis æris alieni, & num. 3.*
2 *Census sunt perpetui, nec potest emptor cogi ad sortem principalem restituendam.*
4 *Creditore non consentiente non potest debitor verus alium debitorem loco sui ponere.*
5 *Alienatio bonorum minoris debet fieri de minus damnosis.*
6 *Alienatio bonorum minoris præsumitur fraudulenta, si cōstat de interesse proximiorū, qui interfuerūt contractui, vel de nō debito n. 7.*

## DECISIO XLII.

ROTA censuit constare de nullitate contractus alienationis Casalis factæ per D. Modestā matrem, & tutricem filiorum q. D. Agabiti de Magistris, & Brigidam filiam d. Agabiti, ea ratione, quia bo-
1 na † stabilia minorum non possunt vendi, aut alienari, nisi ex causa necessaria, aut in casu vrgentis, & imminentis æris alieni, *l. ob æs. C. de præd. minor. Gabr. cons. 36. n. 44. lib. 1. Hond. cons. 23. num. 26. & seqq.* & fuit multoties in Rota decisum, & in specie nuper *coram Reuerendissimo D. meo Damasceno, in vna Romana Domorum de S. Cruce 30. Martii 1607.*

Nec visum fuit Dominis necessitatem vrgentem adfuisse in hoc casu, siue ratio habeatur dotis promissæ Brigidæ, seu debitorum hæreditatis d. Agabiti, quia dos ex pactis dotalibus marito Brigidæ non erat soluenda nisi post triennium, deinde cum maritus postea dictam dotem reinuestiuerit pro eius assecuratione, vtilius erat Brigidæ minori Casale tanquam paternum & auitum prædictum retinere, quam in re incognita pecunias in dote promissa reinuestire.

Quo vero ad alia debita quæ loco pretij emptor in se suscepit soluenda minus
2 vrgebant, quia iuxta Cōstitutionem sa. me. Pij V. census sunt perpetui, nec potest emptor cogi ad sortem principalem restituen-
3 dam, † pro validitate verò alienationis bonorum stabilium non sufficit adesse æs alienum, nisi creditores instent, itaut satisfactio differri non possit, *l. magis puto, §. non passim, ff. de reb. minor. Menoch. de arbitr. cas. 171. num. 5. & seqq. & fuit dictum in Foroliuien. rescissionis contractus 19. Decembris 1603. coram bo. me. Illustriss. Cardinali Pamphilio,* in qua decisione ponderatur
4 accollationem factam per Emptorem absque interuentu creditorum minorem non liberasse à debitis, & tamen proprijs bonis reperiri spoliatum quod fuisse ipsi damnosum negari non potest.

Et quod plus est considerabant Domini ipsummet emptorem expressè cauisse ne debita accollata nisi ad beneplacitum suū soluere, censusque redimere teneretur,
5 quibus accedit † Tutricem debuisse potius alia bona minoris, quæ aderant in hæreditate adnotata in inuentario alienare *Rolan. consil. 33. num. 7. lib. 1. Simoncell. de decret. lib. 1. tit. 1. nu. 49. Menoch. de arbitr. cas. 171. num. 20.*

In quam sententiam eo lubentius ierunt Domini, quia constat de notabili interesse eorum, qui vt proximiores parentes huic contractui venditionis interfuerunt, tum
6 etiam, quia † maxima oritur suspicio fraudatam fuisse minorem, ex quo mater filio vnico prædilecto quem ex altero marito susceperat dictum Casale filiæ suæ minoris hæreditarium nimis præcipitanter vendidit.
7 Addebant, & Domini multa † debita, quorum prætextu venditum fuit Casale, non fuisse vera, & legitima, aut saltem liquida à quibus minores si defensi fuissent facilè se potuissent liberare, vltra quod ex locationibus præcedentibus, & subsequentibus dictam venditionem satis apparet de vilitate pretij pro quo fuit d. Casale venditum.

Ex quibus simul iunctis vna tantum parte informante pro nullitate dicti contractus responderunt.

## PERVSINA DOTIS.

*Mercurij 14. Maii 1614.*

## ARGVMENTVM.

Vxor non tenetur ex suis bonis debita viri persoluere.

*SVMMARIVM.*

1 *Dos vxoris non est obligata ad debita mariti.*
2 *Rescriptum Principis est interpretandum secundum iuris dispositionem.*
3 *Dictio, altre, intelligitur de similibus.*
4 *S. Consulta non solet in causis ciuilibus particularium sententiam ferre.*

5 *Ma-*

5 *Mater non tenetur ad dotandam filiam nisi* 1 *in subsidium*.

DECISIO XLIII.

DOMINI vtraque parte informante censuerunt D. Hieronymam non teneri contribuere ad debita Balthasaris mariti, nec ad alia onera imposita super bonis confiscatis, licet enim D. Modesta mater acquisiuerit omnia bona tam Balthasaris, quam Hieronymæ à Fisco mediante compositione scut. 100. cum onere soluendi omnia debita, & alia onera, non tamen sequitur, de dote Hieronymæ fuisse soluenda debita mariti, sed ex mariti bonis cuius erant debita, & è contra.

Vnde cũ Hieronymæ ex Papæ rescripto
1 fuerit restituta dos, † non debet ipsa grauari ad mariti debita ad quæ non tenebabatur, nec eius dos erat obligata, *l.1. & tot.tit. C.ne vxor pro marito*, nec poterat obligari, *l. frustra, C.ad Senat. Consf. Velleian.*
2 rescripta † enim sunt interpretanda secundum iuris dispositionem, *Dec. cons.274. num.13.* cum intentio Principis talis præsumatur, qualis esse de iure debet, *Dec. cons.33.num.5. Aldobrand. cons.1.num.208. & seq.* & præsertim vbi agitur de tertij præiudicio, *Ruin.cons.4.num.17. lib.3. Parif.cons.9. num.53.vol.2. Cephal.cons.342. num.73. Surd.cons.203.num.28.*

Et hanc fuisse mentem Papæ clarè colligitur ex litteris S. Consultæ, in quibus Heronyma grauatur solum ad contributionem compositionis, & expensarum eius occasione factarum, dum etiam in illis dicitur *concorrendo alla spesa della concordia,*
3 *& compra fatta, & altre se ne sono,* † dictio illa, *altre*, intelligitur de similibus expensis factis cum Fisco, *cap. fin. in princip. de pact.in 6. gloss.in l. quidam relegati. in verb. amicis. ff.de reb. dub. Feliu.in cap. sedes. n.6. de rescript. cum aliis latè congestis per Surd. cons.21.num.14. & cons.42.num.26.* & ita interpretatus fuit prædictas litteras Illustrissimus Legatus Perusiæ, dum illarum vigore decreuit Hieronymam immittendam in bonis dotalibus pro sua dote detractis scut. 250. pro medietate composi-
4 tionis factæ cum Fisco, vltra quod † sacra Consulta non solet in causis ciuilibus particularium sententiam ferre.

Quæ verò deducebantur circa dotem datam à Modesta Portiæ filiæ Hieronymæ, Dominis visa fuerunt non esse præsentis
5 inspectionis, vltra quod † cum Hieronyma non teneatur ad dotandam filiam nisi in subsidium vbi scilicet non adsint bona patris non potest dici illam teneri donec, & quousque non fuerit concludenter probatum non adesse bona patris sufficientia.

Ex quibus ita fuit decisum.

FERRARIEN. BONORVM.

*Mercurij 21. Maij 1614.*

Argumentum ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Mandatum de manutenendo non datur, non probata possessione, nec suffragatur ad dictum effectum possessio passiua, & num.2.*
3 *Nemo plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habeat.*

DECISIO XLIV.

FVIT per Dominos resolutum, non esse dandum mandatum de manutenendo D. Marchioni, quia de eius actuali possessione, nullo probationis genere con-
1 stat, † sine qua non datur manutentio, *§.retinendæ instit. de interd. Rol. cons.9. num.18. vol.3. Couarr. pract. quæst.cap.17.num.2. in fin. vers.2. cauere debet, Rota decis.4. nu.11. par.2. diuers.* & fuit sæpissimè decisum.

Non obstat solutio census pro decimis, & fructibus, de quibus D. Marchio fuit inuestitus à D. Episcopo Ferrarien. quia
2 hoc † est passiua possessio, quæ soli Episcopo suffragatur, quia dictus Marchio eius vigore posset compelli ad continuationem *Rip. in cap. cum Ecclesia Sutrina num.51. de caus. poss. & propr. Felin. in c.inter dilectos num.8. de fid. instr.*

Non obstat concessio, seu inuestitura illi facta, nam vltra quod multa fuerunt deducta pro illius nullitate, quæ tamen Domini reseruarunt videnda in disputatione dubij principalis, fuit responsum instrumentum infeudationis, non continere aliquem particularem actum possessionis, cum in eo fuerint concessæ decimæ, & fructus, qui non percipiebantur per Episco-
3 pum, & sic † per infeudationem non posse dici aliquam fuisse translatam in D. Marchionem possessionem, ex clara iuris regula, *in l.nemo plus, ff.de reg.iur. & ibi Dec. & Caghol. in l.traditio, ff. de acquir. rer. domin.*

cum

*cum similibus per Surd. cons. 126. num. 31.*
Ex quibus vtraque parte informante ita fuit decisum.

## REGIEN. BONORVM.

*Mercurij 28. Maij 1614.*

Argumentum ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Testes dicentes simpliciter aliquem possidere concludenter probant possessionem.*
2 *Exceptiones, quæ requirunt altiorem indaginem non admittuntur in iudicio Saluiani.*
3 *Legatum factum mulieri, antequam esset vxor filij illegitimi, non censetur factum in fraudem Bullæ Pij V.*

## DECISIO XLV.

DOmini steterunt in decisis coram me sub die 20. Decembris proximè præteriti, ex rationibus in decisione deductis quæ Dominis rursus examinatæ placuerunt, & omnis difficultas quæ poterat adesse super possessione Lepidi testatoris fuit sublata per testes in Curia examinatos
1 post dictam decisionem, † qui etiamsi simpliciter dicant Lepidum bona de quibus agitur possedisse tamen possessionem, benè, & concludenter probant *Bart. in l. stipulatio ista, §. hac quoque num. 1. & 2. ff. de verb. obligat. Butr. in cap. licet causam nu. 52 de probat. & in cap. ad sedem num. 29. de rest. spol. & ibi Abb. num. 21. & in cap. causam, quam num. 6. vers. & ex dictis. Innoc. de test. & fuit dictum in Bonon. Spolij 15. Decembris 1600. coram bon. mem. D. Cardinali Pamphilio.*

Non obstat, quod in memoriali porrecto pro parte D. Francisci fuit obiectum huiusmodi legatum factum Mariæ vxori filij illegitimi ipsius Testatoris sit in fraudē Bullæ Pij V. nam in decisione fuit respon-
2 sum † exceptionem hanc (an scilicet iste casus comprehendatur sub dicta Bulla) tanquam requirentem altiorem indaginem non esse admittendam in hoc iudicio Saluiani ad impediendam immissionem, *Menoch. de adipisc. rem. 3. num. 180. Surd. cons. 4. num. 36.* & fuit sæpius decisum, & nuper *in Romana Legati de Columna coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.* Et præsertim
3 quia † legatum reperitur factum antequā maria esset vxor filij dicti Testatoris, quo casu non videtur posse considerari aliqua fraus, vel saltem res dubia redditur.
Ex quibus ita fuit decisum.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Lunæ 2. Iunij 1614.*

ARGVMENTVM.

Debiti identitas ex quibus probetur.

*SVMMARIVM.*

1 *Singula quæ non prosunt cumulata iuuant.*
2 *Identitas contractus præsumitur ex identitate personæ, & causæ.*
3 *Pluralitas summarum non præsumitur.*
4 *Detrimentum patitur qui soluit.*
5 *Agnoscens partem totum agnouisse videtur.*
6 *Exceptio requirens altiorem indaginem particulariter est disputanda.*

## DECISIO XLVI.

DOmini persistendo in decisis sub die 10. Iunij, & 4. Nouemb, 1613. censuerunt constare de credito Dominorum de Cæsarinis pro parte principali scutorum duorum millium, ea præcipuè ratione, quia à quondam Serenissimo Hernesto Duce Bauariæ, vt apparet ex epistola ipsius, agnitum fuit debitum census scutorū duorum millium, & quamuis non probetur ex eius lectura clara identitas census facti in fauorem Domini de Glorerijs tamen concurrentibus tot coniecturis existimarunt identitatem satis fuisse probatam, licet perse forsan solæ non subsisterent, ex
1 vulgari illa regula † quæ non prosunt singula multa iuuant, *glos. in l. 2. in verbo legitimi, ff. de excusation. tutor. cap. causam de probat.*

Concurrit enim tempus debiti, quo dictus Serenissimus Princeps accessit ad Vrbem, concordant partitæ ex libris dictorū Dominorum de Cæsarinis extractæ, necnō testes in hac causa examinati, qui saltem loco adminiculi debent inseruire, & quod
2 magis consideratum fuit † concurrit identitas personarum, & causæ ex qua contractum fuit debitum, *Socc. cons. 129. num. 5. & 10. lib. 4. Alex. cons. 884. num. 2. lib. 7. Aym. cons. 198. num. 2.* deinde † pluralitas sum-
3 marum non præsumitur; cum nihil aliud quoad credita, aut debita inter dictas personas

foras actum demonstretur, *Bald.consil.344. lib.2. Iaf.consf.70.num.2.lib.1. Aym.d.consil. 198.nu.1. cum alys per Menoch.de præsumpt. lib.6. præsumpt.15.num.89.* quæ etiam ponderata fuerunt ab Illustrissimo Card. Seraphino in *decis.183.*

Quoad fructus d. census à die constitutionis ipsius vsque ad extinctionem, ex eisdem rationibus existimarunt Domini constare de credito Domini de Cæsarinis, in eadem enim epistola dicti Serenissimi fructus census fuerunt promissi his verbis: *Non è conueniente, che V.S. ne patisca detri-*
4 *mento alcuno*, † alias non dicerentur sine detrimento si fructus ab ijs essent soluendi vt in simili dixit *Abb.consf.43.Socc.consf.150.*
5 *num.10.lib.1.* Vltra quod † soluendo scuta 180. pro parte fructuum d. census, videtur dictus Serenissimus integrum debitum agnouisse, *l. cum fidem. C.de non numerat. pec. l. si cum res, ff.de legat.2. Dec. consf.618. num.2. Afflict.decis.13.num.21.*

Sed quia vltra dictos fructus census loco ipsorũ dicti DD. de Cæsarinis receperunt etiam fructus locorum montium, tanquam subrogatos post extinctionem d. census, & ex alia parte Modernus Serenissimus Elector prætendit indebitos, hoc, dubio speciali examinandum esse visum fuit.

Cum etiam dictus Serenissimus obijciat præscriptionem statutariam, præsumptamque solutionem tam prædictæ sortis principalis, quàm fructuum, stante quod etiam à die transmissæ epistolæ intercesserint vi-
6 ginti, & amplius anni, hæc † exceptio tanquam requirens altiorem indaginem particulariter disputanda, fuit expressè reseruata.

Quoad nullitates autem quæ latè ab informantibus pro dicto Serenissimo fuerunt deductæ, cum hodie prætendat ex capite nullitatum reuocandam esse sententiam, seu mandatum de consignando A.C. tamquam nullum, & nullo iuris ordine datum hodie parte opponente non potest negari disputatio super dictis nullitatibus, & ita vtrum ex hoc capite dicta sententia sit reuocanda in primis, & ante omnia videbitur.

CIVITATIS CASTELLI PAROCHIALIS.

*Lunæ 2. Iunij 1614.*

## ARGVMENTVM.

Testes de publica voce & fama ad effectum iustificandi gratiam probant obitum, valorem beneficij, & Clericatum. Papa in beneficialibus est absolutus Dominus, & potest concurrere cum quocumque Collatore, illiusque assertioni statur super idoneitate eius, cui contulit beneficium.

## SVMMARIVM.

1 *Papa in beneficialibus est absolutus Dominus, & potest concurrere cum quocumque Collatore.*
2 *Obitus probatur per testes de publica voce & fama.*
3 *Valor per non excessum probatur per testes de publica voce & fama.*
4 *Clericatus probatur per testes de publica voce & fama, & communi reputatione.*
5 *Assertioni Papæ statur circa idoneitatem clerici, cui facta fuit gratia de beneficio.*
6 *Clausula, dummodo, non sit alteri ius quæsitum apposita in gratia beneficij, quid & quantum operetur, & num.9.*
7 *Collatio Parochialis est facienda electo magis idoneo in concursu, & aliter facta est nulla. num.8.*

## DECISIO XLVII.

Domini vtraque parte informante responderunt constare de bono iure Floratij ex prouisione Apostolica ad eius fauorẽ facta, quæ cum fuerit iustificata sine
1 dubio dedit illi ius in beneficio † cum Papa in beneficialibus sit absolutus Dominus & possit concurrere cum quoque Collatore, *cap. cuncta per mundum, c. per principalem 9. quæst.3. Caputaq. decis.282. num.1. par.1. latè Gonzal. super reg.8. §.1. num.1. & seq. §.2. num.1. & num.44. in proœm. & glos.4. num.176.* gratiam fuisse in omnibus iustificatam concludenter fuit doctum, nam
2 obitus † optimè probatur per testes de publica voce & fama, *Put. decis.266. num.4. lib.3. Mohed. decis.1. num.1. de probat. fuit dictum in Calaguritana beneficij de Zuaza 10. Martij proximè præteriti coram R.P.D. meo Rembaldo, & aliàs sæpè.*
3 Quod † valor beneficij non excedat ducat.

cat. 140. concludenter probatur ex eisdem testibus de publica voce & fama, *Put. decis. 29. lib. 1. Caputaq. decis. 277. num. 8. part. 1. Rota diuers. decis. 293. num. 1. par. 1. fuit dictum in dicta Calaguritana, & sapissimè in alijs causis.*

Nullitas verò examini obiecta ex defectu citationis ad videndum iurare testes fuit sublata ex facto, nam procurator Rugerij fuit citatus personaliter die 8. Nouembris 1613. ad videndum iurare testes, qui die sequenti sub qua cadebat citatio iurarunt.

4 Clericatus, & aliæ qualitates Florutij probantur ex eisdem testibus de publica voce & fama, & communi reputatione. *Rota decis. 14. de probat. in antiq. Caputaq. d. decis. 277. num. 8. Rota diuers. decis. 350. par. 3. lib. 3. fuit dictum in Casalen. Canonicatus 13. Ianuarij 1606. coram Reuerendiss. Attrebaten. & in Calaguritana beneficij de Trespunctis coram R.P.D. meo Pamphilio.*

De maiori idoneitate Florutij constat ex assertione Papæ asserentis sibi constitisse

5 ex testimonio Episcopi; quæ assertio sufficit ad effectum iustificationis, vt fuit dictū *in Nucerina beneficij 30. Octobris 1592. coram bon. mem. Penia, in Colonien. Canonicatus 20. Maii 1602. coram bon. mem. Illustrissimo Pamphilio, & in dicta Calaguritana de Trespunctis.*

Non obstat in prouisione Apostolica adesse clausulam, *dummodo non sit alteri ius*

6 *quæsitum*, † per quam censetur præseruatū ius Ruggerij ex prouisione Capituli ad sui fauorem facta, & cuius vigore reperiebatur in possessione, nam etiam si ius conferendi spectaret ad Capitulum, quod adhuc

7 non videtur probatum, tamen † cum simus in Parochiali, collatio erat facienda electo magis idoneo, in concursu ab Episcopo iuxta formam traditam à sacro Concilio Trid. sess. 24. cap. 18. in Summ. Florutij dato, quæ forma cum non fuerit per Capitulum hoc casu seruata, collatio fuit nulla ipso iure, *cap. cum dilecta de rescript.* cum alijs in his terminis per *Gonz. glos. 4. num. 136. & 137.* stante præsertim Constitutione san. mem. Pij V. qua collationes contra dictam formam factæ declarantur nul-

8 læ, irritæ, & nullius roboris, & momenti, Decretum enim irritans inficit titulum, & possessionem, *cap. si eo tempore de elect. in 6. Cassad. decis. 1. num. 7. de restit. spol. cum alys latè congestis per Gonzal. glos. 67. num. 11. & seq.* itaut Ruggerio ex dicta collatione nullum ius considerabile possit dici acqui-

9 situm, † quod solum præseruat clausula, *dummodo. Abb. cons. 98. num. ante fin. vers. non obstat lib. 1. Sarnen. super regul. de iure quæs. non toll. quæst. 21. num. 4. fuit dictum in Calaguritana beneficii de Maioratu 24. Nouembris 1604. coram Reuerendissimo Attrebaten. & in dicta Calaguritana coram R.P.D. meo Remboldo.*

Verum quia informantes pro Ruggerio prætendebant non esse locum concursui ex quo hæc Parochialis sit de mensa Capituli, Domini in hac positione ex prædictis resoluerunt constare de bono iure Florutij, nisi Parochialis sit de mensa Capituli, super quo particulariter erit videndum.

## ROMANA LEGATI.

*Veneris 6. Iunij 1614.*

## ARGVMENTVM.

Sub legato victus quæ veniant præstanda, & num cōprehendantur necessaria pro equis & curru attenta qualitate personæ.

## SVMMARIVM.

1 *In legato victus veniunt omnia ad viuendum necessaria.*

2 *Sub legato victus relicti in dignitate constituto veniunt alimenta pro equis & curru.*

3 *Maximè si Testator viuens erat solitus illa præstare.*

4 *Et legauit eamdem portionem victus, quam dabat in vita.*

5 *Legatum ambiguum obseruantia interpretatur.*

6 *Scientia principalis præsumitur ex scientia agentis, ex actibus plūries iteratis, & ex libris ab ipso scriptis, & num. 7. & 8.*

## DECISIO XLVIII.

Domini dixerunt sententiam extra Rotam latam esse confirmandam, quia cōtra eius validitatem nihil fuit oppositū, de iustitia verò satis constare visum fuit ex

1 eo quod † in legato victus veniūt omnia ad viuendum necessaria, *l. verbo victus. ff. de verbor. signific.* Ad dignoscendum autem, quæ dicantur necessaria attenditur qualitas personæ legatariæ, *l. seruis in princip. ff. de delegat. 3. l. 1. §. mulier autem, l. habitatio in fin. ff. de ventr. in possess. mitt.* Vnde cum Vatella vti Referendarius, vtriusque

Signa-

2 Signaturæ Sanctissimi D. N. † sit in tali dignitate constitutus, vt absque dubio non valeat, nec cũ decore possit pedes ire, dicendum est sine difficultate sub legato victus sibi relicti à bo.me. D. Cardinali Dezza venire alimenta pro equis & curru, vt in simili de Doctore loquens concludit, *Rebuff. in d. l. verbo victus in 4. col. in verb. limitarem nisi, per text. in cap. & si quæstiones de simon. & in l. idemque, §. idem, vbi gloss. in verb. oportere, ff. manda, & latè post alios firmat Surd. de alim. tit. 4. quæst. 8. & quæst. 18 num. 29. Dec. consil. 9. in fine lib. 1. Menoch. præsumpt. 157. num. 16. lib. 4.*

3 Quod & eo magis procedere dicendum est hoc casu, quia † ex testibus probatur Cardinalem Dezza dum in humanis ageret solitum fuisse præstare alimenta pro equis, *l. si cui annuum, ff. de ann. legat. l. cum alimenta, l. à filio, §. testator, & ibi Bart. ff. de alimen. & cibar. legat. l. si seruus plurium, §. vlt. de legat. 2. Natt. consf. 377. num. 10. Bero. consil. 48. num. 11. lib. 2. Surd. de alim. tit. 4. quæst. 19. Menoch. de præsumpt. 157. num. 32. vers. porro iustus.*

4 Et hanc fuisse mentem Testatoris colligitur etiam ex verbis legati dum † ipse legauit eamdem portionem victus, quam dabat in vita, *l. à filio, §. testator, ff. de alim. & cibar. leg. Bald. in l. 2. in princip. sub n. 2. ff. si cert. pet. & fuit dictum in hac causa quo ad alios legatarios 30. Decemb. 1602. coram bon. memor. Illustrissimo D. Cardinali Pamphilio.*

5 Sed quatenus verba dubia essent omnis † difficultas tollitur ex subsequta alimentorum præstatione pro equis facta per hæredes spatio 40. annorum, *DD. in l. 1. C. de fid. Alex. consf. 113. in fin. lib. 4. Menoch. præsumpt. 34. num. 23. lib. 3. Rota diuers. decis. 100. num. 2. par. 2.*

6 Non obstat solutionem factam fuisse per Agentem in Curia absque hæredum scientia, nam vltra quod † præsumendum est Agentem certiores reddidisse hæredes, *iuxta consf. Rom. 481. nu. 7.* pluries in Rota canonizatum stantibus præsertim tot solutionibus factis per tot menses, & annos,

7 ex † quibus scientiæ præsumptio solet oriri *Put. decis. 264. num. 2. lib. 1. Card. Seraphin. decis. 1485. num. 3. Rota diuers. decis. 27. n. 7. par. 1.* fuit responsum scientiam indubitatam

8 tam quinimò † approbationem dictarum solutionum colligi ex litteris scriptis per hæredem, ac ex instrumento venditionis palatij facto ab ipso hærede in quo legitur pro D. Varella vna portio scutorum nouem quolibet mense pro suis alimentis, & alia sc. 9, similium pro equis.

Ex quibus ita fuit decisum vtraque parte informante.

## BARBASTREN. BENEFICII.

*Veneris 13. Iunij 1614.*

### ARGVMENVVM.

De executione Breuis iustificati, ac de absentia Episcopi, qui acceptauit alternatiuam, quod non præiudicet quoad reseruationem in mensibus Papæ reseruatis.

### SVMMARIVM.

1 *Arbitrium regulatur à iure.*
2 *Breue iustificatum executioni demandatur.*
3 *Liber Parochi probat quem mortuum.*
4 *Episcopus quod acceptauerit alternatiuam probatur ex libro alternatiuarum Dataria.*
5 *Papa non amittit suos menses alternatiuos propter absentiam Episcopi.*
6 *Clericatus probatur ex litteris dimissorialibus Ordinarij.*
7 *Productio litterarum dimissorialium non dicitur noua probatio, sed præcedentis confirmatio, quæ semper admittitur in Rota.*
8 *Gratia non vitiatur propter æquiuocum nomen quando constat de corpore.*

### DECISIO XLIX.

Dominis visum fuit non intrare arbitrium pro retardatione exequutionis

1 breuis, nam † cum arbitrium reguletur à iure, *Cas. de Grass. decis. 7. num. 7. de sent. & re iudic.* & fuit sæpissimè decisum, de iure

2 verò est, quod † Breue iustificatũ executioni demandetur, vt per *Gonzal. ad reg. 8. gl. 9 in annot. num. 246. & fuit dictum in Toletana Parochialis de Euelgamuros Lunæ 26. Martij 1607. coram R. P. D. meo Manzanedo.*

Quod Parochialis vacauerit per obitũ Petri de Trillo in mense Septembris Episcopo gaudente alternatiua probatur ex partita extracta ex libro Parochi, in quo

3 mortui describuntur, † qui liber probat concurrentibus præsertim testibus de publica voce & fama, qui saltem deseruiunt pro adminiculo, *Mandos. super regul. 18. quæst. 10. num. 4. Rota diuersor. decis. 220. in princip. par. 2. fuit dictum in Illerden. portionis 2. Iunij 1606. coram bon. mem. Penia,* & in his

in his terminis fuit dictum *in Tarentina Canonicatus* 4. *May* 1611. *coram Reuerendiss. D. Lugdun.*

Quod Episcopus acceptauerit alternatiuam constat ex fide acceptationis extracta ex libro alternatiuæ, qui in Dataria
4 conseruatur, † quæ probatio sufficit, vt fuit dictum in causa *Ferrarien. Prioratus* 12. *Martij* 1608. *coram bo: me: Penia*, *& in dicta Tarentina*, quæ fides acceptationis licet fuerit producta coram A.C. tamen per extractistam fuit per errorem omissa, vnde de ordine Rotæ mandaui corrigi extractum.

Nec ad effectum pertinentiæ collationis est attendendum, an Episcopus esset
5 præsens, vel ne, † cum etiam si fuisset absens, nihilominus Papa non amisisset suos menses alternatos, vt fuit latè decisum in *Sulmonen. Alternatiuæ* 18. *May* 1610. *corā*
6 *Illustriss. D. Card. Lancellotto.* † Clericatus Augustini probatur ex litteris dimissorialibus sui Ordinarij visis, & consideratis per DD. in disputatione dubij, *Abb. in c. se nobis num.* 2. *de cleric. peregr. Rebuff. in prax. part.* 1. *tit. de form. litter. Tonsuræ num.* 1. *vers. propter integritatem, & fuit dictum in d. Tarentina.*

Non obstat fuisse illas productas post
7 sententiā, quia † non dicitur noua probatio, sed præcedentis confirmatio, quæ in Rota semper admittitur præsertim ante executionem factam, *Dec. in auth. si quis in aliquo, C. de edendo num.* 3. *Card. Seraphin. decis.* 845. *numer.* 5. *versic. prout, nec etiam obstat.*

Non obstat Augustinum impetrasse Ecclesiam de Salas in territorio de Alezan per obitum verò Petri vacasse Ecclesiam de Alazan in Territorio de Salas, nam fuit responsum narratiuam fuisse erroneam, cum per obitum Petri vnicam dumtaxat Ecclesiam vacasse non dubitetur, & constat de certo corpore beneficij ex testibus coram A.C. examinatis optimè remouen-
8 tibus æquiuocum istud nominis, † vnde gratia non vitiatur, §. *si quis in nomine inst. de legat. not. DD. in l. si quis in fundi vocabulo, ff. de leg.* 1. *Crauett. consil.* 104. *num.* 13. *& fuit dictum in d. Toletana coram* R.P.D. *meo Manzanedo.*

Et ita decisum vtraque parte informāte.

FAVENTINA DONATIONIS.

*Lunæ* 16. *Iunij* 1614.

ARGVMENTVM.

Donatio per superuenientiam filiorum reuocatur per *tex. in l. si vnquam, C. de reuoc. donat.* quæ plenè examinatur.

SVMMARIVM.

1 *Donatio sine scientia donatarij non potest dici acceptata nec ratihabita.*
2 *Hæredes non possunt acceptare donationem non acceptatam à defuncto, & cui super illa nullum ius erat quæsitum.*
3 *Donatio per superuenientiam filiorum ipso iure reuocatur.*
4 *Donationis reuocatio per superuenientiam filiorum dicitur inducta fauore patris, & sic istius declaratio tacita, seu expressa requiritur super d. reuocatione.*
5 *Testamentum in causa præteritionis in tantum est nullum in quantum id filius præteritus velit, & petat.*
6 *Donantis nulla requiritur declaratio super reuocatione donationis ob superuenientiam filiorum, si ipse naturaliter possideat quid quid sit si ipse non possideret.*
7 *Possessio vigore solius clausulæ, constituti, adiectæ in donatione statim liberis superuenientibus euanescit.*
8 *Renunciatum* l. si vnquam, C. de reuoc. donat. *non dicitur per clausulas generales etiam prauio iuramento cum requiratur expressa, & num.* 9. 10. 11. *&* 12.
13 *Cogitatum de liberis nascituris in donatione vt dicatur qualis cogitatio requiratur.*
14 *Donantis declarationi an in præcedenti donatione fuerit cogitatum de liberis stari debet.*
15 *Donatio an corruat per superuenientiam filiorum, qui postea obierunt, vel per istorum obitum donatio reconualescat, itaut amplius impugnari non possit, & nu.* 16. 17. *&* 18. *vbi firmatur eadem opinio.*
19 *Conditio; si liberi non superuenerint, dicitur purificata per natiuitatem filiorum, etiam si patri prædecesserint.*
20 *Donationis ius reuocandi non competit hæredibus donantis, dum iste volens in vita illam non reuocauit etiam si filij superuenerint.*
21 *Donatio facta ob benemerita non reuocatur per superuenientiam liberorum.*
22 *Donatio non censetur facta ob benemerita* [illegible] *ab il-*

*ob illorum generalem assertionem nisi merita aliunde probentur, & num.23.*

## DECISIO L.

Domini censuerunt sententiam extra Rotam latam esse confirmandam, quæ enim contra eius validitatem adducebantur visa sunt parui momenti, & per informantes pro Caccianemico optime fuerunt sublata, quoad iustitiam attinet de ea satis constat in eo, quod nullam, irritamque donationem factam à dicto Caccianemico Hieroymæ matri declarauit, & ipsius vigore nullum ius, nullamque actionem competere hæredibus d. Hieronymæ.

Mouebantur aliqui ex Dominis eo quod
tantum abest, vt talis donatio fuerit à di-
cta Hieronyma matre acceptata, quin po-
tius ex multis vrgentissimis coniecturis
colligitur ad eius notitiam nunquam per-
1 uenisse, † quod ad inducendā acceptatio-
nem, & ratihabitionem expressè require-
batur *Rol.cons.19.num.34.lib.1. Surd.cons.*
*355.num.18.& 19.* quia vbi adest igno-
rantia deficit consensus, *Bald. & omnes in*
*l.mater, C.de rei vindic. Paris.cons.47.num.*
*97.vol.1.* Nec hodie admitti possunt hære-
des dictæ Hieronymæ post ipsius obitum
ad acceptandam huiusmodi donationem,
2 quia ius † illud non erat quæsitum dictæ
Hieronymæ de tempore obitus, *Aretin.*
*cons.123.num.4. quem sequitur Cagnol. in*
*l. hæredem sub num.16. versic. & in præsenti*
*materia de reg. iur. Alciat. in terminis con-*
*sil.29. num.10. tit.3.lib.3. Menoch.cons.84.*
*num.15.*

Verum quia hoc fundamentum aliqui-
bus ex Dominis videbatur aliquam pati
difficultatem propter Notarij stipulationē,
& acceptationem. In hoc vnanimiter cō-
3 senserunt ex superuenientia † liberorum
dicti Caccianimici fuisse hanc donationem
reuocatam ex rescripto Constantini Magni
*in l. si vnquam 6. de reuocand. donat.* quæ
reuocatio inducta fuit à lege ipso iure,
*glos. in d. l. in verbo reuertatur*: itaut do-
nator possit rem donatam natis liberis ven-
dicare tamquam ipso iure dominus effe-
ctus, possessionemque ipsius condicere,
*Bart. Bald. Alex. Salicet. & alij quos refert*
*& sequitur, Tiraq.in d.l. si vnquam, in dicto*
*verbo reuertatur*, ea ratione quia ei dona-
tioni tacita inhærere conditio censetur, si
donans non susceperit liberos, vt commu-
niter *DD. in d. l. si vnquam*, & in simili ca-
su scribitur *in l. cum auus de condit. & de-*
*monstr. l.cum acutissimi, C.de fideicomm. l.ge-*
*neraliter, §. vlt. C. de instit. & substit.* pro-
pterea reuocatur donatio sine alio ministe-
rio hominis, & sine alia declaratione tam-
quam deficiente conditione, *Clar.in §.do-*
*natio quæst.23. §. præterea, Hond. consil.43.*
*num.6. lib.1.*

Nec obstare visum fuit, quod dicitur
reuocationem donationis per natiuitatem
4 liberorum esse inductam † fauore patris
donantis, qui si cogitasset de liberis, hanc
legem dixisset donationi; ideo requiri
ad hanc reuocandam tacitam, vel expres-
sam ipsius patris declarationem, vt per
*Rub.Alex.in l.Titia, §.Imperator. num.253.*
*& seq. ff. de legat.2. cum multis alijs cumula-*
*tis per Tiraq. in d. verb. reuertatur num.10.*
*& seq. Clar. in d. §. donatio quæst.23.* sicut
5 dicitur testamentum † respectu præteritio-
nis ita demum esse nullum filio præterito,
ipso petente, *l. filio præterito, & ibi gloss. &*
*omnes de iniusto, & irrit.testam. l.maximum,*
*§.sancimus, C.de liber.præter. glos. in l.si mus*
*in princ. C.de inoff.testam.*

Responsum enim fuit hoc procedere
quando donans non reperiebatur in pos-
sessione rei donatæ, & permisit sine vlla
animi declaratione donatarium rem dona-
tam possidere, tunc enim intrare potest præ-
6 sumptio, donantem † huiusmodi donatio-
nem noluisse reuocare, secus autem dicen-
dum est, quando dominium transfertur si-
ne traditione, vt in hoc casu, quia posses-
sio naturalis semper remansit penès Cac-
cianimicum, qui vsumfructum sibi reser-
uauerat, & ita à se tradita limitanda esse,
scribit idem *Tiraq. loco prædicto num.19.*
ex multis ibi congestis, nulla enim penès
matrem translata fuit possessio, nisi vigore
7 clausulę *constituti*, † quæ statim natis liberis
ipso iure euanescit resoluitur, ac reuocatur,
*Dec.cons.366 ad fin. cum multis alijs cumula-*
*tis per eumdem Tiraq. in d. verbo reuertatur*
*num.2. per totum.*

Nec etiam obstat, quod pro parte infor-
mantium pro hæredibus Hieronymæ asse-
ritur renunciatum fuisse beneficio, *d. l. si*
8 *vnquā*, † quod colligitur ex clausulis gene-
ralibus & renūciationibus amplissimis om-
ni legum auxilio, tanto magis, quia inter-
uenit sacra iurisiurandi Religio, quæ vim
9 habet specialis renunciationis, *Bald.in l.1.*
*col.penult. in 2.quæst. & ibi Salicet. col. vlt.*
*C. commodati, Socc. cons.147. lib.1.* respon-
detur enim non fuisse sufficienter renun-

ciatum huius legis dispositioni per has re-
nunciationes generales, quia requiritur
10 specifica, & indiuidua renunciatio hu-
ius legis, *Roman. cons.269.num.3. Alexan.
in l. penult. num.25. C. de pactis, cum multis
allegatis in decis. Seraph. 1337.*
11 Nec etiam sufficit quod fuerit interposi-
tum iuramentum, *Oldrad. consil. 238. &
cons.278.num.8. Alex.cons.71.num.3. lib.4.
Corn.cons.234.num.2.lib.2. Ripa in l. si vn-
quam num. 4. & 5. qui de communi testatur
Tiraq. in præfatione num.247. cum sequenti,*
& præsertim *num. 173.* ea maxima ratione
quia hæc constitutio fundata est super præ-
sumpta mente donantis, qui si cogitasset
de liberis nunquam donasset, vnde cum
lex præsupponat defectum consensus pa-
12 tris, † nullo iuramento potest suppleri,
*l. fin. C.de non numer. pecun. Guidop. q.227.
Corn.cons.241.col. fin. num.2. cons.11.col.2.
vol. 5.* quia nunquam trahitur ad incogi-
tata. *c.Quintauallis extra de iureiurando arg.
l. mater decedens, ff.de inoff. testam. l. si ij ad
quem, l.heres institutus, ff.de acquir. hæred.*
Nec existimarunt Domini posse ex illis
clausulis generalibus colligi cogitatum
fuisse de liberis nascituris, quia in dicta
donatione filij donantis nullo modo repe-
riuntur nominati, requireretur que adfuisse
13 cogitationem specialem, † non generalem
& vagam, *Socc.in l.2.col.1. ff. solut.matrim.
cum multis alijs cumulatis per Gabr.de donat.
concl.2.num.50. qui in n. seq.* ait standum
14 esse declarationi ipsius † donantis, vtrum
cogitauit de liberis, nec ne per *cons.Fran-
cisci Curtij 56. col. penult.* concurrentibus
alijs coniecturis, quæ in hoc casu militant,
quia dictus Caccianimicus iuuenis ad bel-
lum profecturus matri donauit, quo tem-
pore non solum de filijs, sed nec de nuptijs
contrahendis verisimiliter cogitabat.
Nec obiectio releuans (visa fuit Domi-
nis filium dicti Caccianimici mortuum
15 fuisse, † perindeque fuisse, ac si natus nõ
fuisset per *text. in c. nam, & ego, de verb.
signif. & ibi gloss.* quia cessante causa reuo-
cationis, cessare debuit ipsa reuocatio ex
vulgari iuris axiomate, aut saltem donatio
16 per obitum filij † reconualescit, *arg.l.post-
humus præteritus, in princ. ff. de iniust. &
irr. testam.* stante maxime quia donans per
sexdecim annos, & amplius tacuit, vnde
17 non potest † hodie hanc donationem im-
pugnare, *Clar.in d. §.donatio num.9.& Ti-
raq. in verbo donatione largitus in d.l. si vn-
quam n.257.* ex multis rationibus ibi alleg.

Responderunt enim Domini contrariam
opinionem esse in iure receptiorem, & ve-
riorem, quia si donatio ipso iure, vt dictum
est per natiuitatem filij extincta est, per eius
18 obitum sine nouo † patris consensu non
potest reuiuiscere, *Bart.in l.Titia, §.Impe-
rator num. 10. ff. de leg.2. Bald. cons.167.
num.1. lib.5. cum alijs citatis per Tiraq. in
verb. susceperit liberos num.187. & seq. &
Gabr. dicta concl. num.18.* si enim subintel-
ligitur tacita illa conditio, si liberi non
19 superuenerint † sufficit eam semel purifi-
catam etiamsi filij nati patri non superui-
xerint, *l. ex facto, §. si quis autem susceperit,
ff. ad Trebell. l.cum vxori, C.quando dies leg.
l. si quis hæredem, C.de instit. & substit. l.hæ-
redibus in princ. ff.ad Trebell.*
Nec potest longa taciturnitas donantis
facere, vt semel perempta reconualescat
donatio nisi in casu, quo ipso viuente do-
nans nunquam reclamasset, & ante mor-
tem donationem non reuocasset, quia in
eo casu DD. allegati per informantes pro
hæredibus dictæ Hieronymæ loquuntur,
20 dum aiunt hæredibus donantis † non com-
petere hoc ius reuocandæ donationis, ita
*Clar. loco præcitato, vers. præterea, Tiraq. in
verbo donatione largitus num.251. Honded.
cons.74.num.33. Gabr. dicta conclus. nu.22.
& 23.* quę consideratio penitus cessat, quia
d. Caccianimicus, expressè in actis, dona-
tionem reuocasse reperitur.
Minus obstat donationem hanc esse fa-
ctam respectu meritorum, & non gratuitã,
21 & ita † per superuenientiam liberorum
non reuocari; *DD in d. l. si vnquam, &
præcipue Rip. num.29. & seqq. cum alijs per
Gabr. d.concl.2.num.46.* quia istæ assertio-
22 nes generales non probant † donationem
factam propter merita nisi aliunde proben-
tur, vt in terminis, *Bart.in l. si forte, ff. de
castr.pecul. Socc.iun. cons.8. sub num.27.* sed
videtur cessare scrupulus *Seraph.decis.181.
num.9.* Imò hæc mentio meritorum cense-
tur apposita ad colorandam donationem,
23 & ita non † tollit dispositionem *d. l. si vn-
quam, Honded. cons.47. num.10. & seq. &
num.16.* stante maxime quia in d.donatio-
ne adest clausula, *liberè, & purè*, vt patet
*ex d. decis. Seraph. 181.*
Verum quia informantes pro hęredibus
dictæ Hieronymæ prætendebant natiuita-
tem filij dicti Caccianimici donantis non
esse satis probatam quam tamquã vnicum
actoris intentionis fundamentum debuit
concludenter probare, quia testes depo-
nentes

nentes de dicta natiuitate filij dicebantur non esse rectè, & ritè examinati, cum deficere dicatur citatio ad videndum iurare testes; ideò cum hoc præsupposito censuerunt sententiam esse confirmandam, quod testes fuerint ritè examinati, quia si aliqui adessent defectus, vel posset dictus Caccianimicus Signaturā Sanctissimi adire pro sananda huiusmodi nullitate, vel probationes suas aliunde super natiuitate filij coadiuuare.

Ex quibus vtraque parte informante ita fuit decisum.

## CALCIATEN. DECIMARVM.

*Veneris 21. Iunij 1614.*

### ARGVMENTVM.

Transactio facta à Decano, & Capitulo, quando sustineatur sine consensu Episcopi, & sede vacante, & quando prætextu læsionis rescindi valeat.

### SVMMARIVM.

1 *Transactio super decimis inter personas Ecclesiasticas dicitur valida si intercesserint requisitæ solemnitates à iure, beneplacitum Apostolicum ac iusta causa transigendi.*

2 *Transactio tanquam species alienationis non potest fieri à Capitulo sede vacante cum ad minus eligendus esset à Papa legitimus administrator.*

3 *Transactio sede vacante potest fieri à Capitulo quando agitur de rebus mensæ Capitularis, & non de spectantibus ad Episcopum.*

4 *Transactio sede vacante ex defectu solemnitatum non potest dici inualida si sit confirmata à Papa cum eo casu consensus Episcopi illam non irritet.*

5 *Beneplacitum Sedis Apostolicæ in transactione facta à Capitulo sine consensu Episcopi, quando dicatur subreptitium ob non factam mentionem litispendentiæ.*

6 *Gratia per solam Signaturam dicitur perfecta.*

7 *Transactio solemnis præsumitur etiam vtilis.*

8 *Transactio de bonis Ecclesiæ, quando dubius est litis euentus eo ipso dicitur Ecclesiæ vtilis.*

9 *Læsio in transactione non consideratur habito respectu ad rei valorem, sed ad dubium litis euentum.*

10 *Transactio non rescinditur sub prætextu læsionis nisi ea fuerit enormissima, vel saltem enormis.*

11 *Transactio an dicatur continere læsionem, ex quo sit facta post relaxationem mandati.*

12 *Mandati de manutenendo concessio non firmat bonum ius cum sit mera distinctio actoris, & rei ad ordinandum iudicium:*

13 *Assistentia iuris sola non sufficit in concursu priuilegiorum, ac præscriptionis immemorabilis.*

14 *Læsio quoad proprietatem super qua transactio fuit inita non probatur ex mandato de manutenendo.*

### DECISIO LI.

ROTA vtraq; parte informante censuit concordiam inter Decanum, & Capitulum Calciateñ, & Monasterium Beatæ Mariæ de Estrella Ordinis S. Hieronymi super perceptione decimarum in territorio de Villalorear. esse validam, nulloque læsionis, aut nullitatis vitio laborare,
1 borare, ea maximè ratione, quia interuenerunt in ea requisitæ solemnitates à iure, beneplacitum Apostolicum, iusta transigendi causa, recessus scilicet à lite personis Ecclesiasticis multum conueniens.

Et quod ad primū caput nullitatis attinet, existimarunt Domini dictam transactionem non posse dici nullam, ex eo, quod facta fuerit sede Episcopali vacante, cum
2 enim sit species alienationis, videbatur non potuisse à Capitulo solo fieri, Ecclesia carente legitimo defensore, *cap. si qua de reb.* 12. *qu.* 2. eligendusque necessario erat per Papam legitimus administrator, *cap. si Episcopus de supplen. neg. prælat. in* 6.

Responsum enim fuit, posse dici talem consensum requisitum fuisse aut ratione interesse Episcopi, aut solemnitatis debitæ, quoad primum non agebatur de bonis
3 mēsæ Episcopalis, sed solummodo de decimis, & rebus mensæ Capitularis, in quibus Episcopo nullū ius Episcopale competere potest, vnde illius non requirebatur auctoritas ad validitatem d. concordiæ, *Rodoan. de reb. Eccl. non alienan. qu.* 6. *num.* 5. Secus autē dicendum esset si ex hac transactione aliquod mensæ Episcopali præiudicium ex dicta concordia inferretur, & ita intelliguntur iura pro parte Capituli in contrarium allegata, tanto magis quia

 be-

beneplacitum expeditum fuit saluo iure cuiuslibet tertij; vnde præseruatur quodcumque præiudicium Episcopi.

Aut verò requirebatur Episcopi auctoritas, & interuentus pro solemnitate transactionis, & eo casu cessat omnis nullitas, quia adest confirmatio Sedis Apostolicæ,
4 per quam supplentur omnes, & quæcunq; solemnitates, siue auctoritatis Episcopalis, siue aliarum similium, *Abb.cons.41.num.3. vers. item omnis solemnitas, Rodoan. de reb. Eccl.quæst.36. num 18. Dec.cons.341.n.12. Gabr. cons.71.numer.10. & 13. lib.2. Surd. cons.245.num.39.& cons.249. num.9.lib.2. Rot.i dec. 479.num.1.par.1.diuers.*

Nec obstat in dicto beneplacito nullam fuisse mentionem factam de lite introducta in Rota super rescissione dictæ transactionis; Respondetur enim non posse iustificari in facto fuisse inchoatam litem antequam supplicatio dictæ concordiæ fuisset per Sanctissimum D. N. signata,
5 quod tempus adhoc vt litem exprimere teneretur Monasterium debuit attendi, *Clement. fin. & ibi gl. f. & DD. de rescript.* Sicque per solam Signaturam iam fuerat
6 gratia perfecta, vt fuit dictum coram me *in hac ipsamet causa die 2. Maij præteriti*; Vltra quod non erat amplius locus pœnitentiæ, etiam ante obtentionem dicti beneplaciti, *vt fuit similiter in dicta decisione firmatum.*

Multo minus [illegible]carunt Domini posse dictam concordi[illegible] ex capite læsionis rescindi, quia tantum abest, vt dictum Capitulum (sicut tenebatur) se esse enormiter læsum concludenter probet, quin potius dentur in contrarium magna argumenta vtilitatis dictæ transactionis cum ipsa non fuerit facta tumultuariè, & præcipitanter, sed maturo consilio habito inter D. Decanum, Capitulum, & litis consortes longo tractatu, examinatis testibus, visisque eorum depositionibus, interuenientibus prouisoribus, sede Episcopali vacante ex vna parte, & cum licentia Generalis totius Ordinis S.Hieronymi Priore, & dicto Conuentu ex altera, vnde concordia tam so-
7 lemnis præsumitur quoque vtilis, *Bald. in cap.1.num.6. de his, qui feud. dar. poss. Paris. cons. 24. num.5. lib.4. Couar. var. resol. lib. 2. cap. 17. num.2. d. Rodoan. loco citato num. 74.*

Nec tantum præsumitur hæc vtilitas concordiæ, immo videtur adesse, quia recessum fuit à lite, in qua Capitulum succubuerat in prima instantia. Vnde clarè probatur dubius litis euentus, & in odium
8 litium transactio de bonis Ecclesiæ eo ipso dicitur vtilis, *Anchar.cons.136. ad medium. Mohedan. decis.8.num.1. de locat. Dec. cons. 474.num.9.Rol.cons.15.num.17.* Non enim læsio contra transactionem deducta ponderatur habito respectu ad rei valorem,
9 sed ad dubium litis euentum, *Afflict.decis. 220.num.2.Gabr.de empt.& vendit. concl.1. num.68. fuit dictum ex multis rationibus coram Cordub. 14.Maij 1611. & coram Reuerendiss. D.meo Damasceno in Prænestina bonorum 21. Febr. præteriti.*

Deinde colligitur non sufficere ad rescissionem transactionis qualemcumque etiam grauem læsionem, sed requiri enor-
10 missimam, vel saltem enormem in magna summa habito dicto respectu ad dubium litis euentum, *glos. in l. Lucius. §. fin. ff. ad Trebell. & ibi Bart. sub num.3. cum alys per Pinell. in l.2. par.1. cap. 24. num.14. C. de rescind.vendit. Mant. de tacit. & ambig. conuent. lib.26.tit.9.num.23.Rot.decis.235.p.2. diuers. & nuper coram R.P.D. meo Pamphilio in Bononien. transactionis 2. Decembris 1613.*

Nec obstare visum fuit maximum Capituli fundamentum desumptum ex eo, quod dicitur cōstare de læsione vltra dimidiam,
11 quia facta fuerit concordia postquam Capitulum obtinuerat mandatum Rotæ de manutenendo in perceptione omnium decimarum super quibus fuit conuentum, & nihilominus loco integræ decimæ dictum Monasterium Sancti Hieronymi, non solum obligauit se tantum ad soluendam vigesimam, sed etiam in dicta transactione Monastério remissæ fuerunt omnes decimæ, præteritæ quæ vigore dicti mandati de manutenēdo poterant incontinenti exigi, Respondetur enim in facto non subsistere dictam concordiam fuisse factam ante relaxationem mandati, nam d. transactio iam fuerat conclusa ante disputationem dubij, & stipulata ante relaxationem mandati, quo termino pendente poterat Monasterium plura opponere ad impediendam causæ cognitionem, quæ in incerto erat.

Et quatenus etiam hoc subsisteret, existimarunt Domini, non posse dici omnes decimas fuisse proprias Capituli, nec sola concessio mandati de manutenendo data
12 Capitulo videtur firmare ius d. Capituli, quia non continet expressionem meritorum

rum

rum causæ, sed est mera distinctio actoris, & rei ad ordinandum iudicium præparata, quæ manutentio sæpius in progressu causæ reuocatur tanquam momentanea possessio. Vnde quid potuerit sperare Capitulum ex huius litis euentu dignosci non potest ex solo mandato de manutenendo, remanebat enim petitorij cognitio integra, in quo iudicio iam Monasterium sententiam fauorabilem causa cognita, & discussa obtinuerat, & quatenus duas alias conformes obtinuisset, decimæ quæ solutæ forent vigore dicti mandati fuissent per dictum Priorem, & Monasterium repetitæ, vltra liberationem integram ab omni solutione decimarum.

Assistentia siquidem iuris præsuppofita
13 à Capitulo sola non sufficit in concursu priuilegiorum Monasterij præscriptionis immemorabilis allegatæ (quæ probari poterat)& sententiæ fauorabilis obtentæ, quæ omnia visa sunt præponderare, & forsan superare assistentiam prædictam, saltem ad constituendum dubium litis euentum, per quem aperta fuit via transactionis, facitque transactionem præsumi vtilem ex supradictis.

Addiderunt aliqui ex Dominis non
14 posse dici probatam læsionem ex d. mandato, quia nõ inde probatur respectu proprietatis super qua inita fuit concordia, *l. si mulier*, §. *qui possessionem. ff. de eo, quod met. caus. l. si duo*, §. *fin. & ibi glos. vti possid.* quia est momentanea possessio paruique momenti, habita ratione proprietatis, vt ait *Bart. in l. admonendi sumus num.* 55. *de iur. iurand. Pinell. in d. l.* 2. *par.* 3. *cap. vlt. num.* 26. *C. de rescind. vend.*

## FERRARIEN. BONORVM.

*Lunæ 16. Iunij 1614.*

## A R G V M E N T V M.

De alienatione bonorum Ecclesiæ facta non seruata forma rescripti Summi Pontificis.

## S V M M A R I V M.

1 *Sententia lata contra formam rescripti est inualida.*

2 *Forma inducitur per ablatiuum absolutum.*

3 *Forma non seruata corruit actus nec à non seruatione excusat quælibet iusta causa.*

4 *Alienationis rerum Ecclesiæ validitas pendet ab vtilitate quæ debet esse euidens.*

5 *Iudicium humanum fertur circa manifesta, non circa occulta.*

6 *Alienatio bonorum Ecclesiæ non potest iudicari facta in euidentẽ vtilitatem nisi bona quæ alienari debent specificentur.*

7 *Ecclesiæ bonorum alienatio admissa à Papa si in euidentem &c. non est valida nisi citato Episcopo, vel eius promotore, præsertim quando adest clausula*, vocatis vocandis, *& clausula*, si tibi constiterit, *& num.* 8. 12. *&* 15.

9 *Clausula*, vocatis vocandis &c. *debet intelligi de alijs, quam supplicantibus.*

10 *Supplicatio non dicitur porrecta ad instantiam illius, qui vnitim in supplicatione legitur si non appareat de ipsius mandato.*

11 *A scientia vnius actus non infertur ad scientiam actus diuersi.*

13 *Decis. 636. par. 1. diu. declaratur.*

14 *Producens scripturas censetur confiteri omnia contenta in scripturis productis.*

16 *Processus per affixionem factus non valet, quando extat certus contradictor, qui propterea prius personaliter citari debet, & num.* 17.

18 *Citationes non executæ iuxta formam decreti Iudicis, dicuntur nulliter executæ.*

19 *Notario sine testibus non creditur asserenti citationem esse exequutam.*

20 *Citatio non dicitur legitimè executa ad valuas Ecclesiæ nisi fuerit lecta, & dimissa ibidem per aliquod temporis interuallum.*

21 *Alienatio bonorum Ecclesiæ valet sine beneplacito Sedis Apostolicæ, quando alienatur prædium exigui valoris, quod intellige, vt num.* 22.

23 *Decimarum etiam exiguarum layci sunt penitus incapaces.*

24 *Reseruatio beneplaciti Sedis Apostolicæ operatur, vt actus antea gestus sit inualidus, & quod interim sit locus pænitentiæ, & num.* 25.

## D E C I S I O L I I.

FVIT resolutum sententiam esse inualidam, quia fuit lata vigore rescripti,
1 *si in euidentem*, non seruata illius forma, *cap. cum dilecta, & ibi doct. de rescript. Abb.*

 *conf.*

*cons.41.num.3.lib.1.Gozadin. cons.67.n.2. Cardin. Seraphin. decis. 357. num.6.* & in puncto respondit Rota *in Cortonen. restissionis locationis 26. Januarij 1590. coram Orano.*

2 Adetat enim in literis præter alias, clausula, *quatenus villis, rebus, bonis, & iuribus prædictis prius coram vobis specificatis &c.* forma inductiua propter ablatiuum absolutum, *l. à Testatore ff. de condit. & demonstr. Paris. cons.41. num. 14. lib.4. Caputaq. decis.150. num.5. par.1.* Et tamen non præcessit talis specificatio, cuius omissio non potest excusari, eo quod bona quæ concedebantur, essent incognita; tum quia respectu validitatis actus, nulla tametsi iu-
3 stissima causa excusat à seruatione formæ, vt post *Bald. scribit Dec.cons.446. num.14. & Franc.Becc.cons.66. num.26.* Tum quia Summus Pontifex sic rescribendo excusationem hanc reiecit, nec voluit admittere assumptum illud partium, quod ea quæ concedebantur essent penitus incognita, tanquam aduersans naturæ rescripti pro quo instabant.

Nam cum validitas alienationis tota
4 penderet ab vtilitate Ecclesiæ, quæ debet esse euidens, *cap. sine exceptione ibi, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ, 12.q.2. cap.1. ibi, præsertim cum euidens necessitas, vel vtilitas subesset, de reb. Eccl.non alienan. in 6. Card.Seraph.dec.508. in princ.& n.11. Rota decis.65. num.17. & decis. 578.n.10. par.2.* Vix est, quæ vtilitatis certa aliqua ratio posset haberi, nisi mediante specifi-
5 catione huiusmodi, cum humanum iudicium circa manifesta feratur, non autem circa occulta *Canon. erubescant distinct.32.* Et tum denique quia excusationem hanc non pariter ipsa principalis ratio adijciendi clausulam hanc, quæ est, vt cessante locatione, Episcopus pro tempore existens sit certus de quantitate bonorum in alienatione compræhensorum, in quo plurimum etiam versatur fauor, & vtilitas Ec-
6 clesiæ, ne quando super ipsa liquidatione bonorum litigare cogatur, *glos. in cap. peruenit in verb. existere, vbi & Butr. num.7. de arbitr.*

Fuisse quoque nullam dixerunt Domini ex defectu citationis Episcopi, vel eius
7 Promotoris omninò necessariæ, tam vigore clausulæ, *vocatis vocandis, cap. exhibita vbi Abb.in vlt. notab. de Iudic.Cardin. cons.63. in princip. Rota decis.30. de rescript. in nou.*
8 quam vigore alterius clausulæ, *si tibi constiterit, glos. in Clem. præsenti in verb. constiterit de censib. Abb. in cap. conquerente num.9. de rest. spol. Aegid. decis. 68. Cardinalis Seraph. decis.601.* Qui defectus non potest euitari sub prætextu quod supplicatio cantet etiam sub nomine Episcopi, vt
9 propterea clausula, *vocatis*, debeat intelligi de alijs, qui forsan possent prætendere interesse ratione possessionis, vel proprietatis, *Rota decis.636. n.4. par.1.* Nam præter id, quod non constat de mandato
10 Episcopi, in personam eius, qui dictam supplicationem porrexit *ad tex. in cap. nonnulli, §. cum autem de rescript.* Et solus Marchio potuit eam porrigere, motiuum fortè procederet, si Papa simpliciter rescripsisset iuxta supplicationem; verum cum rescriptum nouam formam pro validitate contractus adiecerit mandando prius bona specificari, per illud fuit acquisitum nouum ius Ecclesiæ extra instrumentum, &
11 extra supplicationem; vnde cum non possit inferri à sciẽtia supplicationis ad scientiam qualitatum rescripti, ab illa difformis, & separati, *arg. l. non est ferendus ff. de transact.* non potuit validè procedi ad exequutionem talis rescripti, nisi pro hoc no-
12 uo interesse legitimè citato ipso Episcopo, aut eius mensæ Promotore, *l. de vnoquoque, ff. de re iudic.*

Atque ita visum fuit non posse huic propositæ facti speciei applicari supra relatã
13 decisionem *636.* quia in casu illo Rector Ecclesiæ supplicationem porrexerat, & mox illam signatam cum instrumento locationis produxerat, ex qua productione
14 resultabat nedum scientia, sed etiam approbatio respectu rescripti, & illius formæ, & confessio contentorum in scripturis productis, *Aym.cons.201.num.5.Paris.consil.125. num.20. lib.1. & cons.79. numer.3. lib.3.* Neque dici potest nihil potuisse opponi per Episcopum, aut per dictum eius Promotorem, immo verisimiliter curasset, vt diligenter specificarentur, & liquidarentur bona infeudata, illorumque qualitates, & quæ impensa foret necessaria pro illis ad culturã redigendis, vt omnibus tandem diligenter perspectis, ac perpensis posset instare, vel pro confirmatione contractus, vel pro declaratione illius nullitatis, vnde fit, vt non præmissa tali citatione
15 non possit dici quicquam gestum per Delegatos causa cognita, vt in fortioribus terminis videlicet in facto ipsiusmet Episcopi, non vocato Promotore mensæ, alias

con-

considerauit *Rota apud Cardin. Seraph. decis.* 1395. *sub num.* 6. & 7. Et euentus docuit propter omissam dictam citationem non fuisse factam dictam specificationem.

Et ex his corruit totus processus veluti
16 factus per affixionem, cum tamen extaret certus contradictor, *cap. vlt. de elect. in 6. Cassad. decis. vlt. num.* 6. *vt lit. pend.* quem
17 ideo oportuerat citari personaliter, priusquam processus decerneretur per affixionem, aut per edictum, *Abb. in cap. ex tua, num.* 3. *de Cleric. non resid. Rota decis.* 8. *& ibi Adden. de dol. & contum. in nou. Caputaq. decis.* 117. *num.* 1. *par.* 1. *Cardin. Seraph. decis.* 972. *num.* 4. *& decis.* 1276. *num.* 4. Vltra quod fuit per Iudices mandatum exequi citationes ad valuas Cathedralium Adriæ Ferrariæ, & Sancti Stephani Rodigij, & tamen non apparent exequutæ vniformiter ad omnes prædictas Ecclesias iuxta di-
18 ctum decretum, vnde consequitur nullitas actus, *Bald. in l. non sunt liberi in* 1. *lect. ante num.* 1. *vers. vel sic remota forma de stat. homin. Achil. decis.* 14. *de dol. & contum. Caputaq. decis.* 160. *incip. citatio lib.* 1. *in manuscrip. & decis.* 111. *lib.* 1. *in impress.* Et de exequutione ad valuas Ecclesiæ Sancti Stephani Rodigij aliter non constat,
19 quam ex simplici assertione Notarij, cui sine testibus non creditur, *Put. decis.* 5. *lib.* 3. Et quæ exequuta fuit ad valuas Cathedralis Ferrariæ, minus quoque legitimè apparet exequuta, cum non fuerit lecta, ne-
20 que ibi dimissa per aliquod temporis interuallum, prout requiritur, *Cassad. decis.* 4. *de dol. & contum. Rot. d. decis.* 8. *eod. tit. in nou. & in nouiss. decis.* 325. *numer.* 6. *lib.* 3. *par.* 3.

Neque obstare putarunt Domini id, ad quod refugiebant informãtes pro D. Marchione videlicet sustineri infeudationem hanc etiam sine beneplacito Apostolico, quia propter rerum incertitudinem vide-
21 retur intrare dispositio *Canon. Terrulas.* 12. *quæst.* 2. Nam præterquamquod iudicarunt istud prorsus esse extra terminos susceptæ disputationis restrictæ ad validitatem sententiæ Delegatorum, censuerunt etiam ex facto tolli, cum illa incertitudo reducibilis esset ad certitudinem per specificationem de iure omninò necessariam, secundum quam, agitur non de terrulis, sed de bonis magni reditus, & vt intret dispositio d. tex. multa debent concurrere,
22 videlicet præcisa necessitas, quod prædiũ sit exiguum, quod sit inutile, & denique quod sit longe distans, vt ibi scripserunt *Gemin. in* 1. *notab. Archid. in verb. quicumque & Aegid. sub num.* 2. *vers. nam si magnæ*, & remouet omnem difficultatem, quod infeudarentur etiam decimę, quarum tametsi
23 exiguarum, layci sunt penitus incapaces sine beneplacito Papæ, *cap. quamuis vbi glos. in verb. concesserit de decim. Caputaq. decis.* 241. *nu.* 3. *par.* 1. *Card. Seraph. dec.* 1424. *ad fin.* Vnde etiam tale beneplacitum expresse reseruatum fuit, quæ sanè reseruatio operatur, vt actus antea gestus nullum
24 producat effectum, *Verall. decis.* 205. *nu.* 3. *par.* 1. *Mohedan. decis.* 1. *de simon.* & quod
25 interim sit locus pœnitentiæ, vt respondit Rota in vna *Syracusana præheminentiarum* 5. *Decembris* 1588. *coram bon. mem. Card. Platto.*

Ex quibus ita fuit decisum vtraque parte informante.

## MELITEN. SEV PORTVGALLEN. COMMENDÆ.

*Lunæ* 23. *Iunij* 1614.

### ARGVMENTVM.

Litteræ Apostolicæ super prouisione Commendæ Magno Magistro directæ ad alicuius fauorem quando censeantur commendatitiæ, quando monitoriæ, & quando præceptiuæ: Quando is cui fuerunt directæ teneatur obedire, & non obediendo puniatur: Et ex quibus quis iuri suo dicatur renunciare.

### SVMMARIVM.

1 *Monitoriales litteræ, & non commendatitiæ, ex quibus deprehendantur, & numer.* 2. 3. & 4.

5 *Monitorijs litteris licet nullum quæratur ius illi qui eas obtinuit intrat tamen officium Iudicis, vt compellat monitum ad parendum litteris Apostolicis, & n.* 6.

7 *Preces emanatæ ab eo, qui imperare potest vim necessitatis habent.*

8 *Litteris præceptorys Papæ non obediens magis punitur, quam non obediens litteris monitorijs.*

9 *Litteræ monitoriæ tribuunt ius personale.*

10 *Collator tenetur obedire litteris monitorijs alias puniendus.*

11 *Litterarum Apostolicarum, seu Breuis registratio habet vim acceptationis, tribuitque ius reale illas præsentanti, & signanter*

*quan-*

*quando registratio fuit facta causa cognita, & n.12.*

13 *Litterarum Apostolicarum verificatio, & iustificatio non est necessaria quando fuerunt registrata de mandato illius cui praesentatae fuerunt etiãsi in litteris adsit clausula prout iuris, & aequitatis ratio postulat.*

14 *Renunciatio iuris sui non praesumitur, & pro tali renunciatione excludenda omnis interpraetatio fieri debet.*

14 *Renunciatio iuris sui non inducitur per verba vrbanitatis.*

15 *Renunciatio iuris sui, & litterarum impetratarũ non depromitur ex eo, quod quis se commiserit gratiae aduersarij, vel voluntati alterius cum talis commissio veniat intelligenda arbitrio boni viri, & n.16.*

17 *Impugnans actum non potest in illo se fundare.*

18 *Magnus Magister si vigore breuis monitorij non contulerit commendam tunc vocatam, loco poena tenetur conferre primo vacaturam, & n.19.*

## DECISIO LIII.

ROTA censuit Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Magnum Magistrum Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani debuisse conferre Fratri Emanueli de Couros, Commendam tunc vacantem, & petitam à dicto fratre Emanuele, & hodie teneri conferre eidem primam vacaturam, ratio primae partis huius decisionis ea praecipua fuit, quia litterae in forma Breuis à fel. rec. Clem. VIII. eidem Fratri Emanueli concessae, & directae Magno Magistro tunc viuenti non sunt simpliciter Commendatitiae, sed Monitoriae, vt colli-
1 gitur ex d. Breuis, lectura, & ex multis clausulis in eo contentis.

2 Ponderarunt enim Domini inter alia verba illa, *Monemus, & requirimus*, quae in monitorialibus semper apponi solẽt *Mandos. de monit. quaest. 1. num. 6. & 7.* deinde
3 illa verba, *ius quaesitum, & antianitatem concedas*, quae habent vim praecepti de proui-
4 uidendo, maximè quia saepius verbum, *volumus*, repetitum legitur vna cum his verbis, *registrari facias*, quae simul iuncta satis superque visa sunt declarare intensam Sanctissimi voluntatem litteras monitoriales d. Fratri Emanueli concedeñ ad effectum, vt eius vigore ipsi à Magno Magistro commenda vacatura conferretur.

Quo posito intrat clara iuris regula quod licet per litteras monitorias nullum ei, qui
5 eas obtinuit ius quaeratur in re, *cap. si capitulo, cap. si soli. & cap. vlt. de concess. preb. in 6. latè Feder. de Sen. quaest. 290. numer. 1.*
6 *& 2.* Tamen competit officium Iudicis, vt compellat monitum ad parendum litteris Apostolicis, *cap. litteris vbi glos. in verbo monitorias, & Doct. de rescript. glos. in cap. veniens in verb. renunciasse iuri de renunc.*
7 preces enim ab eo, qui imperare potest emanatae vim necessitatis habent, parumque refert vtrum litterae sint monitoriae, vel praeceptoriae, quia nulla alia constitui in iure potest differentia inter eas nisi vnica,
8 quia magis puniẽdus ille, qui litteris praeceptorijs, quã qui monitorijs obtemperare renuit, *argum. Canon. fin. 14. quaest. 1. Compost. in cap. capitulum, & in cap. constitutus de rescript fusè d. Feder. q. 290. nu. 3.* vbi ait perinde esse si verbo, *monemus*, ac si verbo, *praecipimus*, vsus fuerit Papa, *cap. si soli de preb. in 6. d. cap. capitulum de rescript.*

Ex quibus necessario inferendum est dictas litteras monitorias tribuisse ius perso-
9 nale d. Fratri Emanueli ad implorandum Iudicis officium, & petendã collationem,
10 quia collator tenetur obedire alias puniendus, *Bellam. in cap. litteris numer. 1. Hostien. numer. 5. vers. quamuis etiam Imol. num. 1. vers. sed benè quaeritur, Butr. num. 8. de rescript. Nauar. in c. si quando, except. 21. num. 28. vers. considera 2. de rescript. d. Feder. de Sen. loco praecitato.*

In quam sententiam eo libentius iuerunt DD. quia res non erat amplius integra, & deuentum fuerat ad actum proximum exequutionis Breuis ad eius scilicet
11 registrationem, per quam inducitur acceptatio litterarum, & virtuale decretum, vt exequutioni demandentur, *Rebuff. super concordatis tit. de mandatis Apostolicis, §. Et vt obuietur in verb. & in illius quinternio registrari*; eo magis quia Papa in dictis litteris non solum monuit Magnum Magistrum, vt conferret Fratri Emanueli primã Commendam vacaturam, sed illico, vt ei ius quaesitum, & antianitatem concederet, quod rescriptum post praesentationem factam d. Magno Magistro, & registrationem tribuere debet praesentãti ius reale, & con-
12 siderabile, *cap. si capitulo de concess. praeb. in 6. Bisig. decis. 6. de consuet. Racch. eodem tract. sess. 4. num. 11. & Feder. de Sen. dicta q. 290. num. 4.*

Considerarunt enim DD. registratio-

nem

nem illam factam fuisse non perfunctoriè, aut tumultuariè, sed causa cognita more solito, postquam dictus Fr. Emanuel in Magno Consilio purgauit se de his, quæ ei per Fr. Ioannem Suarez Procuratorem Prioratus Portugalliæ fuerant obiecta, qua oppositione non obstante d. Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Magnus Magister, & Vener Consilium dictas litteras Apostolicas fidesque productas in Cancellaria tanquam veras registrari mandarunt, ex quo decreto DD. Indicarunt omnia esse sublata quæ informantes pro Magno Magistro de subreptione litterarum dicti Fratris Emanuelis longa verborum serie disseruerunt cum enim vt dictum est ex registratione indicatur acceptatio superua-
13 cua erat litterarum Apostolicarum verificatio, *Cassad. decis. 8. num. 8. de rescript. Gyg. de pens. quæst. 35. num. 9. vers. quoties verò, & fuit dictum in vna Abulen. pensionis 15. Decembris 1610. coram R.P.D. meo Pirouano*; nec propterea quod clausula, *prout iuris, & æquitatis ratio postulat*, apposita fuit verificanda sunt narrata in dictis litteris; ius enim & æquitas mouit Papam in recognitionem rerum bene gestarum per dictum Fratrem Emanuelem ad concedendas has litteras, sed ideo non rescripsit, vt fieret collatio prout iuris, vt colligitur ex verbis dicti Breuis, & ex supradictis.

Nec obstare visum fuit Dominis, quod dicitur dictum Fratrem Emanuelem renunciasse omni quod ei competebat iuri, per protestationē factam die 16. Iunj 1597. in Congregatione Prioratus Portugaliæ, quæ datur in *Summ. num. 3.* nam vltra quod
14 omnis interpretatio sumi debet ad excludendam iuris proprij renunciationem, *Dec. cons. 308. n. 8. Tiraq. de retract. lignag. §. 36. glos. 2. num. 50.* Responsum fuit non legi expressè verba renunciationem concludentia dum ait dictus Fr. Emanuel se nolle contra Prioratum in genere, & in specie, & contra mentem, & auctoritatem Magni Magistri vti dictis litteris monitorijs cum sit obediens Religiosus, easque remittit dicto Magno Magistro, vt de illis faceret, quod sibi videretur, quæ verba potius ad vrbanitatem, quàm ad præcisam renunciationem sunt referenda, nullum enim fit præiudicium auctoritati Magni Magistri, si litterarum Apostolicarum debita petatur exequutio, cumque se submisit d. Frater Emanuel Magno Magistro, nulla propterea dici potest iuri suo per hanc submissionem facta renunciatio, indecens est enim, vt vnde misericordiam deberet impetrare, inde cogatur dispendium sustinere, vt sunt verba *Celestini Tertij in cap. sanè, & ibi glos. & cap. veniens, & ibi latè glos. de renunciat.* vbi ait notandum quod licet quis se committat gratiæ aduersarij non renunciando disertè litteris impetratis non intelligitur propter hoc
15 renunciasse iuri, quod sibi ex dictis litteris competebat, deinde cum se dictus Fra-
16 ter Emanuel remisit volunrati Magni Magistri, id intelligendum est arbitrio boni viri, *Dec. cons. 497. num. 19. Rota diuers. decis. 252. in manuscript. fuit latè dictum in Toletana Parochialis 29. Aprilis 1593. coram bon. mem. Penia*, quod docuit obseruantia, cum deinde postea causa cognita dictū Breue fuerit post septem annos nulla dictæ renunciationis habita ratione de mandato moderni Magni Magistri registratum contradicente dicto Prioratu vnde tollitur omnis prætensa renunciatio.

Placuit etiam DD. responsio data hanc prætensam renunciationem factam fuisse sub ea conditione, modo litteræ Apostolicæ registrarentur in memoriam seruitiorū, quæ Religioni Frater Emanuel præstiterat. Ideò cum non fuerit acceptata, sed reiecta protestatio sequitur ex actu impugnato nō
17 posse vllum ab eo, qui illud impugnat sumi fundamentum, *cap. ex eo de reg. iur. in 6. latè Surd. cons. 136. num. 29.* Nec potest dici constare de vlla acceptatione facta, vel à Magno Magistro, vel à d. Prioratu; Imò contrarium apparet quoad M. Magistrum, quia illo viuente cui Fr. Emanuel se remiserat nunquam potuit obtinere, vt Breue huiusmodi registraretur, protestatio enim facta legitur 16. Iunij 1597. & registratio Breuis coram M. Magistro moderno 16. Aprilis 1605. nulla dictæ protestationis, aut renunciationis facta mentione, multo minus potest prætendi acceptatio facta à dicto Prioratu Portugaliæ cum Procurator d. Prioratus rigidè se semper opposuerit huiusmodi registrationi, itaut dictus Fr. Emanuel coactus fuerit eam in contradictorio iudicio à M. Magistro, & Consilio obtinere; Imò nec adhunc vsque diem vllus actus acceptationem inducens adducitur, vnde hæc huiusmodi renunciatio iustæ Fr. Emanuelis petitioni non potest obstare.

Quibus stantibus existimarunt DD. nullam superesse difficultatem. hodie M. Ma-

gi-

gistrum teneri primam Commendam vacaturam vigore d. Breuis monitorij eidem Fr. Emanueli conferre cum enim malè fe-
38 cerit M. Magister non prouidendo † de Commenda tunc vacata, *cap. si soli de concess. præb. in 6.* loco, pœnæ succedit, vt pri-
39 mam † vacaturam conferre teneatur, *cap. dilectis 27. in fin. de præb. Abb. num. 6. & cæteri omnes DD. d. Feder. quæst. 290. circa finem*.

Quæ dicuntur hinc, inde de nullitate collationis iam factę visa sunt non esse pręsenris inspectionis cum sit causa separata, quæ maiorem pateretur difficultatem, vocandusque esset prouisus de cuius interesse agitur.

Ex quibus vtraque parte informante ita fuit decisum.

## CIVITATIS CASTELLI PAROCHIALIS.

*Veneris 20. Iunij 1614.*

### ARGVMENTVM.

Beneficia curata, & regularia, an, & quando censeantur perpetua, & collatiua an vero manualia, & de mensa.

### *SVMMARIVM.*

1 *Beneficia curata etiam regularia præsumuntur perpetua, & collatiua, non autem manualia, seu de mensa.*

2 *Beneficia manualia, & non perpetua, & collatiua nunquam vacant, nec conferuntur in titulum sicuti beneficia vacantia.*

3 *Beneficia non præsumuntur manualia ex regularitate.*

4 *Beneficium quando est manuale, & de mensa, Rector recipit suam congruam à Capitulo.*

5 *Collatio beneficij non tribuit ius nisi doceatur de effectuatione, & vnica non sufficit.*

6 *Collationes posteriores sunt attendendæ.*

6 *Collationes posteriores per concursum multum faciunt pro interpretatione præcedentium.*

8 *Parochialis an sit de mensa, an vero collatiua per concursum, attenditur vltimus status.*

### DECISIO LIV.

PRoposui dubium reseruatum in decisione facta 2. huius mensis, an Parochialis Ecclesia S. Mariæ de Petralonga sit de mensa Capituli, & DD. responderunt
1 negatiuè, nam de iure beneficia † curata etiam regularia præsumuntur perpetua, & collatiua, non autem manualia, seu de mensa, *Bellam. decis. 203. Cassad. decis. 4. n. 3. & decis. 12. num. 4. de præben. Paris. cons. 44. num. 3. lib. 4.* & fuit in his terminis dictum *in vna Fanen. Parochialis 28. Nouemb. 1605 coram bo: me: Litta*.

Quæ iuris præsumptio comprobatur ex collationibus factis de hac Parochiali tam ante, quam post sæcularizationem Ecclesiæ Cathedralis, cum illæ fuerint factæ de Rectore vti de Parochiali vacante per obitum, vel per resignationem ex quo ex-
2 cluditur Parochialem † esse manualem, seu de mensa, quæ nunquam vacat, nec confertur in titulum sicut de vacanti, *glos. in Clem. vnic. §. quidam etiam in verbo ad mensam de excess. prælat. Feder. de Sen. cons. 200. num. 2. Gemin. cons. 86. num. 4. & 5. Gonzal. ad regul. 8. glos. 5. §. 6. num. 93. & fuit dictum in vna Parmen. Prioratus 19. Aprilis 1600. coram bon. memor. Penia, in Taruisina Parochialis 10. Decembris 1603. coram Reuerendissimo Bononien. & in dicta Fanen.*

Non obstat, quod ante sæcularizationem hæc Parochialis solita erat regi per Regulares, postquam de ea, vel prouidebatur Canonicus Regularis, vel efficiebatur Canonicus, & postea ei fiebat prouisio, quia
3 ex regularitate † non infertur ad manualitatem, vt fuit dictum in dicta Parmeñ, & in d. Faneñ.

Minùs obstat, quod prouisi soluebant aliquid annuum Capitulo, nam vltra quod soluebant Sacristiæ, & non Capitulo, fuit responsum talem solutionem magis excludere intentionem Capituli, quia si beneficium esset manuale, & de mensa, Rector
4 reciperet à Capitulo suam congruam, vt fuit dictum in dicta Taruisina, & in dicta Faneñ, & ex dictis solutionibus, prout ex descriptione in libro Capituli, potest colligi subiectio huius Ecclesiæ, vt fuit dictum in dictis decisionibus.

Non obstat de anno 1431. fuisse factam collationem huius Parochialis per reductionem alterius antea prouisi ad claustra,
5 quia non constat de effectuatione, † prout requiritur iuxta *cons. Calder. 12. de iurepatr.* & est vnica; cum aliæ omnes subsequentes
6 sonent in collationem perpetuam, quæ † vti posteriores sunt attendendæ, vt fuit dictum in dicta

in dicta Fanen. Verum & quatenus posset esse aliquod dubium super collationibus factis ante sæcularizationem illud tollitur ex collationibus post sæcularizationem, quæ cum fuerint semper factæ per
7 concursum, multum faciunt pro † interpretatione præcedentiũ, *Rota diuers. decis. 53. num. 2. part. 1.* & fuit sæpe decisum.

Placuit etiam Dominis, quod cum hoc casu non agatur, nisi de præiudicio ipsius Capituli conferentis, potuit ipsum inducere, vt hæc Parochialis quamuis de mensa conferretur per concursum per quẽ potius dicitur mutatus vsus quam status,
8 quo casu sufficit † vltimus status, *Rota decis. 2. depræben. in non.*

Ex quibus ita decisum vtraque parte informante.

ROMANA VINEÆ.

*Lunæ 23. Iunij 1614.*

ARGVMENTVM.

De pluribus nullitatibus in subhastatione, & deliberatione rei immobilis.

*SVMMARIVM.*

1 *Subhastationis, ac deliberationis iustitia residet in iustitia pretij.*
2 *Subhastatio, & deliberatio facta à Cursore non existente in turno iuxta solitum, & per acta Notarij alterius quam causæ est nulla, ac inualida.*
3 *Iustitia pretij in deliberatione requiritur de eodem tempore.*
4 *Executor testamentarius non potest confitendo hæredi præiudicare.*
5 *Exceptio melioramentorum non liquidatorum, non retardat executionem mandati de immittendo.*

DECISIO LV.

POstquam coram bon. mem. Penia fuit resolutum iudicium subhastationis Vineæ fuisse attentatum, mandatumque de manutenendo dandum esse Bartholomæo, prout fuit datum, & exequutum, Martia creditrix ac Bosius emptor Vineæ licet pro Tarisio Cursore illã emisset adita Signatura reportarunt rescriptum cum clausula, *reiectis attentatis consituo de bono iure.* Vnde proposito per me dubio Domini responderunt negatiuè. Nam cum bonum ius
1 ad effectum sustinendi subhastationem, & deliberationem attentatam totum consisteret in iustitia pretij pro quo fuit deliberata vinea ex dispositione, *l. 2. C. de resc. vend.* quæ habet locum in deliberatione, *Bald. cons. 375. num. 1. vers. 1. quia fuit venditum lib. 2. Grauett. cons. 29. num. 4. Gabr. de empt. & vendit. concl. 1. n. 61. & 62.* Ad Martiam & Bosium spectabat onus iustificandi dictam clausulam, & sic concludenter probandi vineam de tempore deliberationis non valuisse pluris quam scutorum 242. pro qua summa fuit deliberata, sed tantum abest idfuisse probatum quinimò de euidenti læsione constat tam ex venditione facta à dicta Martia pro scut. 700. vna cum duabus imaginibus, seu picturis, quam ex oblatione facta in scutis 400. licet extra tempus datum ad deliberandum quod accidit culpa Cursoris, & Bosij ex cautelis adhibitis, *Fulgos. cons. 79. in fin.*

Nam vt ex serie facti constat callidè fuit deuentum ad dictam deliberationem, cum Cursor, qui ad vineæ deliberationem de-
2 uenit non esset in † turno contra formam constitutionum Cursorum, de qua per *Modern. in prax. iudic. A. C. lib. 1. cap. 42. n. 9.* Oblatio verò fuerit facta in officio alterius Notarij, quæ tamen fieri debebat in actis Notarij causæ, vt posset illius habita de prædicta oblatione notitia maiorem oblationem offerre, vt sic melior conditio tam debitoris, quam creditoris efficeretur, vt *per dd. Modern. lib. 1. cap. 41. num. 2.* fuerunt quoque factæ duæ intimationes, quarum secunda fuit prius in actis reproducta, & deliberatio facta in termino primæ intimationis, denique fuit facta pro ipsomet Cursore mediante tamen persona Bosij contra *text. in l. pupillus, §. sane ibi, quod si callidè id emerit idem erit, ac si per interpositam personam, & ibi glos. ff. de auth. tutor. & in l. in emptione, §. fin. & in l. non licet, ff. de contrah. empt.*

Nec visa fuit iustificata pretij iustitia ex incendio sequuto, nam non probatur qualitas damni, vt possit dignosci de tempore deliberationis vineam ratione dicti incen-
3 dij fuisse valoris scutorum 242. † prout requiritur, vt not. *DD. omnes in l. 2. C. de resc ind. vendit.*

Quæ verò deducebantur circa consensum præstitum subhastationi per Gregoriũ Piscatorem tamquam exequutorem testamentarium, Dominis non visa fuerunt releuare, cum vel non subsistant in facto, vel

Batho-

4 Bartholomæo præiudicium inferre † non potuerint, vt fuit dictum coram bon. mem. Penia.

Non obstat exceptio melioramentorum quia clausula, *constito de bono iure*, non intelligitur respectu illorum, sed deliberationis, vt dictum est, & ita pro illis fuit data cautio de ordine Rotæ, & cum nulla
5 fuerit facta liquidatio non potest † retardari executio mandati de manutenendo, *Rota diuers. decis. 659. num. 1. & 2. par. 1.*

Et ita decisum.

## ROMANA, SEV MECLINIEN. PECVNIARIA.

*Veneris 27. Iunij 1614.*

ARGVMENTVM.

De fide, & probatione libri Mercatorum.

*SVMMARIVM.*

1 *Apoca ab aliquo scripta, & subscripta contra scribentem probat.*

2 *Sententia lata pro maiori summa ea quæ debetur, nulla, ac inualida in totum est.*

3 *Liber mercatoris quando probat pro scribente in aliquibus partitis, debet etiam probare contra scribentem.*

4 *Sententia potest reseruare aliquid liquidandum in futurum.*

5 *Liber mercatoris iunctis adminiculis plene probat.*

6 *Liber mercatoris plenè probat, quando consuetudine ita receptum est.*

7 *Libri Mercatoris ab aliquo approbati ab eodem improbari nequeunt.*

8 *Testes formiter examinati inseruiunt pro adminiculo.*

9 *Singula si non prosunt, multa collecta iuuant.*

10 *Sententia prioris instantiæ sustinetur etiam quoad partitas, minus legitimè extractas, si de istis non fuerit oppositum.*

11 *Iuribus informibus fides adhiberi solet quando pro illorum probatione plura adminicula concurrunt.*

## DECISIO LVI.

Domini dixerunt non constare de causis restitutionis in integrum nam sententia in ea parte in qua condemnat Dominum Pompeium ad soluendum floren.
1 1268. remanet benè iustificata † ex apoca ab ipso confecta, & subscripta, *Gabr. post alios concl. 3. de præsumpt.*

Nec obstare visum fuit solutionem florenorum 750. super qua informantes pro D. Pompeo præcipuè insistebant ad docen-
2 dum de iniustitia sententiæ vti latæ † pro maiori summa, *ex Bart. Castr. & alijs in l. si non sortem, §. si vna, ff. de condit. indebit. Ruin. cons. 160. num. 27. lib. 2. Paris. cons. 81. num. 24. lib. 2. fuit dictum in illa Romana Spolij 21. Februarij 1605. coram Iusto, in Romana pretij Vineæ 27. Iunij 1608. coram Reuerendiss. D. Lugdun.* & aliàs sæpe, nam cum de tali solutione non constet nisi ex libris Gerardi, ex quibus etiam constat de maiori debito D. Pompei, non potest ipse se iuuare partitis cantantibus ad eius fauo-
3 rem, *Mathes. singul. 78. & ibi latè Adden.* & fuit sæpè in Rota decisum; vnde dum impugnat partitas libri, remanet clarum, & indubitatum creditum flor. 1268.

Non obstat in dicta apoca fuisse reseruatam taxam partitarum, & per cōsequens non potuisse fieri condemnationem ad dictam summam, nisi prius facta dicta taxa,
4 nam satis est in sententia fuisse † reseruatam taxam in exequutione faciendam, vt post *Bart. & Bald. firmat Roman. cons. 76. nu. 5. vers. secundo est permittendum, Osasch. decis. 129. num. 14.*

In alia vero parte in qua condemnat eumdem ad solutionem flor. 1412. sententia iustificatur ex partitis libri Gerardi,
5 qui † iunctis adminiculis pro scribente plenè probat *Grauet. de antiq. tempor. par. 1. sect. videmus abundè, num. 19. Magon. decis. Florent. 95. num. 5.* & fuit sæpe decisum.

Plura verò concurrunt adminicula, quæ Dominis visa fuerunt satis superque sufficientia, adest enim fides mercatorum asserentium in Belgicis regionibus libris mer-
6 catorum dari † plenam fidem. Et quod magis est adest approbatio ipsiusmet D. Pompei in dicta apoca solidationis com-
7 putorum, quæ † sola sufficeret vt hodie eosdem libros impugnare non posset, *ad reg. quod semel. de reg. iur. in 6.* Concurrit etiam consignatio creditorum D. Pompei facta ab eius procuratore Gerardo, vt ipse ex illis sibi satisfaceret de suo credito, quæ consignatio fuit ratificata per D. Pompeium per litteras directas eidem Gerardo, quibus accedunt testes deponentes de cō-
8 fessione ipsius D. Pompei, qui † licet nullitet fuerint examinati, deseruiunt tamen
9 pro adminiculo, itaut omnibus † simul iunctis

iunctis resultare concludentem probationem debiti, Domini non dubitarunt ex vulg. regula, quæ non prosunt singula multa iuuant, *c. causam de probat. gloss. in l.2. in verb. legitimis, ff. de accusat. tutor.* & nuper fuit dictum *in vna Romana pecuniaria Lunæ 2. huius mensis coram me.*

Non obstat dictas partitas fuisse minùs
legitimè extractas, nam cum in alia instan-
10 tia id non fuerit † oppositum substinetur
sententia, *Put. decis. 415. lib. 1. & 119. lib. 2. in antiq. impress.* Et licet legatur quædam protestatio facta sub die 4. Nouembris, tamen fuit facta à non habente mandatum procuræ; Vltra quod Dominis hanc exceptionem parum obstare hoc casu visum fuit cum pro veritate partitarum plura supra ponderata concurrerent, quo casu etiã
11 iuribus † informibus fides adhiberi solet,
*Caputaq. decis. 234. par. 1. fuit dictum in Romana Domorũ in Burgo 16. Ianuary 1602 coram Illustriss. Lancelloto.*

Et ita fuit decisum.

## ROMANA, SEV FLORENTINA PECVNIARIA,

*Mercury 9. Iuny 1614.*

### ARGVMENTVM.

Cambia debentur ab eo, qui ordinem dedit, si sint realia.

### SVMMARIVM.

1 *Mandans accipi cambium, tenetur de suo.*

2 *Cambiandi ordo ex consuetudine Florentiæ durat donec, & quousque per ordinem fuerit facta solutio, & secundum hanc consuetudinem similes ordines dati censentur.*

3 *Cambia quæ non sunt realia, non approbantur.*

4 *Assertioni partium non est standum, ne aperiatur via fraudibus.*

### DECISIO LVII.

Domini censuerunt deberi cambia vsque
ad diem solutionis scutorum 4000. cũ
enim Pisottus indigens pecunijs dederit
1 ordinem Antonio Tempo † accipiendi di-
cta scuta 4000. ad cambium, & Antonius illa acceperit, tenetur Pisottus ex lege cõuentionis ad omnia cambia, etiam si non dedisset mandatum expressum pro sequentibus cambijs, ex quo Antonius non tenebatur de proprio extinguere, nec prima, nec secunda cambia. *Dec. cons. 562. num. 1. & seqq. Cagnol. in l. 1. num. 45. & seqq. C. de senten. quæ pro eo. Stracc. de mercat. tit. mandat. num. 20. Tiraq. in l. Boues, §. hoc sermone lim. 6. num. 8.* Idque eo magis procedit
2 hoc casu stante consuetudine † in Ciuitate
Florentiæ, vt semel datus ordo accipiendi pecunias ad cambium duret donec, & quousque per ordinem fuerit facta solutio, secundum quam consuetudinem censetur Pisottus ordinem dedisse, *Roman. cons. 114 num. 5. vers. quoad secundum, Dec. cons. 441. num. 9. & seqq. Stracc. loc. alleg. num. 19.*

Quod verò Antonius habuerit in manibus pecunias redactas ex mercibus Pisotti ex quibus potuisset extinguere prius dictã summam, nullibi iustificatur, & contrarium colligitur ex litteris eiusdem Pisotti, & ex computis per ipsum approbatis.

Verum quia in hac positione non videbatur iustificatum cambia nõ fuisse realia,
3 & propterea reprobata tã ex constitutione
san. mem. Pij V. quam de iure, vt fuit resolutum *in Mediolanen. pecuniaria 23. Martij 1602. coram Litta.* ex qua collitur fundamentum quod fiebat super approbatione Pisotti in computorum solidatione; non
4 enim standum est assertioni † partium, ne
aperiatur via fraudibus, ac vsurariæ prauitati, *Bart. in l. si forte, ff. de castr. pecul. Ias. in l. donationem, C. de collat.* licet posset etiã dici approbationem intelligendam esse, quatenus cambia sint realia. Ideò Domini resoluerunt cambia deberi si illa probantur realia.

Et ita decisum.

## FIRMANA ALTARIS.

*Veneris 20. Iunij 1614.*

### ARGVMENTVM.

Patronus præsentans scienter indignum, an possit alium præsentare, & an si maiorum pars patronorum præsentet scienter indignum, totum ius deuoluatur in præsentatum à minori parte.

### SVMMARIVM.

1 *Subrogatio vt possit denegari ex capite calumniæ, lis debet à principio probari calumniosa.*

2 *Præsentatione scienter facta de indigno à maiori parte patronorum, totum ius deoluitur ad præsentatum à minori parte.*

3 *Declara hoc procedere quando præsẽtatio fit*

*à pluribus patronis vti singulis non autem à Collegio, & Vniuersitate.*
4 *Vniuersitatis integra potestas residet penes totam vniuersitatem, vel saltem maiorem partem.*
5 *Scientia statuti, & consuetudinis loci in ciue & incola præsumitur.*
6 *Testibus falsis nulla fides adhibenda.*
7 *Enunciatiua vbi de enunciato principaliter quæritur non probat.*
8 *Patronus præsentans scienter indignum non potest alium præsentare.*
9 *Lis post rem iudicatam præsumitur calumniosa, & maximè si concurrat subsequens possessio illius vigore longæua.*

DECISIO LVIII.

PRopositio per me dubio, vtrum standum esset in decisis coram me die 31. Ianuarij præteriti in hac eadem causa Domini censuerunt recedendum esse non quod reuocauerint in dubium conclusionem in dicta decisione firmatam, adhoc vt possit denegari ex capite calumniæ subrogatio,
1 † debere litem à principio probari calumniosam ex decisionibus *Cassad. in d. decis. allegat.* Verum re maturius discussa; ideo à decisis recedendum existimarunt, quia ex facto colligitur Ricciottum posse se etiam à causæ limine à manifesta calumnia excusare dum falsum narrauit se præsentatum à maiori patronorum parte Coriolanum verò à quibusdam tantum patronis, cum tamen totum contrariũ appareat ex scrutinio de vtroque facto, nam ex 34. suffragijs Ricciottus habuit solùm 18. Coriolanus verò 25.

Et licet vera sit in iure conclusio in de-
2 cisione firmata, vbi maior pars † patronorum præsentauit scienter indignum, tunc totum ius deuolui ad præsentatum à minori parte *c. dudum il 1. & ibi not. DD. de elect.* tamen plures fuerunt datæ à Dominis responsiones.

Quarum prima est prædictam conclusionem procedere, vbi præsentatio fit à plu-
3 ribus † patronis vti singulis, non autem à Collegio, & Vniuersitate, vt in his terminis fusè declarat *Lambert. de iurepat. par. 3. lib. 2. art. 5. quæst. 4. num. 1. vers. quod tu intellige*, ea maxime ratione, quia in Vniuersitate non attenditur nisi quod fit à maiori
4 parte, cum illius integra † potestas resideat penès totam Vniuersitatem. *Ant. Butr. in cap. 3. num. 11. vers. & est ratio de iurepat. Abb. cons. 57. num. 1. vers. sed si Episc. opus, argum. c. Ecclesia il 1. de elect. d. Lambert. d. quæst. 4. art. 2. num. 3.*

Quo posito fundamento cum constet præsentationem fuisse factã non à patronis vti singulis, sed ab Vniuersitate, & appareat ex depositionibus testium, dispositione statuti, consuetudineque in hoc loco recepta nihil posse dici gestum per Communitatem nisi concurrant duæ ex tribus partibus suffragiorum, necessario sequitur Ricciottum, qui ab ea parte quæ non potest constituere Vniuersitatem fuit præsentatus, à nemine fuisse præsentatum, cum non possit dici maior pars stante prædicto statuto, & consuetudine si non ascendit ad duas ex tribus partibus, vt superius dictum, & probatum est.

Nec visum fuit Dominis Ricciottum posse se excusare sub prætextu ignorantiæ statuti, multoque minùs consuetudinis,
5 cum sit † ciuis, & incola illius loci ex cumulatis per *Menoch. præsumpt. 3. num. 2. lib. 2.*

Fuit etiam pro parte Ricciotti responsum non fuisse, prout requirebatur satis concludenter doctum de tali indigna præsentatione Coriolani, nam non probatur in præsentatione facta ad fauorem Coriolani interuenisse eius consanguineos nisi ex testibus cum quibus tanquam falsi dam-
6 natis nihil actum est, illisque nullam † esse fidem adhibendam iam fuit resolutum coram bo: me: Penia 30. Octobris 1602.

Nec suffragari potest mandatum procuræ ad præsentandum per plures dies postea factum à Prioribus in quo enunciatur præsentia Damiani asserti consanguinei Coriolani, quia dictum mandatum est quid diuersum ab actu electionis factæ in publico Consilio, cum dicta electio facta in publico Consilio fuerit sub die 35. Septembris 1591. & dictum mandatum fuit datum sub die 14. Octobris tunc immediatè sequẽti, & quidem non à tota Vniuersitate, quæ electionem fecerat, sed à Prioribus tantum ad quos spectat exequi facere resolutiones in publico Consilio factas, & propterea non probatur existentia personæ Damiani in electione facta in d. Consilio etiamsi interuenerit in confectione dicti mandati, & licet in mandato enuncietur Priores, & alios Consiliarios Terræ iudicantes Coriolanum pro magis idoneo eundem præsentasse, tamen ista assertio non probat Damianum fuisse præsentem dictæ electioni

electioni factæ diuerso tempore, tum quia potest verificari in tribus tantum Prioribus, & non in omnibus Prioribus cum sine quatuor. Et ideo mandatum fuit concessum tantum à tribus, tum etiam quia cum
7 sit enunciatiua † de præterito, ac de tempore recenti, & hodie de enunciato principaliter dubitetur nihil probat, *Paris. cons. 94. num. 19. lib. 1. Put. decis. 381. num. 3. lib. 1. Card. Seraph. decis. 1278. num. 3. par. 2.* & fuit sepe decisum.

Quæ verò obijciebantur contra capacitatem Coriolani optimè fuerunt sublata per informantes pro Conuentato quorum responsiones Dominis placuerunt.

Denique dixerunt Domini, quod etiam si constaret de indigna præsentatione tamen dictam narratiuam non posse saluari à suspicione calumniæ, quia si verum est patronos præsentasse sciēter Coriolanum indignum, sequitur præsentationem postea factam ab eisdem de persona Ricciotti non posse subsistere cũ per primam præsenta-
8 tionem, † nullam, amiserint ius præsentandi, *dicto cap. dudum vbi DD.* sicque per consequens ipse falso narrauit se à maiori parte patronorum præsentatum.

In quam sententiam, eo libentius ierunt Domini; quia hodie Ricciottus petit subrogationem post iuramentum ab eo præstitum de stando vnicæ post tres sententias Rotales post rem iudicatam, post commissam causam restitutionis in integrum, & illam desertam, nedum per vnum quadriennium, sed per longiora tempora, quæ
9 maximam † inducunt calumniæ suspicionem, *Clem. vt calumnijs de re iudicat.* maximè quia Coriolanus ab inde citra possedit per tantum temporis spatium, vt Rota die 6. Iunij 1611. coram Reuerendissimo Lugduneñ resoluerit ipsum effectum esse triennalem possessorem.

Ex quibus ita vtraque parte informante fuit decisum.

## ROMANA CENSVS.

*Luna 23. Iunij 1614.*

## ARGVMENTVM.

Census emptio præsumitur facta ad fauorem matris, si pro ipsa emptio cantet, & ipsa non fuit expressa vti mater, & tutrix.

## SVMMARIVM.

1 *Census esse dicitur illius ad cuius fauorem emptio cantat maxime si contractus nõ fuit conceptus per verba importantia retrouenditionem, sed simplicem venditionem, & num. 2.*

3 Auth. minoris debitor, C. qui tut. dari *poss. intellectus, & num. 4.*

## DECISIO LIX.

CVM D. Alexander Bonianninus vigore fideicommissi ad sui fauorem purificati introduxerit iudicium coram A. C. super immissione in quasi possessionem cuiusdam census impositi ad fauorem q. Ioannis fideicommittentis per q. D. Brutum de Valle contra eius hæredes, fuit pro parte dictorum hæredum oppositum de extinctione census per venditionem, seu cessionem illius factam per Petrum Bonianninum vti tutorem hæredum dicti Ioannini D. Siluiæ matri, ac tutrici dictorum hæredum D. Bruti; Vnde orta difficultate super validitate dictæ venditionis, ob non seruatas solemnitates in alienatione rerum minorum requisitas, fuit datum dubiũ, an emptio census per D. Siluiam fuerit facta ad fauorem ipsius, seu filiorum, quo per me in Rota proposito, Domini responderunt pro Alexandro informante eum DD. de Valle sæpius citati noluerunt informare, sed dederunt solum memoriale, in quo rationes pro ipsis fuerunt deductæ, & Domini moti sunt ex eo quod ex tenore In-
1 strumenti satis constat † venditionem census fuisse factam ipsi D. Siluiæ non expresso nomine matris, aut tutricis, & sic nomine proprio, *l. si ita stipulatus, §. Chrisogonus, ff. de verb. obligat. Menoch. præsumpt. 49.*
2 *num. 25. lib. 3.* maximè quia † contractus non fuit conceptus per verba importantia retrouenditionem, sed simplicem venditionem, ibi: *Cesserunt &c. omnia iura, nullo iure ponentes &c.* signum euidens cessionem factam non fuisse ex necessitate pacti legalis de retrouendendo, sed fuisse voluntariam prout cuilibet tertio, quæ omninò corruit non seruatis solemnitatibus, vt fuit sepe decisum, & nuper in vna Romana Casalis coram me.

Non obstat, *Auth. minoris debitor, C. qui*
3 *tutor. dari poss.* Quia † illa non procedit, quando administratio est penès patrem, vel matrem, aut auiam, vt ibi *gloss. in princip. vers. item ex eo quod excipitur. Salycet. num. 5. vers. quaro tertio. Bald. num. 3. vers. sic per gloss. quaritur. Alber. num. 10. vers.*

*item quarto. Angel.num.4. gloss.in authen. vt fine prohib. matr. in vers. matrum. Bart. in auth. vt ij qui oblig. se hab. pro minori. Guttier. de tutor. & curat. par.1.cap.20. num.16. & fuit resolutum in vna Romana de Iacomellis 23. Aprilis 1611. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.*

4 Accedebat etiam hoc casu † ex quatuor filijs vnum tantum fuisse de tempore dictæ cessionis minorem, dispositio verò d. auth. habet locum in eo, qui actu curam minorum exercet, vt fuit dictum in d. Romana de Iacomellis.

Dixerunt etiam Domini superfluum esse quærere de veritate huius dubii si verum est in facto non probari dictum Petrum Bonianninum non fuisse tutorem, quia cessio fuisset absque difficultate nulla ex defectu potestatis.

Et ex his fuit dictum emptionem census per D. Siluiam Iustinam fuisse factam ad fauorem ipsius non autem filiorum.

## TREVEREN. DECIMARVM.

*Lunæ 26. Maij 1614.*

### ARGVMENTVM.

Clausula, Arbitrio &c. quid importet.

### SVMMARIVM.

1 *Arbitrium regulatur à iure.*
2 *Nullitas sententiæ ex defectu citationis non est sanabilis.*
3 *Sententia lata post plures menses à die cōclusionis in causa non substinetur nisi concurrat noua citatio.*
4 *Nullitas ex defectu iurisdictionis non sanatur etiam stante clausula, arbitrio.*
5 *Arbitrium nō datur ad reuocandū sententiā.*
6 *Papa non præsumitur alicui præiudicium inferre per clausulam, arbitrio.*
7 *Testium examen nullum ob defectum citationis Rota solet sanare vbi sunt data interrogatoria.*

## DECISIO LX.

1 Dominis visum fuit non esse locum arbitrio, quia eum † illud reguletur à iure, *Cas. de Grass. decis.7. num.7. de sent. & re iudic.* & fuit sæpissimè decisum, de
2 iure est vt † sententia nulla ex defectu citationis non sit sanabilis, *Stafil. de litter. iustit. tit. commiss. an non det. super valid. processu. num.11. Sarnen. in compend. vtriusque Signat. num.68. Vant. de nullitat. ex defectu citationis num.9. & fuit dictum in Zamoren. pecuniaria 20. Martij 1609. coram R. P. D. meo Caualerio.*

Non obstat fuisse conclusum in causa,
3 quia † cum fuerit lata post plures menses à die conclusionis requirebatur noua citatio, vt fuit dictum *in Astoricen. Dismembrationis 29. Martij 1597. coram bo: me: Penia.*

4 Accedebat etiam † nullitas ex defectu iurisdictionis in commissione non expressa quæ nunquam venit in commissione sanatoria. *Vestr. in prax. lib.5. cap.13. num.4. Staphil. de litter. iustit. in d. tit. commiss. an non det. num. 11. & 13. & fuit dictum in Tirasonen. Vnionis 23. Ianuarij 1609. corā R. P. D. meo Caualerio.* fuit enim lata lapsis fatalibus post quatuor annos contra *text. in c. sit Romana, & cap. ex ratione de appellat.*

Quæ omnia, eo magis procedere hoc casu Domini dixerunt, quo dicta sententia fuit ex capite nullitatis per aliam reuocata
5 arbitrium † autem non datur ad reuocandum, vt fuit pluries decisum, & multo minus cum vltima sententia fecit transitum in iudicatum, & per consequens ius quæ-
6 situm fuit parti † cui præiudicium inferri per talem clausulam arbitrio Papæ non præsumitur, *l. 2. §. merito, & §. si quis à principe, ff. ne quod, in loco public. Bart. in l. ambitiosa, num.12. ff. de decret. ab ordi. fact. & in l. toties, §.1. ff. de pollicitat. Angel. cons. 139. num.2. vers. constat autem vigore arbitrij. Dec. cons.72. num.1. vers. & licet haberent arbitrium. Ruin. cons.175. num.6. lib.1. & cons.105. num.8. lib.5. late Menoch. de arbitr. quæst.48. num.1.*

Quo verò ad testes quorum examen prætenditur nullum ob defectum citatio-
7 nis ad videndum iurare testes, licet † Rota soleat sanare prædictum defectum vbi sunt data interrogatoria, prout hoc casu, *iuxta decis. Put. 300. in noua impress. lib.3.* Tamen dicebatur pro parte Capituli interrogatoria fuisse data pro testibus examinandis in Ciuitate Leodieñ, Testes verò fuisse examinatos in loco Conde, qui dicitur suspectus Capitulo à Iudice subdelegato in suo Capitulo, itaut Capitulum non potuerit circa illos testes adducere in dictis interrogatorijs totum id quod adduxisset si ad eius notitiam peruenisset subdelegatis, prout requiritur vt sit locus sanationi, vt expressè legitur in dicta decis. Put. Verùm quia

quia tota difficultas reducitur ad lecturam interrogatoriorum, quorum copiæ non fuerunt Dominis datæ, ideo fuit reseruatum vt particulariter super hoc videatur data copia illorum.

Et ita decisum.

HISPALEN. CONCORDIAE.

*Veneris 4. Iunij 1614.*

ARGVMENTVM.

Ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Testes examinati sine citatione partis dicuntur validè examinati, quando de consuetudine talis citatio continetur in concessione termini dati ad probandum.*

2 *Examinis nullitatem non causat interrogatoriorum commissio si pars monita illa dare non curauerit.*

3 *Arbitrium relaxat aliquantulum de iuris rigore.*

4 *Arbitrium pro sanatione examinis concessum intrat datis interrogatorijs.*

DECISIO LXI.

DOmini censuerunt intrare arbitrium pro sanatione testium vtriusque partis; nam quoad testes examinatos pro parte Hospitalis, cum Iudex receperit causam cum termino nouem dierum ad probandum, quod decretum fuit partibus intimatum, nedum adest virtualis citatio ad videndum iurare testes, sed certa, & expressa propter formulam traditam à Suarez del Paz *in suo tractat. par. 1. tom. 1. tit. 8.*
1 *sub rubr. de sent. inter locut.* † quam formulam esse attendendam propter stylum illarum partium fuit in Rota sæpe decisum, vt in *Conchen. Decimarum Ven. 17. Iunij 1611. coram R.P. D. meo Decano, in alia Conchen. Decimarum Veneris 18. Maij 1612. coram R.P.D. meo Pirouano, & in Vallisoletana Iurisdictionis Ven. 6. Iunij proximè prateriti coram R. P. D. meo Verospio.*

Non obstat non fuisse data interrogato-
2 ria pro parte Beneficiatorum, quia † interrogatoriorum ommissio non causat nullitatem examinis cum pars monita illa dare non curauerit, *Dec. in c. licet causam nu. 56. de probas. Rota diuers. decis. 68. num. 2. lib. 3. par. 3. fuit dictum in Ispalen. Matrimonij 28 Ianuarij 1608. coram Reuerendiss. Bonon. & in dicta Vallisoletana coram D. meo Verospio.* Maximè in Regnis Hispaniarum vbi in Tribunalibus Ecclesiasticis interrogatoria non semper dantur, vt fuit dictum in d. Conchen. coram D. meo Decano, & in d. Vallisoletana.

Et licet ex his remaneat sublata omnis nullitas tamen vbi posset adesse aliqua dif-
3 ficultas illa tollitur ex clausula, † *arbitrio* quæ relaxat aliquantulum de iuris rigore, *decis. Cresc. 4. de testib.* fuit dictum in dicta Vallisoletana, & sæpe in alijs causis.

Quo vero ad testes examinatos pro parte Beneficiatorum nullam posse fieri difficultatem Dominis visum fuit cum fuerint examinati intra terminum probationum, & cum interrogatorijs datis pro parte Hospi-
4 talis, quod sufficit pro sanatione, iuxta *decis. Put. 301. lib. 3. Cresc. decis. 4. de testib. & decis. 1. de ferijs, Rosa diuersor. decis. 1845. par. 3.*

Ex quibus Domini resoluerunt intrare arbitrium.

SALERNITANA CONTRIBVTIONIS.

*Veneris 14. Nouembris 1614.*

ARGVMENTVM.

Appellatio debet interponi coram Iudice, nedum ex dispositione iuris Cæsarei, sed etiã ex stylo Rotæ, ac aliorum Vrbis Tribunalium, nisi Iudex sit absens, & vbi Notarius recusat accedere, potest adhiberi alius Notarius ad referendum.

*SVMMARIVM.*

1 *Paria sunt non appellare, & minus legitimè appellare.*

2 *Appellatio debet fieri coram Iudice.*

3 *Limita si præsentia Iudicis adhiberi non potuit.*

4 *Procurator non excusatur ex eo quod Notarius nolit accedere ad Iudicem ad effectum vt coram ipso appellatio interponatur ex quo alio Notario vti potest ad referendum. num. 5.*

6 *Rota non attendit, sententias aliorum Tribunalium nisi constito de earum iustitia.*

7 *Sententia nulla, vel iniusta, quæ non verificatur ex actis, non transit in iudicatum.*

DECISIO LXII.

PRopoſito dubio vtraque parte informante, An conſtet de re iudicata ſententiæ Rotalis alias ſub die 12. Maij præteriti informante ſolum Monaſterio reſoluerunt Domini ſtandū in deciſis nempe conſtare de re iudicata eodem fundamento in deciſione deducto, quod per procuratorem Monialium non fuerit legitime
1 appellatum cum paria ſint † non appellare & minùs legitimè, vt fuit etiam dictum in vna *Mediolanen. Iuriſpatronatus* 10. *Ianuarij* 1612. *coram R.P.D.meo Vbaldo,& in Calaguritana de Amones* 25. *Maij eiuſdem anni coram* R. P. *D.meo Manzanedo*.

Fuit autem minus legitimè appellatum ex quo appellationis cedula fuit dimiſſa in manibus Notarij vltima die termini
2 cum tamen † coram Iudice appellari debuiſſet, nedum ex diſpoſitione Iuris Cæſarei, & Canonici . *l.* 1. *§.dies, ff. quando appellan. ſit canonizata in c. biduum* 11. *qu.*6. *c. vt debitus de appellat. c. cordi eod.tit. lib.*6. *Clem.*1.*eod.tit. gloſſ. in c. appellatio, in verbo Iudici, & ibi poſt alios Franc. ſub num.*3.*eod. tit. cum alijs per Mandoſ. in add.ad Lap. allegat.*38. *in verbo in præſentia* .

Sed etiam ex ſtylo huius, & aliorum Tribunalium , vt atteſtantur Primarij Curiæ Procuratores , nec placeret Dominis hunc ſtylum laudabilem iuri conformem immutari, eſſetque res periculoſi exempli, ſi Notarijs facultas daretur recipiendi appellationes interiectas in abſentia Iudicum.

Vnde non viſum fuit hoc caſu eſſe lo-
3 cum doctrinæ † Baldi *in auth. quæ ſupplicatio num.* 3. *C. de precibus imper. offer. quam ſequitur Alex. in add. ad Bart. in l.* 1. *§. libelli , in litt. g. ff. de appellat. & alij allegati per Informantes pro Monialibus*, nam vt declarat *Cranet. in add. ad Veſtr. lib.*7. *cap.*3. *num.*58. *verſ.cæterum Baldus* ; dicta doctrina procedit vbi Iudicis præſentia haberi non poſſet, vt idem tradit poſt alios Guidop. *deciſ.*436.*num.*64. *verſ. in abſentia tamen Iudicis . Mandoſ. ad Lap. in dicta allegat.*88. *in verſ. ſi quis* . Hoc vero caſu nedum non fuit probatum, non potuiſſe haberi acceſſum ad Iudicem, ſed ex facto conſtat de contrario, cum eadem die, qua Procurator dimiſit cedulam penès Notarium adierit Iudicem , & licet Notarius
4 noluiſſet adire Iudicem, tamen ob id procurator non excuſaretur , quia alius pote-
5 rat adhiberi qui † rogaretur de dicta appellatione ad referendum iuxta ſtylum Curiæ, vt fuit dictum in alia deciſione .

Non obſtare viſum fuit Dominis, quod dicebatur pro parte Monialium ſententiam Rotalem ex duplici capite laborare vitio nullitatis,quia ſcilicet reuocauerat ſententiam vltimo loco in hac cauſa extra Rotam latam, quæ tranſitum fecerat in rem iudicatam, etiam parte opponente, deinde quia integra acta non fuerunt coram R. P. D.meo Vbaldo tranſportata.

Reſponſum enim eſt quoad primum ca-
6 put tritum eſſe Rotæ † Tribunal non attendere , nec exequi ſententias extra Rotam latas prætextu rei iudicatæ niſi conſtito de earum iuſtitia, quod tantum abeſt, vt conſtet quin potius coram bon.mem.Illuſtriſſimo Card. Pamphilio die 21. Iunij 1599. fuit dictum dictam ſententiam extra Rotā latam eſſe reuocandam , deinde coram R. P. D. Vbaldo fuit reſolutum non conſtare de bono iure Monialium, vnde intrat iuris
7 regula ſententiam † nullam , vel iniuſtam quæ non verificatur ex actis non tranſire in rem iudicatam . Quoad ſecundum caput attinet viſum fuit non verificari in facto .

Verùm antequam ad executionem huius rei iudicatæ procedatur exiſtimarunt Domini ex ſolita benignitate Moniales ſuper deciſione facta coram R.P.D. Vbaldo ſine præiudicio iurium partium iterum poſſe audiri .

Et ita deciſum .

FERRARIEN. BONORVM.

*Lunæ* 10. *Nouembris* 1614.

ARGVMENTVM.

De alienatione bonorum Eccleſiæ non ſeruata forma reſcripti .

*SVMMARIVM.*

1 *Forma reſcripti, ſpecificatis rebus, an intelligatur ſeruata per expreſſionem rerum in genere* .

2 *Forma reſcripti , ſpecificatis rebus, ſeruatur per expreſſionem ſpecialem inductam ſub nomine comprehendente plura numero differentia* .

3 *Expreſſio facta ſub nomine comprehendente plu-*

*plura specie inter se differentia non potest dici specifica.*

4 *Alienatio bonorum Ecclesiæ non potest iudicari facta in euidentem vtilitatem non specificatis bonis, & finibus eorum, quæ alienari debent.*

5 *Impeditus excusatur.*

6 *Forma rescripti est ad vnguem obseruanda, & stante impossibilitate adeundus est Princeps.*

7 *Onus probandi negatiuam incumbit opponenti.*

## DECISIO LXIII.

VT satisfacerem informantibus pro D. Marchione proposui dubium alias resolutum sub die 16. Iunij 1614. & Dominis placuit decisio ex eisdem fundamentis in ea latè deductis.

Nec obstare visum fuit quod dicebatur
1 pro forma huius rescripti† sufficere expressionem rerum in genere *iuxta consf. Menoch.* 287. *num.* 6. quia si verba & mens d. Menochij in d. consf. perpendantur, hoc non fir-
2 mat, † sed quod sufficiat expressio specialis inducta sub nomine comprehendente plura numero differentia vti ipsemet asserit *num.* 9. *ibidem secundum doctrinam Ripæ in l.* 1. *num.* 26. *de vulg. & pupill.*

Verum in hoc casu expressæ fuerunt dumtaxat villæ Contenta autem in villis id est res, bona, decima, & alia iura quæ per rescriptum mandabantur specificari, non solo numero, sed specie inter se differunt,
3 & propterea horum respectu † expressio non potest dici specifica, quod Fusius explicat *Bart. in d. l.* 1. *nu.* 7. *de vulg. & pupill.* vnde sequitur tradita à *Menochio in d. consf.* huic casui non applicari, *vt ibi habetur n.* 28. 42. *&* 43.

Et vnum est quod fuit firmatum in de-
4 cisione & admittit *Menoch. ibi num.* 23. hanc specificationem requiri vt Commissarii scire possint quid comprehendatur in alienatione, vt dignosci queat an sit vtilis, quæ vtilitas in casu de quo agitur an adesset, sciri non poterat, nisi specificatis etiam bonis, & finibus ipsorum, cum sit in confesso apud partes bona fuisse incognita, & fuerunt expressæ solum villæ, quæ potius generica, quam specifica expressio dici posset, in casu vero Menoch. de vtilitate constabat ex alijs per eum ibi deductis.

Deinde cum fuerit narratum Papæ bona dictarum villarum fuisse incognita; illaque D. Marchionem proprijs expensis in dagaturum, & Papa rescripserit cum clausula, *quatenus villis, rebus, bonis & iuribus prædictis prius coram vobis specificatis &c.* colligitur eius voluntatem fuisse, vt præter expressionem villarum deberent etiam exprimi res, bona, & iura illis diligenter perquisitis per D. Marchionem, antequam alienatio per Commissarios cōfirmaretur, vt non solum constaret de vtilitate, sed etiam Ecclesia sciret, quæ bona ipsi remanerent finita locatione ex deductis in decisione.

Non obstat tunc temporis fieri non po-
5 tuisse† hanc specificationem, & propterea excusandum D. Marchionem ex alleg. per *Bald. consf.* 57. *num.* 4. *& seq. lib.* 1. nam cum esset data certa forma à Papa illa erat ad
6 vnguem obseruanda, † & stante impossibilitate Commissarij non poterant deuenire ad confirmationem vigore rescripti, sed erat adeundus Summus Pontifex, vt prouideret iuxta *text. in c. si quando ibi aut per litteras tuas quare adimplere non possis rationabilem causam prætendas, & ibi Abb. sub numer.* 1. *& cæteri Canonistæ de rescript.*

Dum autem dicebatur ad D. Episcopū
7 spectare† probationem non specificationis iuxta *decis. Seraph.* 1307. *num.* 4. fuit responsum satis probatum fuisse ex lectura & reuolutione totius processus in quo solum villæ leguntur expressæ, *Grauet. consf.* 138. *num.* 5. *Caput. decis.* 192. *num.* 3. *par.* 3. *Rot. diuers. decis.* 64. *num.* 2. 4. *&* 7. *par.* 1. *& habetur in dicta decis. Seraph. sub num.* 3. sed in illo casu non aderat transportatio totius processus & alia concurrebant pro affirmatiua.

Ad alia verò deducta contra alia fundamenta decisionis, & præcipuè super nullitate ex defectu citationis Dominis placuerunt responsiones datæ in decis.

Et ex his vtraque parte informante ita decisum.

## ROMANA FRVCTVVM CENSVS.

*Mercurij 19. Nouembris 1614.*

### ARGVMENTVM.

Interusuria dotis non debentur dissoluto matrimonio.

SVMMARIVM.

1 *Dotis interusuria debentur ex æquitate ratione onerum, quæ propter vxoris personã substinet maritus.*

2 *Dotis fructus debentur viduæ facta interpellatione.*

3 *Verba in Instrumento apposita habent vim legis.*

4 *Conditione non purificata perinde habetur ac si actus dispositiuus nunquam factus fuisset.*

5 *Conuentio resoluta ex conditione apposita de vtriusque partis consensu non potest reuiuiscere per solum consensum vnius.*

6 *Ad interesse obligatio cessat resoluta obligatione quo ad sortem.*

## DECISIO LXIV.

DOMINI censuerunt D. Ducem Cæsium non teneri ad fructus census, nec ad dotis interusuria, & minus ad damna seu interesse.

Et quoad interusuria dotis præcipuum Dominorum fundamentum inde desum-
1 ptum fuit, quia † cum illa debeantur ex æquitate ratione onerũ quę propter vxoris personam substinet maritus, vt per *DD. in c. salubriter de vsur. Alex. cons. 74. numer. 12. & cons. 141. num. 7. lib. 5. Thesaur. decis. 43. num. 2. Surd. de alim. tit. 1. q. 45. num. 2.* cessat æquitas vbi matrimonium fuit dissolutum per mortem vxoris, vt in puncto fuit resolutum in vna *Bononien. dotis 4. Iulij 1597. coram bo. me. Illustriss. Pamphilio.*

Nec D. Dux ab Altemps potest se iuua-
2 re statuto Vrbis, quia † illud loquitur de Vidua, & requirit interpellationem coram Iudice factã, quæ hoc casu deficit ad *Bart. in l. 1. §. 1. ff. ne quid. in flum. public. Luc. Pet. in prax. Capitol. lib. 4. cap. 8. num. 5. & fuit dictum in Romana fructuum dotis 27. Februarij 1606. coram bon. mem. Penia.*

Quo vero ad fructus census Domini moti sunt ex verbis instrumenti accollationis census, illa enim non fuit pura & simplex sed limitata ad duos annos quibus elapsis fuit conuentum, vt instrumentum pro infecto absque alia declaratione haberetur, & cum hac conditione voluerunt contrahere, & non alias nec aliter &c. Hæc sunt
3 verba partium in Instrumento † apposita ex quibus legem sibi ipsis dixerunt, *l. 1. §. si conuenerit, ff. depositi latè Card. Mantic. de contract. lib. 3. tit. 16. num. 1.* & per conse-
4 quens cum † ista accollatio fuerit conditionalis non purificata conditione per extinctionẽ infra biennium, perinde habetur ac si accollatio nunquam facta fuisset, *Bald. in l. siquidem num. 3. C. de except. Alex. cons. 3. n. 4. lib. 1. Gabr. cons. 185. n. 1. lib. 1. Caput. decis. 82. n. 4. par. 3.*

Nec visum fuit releuare pactum hoc resolutiuum fuisse appositum in fauorem D. Ducis ab Altemps, qui non solum eo vti noluit, sed potius constat de contrario post quam permisit vt D. Dux Cæsius extinguere censum, nam placuit responsio prædi-
5 ctam † conditionem fuisse appositam de vtriusque partis consensu, vnde illa resoluta non potest prior conuentio reuiuiscere per solum consensum vnius, *l. 1. §. conuentionis in fin. ff. de pact. l. cõsensu ff. de actio. & oblig. Rota Ianuen. decis. 14. num. 33. Cas. de Grass. decis. 1. num. 3. de transact.* & ita licet D. Dux Cæsius extinxerit censum, nõ tamen sequitur fuisse post resolutionem contractus obligatum ad fructus, sed solũ ad eam summam quam antea debebat pro dote.

Et ex his resultat D. Ducem Cæsium nõ
6 teneri ad damna & interesse, quia † resoluta obligatione quoad sortem cessat quoque obligatio ad interesse vti accessorium, *cap. access. de reg. iuris in 6. cum vulgarib. Rota Ianuen. decis. 61. num. 1. & 200. num. 5.*

Et ita decisum.

TERRACINEN. SALVIANI.

*Veneris 5. Decembris 1614.*

Argumentum ex Summario.

1 *Aegidianæ est locus quando sententia est lata in summarijssimo possessorio & est valida & iusta.*

## DECISIO LXV.

VNA tantum parte informante Domini dixerunt esse locum Aegidianæ.
1 Cum enim † sententia lata fuerit in summarijssimo possessorio manutẽtionis vt apparet ex verbis sententiæ, cuius iustitia clarè probatur ex ampla *decisione R. P. D. mei Manzanedi sub die Mercur. 21. Maij 1614.* validitas verò ex inspectione processus nulli dubium esse potest locum esse executioni illius ex dispositione Constitutionis Aegidianæ *Vestr. in prax. lib. 7. cap. 3. num. 5.*

*num. 5. Card. Seraph. decis. 603. in princ. p. 1. & dixit Rota in vna Fauentina Saluiani 30. Martij 1607. coram Reuerendissimo D. Lugdunen.*

Et ita decisum pro informante.

ASSISIEN. PECVNIARIA.

*Veneris 19. Decembr, 1614.*

ARGVMENTVM.

Sententia valida & iusta est confirmanda.

*SVMMARIVM.*

1 *Sententiæ validitas ex quibus conuincatur.*
2 *Sententiæ iustitia resultat ex decisionibus in causa factis.*

DECISIO LXVI.

DOMINI dixerunt sententiam Rotalem latam tanquam in prima instan-
1 tia esse confirmandam, † est enim valida, cum constet de Iurisdictione, mandatis, & citationibus necessarijs vt apparet ex reuolutione actorum, vt fuit sæpè in Rota decisum, & nuper in illa *Argentina Canonicatus die 8. Nouembris 1613. coram me*, & contra eius validitatem nihil opponitur.

Multo minus dubitari potest de iustitia
2 dictæ † sententiæ stantibus decisionibus in hac causa factis & primo *coram Reuerendiss. Lugdunen. die 31. Ianuar. 1611. deinde coram R.P.D. meo Pirouano die 29. Nouembris 1613. & 13. Iunij 1614.* in quibus hęc causa maturè fuit discussa & sententia remanet quoad iustitiam attinet iustificatissima.

Et ità decisum vna tantum parte Informante.

FAVENTINA DONATIONIS.

*Veneris 19. Decembr. 1614.*

ARGVMENTVM.

Quando intret arbitrium ad effectum præstandi fidem testibus nulliter examinatis.

*SVMMARIVM.*

1 *Examinis nullitates solet Rota sanare ex clausula arbitrio.*
2 *Et maximè arbitrium intrat si testes verisimilia deponant.*

DECISIO LXVII.

DOMINIS sine vlla difficultate visum fuit intrare arbitrium ad effectum adhibendi fidem testibus examinatis pro parte Caccianimici de Caccianimicis, ex quibus probatum fuit ipsum suscepisse filium post factam donationem in fauorem matris nō obstante nullitate examinis prętensa quia in processu de partibus deficiebat citatio ad videndum iurare testes.

Mori sunt DD. hoc præcipuè fundamē-
1 to, quia † ex eodem processu clare constat testes examinatos cum interrogatorijs partis aduersæ, quæ nihil potuisset agere vltra id quod egit vnde stante clausula *arbitrio*; quæ aliquid remittit de iuris rigore ad euitandos inutiles circuitus solet Rota sanare huiusmodi nullitates ex *Put. decis. 301. lib. 3. Graff. decis. 11. num. 8. de probat. Caput. decis. 149. par. 1. & fuit fusè dictum in Perusina Spolij 21. Aprilis 1606. coram bo. me. Penia & nuper in illa Ferrarien. affictus coram me die 9. Decembris 1613.* tanto magis quia non solum fuerunt data interrogatoria, sed etiam testes examinati præsente aduersæ partis interprete multęque leguntur factę diligentię vt apparet ex reuolutione actorum.

Considerarunt etiam DD. dictos testes
2 verisimilia † deponere cū detur attestatio & fides Baptismi & Chrismatis q. Caroli filij dicti Caccianimici per natiuitatem cuius prætenditur reuocata donatio facta à dicto Caccianimico in fauorē matris prædefunctæ ex rationibus fusè adductis in decisione coram me in hac eadem causa facta die 16. Iunij præteriti ex qua colligitur dictum Caccianimicum in negotio principali bonum ius fouere.

Ex quibus ità fuit decisum vna tantum parte informante.

AVENIONEN. ARRESTI.

*Veneris 12. Decembris 1614.*

ARGVMENTVM.

Sententia ex quibus confirmanda, & ex quibus deneganda remissoria.

*SVMMARIVM.*

1 *Sententia non publicata eodem die, quo fuit lata tanquam nulla ob defectum citationis non sanatur per arbitrium Rota datum.*

2 Re-

1 *Remissoria non datur si alias fuit concessa & nunquam expedita.*

3 *Dilatio frustra conceditur cuius expectatio potius dispendium quam commodum debet afferre.*

4 *Remissoria denegatur ad probandum stylum contrarium dispositioni alicuius statuti.*

## DECISIO LXVIII.

PROPOSITO dubio vtrum sententia lata ab A. C. esset confirmanda vel infirmanda aut danda remissoria petita ab Illustriss. Duce de la Marche Domini respondendo primæ parti dubij censuerunt, sententiam esse confirmandam, de eius enim validitate visum fuit constare, ex reuolutione actorum, è quibus apparet eam fuisse latam, seruatis seruandis præcedente iurisdictione, mandato procuræ, citationibus alijsque de iure requisitis.

Iustitia verò probatur ex eo quod A. C. sententiam latam ab Auditore Vicelegati Auenionen. nullam irritamque declarauit, cum clare appareat, dictum Auditorem Auenionen. nulliter pronuntiasse die enim 11. Ianuar. qua cadebat citatio pronuntiauit prout in cedula, & tamen hæc sententia solummodo die sequente decima scilicet tertia fuit consignata Notario, & ab ipso publicata, absque vlla partis citatione, & ideo insanabilis nullitatis ob defectũ citationis vitio laborare dignoscitur, non enim fuit publicata eodem die quo fuit lata contra dispositionem *tex. in l. 2. & 3. C. de senten. ex breuic. recitand. cap. fin. & ibi Franc. de sent. & re iudic. Vant. de nullit. sentent. tit. de defect. process. num. 69. Rot. decis. 705. par. 3. diuers. lib. 3. & in Fauentina successionis die 8. Nouembris 1601. coram bon. me. Corduba, & nouissimè fuit dictum in Foroliuien. Emphyteusis 1. Iulij 1613. coram Reuerendissimo Coccino Decano*, in qua eleganter ex multis rationibus & authoritatibus probatur, non solum huiusmodi nullitatem subsistere, sed etiam stante rescripto Sanctissimi pro sananda simili nullitate *arbitrio Rotæ*, non intrare arbitrium fuit decisum.

In quam sententiam eo lubentiùs iuerunt DD. quia ex ijs quæ deducuntur in facto, ex lectura Arrestorum Sanctionis Concilij Regis Christianissimi non leuis datur fumus iniustitiæ d. Auditoris Auenioneñ dum ipse dictum Illustrissimum de la Marche à petitis absoluit, illusoria dicta Arresta reddendo.

Nec obstare visum fuit DD. vnicũ fundamentum d. Illustriss. scilicet quod in calce dictæ cedulæ reperiatur adnotatum lecta & lata, responsum enim fuit, nõ fuisse publicationem, sed annotationem Iudicis in pede sententiæ, quæ non potest suffragari certum est enim sententiam illam vt apparet ex processu, clausam, & sigillatam fuisse solummodo consignatam à Iudice Notario causæ die 13. qua die ipse eandem se publicasse & aperuisse asserit, extra diem citationis, vnde implicat cõtradictionem, sententiam contentam in cedula fuisse lectam, & publicatam die 12, cum die 13. clausa & sigillata reperiatur consignata Notario cuius officium est, legere & publicare.

Quo vero ad secundam partem dubij DD. negatiuè responderunt, ea maxime
2 ratione, quia † illa alias fuit concessa, & nunquam expedita, vnde præsumitur calumniosa *l. non ignorat is, cum ibi not. C. de fructib. & lit. expens.* Deinde visum fuit articulos datos coram A.C. licet probati essent tamen non releuare, vnde frustra con-
3 ceditur † dilatio, cuius expectatio & finis potius dispendium quam commodũ vtrique parti debet afferre *arg. l. aliquando §. si sub conditione ff. ad Senat. C. Velleian. c. cum contingat iuncta glos. pen. de offic. & potest. Iudic. deleg. Cassad. dec. 2. de dilationib.* articuli enim dati non percutiunt factum de quo quæritur, quia eadem die qua pronunciauit Iudex prout in cedula, non fuit tradita Notario prout præsupponunt articuli.

Nec etiam existimarunt DD. verisimile esse ad sanandam huiusmodi nullitatem posse probari stylum contrarium, non solum dispositioni Iuris communis ex supradictis, sed etiam statuto eiusdem Ciuitatis Auenionñ *lib. 2. tit. de citationib. art.*
4 12. Ex quo † colligitur non solum eadem die sed etiam ipsamet citationis hora debere ferri sententiam, dum ibi dicitur, sẽtentias latas eadem citationis die ipsamet hora præsumi datas, nisi contrarium probetur, sicque prætensus stylus directæ statuti dispositioni repugnaret, ex quo in verisimilitudinis capite alias Rota in dicta Fauentina successionis in simili causa denegandam, ad probandum huiusmodi stylum, remissoriam iudicauit, ex rationibus adductis in d. decisione.

Ex quibus ita vtraque parte informante fuit decisum.

ROMANA, SEV FLORENTINA CAMBIORVM.

*Luna 12. Ianuarij 1615.*

ARGVMENTVM.

Cambia ex quibus iustificentur.

*SVMMARIVM.*

1 *Cambiorum realitas resultat ex litterarum transmissione, illarumque acceptatione, ac litteris redditus.*

2 *Cambij contractus quatuor personas exigit, limita num. 3.*

4 *Cambij litterarum transmissio constat ex copijs registratis in libris litterarum.*

5 *Et veritas ex litteris responsiuis, & partitis librorum mercatorum.*

DECISIO LXIX.

CVM fuerit in hac causa iam decisum deberi cambia vsque ad diem solutionis scutor. 4000. dummodo constaret ea fuisse realia, hodie proposui dubium reseruatum, & Domini affirmatiuè responderunt, nam ex iuribus post decisionem factam cõpulsatis constat litteras verè transmissas à Ciuitate Florentiæ diuersis mercatoribus ad nundinas Placentiæ illasque acceptatas fuisse, & ab eisdem mercatori-
1 bus easdem pecunias cum cambijs denuò fuisse reuersas quas vulgo tractas vocant, ex quibus resultat realitas cambiorum, vt per *Nauar. in 2. par. decret. de 7. præcept. ne furt. fac. numer. 289. Lup. de vsur. consult. 3. §. 2. num. 23. Rota Iannuen. decis. 37. sub n. 11. & dixit Rota in Mediolanen. Cambiorum 27. Martij 1602. coram Litta.*

Nec obstare visum fuit hoc casu concurrere solũ duas personas, scilicet tempum, & Mercatores Placentiæ, quibus fuerunt directæ litteræ, cum tamen debeant con-
2 currere quatuor, scilicet dans pecunias ad cambium, ac recipiens, & de vno loco scribens, in alio verò recipiens litteras, ac soluere debens, & exigens pecunias cambiatas, & tractas, *Bald. conf. 348. vol. 1.*
3 *Rota Iannuen. decis. 1. num. 27.* Domini enim responderunt mercatores posse ab ipsismet accipere pecunias, quo casu quilibet repræsentat duas personas, vt benè declarat dicta *decisio Iannuen. 1. num. 27. ex doctr. Bart. in l. seruus communis, in fin. ff. de stipul. seruor.*

Non obstat non fuisse exhibitas litteras originales Tempi, quia cum illæ transmissæ fuerint mercatoribus penès quos
4 remanent, satis de illarum transmissione constare visum fuit ex copijs registratis in libris litterarum, quibus datur fides, tam ex consuetudine, quam ex statuto Ciuitatis Florentiæ, vt de consuetudine, *Castr. in l. admonendi num. 43. ff. de iureiur. & ibi Ias. nu. 120. vers. vltra, Bart. ff. eod. Menoch. de arbitr. casu 91. num. 19. & de statuto Soc. sen. conf. 240. in princ. Fulgos. 198. in princip.*

Et illarum veritas comprobatur ex litteris responsiuis mercatorum residentium in ferijs, & ex partitis librorum Tempi, in quibus illi mercatores reperiuntur creditores, & debitores, prout negotium cambiorum, & transmissionis litterarum exi-
5 gebat, quos libros esse legaliter tentos eisque adhibendam fidem in iudicio, & extra, ipsumque Tempum esse mercatorem legalem optimè deponũt testes, itaut de illorum fide non videatur posse dubitari, *Menoch. post alios loc. cit. & conf. 39. num. 14.* Stante maximè quod inter mercatores alioquin bonæ famæ, & existimationis non requiritur nimis exactus, & scrupulosus iuris rigor, cum debeat, & soleat bona fides exuberare.

Partitas verò de quibus in dictis litteris spectare ad Pisottum, licet in illis eius nomen non sit expressum probatur ex ordine dato de recipienda eadem pecuniarum summa ad cambium ad computum dicti Pisotti, prout fuisse factum ex litteris cambiorum liquet.

Quæ autem deducta sunt ad probãdam nullitatem executionis litterarum compulsorialium visa sunt parui momenti, aut enim non subsistunt in facto, aut læuia satis visa sunt.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

ELNEN. BENEFICII.

*Veneris 19. Decembris 1614.*

ARGVMENTVM.

Arbitrio est locus ad effectum supersedendi in executione Breuis non docto clarè, & apertè de reseruatione, super qua Breue fundatur, Iuspatronatus in priuatis personis ex quibus probetur.

SVM-

SVMMMARIVM.

1 *Breuis executio non datur nisi plenè iustificata clausula,* constito.

2 *Clausula,* constito, *ad hoc, vt iustificetur, non sufficit probare reseruationem per iuris præsumptionem.*

3 *Iurispatronatus erectionis, & dotationis effectuatio probatur ex testamento, in quo iuspatronatus ordinatur.*

4 *Ordinarij assertioni in materia iurispatronatus multum defertur.*

5 *Consensus patroni habet vim præsentationis.*

6 *Iurispatronatus fumus sufficit ad effectum supersedendi in executione vigore Breuis.*

7 *Productio iurium post latam sententiam non impedit immissionem.*

8 *Limita si ex productis in continenti constet de bono iure.*

DECISIO LXX.

DOMINI censuerunt esse locum arbitrio ad effectum supersedendi in executionem Breuis, quia indubitata est conclusio non posse procedi ad executio-
1 nem Breuis, nisi plenè iustificata clausula, *constito*, itaut resultet clara, & aperta reseruatio super qua Breue fundatur, vt constat ex cumulatis per *Gonz. ad reg. 8. in proœm. §. 7. nu. 216. & seqq. & fuit dictum in Cordubem. pensionis 15. Nouembris 1557. coram Bubalo, in Celsonen. Præceptoriæ 4. Februarij 1605. coram R. P. D. meo Decano*; & in his terminis in *Vicen. Beneficij Sancti Martini 21. Febr. 1600. coram bo. me. Illustriss. Pamphilio, & in Gerunden. Beneficij 31. Maij 1600. coram Corduba.*

Et licet in hac causa fuerit probatum beneficium vacasse sede Episcopali vacante, & per consequens remaneat probata reseruatio vigore regulæ secundæ reserua-
2 toriæ; tamen præterquamquod aliqui ex Dominis in ea erant sententia, vt esset necessaria iustificatio aliter quam per iuris præsumptionem, collationem, & omnimodam dispositionem spectare ad Episcopũ, propter dictam clausulam, *constito*, conditionalem, *l. Lucius, & ibi DD. ff. de condit. & demonstr. Felyn. in rubr. de probat. num. 3. & ibi Dec. num. 153. Grat. cons. 10. nu. 11. lib. 2. Gonzal. d. §. 7. num. 219. vers. semper namque,* & videtur censuisse Rota in *d. Gerunden.* Omnes in hoc conuenerunt non posse dici constare hoc casu de clara reseruatione propter iura producta ad probandum iuspatronatus per Ioannem præsentatum possessorem huius beneficij; Ex instrumento namque dato in *Summ. nu. 1.* pro parte Ioannis, constat de assignatione cuiusdam dotis factæ per executorem testamentarium Iacobi de Robosos cum expressa mentione illam fecisse in executionem testamenti dicti Iacobi, qui mandauerat institui in hac Ecclesia S. Saluatoris vnum locum Sacerdotalem, seu Presbyteralem, qui Sacerdos celebraret missam, & alia diuina officia pro anima sua, & suorũ parentum, & pro dotatione illius beneficij legauerat quindecim libras Barchinoneñ, quæ per dictum executorem fuerunt assignatæ super redditibus Guglielmi pupilli, hæredis d. Iacobi; Illius autem erectionis, & dotationis effectuatio comprobatur ex testamento dicti Guglielmi, in quo sub-
3 misit omnia bona sua dicto beneficio, & ex alio testamento Franciscæ vxoris dicti Guglielmi post multos annos condito, in quo post obitum eius filiæ Monialis mandauit eius bona deuenire ad istud beneficium institutum per dictum Iacobum Rabos.

Datur etiam institutio facta per Ordinarium, vt ibi dicitur ad præsentationem patronorum, & sub assertione ipsius Ordi-
4 narij, quod beneficium fuit fundatum per d. Iacobum, cui assertioni multum defertur in hac materia, cum agatur de illius præiudicio, *Put. decis. 172. lib. 1. & dec. 243. lib. 2.* & fuit sæpissimè decisum. Et prædicta institutio probatur effectuata ex possione subsecuta.

Dantur etiam duæ permutationes, in quibus adest eadem assertio Ordinarij, &
5 quæ fuerũt factæ succedente patronorum consensu, qui habet vim præsentationis, *Cresc. decis. 2. de iurepatr. Rota diuers. dec. 534 num. 4. par. 1.* fuit dictum in *Lucana iurispatronatus 7. Maij 1604. coram R. P. D. meo Decano, & in Mediolanen. iurispatronatus 4. Nouembris 1609. coram Reuerendissimo Atrebaten.*

Et licet prædicta non sufficiant ad probandum iuspatronatus in Domino Castri, ob præsumptam vsurpationem ex dispositione Sacr. Conc. Trident. tamen non potest negari, quin ex illis resultet magnus
6 fumus, qui sufficit ad effectum supersedendi in executione, etiamsi iura non sint in forma probanti, donec afferantur probatio-

tiones cum in hoc parti magnum præiudicium non afferatur, vt fuit dictum in pluribus causis, & præsertim in *Astoricen. Prioratus 9. Decembris 1596. coram Litta, in Aurien. Parochialis 27. Aprilis 1598. coram Illustrissimo Lancellotto in Aquilana executionis Breuis 21. Maij 1612. coram R.P.D. meo Pirouano, & nuper in Tirasonen. parochialis, seu Vicariæ 21. Aprilis proximè præteriti coram R.P.D. meo Andrea.*

Non obstat prædicta iura fuisse producta post latam sententiam ad *decis. Seraph. 357. num. 4. Gonzal. glos. 9. in adnot. n. 266. & glos. 11. num. 108. & seq.* Nam prædicta
8 non habere locum vbi incontinenti, prout hoc casu ex prædictis constat de bono iure Ioannis, vt admittitur in *d. decis. Seraph.* vbi per executorem non fuit datus terminus ad probandam exceptionem, vt per *Gonzal. in d. adnot. num. 267.* & fuit dictum in dicta *Gerunden. & Celsonen.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## FERRARIEN. BONORVM.

*Lunæ 19. Ianuarij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Alienatio bonorum Ecclesiæ non sustinetur etiam in vtilitatem Ecclesiæ sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, & quid si bona alienata sint incognita, & incerta, vel difficilis recuperationis. Gratia si in euidentem &c. nulliter executa amplius executioni demandari non potest.

### SVMMARIVM.

1 *Alienatio bonorum Ecclesiæ interdicta est etiam in vtilitatem Ecclesiæ sine speciali Summi Pontificis licentia.*
2 *Laici sunt decimarum incapaces.*
3 *Ecclesiæ bona quæ sunt difficilis recuperationis possunt inconsulto Summo Pontifice alienari, quod an verum sit, & quando, num. 4. & 6.*
5 *Spes vendi, & in contractum deduci potest.*
7 *Decimas Episcopus sine Apostolica licentia nullo pacto in laycum transferre potest, vbi etiam an, & quando layci sint capaces fructuum decimarum.*
8 *Vtile per inutile vitiatur in indiuiduis.*
9 *Alienatio plurium bonorum, & iurium facta sub vnico pretio, & sub vnica responsione inter easdem personas censetur indiuidua.*
10 *Indiuiduus contractus in parte nullus in totum annullatur.*
11 *Gratia si in euidentem &c. nulliter executa amplius executioni demandari non potest, & quomodo procedat, num. 10. 14. & 15.*
12 *Iudicis delegati iurisdictio expirat per eiusdem sententiam quamuis nulliter latam, quod procedit etiam in executore litterarum Apostolicarum, & n. 13. & 16.*
17 *Clem. Auditor de rescript. procedit quando executor datus in litteris nondum processit ad confirmationem alienationis bonorum Ecclesiæ secus post.*

### DECISIO LXXI.

CVM iam Dominis visum fuisset, satis superque constare executores Apostolicos nulliter, & non seruata forma rescripti confirmasse alienationem factam per bon. mem. Episcopum Ferrarien. in fauorem D. Marchionis Galengi, quoniam in ea legebatur reseruatum beneplacitum Apostolicum cum clausula (quatenus eo opus esset.) dubitaui, an de necessitate requirebatur confirmatio Sedis Apostolicæ, & quatenus ad validitatem dictæ alienationis esset necessaria, vtrum gratia si in euidentem nulliter executa posset hodie denuo executioni demandari.

Domini respondendo primæ parti dubij, vnanimiter negatiuam sunt amplexi, eò maximè innixi fundamento, quia sine vlla distinctione interdicta est Ecclesiasti-
1 ci patrimonij Ecclesiæ alienatio, siue interet Ecclesiæ vtilitas, siue non, sine speciali Summ. Pont. licentia *per extrauag. ambitiosè de reb. Eccl. non alien. Crescen. decis. 3. num. 4. de iureiur. fusè Rodoan. de reb. Eccles. non alien. rubr. 28. casu 8. num. 19. fuitque sæpius decisum.*

2 Idque tanto magis, quia non solum bona reperiuntur alienata, sed etiam infeudatæ decimæ, quarum omnino laici sunt incapaces, *cap. quamuis de decim. can. 1. 16. q. 7.* cum sint diuina constitutione debitæ, *cap. tua de decim. cap. causam quæ de rescript.* & tributa egentium animarum, quarum cura penes Clericos residet, *can. decimæ, 16. q. 1.* Vnde eas layci sine sacrilegio, & peccato possidere, & retinere non possunt, *cap. Dudum 31. de decim. can. peruenit prima quæst. 3.* etiamsi interueniat consensus

Episcopi, & Capituli, *cap.17. eod.tit.*
3 Nec obstare visum fuit,quod prætendi-
tur potuisse licitè Episcopũ Ferrarieñ alie-
nare hæc bona, quæ erant penitus inco-
gnita, & incerta, cum etiam inconsulto
Summo Pontifice possint alienari bona
certa difficilis recuperationis lege apposi-
ta, vt laicus expensis, & periculo suo eas
recuperet, non obstante iuramento à Præ-
lato præstito *per text. in cap.2. de feud. vbi
Abb. cæterique Canonistæ, Ias.cons.11.n.16.
lib.3.Castr.cons.260. vol.2.* quod etiam ad
infeudationem decimarum extendere vi-
detur, *Bero. in cap.1.num.42.de reb. Eccles.
non alien.*

Huic obiectioni responderunt tribus
4 modis Domini,& primo non subsistere il-
la bona fuisse penitus incognita, nam (vl-
tra quod de eo nisi ex sola contrahentium
enunciatione, qui non potuerunt Ecclesiæ
præiudicare nõ cõstat) certũ est,quod licet
res illæ quoad earum specificam circum-
spectionem non essent Eccesiæ cognitæ,
tamen quia ius decimas, & bona perci-
piendi erat certum, & penes Ecclesiam
radicatum, cum procedere deberet ab Ec-
clesia, & loca, villæ, & castra essent spe-
cificata, in quibus ius competebat Eccle-
siæ,non dici potest,hęc bona penitus fuisse
incognita,cum etiã ius quod alicuius est in
spe, licet non adiit de præsenti dicatur
5 competere, quia spes vendi, & in contra-
ctum deduci potest, *l. nec emptio, ff. de con-
trahen. emptio. l. in diem §. non autem, ff. de
aqu. pluu.arc. l. spem, C.de donat.& ibi glos.
cum alijs cumulatis per Tiraq. ad leges con-
nubiales, glos.2 num.34. & seqq.*

Secundò responsum fuit, non applicari
dispositionem textus *in d.cap.2. de feud.* &
doctrinas allegatas, loquuntur enim de
bonis, quæ solita sunt ab antiquo in em-
phyteusim, aut feudum dari ab Ecclesia,
& propter laicorum potentiam difficillimè
6 recuperari possunt, secus autem in hoc
casu dicendum est, cum non reuocetur in
dubium, nunquam hæc bona prius infeu-
data, aut infeudari solita; vnde necessariò
requirebatur beneplacitum Apostolicum,
vt optimè interprætatur *Abb. in d. cap.2. de
feud.* vbi ita Ioannem Andream consuluis-
se refert.

Responderunt denique DD. & in hoc
omnes conuenerunt, cum in alienatione
huiusmodi compręhensæ fuerint decimæ,
7 quas nullo iure potuit Episcopus sine Se-
dis Apostolicæ licentia in laicum transfer-
re, propter ipsius laici incapacitatem,
*d.cap.causam quæ de rescript. vt fuit superius
dictum,& fusius in causa Mediolanen. rescis-
sionis permutationis* 21. *May* 1597. *coram
bon.mem. Illustrissimo Card.Pamphilio*; In
qua optimè probatur huiusmodi conces-
sionem non posse intelligi de fructibus
decimarum, quorum laici sunt incapaces,
quia illos Marchio non percipit de manu
Episcopi, sed propria auctoritate de ma-
nibus colonorum, quod est ius spirituale,
vt per *Abb. in cap. litteris num.2. de iureiur.*
cum multis alijs doctissimè adductis in di-
cta decisione, quæ præponderant auctori-
tati Beroi,qui dubitatiuè, & non affirmati-
uè loquutus est, & nihil allegauit.

Nec obstat, quod dici posset, saltem
subsistere alienationem, quoad alia bona
si solummodo inita sit ex capite infeuda-
tionis decimarum, nam vltra superius de-
ducta placuit responsio in indiuiduis, vt
8 in hoc casu vtile per inutile vitiari, *arg.l.1.
§. item quæritur, ff. de aqua quotid. & æstiu.
Bart. in l.Græca, §. illud num.3. de fideiusso.
Alex.cons.143.nu.3. lib.7.* Licet enim hæc
alienatio plura bona, & iura contineat,
tamen cum facta sit sub vnico pretio, &
sub vnica responsione inter easdem perso-
nas,ex tacita mente contrahentium censeri
9 debet indiuidua, *l.peduis ff.de arbit. Alciat.
in l.1. §. sed etsi mihi,num.16.de verb.oblig.*
Vnde necessariò inferendum est, dum agi-
tur de eius inualiditate dici vnicam alie-
10 tionem, itaut vna parte annullata, in om-
nibus nulla, & irrita censeri debeat, *l.cum
eiusdem ff. de edil. edict. Bart. in l.scire de-
bemus num.4. de verb. oblig. cum alijs cumu-
latis in d.Mediolanen. coram d. Illustrissimo
Pamphilio die 27.May 1599. vbi in indiui-
duo hæc quæstio deciditur.*

Quoad secundam partem dubij, DD.
censuerunt non posse gratiam si in euiden-
11 tem nulliter executam, denuo executioni
demandari, quia post sententiam, semel
etiam nulliter latam,tam Pontificio,quam
12 Cæsareo iure Iudicis delegati expirat iu-
risdictio, *l. si vt proponis, C. quomodo, &
quando Iudex sententiam &c. l. Iudex postea-
quam, & ibi glos. ff.de re iudic. cap. in littere-
ris cap. significantibus, & cap. venerabili de
13 offic.deleg.* & in terminis de executore lit-
terarum Apostolicarum tradit Archidia-
conus, *in cap. si cui, in verb. contradictor de
præben.in 6. Tiraq. in l.Boues, §. hoc sermo-
ne num.61. ff. de verb. signif. cum multis cu-
mulatis in decis.Casalen.Canonicatus* 22.*Iu-
nij*

ny 1605. coram Reuerendiss. Atrebaten.

In quam sententiā eo libentius iuerunt Domini, quia nullo vnquam tempore Ecclesia patrimonium Ecclesiasticum nulliter alienatum recuperaret, si occupatores possent quandocumque (si nunquam executorum expiraret iurisdictio) petere vt ad nouam executionem tanquā re integra procederetur, ex quo omnis spes insposterum Ecclesiæ dicta bona propterea alienata repetendi aufferretur.

Nec obstant ea quæ pro D. Marchione adducuntur scilicet processum nullum non 14 consumere † gratiam iam perfectam, per verbum fiat, cum conditio apposita rescripto, si in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, nondum probata, non extinguat penitus gratiam, quin sit in rerum natura, quæ per consensum contrahentium, & Papæ auctoritatem dicitur perfici, quia dicta conditio, *si in euidentem*, posset hodie in causa appellationis in Rota probari, quæ vigore *Clem. Auditor de rescript.* subrogata est in locum primi executoris, & sic eorum quæ coram primo Iudice probari non potuerūt poterit admitti probatio coram Iudice appellationis, & coram ipso non deducta deduci ex vulgaribus.

Nam quidquid sit, an versemur in gradu appellationis, ex quo non constat quod vnquam fuerit appellatum, placuit Dominis responsio data Iudicem appellationis debere cognoscere de iustitia, vel iniustitia executionis, & ad hunc effectū posse admittere etiam nouas probationes, sed post 15 executionem † nulliter factam non ideo poterit procedere ad nouam executionem cum facultas exequendi sit penitus extincta ex supradictis.

Deinde quidquid sit, vtrum per huiusmodi executionem nullam consensus Episcopi Fetrarieñ tunc præstitus fuerit consumptus verissimum tamen est omnimodā iurisdictionē penitus extinctā, itaut nullus hodie possit sine nouo rescripto, & beneplacito Apostolico conditionē illam, si in euidentem rescripto appositam verificare, nec enim possunt id facere executores in litteris delegati, quia per sententiam nulli- 16 ter latam † omnem à se iurisdictionem abdicarunt ex supradictis, nec poterit Rota, quæ nullū habet mandatū de confirmando de nouo exequi, sed debet secundum formam suæ iurisdictionis cognoscere de validitate, aut inualiditate executionis factæ per Iudices delegatos, & ita non potest ap- 17 plicari dispositio † *Clemen. Auditor*, quæ procedere posset, si executor datus in dictis litteris nondum processisset ad confirmationem dictæ alienationis, & ante illam causa fuisset deuoluta ad Rotam, quæ vigore dictæ Clementinæ esset subrogata loco executoris, sed postquā expirauit, & cōsumpta fuit illa auctoritas nihil superest in quo Rota possit succedere loco illius executoris. Et ita vtraque parte &c.

## ROMANA SPOLII.

*Veneris 21. Februarii 1615.*

### ARGVMENTVM.

Sententia nulla etiam in possessorio dicitur spoliatiua: Deuolutio ob canonem non solutum non incurritur nisi lapso triennio, & non incurritur per impositionem census super fundo emphiteutico nisi prohibita sit expressè omnis alienatio, Deuolutio ob denegationem dominij requirit declarationem Iudicis.

### SVMMARIVM.

1 *Possessio patris vigore statuti Vrbis continuatur in filios hæredes.*

2 *Possessio adepta Prætore auctore non est spoliatiua quod limita si nulliter, vel iniustè processerit.*

3 *Processus contra pupillum corruit si tutor, & curator à Iudice non fuerint petiti.*

4 *Restitutio non datur in spolio contra possessorem immissum à Iudice etiam nulliter quādo constat de immissi bono iure, qui potuit sibi mutare causam possessionis sine iuris ministerio tanquā nouo titulo superueniēte.*

5 *Deuolutionis, ac caducitatis pœna ob canonē non solutum, non incurritur ante lapsum triennij à lege, vel ex pacto inducti.*

6 *Caducitas non declarata contra patrem non potest contra filium declarari.*

7 *Caducitas per receptionem canonum censetur tacitè remissa.*

8 *Per census expositionem res non venditur, sed solum hypothecæ subijcitur.*

9 *Caducitas incurritur per negationem directi dominij. & quando hoc limitetur ob instrumentum inter alios, ac imperitos factum.*

10 *Caducitatis pœna per errorē incursa corrigi potest ante litem contestatam, multoque magis impediri caducitas nondum petita.*

11 *Caducitas ob denegationem dominij requirit Iudicis declarationem cum non incurratur ipso iure.*

12 *Nemo est sui ipsius debitor, & creditor.*
13 *Ius ciuile in foro Capitolino exactè seruatur.*

## DECISIO LXXII.

ROTA vtraque parte informante cen-
suit sententiam Iudicis Capitolini
esse confirmandam, quia de eius iustitia
constat, ex eo quod Annam, & Vincentiam
domo paterna spoliatas esse reintegran-
das, probatis concludenter duobus extre-
mis pronunciauit, de primo satis constare
visum fuit, tam per depositionem testium
in hac causa examinatorum, quam per in-
strumenta pro parte D. Euandri de Comi-
tibus producta, in quibus legitur Hercu-
lem dictæ Annæ, & Vincentiæ patrem hanc
1 domum possedisse, quæ † possessio patris
vigore statuti Vrbis continuatur fauore fi-
liarum hæredum, vt apparet ex mandato
executiuo contra eas obtento, secundum
verò extremum satis euidenter probatum
fuit ex possessione adepta per bon. mem.
Ioannem patrem dicti Euandri, quæ simili-
ter transit in filium hæredem, qui hodie
litem sustinet.

Nec existimarunt Domini suffragari di-
cto D. Euandro, quod dicitur ipsius patruũ
immissum fuisse in possessionem d. domus
2 authore Prætore, † qui non dicitur spolia-
re *l. iuste possidet, ff. de acquir. possess.* hoc
enim verum est, dum Iudex rectè, & ritè
procedit, secus cum euidentes adsunt nul-
litates, *l. 4. §. condemnatum, ff. de re indic.
cum vulgar.* vt in hac immissione facta, non
citata aliqua persona legitima, quæ com-
parere posset pro puellis minoribus, imò
infantibus, fuit enim citatus quidam Se-
bastianus, de cuius cura, vel tutela nullibi
constat, & ita non adito Iudice, & non pe-
tito Tutore, aut saltem Curatore omnia
3 acta † contra pupillas indefensas corruant
necesse est *l. 2. §. si quidem aliquis, ff. qui
pet. tut. vel curat. l. filius, C. eod. l. cum &
minores, C. si aduers. rem indic.* vltra quod
citatio multum fuit vaga, executa scilicet
per affixionem domus, quæ à Cursore non
fuit specificata, sicque non potest afficere
dictas pupillas.

Nec obstare visum fuit, quod dicebatur
4 non dari † restitutionem in spolio contra
possessorem immissum à Iudice etiam nul-
liter, quando de bono eius iure constat,
cuius vigore potuit sibi ipsemet mutare
causam possessionis, tanquam nouo titulo
superueniente etiam sine eius ministerio,
*arg. l. cum nemo, & ibi glos. C. de acquir. &
retin. possess. l. non solum, §. quod vulgo, ff.
de vsucap. l. 1. §. fin. ff. pro emptore,* vt in
hac facti specie dicitur dictum D. Euan-
drum, quia superueniente nouo iure, ex
deuolutionibus incursis, ex triplici capite,
hodie dictam domum sibi deuolutam pos-
se licitè retinere.

Censuerunt enim Domini nullum de-
uolutionis caput satis ad hunc effectum
probatũ fuisse à dicto D. Euandro, & quoad
primam caducitatem prætensam ob cano-
nem non solutum per triennium tribus mo-
dis responderunt Domini, & primo consi-
derarunt de anno 1582. dictam domum
fuisse datam in emphyteusim Herculi, lege
scripta, vt per nouennium non teneretur
soluere canonem, sed dictis nouem annis
elapsis omnes decursos tunc solueret, &
cum immissio facta fuerit anno 1594. de
mense Septembris, quo tempore ad effe-
5 ctum caducitatis, non erat † decursum
triennium, à lege & pacto inductum, an-
tequam pœna caducitatis emphyteuta
mulctetur, *iuxta l. 2. C. de iur. emphyteut. au-
then. qui rem, C. de sacr. Eccl. cap. potuit de
locat. cum alijs per Menoch. cons. 543.*
6 Secundo posset dici caducitatem † Her-
cule patre viuente nondum declaratam
non posse ipso mortuo contra filias pupil-
las declarari, *Clar. in §. emphyteusis qu. 8.
vers. persequendo, Menoch. cons. 1. num. 221.
fuitque dictum in Romana deuolutionis coram
bon. mem. Litta 13. Nouembris 1596.*

Tertio visum fuit per receptionem ca-
nonum (si quæ adesset ex eo capite cadu-
7 citas) † eam tacitè fuisse remissam, *Alex.
cons. 106. num. 4. & cons. 113. num. 3. lib. 4.
Bero. cons. 116. num. 12. vol. 1.* cum multis
citatis per *Corbul. de causa priuat. ob alien.
limit. 40.*

Quoad secundum caput caducitatis at-
tinet, quæ prætenditur ob impositionem
census ab Hercule facti, placuit responsio
non fuisse prohibitam in instrumento em-
phyteusis omnem alienationem, cuius spe-
cies est impositio census, sed tantum ces-
sionem, & venditionem, & sic non est lo-
cus deuolutioni, quia qui censum, impo-
8 nit † super domo, eam non vendit, nec
cedit, sed solum hypothecæ subijcit, ex
qua si expressè cessum non fuerit, non in-
ducitur caducitas, *Ias. in l. fin. num. 18. C. de
iure emphyteut. cum alijs per d. Corbul. de cau-
sa priuat. ob alien. limit. 33. num. 1.*

Nec obstat denique tertium, & maxi-
mum

mum dicti D. Euandri fundamentum, dum sit Herculem denegando dominium directum impositione censûs super dicta domo tamquam superiore libera incidisse in pœnam caducitatis irremissibilem, responderunt enim Domini, simplicem enunciationem in instrumento hominis rustici, & imperiti factam inter alios, & non inter dominum excusare à deuolutione, cum pro-
9 priè non dicatur † controuersum dominium, nisi scienter contra dominum id agatur, & non incidenter inter alios, vt ex multis firmat *d. Corbul. de causa priuat. ob mendacium num.* 2. Constat etiam ex instrumento post biennium circiter facto, ipsum met Herculem in impositione alterius censûs agnouisse liberè directum dominium dicti Euandri, & ita ante litem contesta-
10 tam, † prout errorem suum corrigere, multoque magis impedire caducitatem nondum petitam, *Ang. in l. fin. ff. de rei vindicat. Felin. in c. cæterum, vers.* 18. *de iudic.* cum alijs fusè *per d. Corbul. allegat. de causa priuat. ob mendac. num.* 13. stante maximè
11 quod hæc deuolutio † ob denegationem dominij requirit Iudicis declarationem, cum non incurratur ipso iure, vt per *Speculatorem §. nunc aliqua quæst.* 65. *num.* 82. *Bart. & alij in l. fin. num.* 1. *ff. de rei vindic. d. Corbul. num.* 17. *de caus. priuat. ob mendacium.*

In quam sententiam eo libentius iuerunt Domini, quia hodie constat dictum censum posse dici extinctum, & non subsistere amplius, quia erat impositus super dicta domo, cum ipsamet Vincentia, & Anna sint hæredes ipsius, cui dictus census debebatur, & ita confusæ sunt actiones
12 penes ipsas hæredes, cum nemo † possit esse sui ipsius debitor, & creditor, *l. si quis pro eo, §. item si filius, ff. de fideiuss. l. si uxor. C. de bon. actor. iud. poss. Roland. consil.* 71. *num.* 59. *&* 60. *lib.* 2. ex quibus omne dicti Euandri interesse cessat.

13 Ex quibus cessat obiectio facta ab informantibus pro D. Euandro in foro † Capitolino obseruari debere exactè ius ciuile, & non æquitatem canonicam considerarunt enim Domini, nec Pontificio, nec Cæsareo iure posse validari possessionem nulliter captam, multoque minus induci caducitatem prætensam nulla lege fulcitam, frustra enim purgationem moræ non dari iure ciuili dicitur, cum nec etiam de ipsa mora constet ex supradictis.

Ex quibus ita fuit decisum.

## FERRARIEN. AFFICTVS.

*Mercurij 5. Martii 1615.*

## ARGVMENTVM.

Syndicus ex quibus dicatur legitimè constitutus.

## SVMMARIVM.

1 *Syndicum deputandi facultas spectat ad Communitatem.*
2 *Officia sunt annalia.*
3 *Declara in officijs habentibus iurisdictionem prout sunt Decuriones Antiani, & similes Magistratus.*
4 *Causa dum durat, durat & effectus.*
5 *Officia plura, quando non sunt incompatibilia, potest quis haberi Procurator, licet alius sit constitutus citra reuocationem.*

## DECISIO LXXIII.

FVIT resolutum defectum mandati non obstare, datur enim Instrumentum publicum, quo constat Malpilium fuisse legitimè constitutum Syndicum à gene-
1 rali Consilio Communitatis, † at quod spectare facultatem illum deputandi non potest dubitari, *Bart. in l. actor. num.* 7. *vers. venio ad auctorem Ciuitatis, & num. seq. ff. rem ratam haberi. Alex. cons.* 17. *num.* 2. *lib.* 6. *Franc. Marc. decis.* 780. *numer.* 1. *& seqq. par.* 1. *Vant.* 1. *de nullit. tit. de nullit. ex defect. mand. num.* 152. *vers. & insuper sciendum.*

Non obstat fuisse dictum Malpilium de anno 1606 deputatum Syndicum per modum prouisionis, scilicet durante absentia Cotesij, examen verò testium fuit factum
2 de anno 1612. vnde tam † ex dispositione iuris communis, quo officia sunt annalia, vt per *Mandos. inter annales casus num.* 124. quam etiam ex illis verbis, per modum prouisionis, nō videbatur constitutus Syndicus ad tantum temporis spatium.
3 Nam † quod officia debent esse annalia procedit in officijs habentibus iurisdictionem, prout sunt Decuriones Antiani, & similes Magistratus, non autem in Syndico cuius officium cum sit ad instar procuratoris durat donec reuocetur, *l. item eorum, §. fin. vers. ex , [illegible], ff. quod cuiusque vniuers. nom.* Et licet Malpilius fuerit constitutus per modum prouisionis, scilicet durante absentia Cotesij, tamen cum exad-

uerso non fuit doctum de illius reditu ad
4 patriam † durante absentia durat & mandatum, ex traditis per *Surd. cons. 298. num. 46. & seq. & cons. 301. num. 21. & seq.* Et quod tunc temporis prout etiam hodie duret absentia Contesij dabatur magnus fumus ex quo erat absens ex causa capitalis condemnationis.

Non obstat de tempore examinis eumdem Malpilium fuisse Antianum, quia
5 cum † non probetur incompatibilitas dictorum officiorum ex hoc non sequitur expirasse mandatum.

Non obstat constitutio Procuratoris facta in personam Brusamolini ad comparendum coram Iudicibus remissorialibus, & alia exequenda, quia id accidit occasione Malpilij, & dictus Brusamolinus præsentauit solum litteras prorogationis termini, intra quem vnus tantum testis fuit de nouo inductus, & examinatus, vltra quod dicebatur constitutus citra reuocationem prioris Syndici, *Bald. in l. ante litem num. 2. circa fin. ff. de procurat.*

Et ita decisum.

## CIVITATIS CASTELLI BONORVM.

*Veneris 23. May 1615.*

### ARGVMENTVM.

Consuetudo quod Ecclesia etiamsi velit pro se retinere bona deuoluta, teneatur alijs concedere ex quibus probata non dicatur.

### SVMMARIVM.

1 *Emphyteusim renouare non tenetur Ecclesia nisi in specie probetur consuetudo, quod voluerit, & non potuerit pro se retinere.*

2 *Consuetudo tantum habet de potentia, quantum de actu, & proprij vsus terminos non excedit.*

3 *Emphyteusim renouans Episcopus agnatis vltimi inuestiti præsumitur non coactè, sed pietate motus id fecisse.*

4 *Consuetudo vt inducta dici possit debent testes esse contestes, deponere de pluribus actibus, & probare temporis diuturnitatem. & num. 5.*

### DECISIO LXXIV.

IN magnam contumaciam partis aduersæ sæpiùs citatæ proposui dubium, ad instantiam D. Episcopi, alias resolutum vtraque parte informante, An D. Episcopus teneatur inuestire D. Antonium Meliorutium, & Domini steterunt in decisis ex rationibus in decisione deductis, quibus non fuit visum obstare depositiones testiũ examinatorum ad probandam consuetudinem in Ciuitate Castelli, vt proprietarij
1 teneantur reinuestire, quia † prædicti testes non probant satis concludenter consuetudinem in quo casu Ecclesia velit pro se retinere, prout requiritur, *Crauett. consil. 96. num. 4. & cons. 462. num. 12. Natt. cons. 55. num. 35. & seq. & cons. 47. num. 49. lib. 1 late Rimin. iun. cons. 394. num. 87. & seqq. Card. Seraph. decis. 326. num. 2. Honded. in his terminis consil. 31. numer. 50. lib. 2. & fuit decisum in Rauennaten. bonorum Veneris 20. Nouembris 1587. coram Illustrissimo Mantica.*

Imò licet eam probassent debebat verificari in casu, de quo agitur, scilicet vbi nullus adesset ex linea vltimi inuestiti, & alienatio facta sit ad vitam, cũ dictione taxatiua *tantum*, & cum promissione libere
2 dimittendi bona post mortem, quia † consuetudo tantum habet de potentia, quantũ de actu, & proprij vsus terminos non excedit, *Bald. in l. fin. vers. vnum aliud scias, C. comm. vtriusque iudic. Aretin. cons. 44. in princ. Roland. cons. 61. num. 31. vol. 3. Natt. cons. 46. col. 2. & cons. 600. num. 20. Bursat. cons. 127. num. 50. Ossasch. decis. 29. num. 16. Rimin. iun. cons. 72. num. 71. & dixit Rota in d. Rauennaten.*

Sed excluditur prætensa consuetudo ex tertio teste, qui est annorum 76. & est procurator, dum dicit nescire aliquando euenisse, quod Ecclesia fuerit coacta quando voluit pro se retinere, vel quod super hoc vnquam lata sententia fuerit, & licet primus testis videtur deponere de vno casu particulari in quo Ecclesia quæ volebat pro se retinere fuit coacta reinuestire, tamen vltra quod reinuestitura fuit facta sorori vltimi inuestiti, non autem extraneæ, constat ex instrumento inuestituræ dato in
3 Summ. † Episcopum non coactè, sed pietate motum, & alijs de causis animum suũ mouentibus inuestituram concessisse, &
4 quicquid sit † est vnicus actus ex quo non potest dici inducta consuetudo vniuersalis pro qua requiruntur plures actus, *l. 1. & 2. C. de edific. priuat. DD. in l. de quibus, ff. de legib. Bellamer. cons. 27. num. 4. Alex. cons. 45. num. 3. & 8. vers. item non deponit, Rol. cons. 13. num. 12. lib. 4.* à testibus qui sint contestes

ftes, *Alex. d. conf. 45. num. 4. & 8. verf. item peccat. conf. 132. num. 9. verf. nec obstat lib. 2. & conf. 173. num. 6. lib. 6. Dec. conf. 402. n. 15 Rolan. dicto conf. 13. num. 13. Menoch. conf. 187. numer. 57. lib. 2. Decian. respons. 51. num. 18. lib. 2.*

5 Denique † testes non probant temporis diuturnitatem, cum solus dictus tertius testis deponat de tempore viginti annorum sine dictionibus, *& citra c. licet causam de probat. l. 1. §. quando autem, ff. de aqu. quotid. & aestiu. Bart. in l. Celsus circa fin. ff. de vsucap. Alex. dicto conf. 45. num. 7. lib. 2.*

Ex quibus ita decisum D. Episcopo tantum informante.

## FIRMANA ALTARIS.

*Luna 12. Ianuarij 1615.*

## ARGVMENTVM.

Electus à minori parte patronorum quando præferatur electo à maiori parte, & quid stante statuto, seu consuetudine, quod præsentatio non valeat nisi fuerit facta à duabus ex tribus partibus.

## SVMMARIVM.

1 *Testibus de falso damnatis nulla fides præstanda venit.*

2 *Præsentatus à minori parte non debet admitti ad beneficium, quod amplia si accedat statutum annullans præsentationem nõ factam à duabus ex tribus partibus.*

3 *Ignorantia non potest allegari respectu statuti quo quis fuit vsus.*

4 *Electio facta à minori parte de digno, quod sustineatur quando maior pars praelegit indignum non procedit quando adest statutum disponens non esse attendendam electionem factam à minori parte.*

5 *Electio facta à maiori parte quo casu sustineatur quando maior pars praelegit indignum.*

6 *Calumniandi animus ex quibus cognoscatur.*

## DECISIO LXXV.

DOMINI steterunt in decisis coram me die 20. Iunij 1614. rationibus deductis in prima decisione nulla enim visa fuit Dominis adesse causa, quæ vel iuris dispositione, vel ex facto possit excusare Ricciottum ab illa falsa assertione, dum expressit Summo Pontifici Coriolanum fuisse præsentatum à quorumdam assertorum Patronorum parte, se verò à maiori parte, cum ex facto clarè appareat ex 34. suffragijs Coriolanum habuisse 25. Ricciottum verò 18. solummodò.

Nec visum fuit illi suffragari posse, quod in nominatione, seu præsentatione facta de Coriolano nõ interuenerint illius consanguinei, & per consequens nullã fuisse præsentationem, ex dispositione statuti illius loci, nam vt fuit responsum in decisione id non probatur nisi ex testibus de falso

1 damnatis, † quibus nullam fidem fuisse adhibendam iam resolutum fuit coram bon. mem. Penia, aliæ verò probationes minimè concludunt, vt latè fuit deductum in decisione.

Sed etiamsi id probatum fuisset, tamen Ricciottus nõ posset se excusare à calumnia, dum asseruit se præsentatum à maiori parte, quia hoc est falsum in facto, & in iure, quia vt dictum est ex 34. habuit solum 18. cum tamen ex dispositione eiusdem statuti, consuetudinisque in eodem loco receptæ præsentatio debuerit fieri à duabus ex tribus partibus, vnde non solum

2 non potuit † dici Ricciottus præsentatus à maiori parte, sed nec etiam à minori. *Io. Andr. in cap. 1. de elect. Ruin. conf. 50. nu. 7. & seq. vol. 5. Cassad. decis. 2. de iurepatr. & fuit dictum in Aretina Capellania 24. Ianuarij 1603. coram bo: me: Cardinali Pamphilio*, & multo minus, quia in dicto statuto adest decretum annullans aliter gestum, & non approbatum à duabus partibus, cuius statuti dispositionem Ricciottus ignorare

3 non † potest, sine calumnia, nedum ex rationibus in decisione deductis, sed quia ipsemet vtitur, & vsus est illo in eodem Capitulo ad impugnandam nominationem Coriolani.

Minus etiam visum fuit posse illi suffra-

4 gari dispositionem † *cap. dudum il 1. de elect.* quia stante dicto statuto annullante gestum à minori parte non potest applicari, *text. in cap. dudum*, disponens electionem factam à minori parte de digno validam esse, vbi à maiori parte fuit scienter electus indignus, quia illa potestas quam de iure ex dispositione d. cap. minor pars Communitatis habuisset fuit sublata per dictum statutum, consuetudinemque illius loci.

5 Deinde dispositio d. cap. † procedit vbi eligentes se diuisissent, vt expresse legitur

in

in tex. & vna pars licet maior præsentasset indignum, minor verò dignum, quia dum maior pars ipso facto remanet priuata, potestate eligendi remanet tota in minori, sed hoc casu non fuit facta aliqua diuisio eligentium, nec constat quod illi 18. qui præsentauerunt Ricciottum, non præsentauerint Coriolanum, quinimò necessario dicendum est plures ex eis vtrumque præsentasse, cum ex 34. vocibus Coriolanus 25. Ricciottus verò 18. habuerit, & per consequens præsentationem ab illis factã de Ricciotto, multo minus posse dici factam à maiori parte, sed nec etiam fuisse concludenter probatam talem indignam præsentationem.

Non obstat dictam narratiuam non mouisse Papam, qui cum derogauerit Patronatui, propterea sufficere videatur Ricciotto si à medietate Patronorum fuerit præsentatus, quia ex prædictis constat nec à medietate, nec ab aliquo posse dici præsentatum.

Et licet alias posset dicta falsa assertio ex aliqua causa excusari, tamen cum causa incæpta, & prosecuta fuerit non sine magna calumnia, dũ Ricciottus ad iustificationem gratiæ vsus fuerit testibus l. Cornelia de falso damnatis, & nõ obstante iuramento de stando vnicæ voluit tres sententias conformes contra se reportare, & non obstante re iudicata obtinuit committi causam restitutionis in integrum, quæ remansit deserta, nedum per quadrienniũ, sed per longiora tempora, colligebant Domini animum †calumniandi ab ipso initio
6 causæ *ad l. sed & Iulianus, §. proinde, ff. ad Maced. l. si seruus plurium, §. fin. ff. de legat. primo, §. pauonum instit. de rer. diuis.* quæ omnia magis attendenda Domini dicebant, quia hoc modo tolletur ansa illis qui non ad alium effectum procurant cum tot calumnijs lites in longum protrahere nisi ob spem obtinendi subrogationem per obitum collitigantis.

Et ex his Domini iterum firmarunt constare de calumnia ab initio, sed quia pro parte Ricciotti dicebatur ex gratia perinde valere per ipsum vt asserit obtenta; superuenisse bonam fidem, quæ illum excuset fuit reseruatum, vt super hoc paticulariter audiatur.

ROMANA VINEÆ.

*Lunæ 26. Ianuarij 1615.*

ARGVMENTVM.

Pretium in subhastatione oblatum præsumitur iustum, testes vt probent valorem rei quomodo deponere debeant.

*SVMMARIVM.*

1 *Pretium iustum in subhastatione ad quem spectet probare si adsit clausula constito de bono iure.*

2 *Subhastatio præsumitur facta pro iusto pretio stante præsertim decreto Iudicis.*

3 *Subhastatio non præsumitur facta pro iusto pretio, quando Iudex attentatè processit oblitis pendentiam in Rota.*

4 *Testes deponentes de proprio iudicio non probant verum valorem rei nisi etiam attestentur de communi valore.*

DECISIO LXXVI.

PLACVIT Dominis resolutio facta in hac causa sub die 23. Iunij proxime
1 præteriti, quod scilicet † ad Tarisium pro iustificatione clausulæ, *constito de bono iure*, spectaret docere nedum de iustitia crediti pro quo vinea fuit subhastata, sed etiã pretij per ipsum oblati mediãte persona Bosij.

Nec visum fuit illi suffragari posse, quod in hac positione fuit dictum pretium ob-
2 latum † præsumi iustum stante præsertim Iudicis decreto ex decisione data in causa *Spoletana prædij Veneris 27. Iunij 1614. coram R.P.D. Pamphilio*, & propterea Bartholomæo cõtrarium asserenti debeat incumbere onus probandi iniustitiam pretij *Surd. con. 256. num. 4. in fin.* Nam cum hoc casu decretum Iudicis de subhastando, oblatio, ac deliberatio, & alia inde sequuta fuerint attẽtata vti gesta lite in Rota pen-
3 dente, cessat talis præsumptio, † quæ alias pro Iudice staret, vt latè per *Lancellot. par. 1. cap. 2. de attent. à Iudice per totum*, & per consequens Signatura adstrinxit Tarisum qui sub nomine Martiæ creditricis, & Bosij emptoris petijt reijci attentata ad docendum de iustitia prætij, in qua totum præiudicium Bartholomæi debitoris versabatur.

In quam etiam sententiam Domini eo lubentius iuerunt, quo vt latè fuit deductum in alia decisione constat callide fuisse

fuisse ex parte Cursoris deuentum ad deliberationem.

Hoc firmato probatio facta per Cursorem post decisionem minimè visa fuit concludere iustitiam pretij cum testes ex eorũ depositione satis imperiti in æstimatione pretij rerum detegantur, nec sunt inter se concordes, & deponunt de eorum iudi-
4 cio † non autem de communi valore, *l. pretia rerum, & ibi post alios latè Cagnol. nu. 25. & 240. C. de rescind. vendit.*

Et ex his Domini vtraque parte informante steterunt in decisis.

## CARTHAGINEN. DECIMARVM.

*Lunæ 16. Februarij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Monaci & Religiosi omnes sunt exempti à solutione Decimarum de noualibus, & huic exemptioni non censetur derogatum à Summo Pontifice per generalem derogationem nisi expressa facta fuerit mentio.

### SVMMARIVM.

1 *Religiosi & Monaci omnes non tenentur soluere Decimas de noualibus.*

2 *Noualia sub verbis & clausulis amplissimis comprehenduntur adiectis alicui Breui derogatario.*

3 *Breuis derogatorij dispositio declarari debet ab ipsa derogatione.*

4 *Noualia de iure communi non sunt persoluenda.*

5 *Consuetudo vt releuet, debet esse probata.*

6 *Causa finalis & intentio disponentis apparet ex tota lectura scripturæ.*

7 *Noualia non continentur sub generali verbo Decimarum.*

8 *Verba generalia nunquam trahuntur ad incogitata quando possunt referri ad aliquid salua ratione recti sermonis.*

9 *Derogatio priuilegiorum facta à Principe, vel à lege non trahitur ad inserta in corpore iuris.*

10 *Difficilius tollitur id quod est iuris communis quamquod est iuris specialis.*

11 *Exceptio firmat regulam in non exceptis.*

12 *Rationis eadem ratio quoad plura facit, vt quoad illa sit eadem legis dispositio.*

## DECISIO LXXVII.

ROTA censuit RR. PP. Societatis IESV non teneri ad solutionem decimæ, seu vigesimæ de noualibus, quæ ipsimet proprijs manibus & sumptibus excolunt, cum enim non possit controuerti
1 ipsos esse religiosos, † sequitur ipsos non esse obligatos soluere decimas de noualibus, cum omnes religiosi ex dispositione *cap. ex parte il primo de decimis* fuerint exempti, quod priuilegium indistinctè ad omnes religiosos & Monachos extenditur, licet Adrianus Pontifex in *d. cap. ex parte vtatur verbo ferè*, tradit ibidem *gloss. & in cap. cõmissum in verbo Monachos eod. tit. Hostien. in dicto cap. ex parte num. 4. Butr. nu. 9. Anchar. num. 3. Rebuff. de decim. q. 14. num. 43.*

Nec obstare visum fuit, quod dicitur dictos Patres vigore Breuis fel. record. Leonis XI. fuisse coactos soluere vigesimam loco decimæ, quorumcumque locorum & bonorum quæ nunc possident, quomodocumque & vndecumque ad eos peruenerint, aut peruenire poterunt &c. cum ver-
2 bis & clausulis amplissimis † sub quibus comprehendi noualia tradit *Soc. cons. 297. num. 5. lib. 2. fusè Guttier cons. 5. num. 4. qui multos cumulat*; stante maxime quod in dicto Breui leguntur derogationes amplissimæ quibusuis priuilegijs etiam per viam legis generalis, & statuti perpetui, ex quo inferatur derogatum huic priuilegio concesso dictis Patribus Societatis IESV tan-
3 quam religiosis cum dispositio † Breuis declarari debeat ab ipsa derogatione *Surd. cons. 453. num. 25. vers. id ipsum & n. seq.*

Responderunt enim Domini verba illa generalia esse restricta per alia subsequentia verba (*de quibus de iure vel consuetudine decimæ solui solent, quas mandat illis Ecclesijs Papa solui, quibus alioquin circumscriptis priuilegijs dictæ Societatis persolui deberent*, vt legitur in dicto Breui,) Et per cõsequens nullo modo comprehendi pos-
4 sunt decimæ ex noualibus, † quas etiam dicti Patres tanquam religiosi circumscriptis particularibus eorum priuilegijs de iure communi persoluere non tenerentur, nec etiam de consuetudine cum in ea fru-
5 stra fiat fundamentum † si non probetur, *cap. 1. & ibi DD. de constit. in 6. l. 1. & ibi gloss. & DD. C. quæ sit longa consuet. Io. Fab. in §. ex non scripto numer. 20. instit. de iur. natur.*

Considerarunt etiam Domini mentem fuisse

fuisse Papæ sopiendi omnes differentias & lites naras inter Ecclesias de quibus fit mẽtis in dicto Breui, & dictos Patres Societatis IESV, vt ex integra Breuis lectura
6 apparet, † ex qua colligitur finalis causa & intentio disponentis *l. fin. & ibi not. Bald. num. 4. in prima oppositione ff. de hæred. institucn.* certumque est nullum verbum in toto processu in Rota exhibito scripturisque productis coram Illustriss. Cardinalibus à Summo Pontifice deputatis legi de prætensione noualium, sed solum inter partes ortam fuisse controuersiam super solutione decimarum à qua vigore priuilegiorũ particularium dicta Societas IESV exemptam se asserebat, sicque non est verisimile voluisse Summum Pontificem obligare dictos Patres ad solutionem noualium, quæ à dictis Ecclesijs non controuertebantur, cum peterent solum integram solutionem
7 decimarum, sub quo † generali verbo regulariter non comprehenduntur, noualia, *c. cum contingat, cap. tua de decim.* ex quibus concluditur verba illa generalissima comprehensa in Breui debere intelligi respectu quantitatis eorum, ex quibus soluenda fit de iure decima, & respectu modi acquisitionis siue per donationem emptionem, vltimam voluntatem, & similia, non autem extendi ad obligationem eorum ad quæ de iure non tenebantur, nisi fuerint
8 expressa, quando enim verba † generalia possunt se referre ad aliquid salua ratione recti sermonis nunquam trahuntur ad incogitata, *Surd. decis. 176. & 213.*

Quoad generales derogationes attinet placuit responsio data indubitati iuris esse dum lex vel Princeps derogat simpliciter priuilegijs vniuersalibus nulla facta speci-
9 ficatione id † non intelligi de ijs quę sunt inserta in corpore iuris, *gloss. in auth. qua prouincia in versic. illic. in fin. C. vbi de crimin. agi oport.* quam ibi extollit, & sequitur, *Bart. in 2. opposit. Bald. vers. tertia solutio. late Felin. in cap. 1. num. 12. cap. nonnulli nu. 26. de rescrips.* fuit dictum in vna *Romana successionis de Girona 23. Iunij 1574. coram Robusterio*, difficilius siquidem tollitur, quod
10 est † iuris communis, quam quod est iuris specialis *l. eius militis §. militia missus de test. milit.*

Ex quibus patet responsio ad id quod dicebatur pro parte Capituli Papam dum exemit à solutione decimarum dictos Patres quoad hortos, viridaria & animalia eorum, à quibus iam erant exempti ex dispositione *d. cap. ex parte.* sicut religiosi voluisse ipsos obligare ad solutionem no-
11 ualium quia † exceptio firmat regulam in contrarium in non exceptuatis, trahi enim
12 debent ad eosdem † ex paritate rationis, *Abb. in cap. cum dilecta. nu. 7. de confirmat. vtil. vel inutil.* cum multis aliis per informantes adductis, quorum responsiones placuerunt Dominis, cum semper firmum remaneat hoc fundamentum, non posse dici illud Breue aboleuisse Ius quæsitum dictis Patribus, omnibus religiosis concessum, & in corpore iuris insertum, nisi appareat de expressa (non enim tacita sufficit ex supradictis) Pontificis voluntate derogandi dispositioni *d. cap. ex parte.*

Verum quia pro parte Capituli dictum fuit sub prætextu noualium posse dictos Patres nimium dictis Ecclesijs præiudiciũ etiam in exactione vigesimæ loco decimæ inferre, ideo Domini expresse declararunt dictos Patres non posse prætendere exemptionem nisi in noualibus de quibus loquitur, textus in *d. cap. ex parte, & in cap. quid per nouale de verb. signif.* cui priuilegio omnibus religiosis concesso non fuit derogatum in dicto Breui Leonis XI. cuius executioni in reliquis nullum præiudiciũ adferre voluerunt & ita &c.

## NICIEN. SPOLII.

*Veneris 20. Febr. 1615.*

### ARGVMENTVM.

Sententia valida & iusta est confirmanda.

### *SVMMARIVM.*

1 *Sententiæ iustitia liquet ex decisionibus in causa factis.*
2 *Validitas sententiæ apparet ex reuolutione actorum.*

## DECISIO LXXVIII.

DOMINI vna tantum parte informãte censuerunt sententiam Rotalem esse confirmandam de iustitia enim ipsius
1 constat † ex tribus decisionibus coram Reuerendiss. D. meo Decano in causa factis, ex quibus clarè apparet omnia requisita in spolio esse concludenter probata in fauorem Ecclesiæ Nicien. spoliatæ, & ea quæ in contrarium deducta sunt, aut deduci possent fusissimè sublata.

Va-

2 Validitas † autem sententiæ satis superque iustificatur ex integra reuolutione actorum, constat enim de iurisdictione, mandatis procuræ, citationibusque necessarijs, & omnibus requisitis ad validitatē sententiæ secundum Caputaq. decis. 260. par. 2. Vnde res visa fuit carere omni difficultate.

Et ita decisum.

FIRMANA ALTARIS.

*Veneris 13. Martii 1615.*

Argumentum ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Subrogationem gratiosam non potest prætendere collitigans, fouens litem calumniosam.*

2 *Gratia de viribus frustra disputatur quæ nunquam fuit in rerum natura.*

DECISIO LXXIX.

CVM quæstio agitaretur vtrum danda esset gratiosa subrogatio D. Ricciardo Ricciotto tanquam litiganti cum q. Coriolano, qui in possessione Altaris S.Ludouici nuper decessit, Domini primò loco in propositione dubij voluerunt examinare, vtrum constaret de lite calumniosa, quia adhoc vt aliquis possit prætendere gratiosam subrogationem tanquam collitigans non sufficit subesse litem, sed requiritur, vt non adsit calumnia, *Rebuff. ad reg. de subrog. collitig. gloss. 7. num. 2.*

1 (margin at line "re gratiosam subrogationem")

Quo dubio per me proposito, Rota vtraque parte informante censuit constare de calumnia litis intentatæ contra dictum Coriolanum, etiam à limine iudicij, ex rationibus deductis in duabus vltimis decisionibus coram me factis in hac causa die scilicet 12. Ianuar. proximè præteriti, & die 20. Iunij 1614.

Verum quia in calce vltimæ decisionis reseruauerant Domini, vt videretur, si ex gratia perinde valere superuenisset bona fides, quæ excusare quodammodo posset dictum Ricciottum; postea viso processu, & registro totius causæ compertum fuit dictum Ricciottum nunquam obtinuisse gratiam perinde valere, cum non solum litteræ non fuerint expeditæ, sed nec vlla supplicatio signata, aut porrecta Sanctissimo, sed quædam minuta fabricata per substitutum Abreuiatoris reperiatur producta in actis, vnde moti Domini existimarunt 2 fore, vt † frustra disputaretur de viribus gratiæ, quæ nunquam fuit in rerum natura, & ita præscripserunt mihi, vt supradicta Reuerendissimo D.Datario referrem, cuius ordine Rotam consulueram, quæ censuit ex hactenus deductis nullum Ius competere dicto Ricciotto ad petendam gratiosam subrogationem, cum repertus fuerit calumniosus litigator.

Et ità fuit resolutum.

ROMANA CONSVLATVS.

*Lunæ 16. Martii 1615.*

ARGVMENTVM.

Statutum consulatus Florentinorum cap. 3. & 15. non est ordinatorium sed inuitatorium.

*SVMMARIVM.*

1 *Statutum quod non fuit adimpletum in forma specifica nullum operatur effectum.*

2 *Maximè quando statutum est exorbitans à iure communi.*

3 *Statutum imponens pœnam nolenti implere, illius formam non concedit actionem nisi ad pœnam contrà eum qui statuti formam non impleuit.*

4 *Statuta quæ non inducunt præcisam coactionem sunt inuitatoria.*

5 *Lex quod non dicit nec nos dicere debemus.*

6 *Statutum exorbitans debet intelligi ad litteram quia est odiosum.*

7 *Solutio facta vt censeatur facta ad obseruationem statuti debet esse facta coactè & non sponte.*

DECISIO LXXX.

CVM D. Bartholomæus Ruspulus vti hæres D.Alexandri Ruspuli Florentini in Vrbe commorantis fuerit conuentus à Consulatu Nationis Florentinæ coram illius Consule ad soluendum quartam partem quam dictum Alexandrum retinere ac retentam soluere debuisse Consulatui dicebatur, secundum formam statuti editi ac confirmati à fel. record. Leone X. Paulo III. & Pio IV. habito recursu ad Signaturam, Sanctissimi obtinuit committi

cau-

causam Consuli dictæ nationis terminandam tamen de voto Rotæ.

Vnde proposito per me, ad id electo, Dubio An constet de tali statuto confirmato quod suffragetur Consulatui in casu & ad effectum de quo agebatur, Domini responderunt non posse reuocari in dubiũ adesse statuta à Sede Apostolica confirmata, illa tamen non posse Consulatui suffragari ad effectum cogendi dictum Bartholomæum Ruspulum hæredem, ratio præcipua decisionis fuit, quia statuta huiusmodi obligant solummodo Florentinos negoria in Vrbe exercentes ad retinendum dictam quartam partem, quibus dicta statuta fuerunt intimata, eorumque obseruantiam iurauerunt, sub certa forma præscripta *in cap.3.& 15. dicti statuti*, & ita non

1 possunt illa suffragari † Consulatui, qui non docuit vt debeat concludenter DominumAlexandrũ qui dicitur retinuisse d. quartam partem notitiam habuisse cõtentorũ in dicto statuto, ac iurasse iuxta illius dispositionem, *Bart.in l.1.§.quod ait Prator ff.ne quid in flum.publ. Dec.conf.520.nu.11. Gozzad.conf.35.num.16. Cephal. conf.256. num.68.in fin. Surd. conf.248. num.19.* ma-

2 ximè cum simus in statuto † exorbitanti à iure communi, *gloss.in clem. fin. de rescript. Crauet.conf.313.sub nu.1. Becc.conf.53. numer.9.in fin.*

Vltra quod dictum statutum cap.25. alijsque locis imponit certam pœnam nolenti obseruare in eo contenta iusiurandũque præstitum, vnde sequitur, actionem

3 solummodo Consulatui † competere ad pœnam, non autem ad integram summam dispositam in statuto, *arg.l.obligationum fere §.fin.ff.de oblig. & actio. l.1.§. item si ita ff.ad l.falcid. Bart.in l.si stipulatus num.27. de verb.oblig. Bald.in l.si quando §.fin. nu.2. de legat.1.* solutio siquidem pœnę liberat à contrauentione, vt in terminis similis statuti decidit Rota *in vna Romana Herti 27. Iunij 1607. coram R. P.D. Caualcrio*, regulariter enim solutio pœnæ æquipollet obseruantiæ statuti, seu contractus. *Rot.diuers. dec.25.n.6.p.1.*

Quinimo neminem cogi præcisè ad soluendum nec etiam ratione pęnæ pecuniariæ, quæ in pluribus capitulis exigi mandatur, patet ex cap.44. vbi contra eum qui recusat soluere pœnam statutariam imponitur pœna dupli, & tertia vice mãdatur procedi prout contra nolentem iurare obseruantiam statutorum, quibus in cap.15. certa imponitur pœna priuationis commercij, similiumque ex quibus collegerunt Domini statuta hæc propriè

4 dici posse † Inuitatoria tantum respectu eorum qui volunt gaudere priuilegijs, auxilijs, & fauoribus Vniuersitatis Nationis Florentinæ in dicto statuto concessis, non autem præcisè coactiua.

Considerarunt denique Domini, in omnem euentum dictum Consulatum non posse compellere dictum Bartholomæum hæredem ad solutionem dictæ quartæ partis, ex quo in casu dictus Alexander retinere noluit dictam quartam partem, statutum etiam non disponit illum teneri ad soluendum de proprio, quod autem statu-

5 tum † non dicit nec nos dicere debemus, *arg.l.si seruum §.non dixit ff. de acquiren.hæred.Surd.conf.340.num.2.latè Becc. conf.53. num.4.* cum dictum statutum, vt dixi exor-

6 bitans, † sit odiosum, & stricti iuris, intelligendumque ad litteram, vt verba sonant, *Bart.in l.omnes populi num.62.ff.de iustit.& iur.Menoch.conf.187.num.1.*

Ex his tollitur fundamentum, quod pro parte Consulatus fiebat super obseruantia subsecuta per solutiones factas à pluribus mercatoribus, quidquid enim sit, si libri dicti Consulatus probent contra tertium, & si habeant omnia à iure requisita, adhoc vt integram fidem faciant, in hoc omnes Domini conuenerunt, per solutiones in illis libris descriptas non probari obseruantiam sufficientem statuti, quia vltra quod sunt ab anno 1586. citra & sic post 70. annos à die ędici statuti, non in illis ex primitur mercatores de proprio soluisse, nec coactè soluisse, prout in casu de quo

7 agitur requiritur, *Rol.conf.80.nu.10.vol.1. Surd.conf.354.num.26.* nec ostenditur mercatores quolibet anno iuxta formam c.31. reddidisse rationem dictæ partis, ac illam soluisse. Imò contrarium constat ex monitorio facto de anno 1606. in quo mandatur reddi rationem ab anno 1590. quin imò ex illis solutionibus potius contrarium arguitur, quia si omnes soluissent iuxta formam dicti statuti maiores deberent adesse solutiones, & licet aliqui fortasse pro manutentione Consulatus soluerint, seu ad satisfaciendum iuramento per eos, præstito, seu ad euitandas pœnas in dicto statuto cap.44. contentas, tamen nõ potest eorum solutio adduci ad cogendos alios, qui longo temporis spatio non soluerunt, nec vnquam iurasse probantur.

Nec

Nec solutio aliquarum summarum facta à D. Alexandro si verificaretur parum obstaret, cum & ipse sicut alij spontè soluere voluerit, non autem coactè, vt constat ex lite desuper mota.

Ex quibus ità fuit vtraque parte informante decisum.

## ARIMINEN. FIDEICOMMISSI.

*Lunæ 23. Martij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Filiorum appellatione non veniunt nepotes, & quamplures examinantur coniecturæ prò inclusione & exclusione nepotum, & quando testator dicatur habuisse rationem conseruandæ agnationis.

### SVMMARIVM.

1 *Filiorum appellatione non veniunt nepotes aut pronepotes.*

2 *Hæres grauatus ad fauorem filij non dicitur grauatus ad fauorem nepotis.*

3 *Filiorum appellatione veniunt nepotes vbi agitur de exclusione substitutorum in fauorem hæredis instituti.*

4 *Filiorum appellatione non veniunt nepotes quando agitur de inducendo fideicommisso, & num.* 8. *&* 30.

5 *Fideicommissum tanquam onus non debet temere induci.*

6 *Hæres debet grauari minus quam fieri potest.*

7 *Filiorum appellatione regulariter non veniūt nepotes, & num.* 9.

10 *Filiorum appellatione ex coniecturis veniunt nepotes dummodo coniecturæ sint plures & violenta.*

11 *Filiorum appellatione non veniunt nepotes vbi testator discretiuè loquutus fuit de filijs & nepotibus.*

12 *Filiorum appellatione non veniunt nepotes si testator vocauerit filios cum dictione suos.*

13 *Verbum, dicti, est repetitiuum supra vocatorum.*

14 *Verbum suorum de sui natura est personalissimum.*

15 *Nepotes seu pronepotes non dicuntur filij testatoris.*

16 *Dictio, superstitem, habet vim proprij nominis.*

17 *Numerus singularis ex sui natura & significatione non extenditur ad pluralem.*

18 *Filij in conditione positi vbi sunt vocati censentur vocati ad portionem proprij patris & non patrui.*

19 *Filiorum appellatione nepotes & pronepotes veniunt vbi testator habuit rationem conseruandæ agnationis etiam si sint solum in conditione positi.*

20 *Agnationis ratio censetur contemplata vbi testator sæpius repetijt qualitatem masculinitatis.*

21 *Agnationis ratio non censetur contemplata ex qualitate masculinitatis ex quo inter se differunt.*

22 *Agnationis conseruationem excludit fœminarum vocatio.*

23 *Agnationis conseruandæ ratio non censetur contemplata quando testator illam non expressit.*

24 *Filijs & nepotibus est magis debita hæreditas patris vel aui quam hæreditas transuersalium.*

25 *Agnationis conseruandæ ratio intelligenda est iuxta terminos præcedentis substitutionis itaut non fiat extensio de casu ad casum nec de persona ad personam, & num.* 26. 27. *&* 28.

29 *Neptis quod censeatur exclusa per exclusionem propria filia testatoris quando non procedat.*

31 *Dispositio* l. cum Auus ff. de condit. & demonstr. *habet locum in quolibet descendente.*

32 *Præsumptiones & specialia non sunt multiplicanda.*

### DECISIO LXXXI.

CVM anno præterito die 2. Maij proposuissem dubiū, vtrum factus fuisset locus fideicommisso in fauorem Dominici, & Thomæ pronepotum, ex Antonio filio Mazini testatoris, in præiudicium Gaudentiæ & Clementiæ neptum ex Balthasare filio dicti Mazini, quæ hæreditatem paternam adierant, Domini tunc inclinabant in fauorem dicti Dominici, & Thomæ masculorum, ex coniecturis tunc examinatis, sed postea re maturius discussa, hodierna die communi omnium suffragio responderunt non fuisse purificatum fideicommissum.

Præcipuum decisionis fundamentum illud fuit, quia si verba testamenti perpendantur, apparebit nepotes, multoque minus pronepotes, non fuisse in conditione positos (tantum abest vt sint vocati) sed solum filios certum est autem regulariter nepotes,

1 potes, † aut pronepotes sub nomine filiorum non contineri, *l. quid si nepotes sexta, ff. de testam. tutel. §. fin. instit. qui testam. tutor. dar. poss.* & propterea receptior DD. opi-
2 nio est grauatum hæredem † ad fauorem filij non posse dici grauatum ad fauorem nepotis, *Bart. in l. alimenta in princip. ff. de aliment. & cibar. legat. Bald. in l. Gallus §. instituens num. 6. & ibi Aretin. num. 40. ff. de liber. & posthum. Roman. cons. 438. n. 15. Alex. cons. 1. num. 12. & seqq. lib. 1. Dec. cons. 45. numer. 19. Ciriac. consul. 42. incipien. filij appellatione*, cum multis alijs per informantes congestis & hanc communem esse opinionem testantur *Honded. cons. 60. num. 61. & 71. lib. 1. Eman. Xuares communium opinionum, littera F. verbo filiorum appellatione in fin. Alciat. cons. 479. num. 34. & 47. Dec. cons. 95. num. 6. & 9. Marcabr. cons. 61. num. 95. & 96. Cephal. cons. 707. n. 56. & 58. Menoch. cons. 215. num. 95. & 97. & 105. Rube. Alex. cons. 144. num. 4. Socc. sen. cons. 104. in princ. lib. 3. Socc. iun. cons. 30. num. 26. lib. 3. Rimin. iun. cons. 358. num. 228. & præcipuè nu. 232. Thesaur. quæstio forens. lib. 1. q. 91. num. 8.* cui sententiæ subscripsit Rota *coram Seraphino decis. 1486. num. 9. coram Illustriss. Mellino in Romana fideicommissi 21. Aprilis 1603. & nuper coram R. P. D. meo Verospio in vna Ariminen. fideicommissi 31. Ianuar. 1614. & alias sæpe.*

In hanc sententiam eo libentiùs ierunt Domini, quia in hoc casu non agitur ad exclusionem substitutorum in fauorem hæredis instituti, quia tunc sub nomine filio-
3 rum posset dici nepotes † comprehendi, verum dicti pronepotes prætendunt inducere ex præsumptionibus fideicommissum & grauare dictas Clementiam, & Gaudentiam, filias ad restitutionem hæreditatis paternæ, quo casu cum agant de lucro captando, & dictæ fœminæ hæredes patris de damno vitando, appellatione filiorum in conditione positorum nullo iure veniūt
4 nepotes, † aut pronepotes, vt bene distinguit *Cephal. dicto cons. 107. numer. 16. & 17.* vbi respondet omnibus rationibus, & auctoritatibus in contrarium adductis, *Rolan. cons. 43. num. 27. lib. 4. Menoch. cons. 215. numer. 22. & 32. Tiraq. qui plura refert de primog. q. 40. num. 55. & 56.* certum enim est
5 in dubio non debere temerè † induci fideicommissum tum ratione oneris, quod continet, *l. cohæredi §. cum filia ff. de vulg. & pupill.* tum quia minus quam fieri potest grauandus est hæres, *l. vnum ex familia §. si rem l. Titia cum testamento ff. de leg. secundo.*

Nec huic receptiori dictæ sententiæ ob-
6 stat textus in *l. Lucius 85. de hæred. instit.* fundamentum eorum qui contrariam sententiam amplectuntur, quia si mens Iurisconsulti accuratè perpendatur, non inde colligetur appellatione filiorum regulari-
7 ter † venire nepotes, quærebatur enim solum an conditiones adiectæ substitutioni factæ Stico, & Panfilo seruis testatoris essent positæ copulatiuè, vel alternatiuè, & licet decisa quæstione subiungatur liberos fratris testatoris præferri seruis substitutis, non ideo infertur adfuisse nepotes, cum benè possit verificari in filijs primi gradus, & in omnem euentum tunc demum seque-
8 retur venire nepotes, † quando quæstio agitaretur ad excludendum fideicommissum, secus in hoc casu ad includendum iuxta dictam distinctionem *Cephali Rolan. cons. 43. num. 23. vol. 4.* qui testatur de magis communi, *Odd. cons. 90. nu. 1. in fin. vers. respondetur l. Lucius procedere*, alias sequeretur absurdum, extraneos penitus, vt erant serui de quibus Iurisconsultus in dicta *l. Lucius*, loquitur, præferri coniunctis testatoris vt superius citati DD. respōdent, & inter alios *Dec. cons. 95. num. 9. Bero. cons. 122. num. 2. lib. 2. Alex. d. cons. 1. nu. 12. vers. & respondes lib. 1.* & quod dicta lex Lucius sit intelligenda cum prædictis distinctionibus patet, quia alias stabiliret regulam,
9 indistinctè filios † positos in conditione censeri vocatos, licet contraria sit verior, iuxta *glos. in dicta l. Lucius ff. de hæred. instit.* quam Rota sequitur, inter *diuers. impress. decis. 1485. lib. 3. par. 3. Verall. decis. 101. p. 1. in manuscript. in Recanaten. hæreditatis 14. Maij 1597. coram Penia* & alias sæpè.

Et licet aliquando ex coniecturis ab hac communiori opinione Rota recesserit, ni-
10 hilominus debent † concurrere non solū plures, sed etiam violentę, ex quibus clarè, & non æquiuocè testatoris voluntas possit necessario induci, adhoc vt à proprietate verborum recedatur, in proposita autem facti specie tantum abest, vt adferantur coniecturæ pro inclusione nepotū, prout afferri deberent, stante regula in contrarium ex allegatis, quin imo præualere visæ fuerunt illæ, quæ pro non vocatione nepotum deducuntur.

Quarum prima, & maxima ea est, quod testator quando voluit vocare filios filiorum & sic nepotes, illos expressè vocauit,

vt

vt in ſubſtitutione de filijs filiorum Bernardi, & ita ſi illos vocare voluiſſet, in
11 ſubſtitutione † Andreæ, & Balthaſaris, illos vocaſſet, aut ſaltem in conditione poſuiſſet, *arg. l. vnic. §. ſin autem C. de caduc. tollen. c. ad audientiam de decim.* dum enim teſtator loquitur diſcretiuè de filijs, & filiorum filijs ſub appellatione filiorum nũquam compræhenduntur nepotes, *Ruin. conſ. 121. num. 4. lib. 2. Gozzad. conſ. 29. numer. 16.* & in terminis *Socc. conſ. 73. nu. 21, verſ. hac pars lib. 4. Socc. iun. conſ. 168. nu. 77. lib. 2. Gabr. de verb. ſignific. concl. 1. num. 83. & 93. Surd. conſ. 564. num. 9. Menoch. dicto conſ. 215. num. 69. Peregr. conſ. 65. numer. 20. lib. 1.* qui hanc eſſe regulam in iure receptam abſque difficultate dicit, & eam amplexa fuit Rota *apud Seraphin. deciſ. 1486. num. 12. in cauſa Auenionen. 6. Iunij 1578. coram Bubalo in Romana fideicommiſſi 21. Aprilis 1603. coram Illuſtriſſ. Mellino,* & nuper in dicta *Ariminen. fideicommiſſi coram R. P. D. meo Veroſpio.*

Secunda coniectura deducitur ex verbis ſubſtitutionis quæ in teſtamento leguntur
12 (*ſi quis dictorum † ſuorum filiorum deceſſerit ſine filijs, partem præmorientis ad ſuperſtitem deuenire voluit*) ex quibus clarè colligitur teſtatorem ſolum reſpexiſſe ad filios primi gradus, ponderando illud
13 verbum, *dictorum*, † quod eſt repetitiuum ad ſupra vocatos, quaſi nominaſſet Andream, & Balthaſſarem *Pariſ. conſ. 86. numer. 36. lib. 2. Rot. deciſ. 49. par. 1. diuerſ.* idq; tanto magis, quia adeſt verbum illud, ſuo-
14 rum, † quod de ſui natura eſt porſonaliſſimum, *Theſaur. deciſ. 64 ante fin. Seraph. de-*
15 *ciſ. 1337. num. 4.* nepotes † enim, aut pronepotes nõ dicuntur filij teſtatoris, vt benè ad excluſionem nepotum conſiderauit, *Rota in dicta Ariminen. coram R. P. D. meo Veroſpio.*

Tertiam coniecturam eliciebant Domini ex illis verbis (*pars præmorientis ad ſuperſtitem perueniat*) quaſi in hoc teſtamento ſolum facta fuerit reciproca ſubſtitutio inter Bartholomeum, & Andream quatenus alter eorum ſine filijs naturalibus & legitimis deceſſerit, cum nec ad vlteriorem ſubſtitutionis gradum proceſſerit, illa ſi-
16 quidem dictio † (*ad ſuperſtitem*) habet vim proprij nominis, ac ſi teſtator dixiſſet, deueniat ad Bartholomeum, vel Andream, quicunque alteri ſuperuixerit, *Paris. conſ. 9. nu. 24. & conſ. 37. num. 53. lib. 2. Curt. iun. conſ. 57. num. 9.* cum alijs allegat per *Simonem de Pratis lib. 3. ſolut. 1. nu. 15.* tanto magis quia teſtator vſus eſt verbo ſingulari, vocat enim ſuperſtitem ad partem præmorientis, non autem præmorientium, & nihilominus ſi habuiſset rationem nepotum, aut pronepotum, ex quo plures vltra duos, poterant naſci, debebat vti verbo plurali (ſuperſtitum & præmorien-
17 tium) cum numerus † ſingularis ex ſui natura, & ſignificatione non extendatur ad pluralem, & poſt alios *Surd. conſ. 369. num. 3.*

Conſiderarunt denique Domini, licet ex coniecturis poſſit dici aliquando filios filiorum, aut pronepotes teſtatoris eſſe vocatos, cum ſunt in conditione poſiti, contra communiter recepram *gloſſ. in l. Lucius ff. de vulg. & pupill.* quam ſemper Rota ſecuta eſt, nihilominus hoc eſt intelligen-
18 dum reſpectu † portionis eorum patris, nõ autem ratione portionis patrui, *de qua nunc controuertitur, ita Rota in cauſa Senogallien. fideicommiſſi 14. Maij 1601. coram Penia in cauſa Romana fideicommiſſi 12. Nouembris 1607. coram Reuerendiſſ. D. Bononien.* & nuper in *Praneſtina Bonorum 11. Iunij 1613. coram Reuerendiſſ. Sacrato.*

Quibus poſitis non obſtant coniecturæ alias ponderatæ in fauorem pronepotum, quarum maxima ea eſt, quod teſtator habuerit rationem conſeruandæ agnationis, quo caſu non defuerunt grauiſſimorũ DD. ſententiæ, qui ſub nomine filiorum nepo-
19 tes † pronepoteſque per quos conſeruatur agnatio comprehendi exiſtimarunt licet ſolummodo reperirentur in conditione poſiti, *Decian. conſ. 31. num. 128. lib. 1. & conſ. 28. num. 10. lib. 2. Honded. conſ. 61. n. 28. lib. 1.* cũ multis allegatis per informantes, quæ ratio contemplatæ agnationis elicitur ex ſepties repetita qualitate maſculinitatis, in omnibus teſtamenti partibus, vnde
20 colligitur teſtatoris † voluntas vt agnationi ſuæ prouideri, *Molin. de primog. hiſpan. lib. 1. cap. 5. num. 35.* cum multis adductis per *Peregrin. art. 25. numer. 47. Federico.*

Huic obiectioni pluribus modis reſponderunt Domini, & primo ex repetitione maſculinitatis non induci neceſsario rationem contemplatæ agnationis, magna enim differentia eſt, inter conſideratam maſculinitatem, & agnationem, licet enim
21 teſtator † prædilexerit maſculos, nõ ideo

sequitur testatorem legem suæ agnationi dixisse *Corn. in l. 1. C. de condit. insertis numer. 20. Paris. cons. 41. num. 83. lib. 3. Grat. cons. 3. num. 18. lib. 1. Seraph. decis. 1216. n. 6.* maximè cum vocauerit in ijsdem tabulis
22 in certum casum fœminas, quæ † vocatio excludit conseruationem agnationis, vt ex multis rationibus, & auctoritatibus respondit Rota in vna *Viterbien. fideicommissi* 10. *Maij* 1613. *coram R.P.D. meo Manzaneda confirmata die* 16. *Febr. & 26. Maij* 1614. *coram eodem, & prius in Amerina successionis* 2. *Maij* 1592. *coram bon. mem. Penia & 16. Nouembris* 1607. *coram Illustriss. Lancellotto*, si enim testator in istis pronepotibus voluisset conseruare agnationem,
23 sine dubio patrem, † & auum ad eorum fauorem grauasset, vt in simili argumentatur *Gabr. cons. 88. num. 8. par. 2. & cons. 97.*
24 *num. 7. par. 1.* quia istis † nepotibus magis erat debita hæreditas eorum patris, vel aui, quam trausuersalium, *arg. l. in suis vbi Bald. Castr. & Alberic. ff. de liber. & posthum. l. cum ratio ff. de bon. damnat. §. fin autem inst. de hæred. instit. & ibi glos. in verbo existimantur*.

Et licet sine veri præiudicio, præsupponeretur testatorem de conseruatione agnationis suæ cogitasse, non ideo sequeretur purificatum fuisse fideicommissum in fauorem pronepotum, nec ideo appellatio-
25 ne filiorum † nepotes, & pronepotes, cōprehenderentur, *Dec. cons. 286. num. 9. vers. non obstat & num. 10. Dec. cons. 26. num. 86. lib. 2. Ferrett. cons. 384. num. 36.* quos citat, & refert *Pedroc. cons. 28. num. 3. & seqq. Rota apud Seraph. decis. 1486. num. 17. & 18.* ad inducendum enim fideicōmissum in præ-
26 iudiciū grauati ratio † conseruandæ agnationis intelligenda est iuxta terminos præcedentis substitutionis, ita vt non fiat extensio de casu ad casum, latè *Cephal. cons. 26. num. 11. Hended. cons. 78. num. 49. lib. 1. Surd. decis. 9. num. 16.* multoque minus de
27 persona ad personam, vel de gradu ad gradum, iuxta *cons. Dec. 286. num. 8. & 9.* toties à Rota canonizatum, cum multis alijs per *Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib. 6. tit. 15.*
28 *num. 6.* etiamsi dicta ratio † conseruandæ agnationis legeretur expressa *Pedroch. cons. 38. num. 3. vers. ex qua re infert. & num. 4.* & ex multis conclusit Rota *apud Seraph. decis. 1426. num. 10. & 18.*

Consideratum quoque fuit etiamsi positi essent in conditione dicti nepotes ex solo agnationis respectu non necessario dici vocatos, vt ex pluribus auctoritatibus DD. qui de communi testantur, firmauit Rota in dicta *Viterbien. fideicommissi*, & præcipuè quia vt superius fuit dictum, nō agitur de portione paterna, sed de successione patrui, ad tollendam filiabus paternam successionem, quæ vocatio difficilius inducitur ex rationibus adductis in decisionibus supra allegatis.

Nec obstat testatorem exclusisse propriam filiam, & ita ex identitate rationis censeri neptes exclusisse, termini enim non sunt pares, dum illam exclusit consideratione filiorum, qui erant ipsius fratres, quę ratio non æque militat quando agitur
29 de exclusione † neptis in fauorem non nominatorum pronepotum, vt in specie respondit Rota *apud Seraphin. dicta decis.* 1216.

Nec denique obstat absurdum consideratum pro parte pronepotum, fore si fideicommissum non sustineretur, vt ipsi remanerent exclusi per Alexandram vel filios masculos fratrum testatoris, cum Andreas decesserit sine filijs masculis, placuit enim respōsio deducta in *cons. Cephal.*
30 *107. num. 17.* nepotes, † aut pronepotes venire posse appellatione filiorum ad euitandum fideicommissum, sed non ad inducendum grauamen, & vinculum fideicommissi vltra quod nepotes se possent
31 tueri, dispositione † *l. cum auus ff. de condit. & demonstr.* quæ habet locum in quocunque descendente *Gabr. de fideicom. concl. 2. num. 5.*

Et in omnem euentum existimauit Rota in concursu præsumptionum præualere illas, quæ superius ad exclusionem fideicommissi fuerunt ponderatæ, hæ enim quę pro parte Dominici adducuntur, si releuarent non deberent tamen extendi contra vniuersas, ex regula de non multipli-
32 candis † specialibus, & præsumptionibus, de qua per scribentes in *l. 1. C. de dot. promiss.*

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.



TRE-

## TREVEREN. DECIMARVM.

*Veneris 20. Martij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Arbitrio non eſt locus pro ſanatione nullitatum ſententiæ ex defectu citationis, & iuriſdictionis.

### SVMMARIVM.

1 *Examinis nullitas ex defectu citationis ad videndum iurare teſtes ſanatur datis interrogatorijs, & iſta præſumuntur exhibita per legitimum procuratorem, n. 3.*

2. *Litteris non recognitis nulla fides videtur adhibenda.*

### DECISIO LXXXII.

DOMINI ſteterunt in deciſis, videlicet non eſſe locum arbitrio, pro ſanatione nullitatum ſententiæ ex defectu citationis, & iuriſdictionis ex rationibus in deciſione deductis, quæ iterum diligenter conſideratæ Dominis placuerunt.

Quo verò ad examen teſtium Domini cenſuerunt eſſe locum arbitrio, ad ſanandam nullitatem ex defectu citationis ad videndum iurare teſtes, ea moti ratione,
1 quia fuerunt examinati cum interrogatorijs datis pro parte Capituli, iuxta deciſ. *Put. 300. in nouiter impreſſ. lib. 3.* in Rota in pluribus cauſis approbatam.

Nec viſum fuit obſtare interrogatoria fuiſſe data pro examinandis in Ciuitate Leodieñ, teſtes verò fuerunt examinati in loco Conde per Iudicem ſubdelegatum, coram quo non conſtat interrogatoria fuiſſe exhibita per procuratorem Capituli, ſed ſolum de illorum tranſmiſſione procuratoris exiſtentis in Ciuitate Leodieñ non recognita, quibus propterea
2 nulla fides videbatur adhibenda ex notat. per *DD. in cap. 2. de fid. inſtr.*

3 Nam cum interrogatoria exhibita in Ciuitate Leodieñ per legitimum procuratorem ſint talia, vt nihil aliud potuiſſet circa teſtes examinatos in loco Conde releuans adduci, & euacuata fuerint interrogatoria concernentia perſonas teſtium, quæ de ſtylo illius Prouinciæ opponi ſolita ſunt eſt locus ſanationi, ex prædicta Putei deciſione, vltra quod nec viſum fuit Dominis veriſimile, interrogatoria tranſmiſſa fuiſſe ab alia perſona ſub cōficto nomine procuratoris Capituli.

Ex quibus ita vtraque parte informante fuit deciſum.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Veneris 3. Aprilis 1615.*

### ARGVMENTVM.

Extinguens cenſum ad alterius fauorem, ſeu commodum nō poteſt prætendere vſuras, ſeu damna, quæ fuit paſſus per d. extinctionem ſi in iſta non ſibi præcauit.

### SVMMARIVM.

1 *Ius bonum oritur ex credito.*

2 *Clauſula, conſtito de bono iure, qui vult iuuari debet probare bonum ius ex ijſdem actis, præcipuè ſi ſit facta executio.*

3 *Tollit nullitatem etiam prouenientem ex defectu non iuſtificationis crediti nullitas Papæ narrata.*

4 *Intereſſe, ſeu damnum non poteſt exigi ſine mora.*

5 *Interpellatio requiritur ad conſtituendum in mora.*

6 *Mora non conſideratur niſi in eo, qui eſt in dolo ſaltem præſumpto, aut lata culpa.*

7 *Fideiuſſor ſine interpellatione poteſt pecunias mutuo ſumere dummodo nouum, & maius grauamen principali non inferatur.*

8 *Principalis cenſetur ex pluribus reis debendi ad quem pecunia peruenit, alij verò fideiuſſores.*

9 *Fideiuſſor dici non poteſt ſi non adeſt obligatio principalis, cui dicatur acceſſoria fideiuſſoris obligatio.*

10 *Obligare quis ſe non poteſt vnico contextu & in mora conſtitui.*

### DECISIO LXXXIII.

CVM poſt tres deciſiones in hac cauſa factas Domini de Cæſarinis recurſum habuiſſent ad Signaturam Sanctiſſimi ad effectum ſanandi nullitates decreti A.C. obtinuiſſentque fauorabile reſcriptū pro ſanatione nullitatum, conſtito tamen de bono iure, dubitaui an ad hunc effectum conſtaret de eorum bono iure, & Domini cenſuerunt diſtinguendum eſſe creditum dictorum Dominorum de Cæſari-

nis, ficut iam fuerat distinctum in vltima decisione coram me facta die 2. Iunij 1614. ita vt diuerso modo respondendum sit de sorte principali, & fructibus census, & de fructibus prætensis à die extinctionis dicti census.

Quoad sortem principalem, & fructus dicti census ex rationibus quibus in supradicta decisione resolutum fuerat, satis superque constare de credito Dominorum de Cæsarinis, ex iisdemmet censuerunt
1 constare etiam de bono iure, cum ex ipsorum credito bonum ius necessario oriatur, cum hac tamen limitatione quatenus exceptio præscriptionis statutariæ non obstet huic decisioni, quæ cum magnam patiatur difficultatem, eam dubio particulari examinandam reseruarunt.

Nec obstare visum fuit, quod dicebatur per informantes pro Serenissimo Electore Coloniæ ad effectum, vt possent reijci nullitates, & attentata vigore commissionis,
2 cum clausula, *constito de bono iure*, debere eum, qui intendit iuuari ea commissione, concludenter probare bonum ius se fouere, ex iisdem actis, & non nouiter deductis, præcipuè cum facta sit executio, quam iustificari debere ex iisdem actis censuit sæpius Rota, & præcipuè in vna *Romana census 1585. coram Cardinale Pamphilio, in Tudertina Officij Cancellariæ 19. Ianuary 1598. coram Cardinale Lancellotto, in Romana pecuniaria de Sacchettis 26. Nouembris 1611. coram R.P.D. meo Caualerio, & nuper in Anconitana computorũ, Mercury 28. Maij 1624. coram R.P.D. meo Pamphilio.*

Responsum enim fuit hanc obiectionem tolli, stante narratiua facta Papæ, de hoc defectu, narratum enim fuit Sanctissimo, non sufficienter dictos DD. de Cæsarinis iustificasse creditum, sicq; cum rescriptum postea emanauerit, quod reiectis nullitati-
3 bus attendatur bonum ius, nullitas etiam prouenicns ex defectu non iustificationis dicitur sublata, ad tradita per *Menoch. de arbitr. q. 52. num. 4. & seqq.*

Quo verò ad fructus post extinctionem Domini sine difficultate firmarunt, non constare nec de credito, nec de bono iure, DD. de Cæsarinis, quia vt patet ex instrumento extinctionis census, ille fuit extinctus per bon. mem. Iulianum Ducem Cæsarinum, in pecunia numerata, quam Glorierius emptor census in actu retrouenditionis recepit, mediante ordine directo Domino de Ruspulis, qui creauit creditorem, Glorierum, & debitores Dominos de Cæsarinis in pecunia, nec dictus D. Dux Iulianus in extinctione census declarauit se soluere ex pecunijs redactis ex locis montium, prout requirebatur, vt interesse deberetur à d. Serenissimo Duce Bauariæ, non enim aliter potuisset d. Dux Iulianus postquam de proprijs pecunijs extinxit debitum, easdem recipere sub vsuris, vt sibi satisfaceret absque noua interpellatione, quæ de necessitate requirebatur, adhoc, vt interesse esset debitum, re-
4 gulariter enim damnum, seu interesse absque mora non potest exigi, *adnot. in l. quod te, ff. si cert. pet. cum simil.* nec potest dici
5 vllo iure moram sine scientia, vel interpellatione debitoris contrahi, *l. Titia 87. §. si vsuras de leg. 2. l. mora, ff. de vsur.* & ibi
6 scribentes: nemo enim censeri potest esse in dolo præsumpto, aut lata culpa, qui non fuerit interpellatus, sine qua non potest habere locum mora, *l. fin. §. idem iuris erit, ff. ad leg. Rhod. de iact. Alciat consil. 108. nu. 8. & seqq.* cum multis allegatis in vna *Romana Cambiorum 17. Decembris 1574. coram bon. mem. Gyptio.*

Nec obstat, quod dictus Glorerius habuerit loca viginti montis Cæsarini, quia vt patet ex partita in Summario data, pro eis soluit pretium, quod licet esset receptum à dictis Cæsarinis, vt ipse declarauit, non tamen constat de aliqua declaratione facta à d. Iuliano, in ipsa census extinctione, prout erat opus, vt interesse esset debitum, absque alia interpellatione ex supradictis.

Prout non obstat, quod pro parte Dominorum de Cæsarinis dicitur, fructus locorum montium subrogatos in locum fructuum census, debitos esse hæredibus dicti D. Ducis Iuliani, quia fideiussor obligatus pro aliquo etiam sine noua interpellatione
7 potest alias pecunias mutuo sumere, dummodo nouum, & maius grauamen debitori principali non inferatur, vt dixit Rota *in Bononien. Quadernæ 21. Aprilis 1611. coram Illustrissimo Lancellotto*, at in hoc casu tantum abest, vt nouum grauamen sit illatum dicto Serenissimo Duci Bauariæ, vt etiam antiquæ vsuræ fuerint diminutæ mediante ista subrogatione noui interesse, quia fructus census ascendebant ad summam septem pro centenario, vsuræ verò locorum montium ad quinque.

Huic obiectioni duplici modo responderunt Domini, & primo nullo modo posse

se diei dictum D. Ducem Iulianum fuisse fideiussorem, nam licet quando duo se obligant tanquam principales, si pecunia ad
8 vnum solum perueniat, ille solummodo censetur principalis, & alter fideiussor, *Rol. cons. 64. numer. 5. lib. 1. Surd. cons. 150. num. 57. Rota decis. 153. num. 6. par. 2. diuers.* & ille ad cuius vtilitatem pecuniæ mutuo acceptæ sunt, teneatur ex natura contractus socium indemnem reddere, in isto tamen casu illud non potest procedere, quia dictus Ernestus Dux non se obligauerat ad fauorem Glorerij, sed solum d. D. Iulianus, & ita Serenissimus Ernestus non
9 erat obligatus Glorierio, sed principaliter D. Duci Cæsarino, qui non poterat dici fideiussor, si non adest obligatio principalis, cui dicatur accessoria fideiussoris obligatio, *l. 1. l. generaliter, l. græca, §. 1. ff. de fideiuss. in princ.* & valde differunt hi duo termini, nempe quod duo censum imponant, & vendant, & pecuniæ ad vnius manus perueniant, vel quando quis est creditor alterius, & ipse solus, vt ipsi sibi satisfaciat censum imponit, & vendit, vt inde postea debitor teneatur ad interesse, nam primo casu ille, qui solus pecunias accepit, erit principalis debitor, alius verò fideiussor, secundo verò ille, qui solus pecunias census ad censum cepit, pernecesse semper debitor principalis existit respectu illius qui censum emit, & respectu sui debitoris cui easdem pecunias mutuo dedit, semper remanebit creditor principalis, nec vnquam poterit dici fideiussor, sed potius
6 negotiorum gestor, quia alius non legitur obligatus in instrumento, cuius respectu possit fideiussor dici, si enim dictus Dux Bauariæ fuisset debitor dicti census quoad Glorierios, non poterat eo inscio, inconsulto, aut inuito extingui, quod cum factum fuerit necessario dicendum solam obligationem dicti Serenissimi fuisse conceptam in fauorem d. Ducis Cæsarini, tanquam negotiorum gestoris.

Secundo responsum fuit etiamsi fuisset dictus D. Iulianus fideiussor, semper requisitam fuisse interpellationem, aut expressam, aut præsumptam, quæ in hoc ca-
10 su non potest prætendi, quia ex sola epistola obligatio Serenissimi Ernesti, colligitur, quæ tamen non potest duos generare effectus vnico contextu, nempe inductionem, siue probationem obligationis, & constitutionem in mora post extinctionem census de quo solo fit mentio in dicta epistola *Ias. in l. quoties num. 2. de verb. obligat.* cum alijs adductis in d. decisione coram Gyptio, in qua eadem quæstio in indiuiduo, vbi aderat fideiussor, deciditur, tum maximè quia vt superius dictum est, non apparet de vlla interpellatione facta per D. Iulianum, aut protestatione, ita vt concludenter probetur extinctio census, ex pecunijs dictorum locorum montium, sed potius ex pecunijs ipsius Ducis Iuliani, vt expressè sonant verba instrumenti.

Vltra quod omnes rationes, quæ ad inducendam præscriptionem statutariam adducuntur, magis militant in dictis fructibus locorum mōtium post tres annos prætensorum, quàm in sorte principali, & fructibus census, quas tamen vt supradictum est Domini discutiendas reseruarunt.

Quod dicitur Ducem Bauariæ non potuisse interpellari, non placuit Dominis, quia potuit fieri diligentia, & procedi per contradictas, vel saltem fieri aliqua declaratio extraiudicialis ad effectum, vt interesse post extinctionem census deberentur.

Prout nec placuit, quod dicebatur R. P. D. Manderum Agentem Serenissimi Archiepiscopi acceptauisse calculum Dominorum de Cæsarinis ad istam summam ascendentem, quia ad alium effectum, quàm ad agnoscendum debitum fuit acceptatus calculus, nempè vt separaretur illa summa ab illa totali summa sequestrata, vt consignaretur cui de iure, cum nec iuris esset, vt indebitæ pecuniæ, quales erant illæ, quæ ex fructibus locorum montium prætendebantur dictis DD. de Cæsarinis consignarentur, posset & dici ad agnoscendum debitum requiri mandatum speciale.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

## SALERNITANA CONTRIBVTIONVM.

*Lunæ 6. Aprilis 1615.*

Argumentum, & Summarium.

Iura quæ non sunt in forma probanti non debent retardare exequutionem sententiæ, quæ fecit transitum in iudicatum.

DE-

DECISIO LXXXIV.

CVM iam per duas decisiones coram bo. me. Cardinale Pamphilio Rota firmasset iura, & scripturas productas in hac causa pro parte Monialium S. Sophiæ non esse in forma probanti, & nihilominus postea dictæ Moniales vellent ad impediendam executionem rei iudicatæ ijsdem iuribus vti; Placuit Dominis, vt iterum proponerem idem dubium, an d. iura, & scripturæ essent in forma probanti, ad effectum, vt ex ijs possit executio Rotalis quæ transitum fecit in rem iudicatam retardari, & Domini negatiuè responderunt, nam cum sint eadem iura, & ipsæmet scripturæ, quæ coram d. Cardinale Pamphilio erant, productæ, quibus nihil additum est, ex ijsdemmet rationibus fusè deductis in dictis decisionibus sub die 10. Ianuarij 1600. & die 12. Februarij 1601. quæ rursus examinatæ placuerunt standum esse in decisis Domini existimarunt, tum maximè quia contra eas nihil releuans hodie adducitur, nam quæ pro parte procuratoris Monialiũ dicuntur de processu nouiter reperto nihil habent commune cum scripturis productis in Rota, & si ex testibus formiter examinatis in Vrbe Neapolitana, aut iuribus, & scripturis in forma probanti coram Nuncio Apostolico legitimè productis apparebit Dominis de bono iure dictarum Monialium tunc ex nouiter deductis poterit executio rei iudicatæ adhuc differri vt ad hunc vsque diem ex solita Rotæ benignitate fuit dilata.

Et ita decisum vtraque parte informante.

ROMANA CASALIS.

*Veneris 13. Aprilis 1615.*

ARGVMENTVM.

Bona minoris possunt alienari quando vsuræ superant fructus bonorum hęreditariorum & quando maritus non vult dotem in stabilibus, sed in pecunia.

*SVMMARIVM.*

1 *Decretum Iudicis præsumitur validum, & contrarium alleganti incumbit onus probandi.*

2 *Alienatio bonorum stabilium valida est quando vsuræ superant fructus bonorum hæreditariorum.*

3 *Census nullitas eo quia non interuenit actualis numeratio pecuniæ potest in Signatura Sanctissimi sanari.*

4 *Fraus & præcipuè in matre tutrice non præsumitur.*

5 *Locationes non probant verum valorem.*

6 *Alienatio bonorum minori est permissa pro soluenda dote quando maritus non vult recipere stabilia.*

7 *Res minus valere dicitur quando super ea adest lis & venditio absque cautione de euictione.*

DECISIO LXXXV.

CVM sub die 23. Maij 1614. fuerit resolutum informante solum D. Octauia de Maximis constare de nullitate alienationis Casalis venditi q. D. Francisco Scapuccio à q. D. Brigida de Magistris, & D. Modesta eius matre, & curatrice, hodie illius filij, & hæredes examinatis de nouo testibus obtinuerunt denuo super dicta resolutione audiri, & dubio bis proposito, causa diligenter examinata Domini recesserunt à decisis, ea maxime ratione, quia

1 cum regulariter præsumatur ✝ pro validitate decreti Iudicis, & dictæ D. Octauiæ incumbat onus concludenter probandi cõtrarium, *vt ex multis allegatis fuit in hac causa decisum die Veneris 26. Nouembris coram bon. mem. Penia*, tota facti serie perspecta, non solum omnia quæ pro parte D. Octauiæ adducuntur non concludunt ex falsa causa Iudicem huic alienationi Casalis decretum suum interposuisse, quin potius probationes adductæ pro parte DD. de Scapuccijs magis incalescunt ad iustificandam necessitatem causæ d. alienationis.

Indubitati enim iuris est, licitum esse

2 alienare bona stabilia ✝ minorum, quando fœnus & vsuræ superant fructus bonorum hæreditariorum, *per text. expressum, in l. magis puto, §. non passim, ff. de reb. eor. qui sub. Imol. cons. 98. num. 4. Ang. Aretin. cons. 128. num. 35. & 36. Natt. cons. 631. nu. 37. vers. ex præmissis igitur*, quod fundamentum in iure verissimum iustificatur in facto, nam si ratio habeatur solius calculi dati pro parte D. Octauiæ apparebit vsuras superare fructus Casalis, quod solum q. D. Brigidę in partem hæreditatis obuenerat, fructus siquidem dotis promissæ ascendebant singulis

singulis annis ad scuta 180. fructus censuũ
non controuersorum ad sc.84. vltra censum
debitum Canonicis Sanctę Mariæ Maioris,
qui erat scutorum 40. sicque compre-
henso canone scut.66. omne illud fœnus
constituebat summam scutorum 370. fru-
ctus verò Casalis, de tempore contractus,
vt constat ex locatione ad nouennium, fa-
cta ante per quinquennium, non excede-
bat scuta 263. vnde ad sensum paret inter-
usuria longe excedere fructus Casalis non
comprehensis, quæ annuatim ad resarcien-
dam domum, aut meliorandum Casale
fundi dominus etiam parcissimus impen-
dit.

Nec obstare visa fuerunt ea, quæ contra
partitam sc.40. debitam singulis annis di-
ctis Canonicis adducuntur, scilicet non
esse habendam rationem dictæ summæ in
hoc calculo, quia census non erat nullus
ex constitutione san. mem Pij V. cum non
fuisset actualis pecuniæ numeratio, placuit
enim Dominis responsio, cum debitũ pro
canonibus decursis, & ad euitandam ca-
ducitatem nullo iure posset controuerti,
3 potuisse in Signatura Sanctissimi † obtineri
sanationem huiusmodi nullitatis, & in om-
nem euentum, cum necessario soluenda
esset sors principalis, eadem summa erat
recipienda sub vsuris, vel vendendum Ca-
sale, & ideo æquitas suadet habendam
esse rationem huius partitæ ad istum effe-
ctum.

Prout non obstare visum fuit, quod di-
cebatur verisimile esse locationem istam
vltimam scut. 293. factam à dicta D. Mo-
desta fuisse in fraudem minorum, vt po-
stea viliori pretio dictum Casale ad manus
Scappucij ex primo matrimonio filij per-
ueniret.

Responsum enim fuit, vltra quod fraus
4 regulariter, & præcipue in matre tutrice
non præsumitur, cessare omnem doli præ-
sumptionem ex eo quod per quinquenniũ
antea reperiebatur facta huiusmodi locatio
& verisimile non est matrem in fauorem
conductoris penitus extranei tanto tempo-
re voluisse hoc prçiudicium filiabus inferre
locando Casale pro minori pretio, si valor
dicta scuta 293. excederet, tum etiam, quia
dictum Casale, vt deponunt testes fuit ex-
hibitum pro eodem pretio marito Brigidæ
qui illud insolutum accipere recusauit.

Nec etiam satis concludenter probatus
videtur verus valor fructuum dicti Casalis,
5 ex eo quod anteriori † locatione facta ad
rationem 3. pro quolibet rubro, vel ex
posteriori facta pro sc.500. non quoad pri-
mam cum facta fuerit pro sc. 3. pro quoli-
bet rubro, & Casale consistat solummodò
in rubijs 90. euidenter patet pretium esse
multo minus, & non ascendere nisi ad
summam sc. 270. Et licet adesset pactum
facultatiuum seminandi, quò casu condu-
ctor tenebatur soluere scuta quinque pro
quolibet rubro seminato, tamen ex hoc
necessario colligitur dictum Casale fuisse
tunc locatum pro maiori affictu, cum nec
totum Casale possit seminari pro quolibet
anno; quo verò ad locationem posterio-
rem attinet, nec etiam illa probat verum
valorem redditus dicti Casalis, tum quia
non est locatio, sed reconductio facta po-
tius ex affectu, quam ex vero valore, vt
euentus docuit cum subconductor fuerit
coactus deserere locationem, & fugam ar-
ripere, tum etiam quia medio tempore
potuit dictum Casale meliorari à d. D. de
Scapuccijs emptore, & in omnem euentũ
sufficit dictæ D. Octauiæ probare per pos-
sibile fructus Casalis, ad eam summam
ascendere, quæ sufficeret ad omnia alia de-
bita hæreditaria soluenda cum ex supradi-
ctis impugnet decretum Iudicis clara &
euidens incumbit probatio, quæ in hoc
casu non videtur adesse.

Placuit, & Dominis aliud fundamen-
tum adductum ad sustinendam dictam alie-
nationem marito scilicet recusante reci-
pere bona stabilia in dotem, tunc licitum
6 esse tutori † illa alienare, vt dos detur in
pecunia, & hanc iustam alienationis bono-
rum minorum causam esse iuridicam, tra-
dit Iuris Consultus *in l. siue generalis, ff. de
iur. dot. l. lex quæ tutor. & ibi glos. C. de ad-
ministr. tutor. glos. in l. ob æs, C. de præd. mi-
nor. cum similib.* quod huic casui applica-
tur, cum enim Brigida esset nubilis, &
Dominus Pacificus maritus nunquam ad-
duci potuerit, vt Casale in dotem accipe-
ret, sed vellet pecunias, & hac de causa
matrimonij tractatus penè fuerit dissolu-
tus, necessario inferendum est sufficientẽ
adfuisse causam alienãdi, & quamuis dica-
tur in decisione præcedenti istam causam
non amplius fuisse vrgentem, quia matri-
monium iam erat contractum sub promis-
sione solutionis dotis, infra triennium, &
ita remanebant pecuniç dotales sub vsuris.
Placuit tamen responsio quod dictus Scap-
pucius pro tali dote fideiusserat, & elapso
triennio cogebatur soluere in pecunia sc.
3000.

3000. & ideò bene potuit durante adhuc triennio vendere Casale, vt adueniente tempore pecuniæ essent paratæ, nec enim qui venale exponit Casale debet expectare vltimam horam termini, quasi subesset periculum vtrum emptor tunc reperiretur, qui legitimo pretio emere vellet, tum maxime quia ex supradictis appareat vsuras superasse fructus, & omnis dilatio semper fuisset nociua minori.

Consi derarunt etiam Domini, non ita facilè potuisse vendi extraneo, & ignoto istud Casale, cum super eo antiqua lis extitisset, & prætensa deuolutio, & emptum
7 fuisse sine vllo fideiussore de euictione, quod facit partem pretij, *ad l. fundi partem, ff. de contrah. empt. Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 3. num. 4. vers. quinto inferatur, Rota decis.* 248. *num. 5. par. 2.*

Quibus non obstare visum fuit, quod dicitur pro parte D. Octauiæ adfuisse bona mobilia, quo casu non poterat ad stabiliū alienationem deueniri, nam cum hoc non probetur nisi ex Inuentario facto, multo tempore ante d. alienationē, & illa potuerint esse alienata pro soluendis alijs debitis hæreditarijs non venit ex hoc capite rescindendus contractus celebratus cum solemnitatibus, tam ex dispositione iuris, quam statuti requisitis.

Quod autem dicitur consanguineos, qui huiusmodi alienationi consensum præbuerunt, prout requirit statutum habuisse in hoc contractu considerabile interesse, hoc in facto non subsistit, aut saltem non est probatum, vt debet satis concludenter ideò Domini de eo nullam rationem habuerunt.

Ex quibus ita fuit vtraque parte informante decisum.

### ROMANA PECVNIARIA.

*Veneris 13. Martij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum aduersus sententiam, & rem iudicatam vt detur debet constare clarè de illius iniustitia.

### SVMMARIVM.

1 *Pro sententia, & re iudicata in dubio præsumitur.*
2 *Restitutio in integrum post quadriennium non datur.*
3 *Restitutio in integrum est neganda, nisi petens probauerit sententiam fuisse iniustam, seque enormiter læsum.*
4 *Confessio in libello emissa parti confitenti præiudicat.*
5 *Præsumptio colligitur ex qualitate personarum, ideò non præsumitur, quod persona priuata obligauerit se in magna summa pro alio absque eo quod sibi de indemnitate prospexerit.*
6 *Ex identitate causæ, summæ pecuniarum, & personarum probatur identitas debiti.*
7 *Testi deponenti super ijs, de quibus nullus alius melius deponere potest, fides deneganda non videtur si non sit amplius familiaris.*
8 *Præsumptiones vrgentiores, & vehementiores faciunt cessare leniores.*
9 *Pluralitas debitorū præsumitur quando scriptura sunt diuersæ.*
10 *Fides non facit fidem.*
11 *Pluralitas debitorum resultat ex solutione duplicis vsuræ.*
12 *Partita in libris mercatorum transportata contra tertium, qui non consensit, ei præiudicium non affert.*

### DECISIO LXXXVI.

CVM q. D. Iacobus Spinola coram A.C. egisset ad restitutionem scutorum 1719. per eum Dominis Sfortijs solutorum pro bo: me: Excellentissimo Domino Marco Antonio Columna Comestabile, vna cum damnis & interesse, idemque D. Comestabilis postquam docuit de solutione sortis principalis, & cambiorum sententiam absolutoriam obtinuisset, quæ transitum fecit in rem iudicatam, causa mihi commissa, Dubitaui vtrum constaret de causis restitutionis in integrum, & maior pars Dominorum censuit negatiuè re-
1 spondendum, nam † cum in dubio pro sententia, & reiudicata præsumatur *l. si Prætor in princ. ff. de iudic.* cum similibus præci-
2 cipuè post lapsum quadriennium, † quod est tempus statutum à lege ad docendum de causis restitutionis, *l. 1. C. de tempor. in integr. restit. cap. 1. & d. tit. in 6.* & vtrobique *glos. & DD.* sine dubio Dominis Spi-
3 nolis impugnantibus † sententiam, & rem iudicatam incumbit onus probandi clarè, & euidenter sententiam A. C. fuisse iniustam, seque enormiter læsos alias restitutio in integrum ipsis est deneganda, *l. 1. & tot. tit. ff. ex quib. caus. maior. cap. 1. & ibi Abb. num. 2.*

*num. 2. de restit. in integr. Rota decis. 1. rod. in nou. & decis. 1. in antiq. & Mohed. decis. 78. in fin. Caputaq. decis. 94. par. 3. Seraphin. decis. 634. num. 1. & 1238. in princip. fuit dictum in vna Osien. Archidiaconatus 10. Decembris 1610. coram R.P.D.Pamphilio.*

In hac autem facti specie, tantum abest vt dicti DD. Spinolæ docuerint d. sententiam A.C. fuisse iniustam, quin potius hinc omnibus, & inde perpensis præponderare visæ sint coniecturæ, & probationes quæ pro confirmatione sententiæ in fauorem d. Comestabilis adducuntur, nō enim probatum fuit pro parte hæredum d. Iacobi solutionem fuisse factam, vt asserunt pro alio debito diuerso, contento in quadam apoca mutui sc. 1185. 17. nam præterquā quod aliqui ex Dominis dicebant, cum ambo credita non possent prætendi nisi ex causa mutui, vt colligitur tam ex d. apoca quàm ex monitorio, & petitione Spinolæ fuisset oppositum de solutione de illa doctum, non posse dici non iure absolutum d. D. Comestabilem, licet forsan Spinola remaneret creditor alterius mutui, pro quo poterat experiri alio iudicio, in hoc reliqui omnes Domini conuenerunt diuersitatem illam, & pluralitatem debitorum à Spinolis restitutionem in integrum ex illo capite petentibus tota facti serie inspecta non probari, imò incalescere potius contrarias probationes.

Constat enim, & hoc inter partes non controuertitur sub die 3. Nouembris 1590 Iacobum Spinolam recognouisse bonam fidem societatis officij sc. 1550. auri ad rationem 12. iuliorum pro scuto; Deinde Luragus die 9. eiusdem mensis acceptis per manus Spinolæ quorundam iocalium d. Comestabilis pignoribus trium semestrium fructus soluere promisit, die verò 14. Comestabilis in apoca, cum hac expressione gratis, & amore (*questo di infrascritto per pagare all'Illustrissimi Signori Sfortij, e per altri miei seruitij*) se verum, & legitimum debitorem principaliter & insolidum pro summa sc. 1885. monetæ constituit, eamque infra mensem cum dimidio restituere promisit, facultate desuper concessa Spinolæ, in casum non solutionis, vt eandem summam sub fœnore cambiorum, vel societatis officij accipere posset die 15 sequenti, Spinola in banco Dominorum de Donis soluit Dominis Sfortijs scut. 1200. pro D. Comestabile adiectis his verbis, *disse hauersene à riualere de 16. sequenti*, D. Marius dictam apocam Spinolæ transmisit, petijtque ab eo confessionem scriptam receptionis iocalium, ac scuta 10. pro residuo scutorum 300. sibi remitti, die verò 7. Martij 1591. Spinola aliam dd. Dominis Sfortijs partitam sc. 519. 50. soluit his expressis verbis (*del Signor M. Antonio dal quale se n'haueua à riualere*) constat & ex pluribus partitis diuerso tempore dictum Dominum Comestabilem soluisse Spinolę maiorem summam scutorum 1881. vna cū cambijs, constat denique Luragum soluisse fructus duorum semestrium dictæ societatis.

Ex quibus simul iunctis Domini collegerunt necessario pecunias solutas DD. Sfortijs esse easdem, quæ comprehensæ sunt sub apoca mutui, hoc modo quod indigente pecunijs Comestabile pro soluenda partita Dominis Sfortijs fuerit sub die 15. Nouembris facta societas à Spinola, ad contemplationem, & vtilitatem Comestabilis, & quia ipse non erat in societate nominatus, nec obligatus, vt Spinolæ, qui recognouerunt bonam fidem esset cautum fuit facta sub die 14. eiusdem mensis apoca mutui, quæ die 16. verisimiliter fuit subscripta, quia ea die legitur consignata Iacobo, & dictæ pecuniæ solutæ Dominis Sfortijs, die 15. & sic per diem ante subscriptionem apocæ, vt saltem antequam ad manus d. Spinolæ peruenisset; vnde visum fuit satis superque constare de identitate crediti d. Spinolæ, & debiti Comestabilis, imò multiplicatio excluditur ex ipsomet monitorio Spinolæ, in quo fassus fuit se suscepisse controuersam summam pecuniarum sub fœnore societatis à Barbarino, vt solueret Sfortijs, & verè illas Sfortijs soluisse, & ita cum debitum, de quo in apoca sit causatum pro soluendis Sfortijs nisi probetur d. Comestabilem habuisse non vnum tantum sed duo debita eiusdem partitæ, vel circiter cum Sfortijs, nunquam poterit dici debitum societatis esse diuer-
4 sum à debito apocæ, certi enim iuris est confessionem in libello emisam parti confitenti præiudicare, *Bart. in l. 2. § creditum, ff. si cert. pet. Innoc. in c. cum contingat de off. deleg. Rom. conf. 391. num. 8. Castr. conf. 360. num. 3. lib. 2.*

Vrget, & coniectura vehemens consideratis personis bo: me: Antonij Comesta-
5 bilis, & d. Iacobi Spinolæ, † cum non sit verisimile ipsum Spinolam voluisse obligari in tam magna summa pecuniarum pro Come-

Comestabile, absque eo quod vnico cõtextu aliquo modo sibi de indemnitate prospiceret, prout fecisset si apoca mutui non comprehenderet istas pecunias societatis; cum vt dictum est d. Comestabilis nec esset obligatus, nec nominatus in dicta societate.

6 Considerarunt etiam Domini simul cõcurrere identitatem causæ, summæ pecuniarum & personarum, clarum siquidem est eandem subesse causam, cum pecuniæ de quibus loquitur apoca mutui, & societatis officij destinatæ fuerint ad soluendos Sfortios, adest & identitas summarum cũ scuta 1550. auri, summam 1560. constituant alia verò scuta 25. potuerunt deseruire pro mercede Notarij, & forsan Proxenetæ, quod videtur clarè probatum ex confessione ipsius Iacobi in epistola per eũ scripta ad Lippomanum, ibi, *poiche in quella poliza non vi è somma alcuna di denari pagati, ma la sola Compania, e spese di rogito di Notaro*, quæ quidem epistola nunquam reuocata fuit in dubium, imò legitur data in Summario cum causa proponeretur coram bo: me: Illustrissimo Card. Seraphino, quo tempore contra eam excipiebatur Iacobum eam dum morbo detentus esset scripsisse, vt apparet ex ipsius Iacobi confessione, quæ tunc data fuit, cum hæc causa fuit decisa vt constat ex *decis. Seraph.* 1093. in qua ex multis rationibus & coniecturis vrgentissimis, quæ rursus consideratæ Dominis placuerunt firmatum fuit vnicum fuisse debitum mutui, & societatis

7 officiorum, quibus hodie adducitur † depositio Io. Caroli, tunc ministri, & de facto proprio deponentis, cui fides denegan da non videtur ex quo non est amplius minister. *Doct. in l. omnibus, C. de testib.* maximè cum deponat super ijs de quibus nullus alius melius deponere potest *ad cumul. per Gabr. de testib. consi.* 10. *num.* 38. *Cas. de Grass. decis.* 13. *num.* 2. *eod. tit.*

Quæ autem deducebantur pro Spinolis ad probandam diuersitatem, & pluralitatem debitorum, non visa fuerunt Dominis tanti momenti, vt ex illis concedenda sit restitutio contra rem iudicatam stantibus inditijs, & præsumptionibus pro iden-

8 titate, † quæ vti vrgentiores, & vehementiores faciunt cessare alia in contrarium pro Spinolis adducta *l. Diuus, ff. de in integr. restit. cum alijs per Surd. consil.* 160. *num.* 21.

Et primo ad id quod dicebatur plurali-

9 tatem debitorum præsumi † quando scripturæ sunt diuersæ, responsum fuit respectu dicti Comestabilis non adesse diuersas scripturas, sed solum apocam mutui, cum in societate Comestabilis non fuerit nominatus.

10 Ad confessionem Comestabilis respondebant de illa non constare † nisi ex quadam fide extraiudiciali, quæ de iure non facit fidem *gloss. in cap. cum olim, & ibi Abb. num.* 5. *de priuil.* vltra quod illa est qualificata per illa verba ad aures Lippomani prolata, vt benè considerauit dicta decis. Seraphini.

11 Ad fundamentum verò factum super solutione duplicis vsuræ cambiorum scilicet & fructuum societatis, quæ dicitur facta per eundem D. Comestabilem eodem tempore responsum fuit non verificari in facto, quia fructus societatis fuerunt soluti per Luragum, cui deinde illos Spinola restituit ex pecunijs per ipsum habitis à Franciono sub nomine cambiorum de mãdato Comestabilis, vt ex partitis ex libris Luragi extractis.

Et licet partitæ dictorum fructuum à Lurago solutorum, quas ad debitum Spinolæ ipse Luragus scripserat, deinde fuerint stornatæ, & ad debitum Columnen-

12 sium de anno 1593. positæ † nullum tamen præiudicium D. Comestabili talem transportationem afferre potuisse Domini censuerunt tum quia illa non potuit fieri sine scientia, & mandato ipsius D. Comestabilis, de quo tamen nullo modo constat, *Imol. cons.* 96. *in fin. Aym. de antiq. temp. par.* 1 *in princ. num.* 71. *Menoch. de arbitr. cas.* 91. *num.* 25. *&* 26. *lib.* 2. tum etiam quia transportatio de qua supra non caret suspicione, tam ex eo quia illa fuit facta postquam Luragus fuerat à Spinola de dictis fructibus satisfactus, tàm etiam ex eo quia transportatio fuit facta ad debitum hæredum D. Comestabilis de anno 1593. qui nihilominus tunc in humanis agebant.

Nec visum fuit vllum posse fieri fundamentum super pignore dato à Comestabile, quia pecuniæ societatis debebant inseruire pro soluendis Sfortijs, & omnia gesta fuerunt intuitu ipsius Comestabilis, qui propterea apocam mutui in fauorem Spinolæ subscripsit, vt eum indemnem redderet, prout nihil concludunt illa verba apocæ, *e per altri miei seruitij*, illa enim verba potuerunt apponi, quia non omnes pecuniæ tunc temporis solutæ fuerũt Sfortiis sed solum sc. 1200. Fun-

Fundamento verò facto in petitione Marij scutorum decem pro residuo scutorum 300. aliqui ex Dominis respondebant posse verificari pro residuo scut. 300. quæ D. Comestabilis petijt à Spinola per quatuor menses ante, alijs verò verificari posse ex prædictis verbis apocæ, *e per altri miei seruitij*, cum vt dictum est solummodo scut. 1200. tunc temporis soluta fuerint Sfortijs.

Et in omnem euentum omnes istæ coniecturæ tàm separatim, quàm coniunctim consideratæ, non visæ fuerunt satis concludentes ad impugnandam sententiam, & rem iudicatam, cum contrarijs præsumptionibus, & probationibus elidantur.

Ex quibus ita fuit pro maiori parte decisum.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Lunæ 6. Aprilis 1615.*

Argumentum ex Summario.

### SVMMARIVM.

1 *Sententia præsumitur iusta, & qui iniustitiam allegat, probare debet.*

2 *Citatus ad dicendum contra iura producta, si nihil opponit approbare censetur.*

3 *Exceptio contra iura producta per verba, Generalia contra, quid, quomodo, & quando operetur. & num. 4.*

5 *Archiuista habet authoritatem extrahendi, & publicandi instrumenta absque litteris compulsorialibus perinde, ac si esset successor illius Notarij.*

## DECISIO LXXXVII.

DOMINI dixerunt non constare de causis restitutionis in integrum ea ratione, quia non reuocatur in dubium validitas sententiæ Rotalis, quæ lata fuit seruatis seruandis, & omnibus de iure, & stylo requisitis.

1 Quod vero ad iustitiam attinet, tantum abest, vt Religio Hierosolymitana quæ impugnare vult sententiam, & rem iudicatam probauerit concludenter iniustitiam dictæ sententiæ Rotalis, prout requirebatur *c. 1. & ibi Abb. num. 2. de restitut. in integr. Rota decis. 1. eod. tit. in non. & decis. 5. eodem in antiq. Mohed. decis. 78. in fin. Caputaq. decis. 94. par. 3. fuit dictum in vna Oscen. Archidiaconatus 10. Decembris 1610. coram R.P. D. meo Pamphilio.* & alias sæpè, quinimo visum fuit dictam sententiam Rotalem satis iustificari ex decisionibus in hac causa factis sub die 4. Nouembris 1613. & 18. Aprilis 1614. quarum rationes, & fundamenta iterum Dominis placuerunt.

Quibus non obstare visum fuit, quæ denuo pro parte Religionis adducuntur, & primo sententiam non iustificari ex actis, quia ex apoca non potest dici probari debitum, quia non fuit productum originale, exemplum extractum, & recognitum informiter, & non seruatis de iure requisitis, & licet Religio citata ad dicendum contra huiusmodi apocam nihil opposuerit corā A.C. cum postea procurator dictæ Religionis in Rota opposuerit generalia contra, poterit in gradu restitutionis in integrum per quam extincta lis reuiuiscit dictam oppositionem ad speciem deducere.

2 Huic enim obiectioni optimè responsum fuit in decisionibus in hac causa factis, cū in productione corā A.C. citata pars nihil opposuerit censeri approbasse ex Felin. & alijs ibi allegatis, & quamuis Iudex possit non adhibere fidem, & velle recognitionem, tamen si non vtitur hoc arbitrio, & ei adhibet fidem non propterea potest eius sententia redargui de iniustitia.

3 Secundo responsum fuit non subsistere in facto fuisse vnquam oppositum contra productionē dictæ apocæ in Rota, quia fuit illa oppositio facta, cum productæ fuerunt aliæ scripturæ, nempe testamentum, & instrumentum tutelæ, postea productum pro legitimatione personarum in Rota, vnde cessant quæ dicuntur, quandocumque oppositionem generalem posse deduci ad speciem, quia non extenditur ad productionē alias factam in alio Tribunali, contra quam nihil fuit oppositum.

Vltra quod non constat, quod ante rem iudicatā fuerit defectus recognitionis oppositus, vnde talis oppositio hodie ad speciem deducta nullo modo potest operari ad redarguendam sententiam de iniustitia, etiamsi in productione fuisset oppositum generalia contra, cum talis protestatio non possit amplius deduci ad speciem post rem iudicatam, quia res iudicata parit exceptionem litis finitæ, *cap. fin. de lit. contest. in 6.* & in specie de recognitione simili tenuit *Rota in causa Braccaren. Iurispatronatus 1. Martij 1602. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.* vbi dicitur hoc

procedere post cõmissam causã restitutionis in integrum, prout de iure, quia donec doceatur de causis restitutionis remanet res iudicata valida, & consequenter non potest interim d. protestatio ad speciem deduci.

Nec obstat, quod pro parte religionis
4 dicitur † Procuratorem coram A. C. citatum ad dicendum contra iura non habuisse legitimum mandatum, patet enim responsio eundem Io. Antonium Bituscum fuisse citatum qui possessionem hæreditatis Equitis Ascanij nomine religionis acceperat, prout patet ex instrumento desuper facto in quo enunciatur ipsius mandatum.

Nec etiam obstare visa sunt stabilimenta religionis facta ad euitandas fraudes, quas in fraudem dictæ religionis possent Equites, per scripturas & apocas priuatas committere huic enim obiectioni respondet decisio, cessare fraudem & dissimulationẽ, quando cõstat prout in hoc casu, de præcedente causa vera & necessaria dotis, propter quam subscripta fuerat dicta apoca ab Equite Ascanio, qui antequam religionem profiteretur se obligauerat pro dote sororis, vt constat ex publico instrumento, quod facit concludentem probationem, *cap. cum dilecti de donat. cum similib.* nec facit quod dicitur illud instrumentum ex quo debitum Equitis Ascanij ante ingressum religionis probatur, non esse in forma probanti, cum enim sit extractum ab Archiuista qui sine alijs litteris compulsorialibus habet facultatem extrahendi scripturas ab Archiuio, perinde ac si esset successor, censentur Archiuistæ subrogati in locum notariorum mortuorum, vt ex multis tenuit *Rota coram bon. me. Pe-*
5 *nia in vna. Lucana Expensarum 24. Maij 1600. & in vna Ispalen. Decimarum de Atamonte 12. Maij 1614. coram. R. P. D. meo Pamphilio, & alias sæpè*, reliqua omnia sublata fuerunt in prædictis decisionibus in hac causa factis.

Ex quibus vtraque parte informante ita fuit decisum.



FERRARIEN. AFFICTVS.

*Lunæ 11. Maij 1615.*

Argumentum ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Procurator primus censetur reuocatus, si sit constitutus alius absque clausula citra reuocationem.*

2 *Relatio fieri debet ad proxima.*

3 *Mandatum præsumitur ex productione scripturarum, & impensis limita, n. seq.*

5 *Examen nullum ex defectu mandati est insanabile.*

## DECISIO LXXXVIII.

POST decisionem in hac causa factam sub die 5. Martij 1614. in qua fuit dictum non obstare defectum mandati dati à Communitate Malpilio ex quo fuerat electus syndicus de anno 1606. generali cõcilio, nec apparebat de eius reuocatione Agentes pro D. Cardinali Esteñ produxerunt constitutiones seu electiones aliorum syndicorum de anno 1607. & 1608.

Vnde proposito per me dubio. An esset recedendum à decisis Domini ex dictis cõstitutionibus nouiter productis affirmatiuè
1 responderunt, quia cum † dictæ constitutiones fuerint factæ absque clausula, *citra reuocationem*, quarum prima fuit his verbis concepta ( *& così fù determinato douersi fare il scindico, & à lui douersi dare lire 25. l'anno, con questo ch'habbia da procurare per la Communità & per li Poueri, & douersi cauare come fanno gli altri vfficij* ) eo ipso Malpilius fuit reuocatus *l. si quis §. fin. ff. de procurat. l. procuratoribus C. eod. cap. non iniustè extr. eod. Vant. de nullit. ex defect. mandat. num. 163. Ruin. cons. 108. num. 1, vol. 4. Dec. cons. 430. in fin. Rot. decis. 11. de procur. in antiq. Bellam. dec. 530.*

Nec visum fuit suffragari posse Communitati constitutionem illam salarij factã fuisse non syndico, sed Malpilio, de quo superiùs facta fuerat mentio, quia verba
2 illa, *& à lui*, referenda sunt ad proxima, & sic ad syndicum eligendum, *l. talis scriptura §. vlt. ff. de leg. 1. gloss. in l. 1. ff. de legat. præst. Abb. cons. 78. col. 2. vol. 2. Surd. cons. 271 num. 68.* & præsertim cum rectius congruat vt ad syndicum eligendum relatio fiat, *glos. in l. si negotium in verf. gestorum C. de negot.*

*nezet.ge st. Anch.conf.40. num.2. vers. his non obstantibus*, dicta enim assignatio fuit facta cum conditione, vt pro Communitate, & pauperibus procuraret & cum conditione vt eligeretur prout alij officiales prout incontinenti fuit electus vt apparet ex eodẽ libro actorum Communitatis.

3 Non obstat † mandatum præsumi ex productione scripturarum & impensis, ex *Dec.conf.36.col.4. Gozzad.conf.11.num.13. Mantic.de tacit.lib.7.cap.5.nu.8.* Non enim constat de aliqua impensa nec de productione iurium quæ non potuerunt haberi ab alio, quàm ipsa Communitate prout requiritur, & in omnem casum prædicta nõ procedunt in Procuratore iam reuocato,
4 quia † tacitum mandatum concurrere non potest cum deficiat scientia Domini *Cephal.conf.445.nu.7.*

Vnde firmata fuit resolutio facta die 17. Iunij 1613. ex defectu mandati nullum
5 fuisse examen, † qui defectus cum insanabilis sit *Staph.de litteris iust. §. in primis numer.30.& seqq. Sarnen.in compend.signatur. num.71.vers.& eod.modo Vant. de nullit. ex defect. mand. num.60. & seq. Vestr.in prax. lib.5 cap.13.numer.3. & adden.numero 14.* Domini censuerunt non esse locum arbitrio, & multo minus quia pro parte Comitis fuit narratum Papæ legitimatam fuisse personam illius, qui litteras remissoriales pro Communitate præsentanit.

Ex quibus ita decisum.

## MELEVITANA EMPHYTEVSIS.

*Lunæ 11. Maij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Alienatio rei Ecclesiæ quæ fuit confirmata per sententiam Iudicis vigore Breuis Apostolici præsumitur valida & vtilis.

### SVMMARIVM.

1 *Sententia Iudicis præsumitur valida, & iusta.*
2 *Alienatio rei Ecclesiæ confirmata à Papa præsumitur valida & vtilis, maximè stante obseruantia plurium annorum, & numer.3.*
4 *Alienationem bonorum Ecclesiæ à Papa confirmatam qui dicit inualidam, ac non vtilem concludenter probare tenetur.*
5 *Capituli consensus in alienatione rei Ecclesiæ non requiritur quando administratio rei alienandæ residet penes particulares personas.*
6 *Consensus alicuius requisitus in alienatione rei Ecclesiæ probatur ex petitione confirmationis per ipsum factæ.*
7 *Producens scripturam fatetur omnia in illa contenta.*
8 *Citationis negatiua non probatur ex processu non integraliter producto.*
9 *Solemnitas extrinseca quæ non solet semper in actu interponi præsumitur ex lapsu multi temporis etiamsi non sit enunciata.*
10 *In locatione rei Ecclesiæ in perpetuum potest fieri diminutio sextæ partis valoris rei.*
11 *Læsio debet probari de tempore alienationis.*
12 *Læsio vt probetur non debet haberi respectus ad melioramenta per emptorem facta.*
13 *Alienatio rei Ecclesiæ vt dicatur damnosa debet haberi etiam ratio eorum quæ possunt verisimiliter contingere in diminutionem valoris & fructuum ipsius rei.*
14 *Alienatio rei Ecclesiæ præsumitur valida & vtilis ex obseruantia plurium annorum.*
15 *Affrancandi facultas spatio multi temporis præscribitur.*

### DECISIO LXXXIX.

DOMINI censuerunt non constare de bono iure Capituli, nam cum alienatio viridarij facta de anno 1547. vigore Breuis Apostolici fuerit confirmata per Iudices Commissarios pro quorum
1 validitate † sententiæ, & iustitia stat omnis iuris præsumptio, *l. 2. vers. quod non arbitramur & ibi Bald. C. de offic.iud.ciuil. l. Herennius §. Caia ff. de euictio l. ab emptore, 2. responso ff. de probat. Gabr. de sentent. conclus.5.num.1. & seqq. Surd. conf.39. num.7.* & fuit dictum in vna Romana Casalis Vener 26. Nouembr. 1610. coram bon.mem. Penia, & in eadem coram me Vener. 3. Aprilis proxime præteriti, & in terminis pro vtilitate & validitate alienationis rei Ecclesia-
2 sticæ † præsumendum esse tradidit *Bald.in cap.1.num.7. qui feud.dar.poss. Abb. conf.41. num.2. lib.1. Alex.conf.79. num.6. circa fin. lib.1. Paris. conf.24. num.5. lib.4. Menoch. conf.287.num.35. & seq. lib.3. Seraph.decis. 1125. num.1. Rota diuers.dec.479.nu.1.p.1.*
3 & fuit sæpissimè decisum maximè † verò secuta 50. annorum obseruantia, *glos. in cap. peruenit & ibi Imol. numer. 10. de empt. & vendit. Felin. in cap. illud numer.6. de testib.*

*Alex.cons.17.nu.8.lib.4.Put.decis.365.nu.2. lib.2.Seraph.d.dec.1125.num.3.& dec.1307. nu.7. fuit dictum in Leodien. bonorum Mercurij 3. Decembris 1607. coram Reuerendiss. Bononien. & alias sæpe.*

Vnde dicendum est ad Capitulum spectare onus concludenter, & non per possibile probandi inualiditatem, & damnũ
4 euidens Ecclesiæ *Bald.loc. alleg. Socc. cons. 15.num.27.lib.1.Corn.cons.181.nu.27.lib.1. Couar.var.resol.lib.2.cap.17. numer.2. Rota diuers. dec.78.numer.4. par.2.fuit dictum in vna Rauennaten. Pineti Veneris 23. Martij 1607. coram R.P.D. meo Pamphilio, in Bononien. bonorum de Manzumatico Lunæ 26. Decembris 1607.coram R.P.D. meo Decano, & in alijs causis.*

Ex deductis autem pro Capitulo non visa fuit satis probata dicta inualiditas, aut
5 læsio,† nam quoad inualiditatem, quæ deducebatur ex defectu citationis Capituli iuxta resolutionem firmatam coram me in illa Ferrarien. bonorum Lunæ 16. Iunij 1614. Placuit responsio non fuisse citandum Capitulum, ea ratione, quia horum bonorum administratio pœnes Vicarium Oeconomum, & Iuratos Ciuitatis
6 residebat, quorum † Interuentus in productione dicti Breuis ex petita ab eis alienationis confirmatione sufficiens fuit *ex dec.636.p.1.diuers.* Idque magis in hoc casu procedere visum fuit, quia per talem
7 productionem † non solum resultabat sciẽtia, sed etiam approbatio respectu rescripti, & illius formæ, & oriebatur confessio eorum quæ in scripturis productis continebantur *Crauett. cons.201.numer.5. Paris. consil.125.num.4. lib.1.& cons.79. numer.3. lib.3.*

8 Accedebat etiam hoc casu non fuisse productum integrum processum, vt possit dici probata ex illius inspectione negatiua citationis, *Seraph. in his terminis dec.1307. num.2.& 3.Rota d.dec.636. num.5.* Quam citationem ex obseruantia tot annorum præsumi, etiamsi non sit enunciata, cum simus in solemnitate extrinseca quæ non
9 solet † semper in ipso actu interponi, tradit *Felin.in cap. Alberic.num.4.vers.si autem in instrumento de testib.Rot.diuers. decis.193. num.11.& 14.* & hanc sententiam inuiolabiliter & perpetuo Rotam obseruare testatur *Seraph.dec.1042.n.3.*

Quo verò ad læsionem deductam ex quo hæc locatio in perpetuum facta fuit pro eodem canone vnciarum octo, pro quo prius facta extiterat Domini dixerunt ex eo non probari læsionem, quia prior erat ad tempus, hæc verò in perpetuum, in qua posset
10 dici † esse detrahendam sextam partem ex *auth.præterea C.de Sacros.Eccl.Ias.d.cons.54. sub num.25. Auch.cons.112. num.1. Seraph. d.dec.1125.num.4.Rota diuers.dec.78. nu.5. par.2.fuit dictum in d.Leodien. & alias sæpe,* quod tantum abest factum fuerit, vt vltra canonem emphyteuta singulis annis in d. instrumento teneatur ad onus vnius missæ celebrandæ in die festiuitatis S. Luciæ, & ad solutionem aliquarum decimarum, vt ex depositionibus testium comprobatur.

Et licet conductor ad tempus teneretur in dicto viridario arbores ad certum numerum & certam quantitatem apponere, tamen vltra quod non constat dictas arbores appositas fuisse. Ille idem conductor pro executione Breuis examinatus deposuit responsionem annuam fuisse excessiuã, & in posterum eo pretio amplius noluisse conducere, adsunt etiam alij testes tunc temporis in partibus,& in hoc iudicio examinati cõcludenter deponentes hanc alienationem in euidentem Ecclesiæ vtilitatem cessisse.

Quæ quidem rationes & depositiones tanto magis Dominis vrgere visæ sunt, quia nullus alius conductor reperiebatur, & dictum viridarium indigebat multis expensis pro refectione & manutentione murorum, rum etiam quia positum in loco decliui quotidianis aquarum iniurijs, & Turcarum incursionibus, & deuastationibus obnoxium erat,vnde dictam alienationem in euidentem Ecclesiæ vtilitatem cessisse Iudices pronunciauerunt, eorum omnium diligentem habuisse rationem præsumendum est.

Non obstant testes examinati pro Capitulo in hoc iudicio, dum de ampliori redditu dicti viridarij deponunt. nam nõ solũ non percutiunt tempus dictæ alienationis
11 prout requiritur ad probandam † læsionẽ *l.si de voluntate in fin. C. de rescind. vendit. Cagn.post alios in l.2.num.213.in fin.& 218. cum seqq. C.eod. Calder. cons.5. post medium de non permut. Seraph. d.dec.1125. nu.5. & fuit sæpissimè decisum.* Quin imò multo minus probant læsionem deponunt enim
12 de melioramentis factis† ab Emphyteuta, propter quæ vberiores fructus ex viridario percipiuntur, *gloss. in cap. ad aures in ver. nisi tunc, & ibi DD. de reb.Eccles.non alien. & in cap.cum dilecti in ver.tunc valentem de empt.*

*empt. & vendit. Cald. d. cons. 5. vers. nec obstat. Guidop. decis. 157. Paris. cons. 24. num. 7. lib. 4. Rota diuers. dec. 18. sub num. 4. par. 1.*

Ad præcipuum verò fundamentum Capituli quo deducitur adesse læsionem ex pacto affrancandi, quo emphyteutæ concessum est quandocunque tradere vna vel duabus vicibus terras eiusdē redditus vnciarum tot, quod pactum seu ius, affrancādi vocant, *ex decisionibus Lucanis coram Illustriss. Lancellotto & R.P.D. meo Pamphilio, & R.P.D. meo Vbaldo.*

Placuit responsio hunc casū esse multū diuersum nam in illis decisionibus Lucanis agebatur de permutatione in qua Ecclesia rei traditæ dominium amiserat, & solam actionem ad pretium, vel ad rem habebat, quo casu Ecclesiam læsam fuisse, meritò iure fuit resolutum, cum melius sit incumbere rei, quam actioni, Hic verò alienatio facta fuit in emphyteusim, cum pacto tamen affrancandi, quo casu Ecclesia amittere nunquam poterat dominium

13 viridarij † nisi traditis terris, & licet læsio posset prætendi, ex quo pro eodem redditu affrancantio fuit concessa, tamen cum non sit probatum cōcludenter viridarium fuisse perpetui redditus vnciarū octo, sed potius contrarium ex testibus tunc temporis examinatis non potest dici probata læsio, eoque minus quia terræ erant dandæ præuia æstimatione facienda à communibus amicis pro eodem redditu perpetuo, & fieri potuit vt Iudices diligenter informati repererint terras dandas, quocunque loco non potuisse dari nisi vtiliores Capitulo, & quod non ita, periculo incursionis Turcarum subiecta sint ob nimiam vicinitatem mœnium Vrbis, vt postea docuit experientia, nec quæ tot expensis ad euitandam aquarum iniuriam indigeant, aut pro illarum cultura, & manutentione prout in simili locatione considerauit, *Rota diuers. dec. 78. n. 4. par. 2.*

Et quicquid esset dicendum vbi essemus in recenti alienatione tamē in hac ob

14 subsecutam † obseruantiam 50. annorum omnes probationes in cōtrarium elisæ remanent, vt respondit *Rota coram Seraphin. dicta decis. 1307. num. 6.* & præsertim quia affrancatio facta non fuit tot annorum spatio visa fuit Dominis facultas illa

15 affrancandi † præscripta iuxta magis receptam opinionem *Gabr. de præscript. concl. 6. Rol. cons. 22. num. 44. & 45. lib. 2. Decia. respons. 10. num. 52. & seqq. lib. 1. & resp. 13. num. 45. lib. 3. Menoch. cons. 143. num. 17. & seqq. lib. 2. & cons. 201. num. 85. lib. 3.*

Ex his simul iunctis vtraque parte informante bonum ius Capitulum non fouere ad petendam reuocationem alienationis Domini responderunt.

## BONONIEN. DE MONTERENTIIS.

*Veneris 20. Martij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Institutus in vsufructu quando alio instituto in proprietate solum post mortem vsufructuarij efficiatur hæres in totum cum onere restituendi hæreditatem vsufructu finito hæredi scripto per fideicommissum, & quæ coniecturæ suffragentur.

### SVMMARIVM.

1 *Testatoris mens in interpretandis vltimis voluntatibus potius attendenda est quam nimia iuris subtilitas.*

2 *Testatoris voluntas ex coniecturis elicitur.*

3 *Relinquit, verbum, non adiectum vniuersitati bonorum non importat institutionem maximè quando res certa non relinquitur personæ necessario instituendæ.*

4 *Testatoris dispositio facta & limitata ad certum tempus vltra illud non debet extendi contra mentem ipsius testatoris.*

5 *Vsufructuarius relictus & liberatus à præstatione fideiussionis & confectione inuentarij non censetur institutus in proprietate.*

6 *Vsufructuarius in proprietate institutus non tenetur conficere inuentarium nec præstare cautionem.*

7 *Hæredi proprietario non potest super bonis aliquo tempore molestia inferri.*

8 *Vsufructuarius non censetur institutus in proprietate quando testator alium nominauit hæredem.*

9 *Obseruantia subsequuta pro interpretatione vltimarum voluntatum est magna consideratione.*

10 *Ablatiuus importat conditionem.*

11 *Conditione non purificata quis non potest dici coheres sed substitutus.*

12 *Hæres vt cohæredem vniuersalem habere dicatur sufficit habere spem quod quis ex testamento hæreditatem vniuersam quandoq; adire possit.*

13 *Heres vsufructuarius de iure non potest à fideiussione liberari declara, vt n. 14.*
15 *Haeredes scripti non possunt ex eorum facto immutare voluntatem testatoris, quod intellige, vt nu. 16.*

## DECISIO XC.

CVM D. Sebastianus de Monterentijs vri filius & hæres. q. Lucretiæ de Comitibus, ageret contra hæredes Francisci de Comitibus super rescissione plurimorum contractuum, factorum inter dictam Lucretiam & q. Iulium de Comitibus fratrem dictæ Lucretiæ ad elidendam actoris intentionem, oppositum fuit dictũ Sebastianum à limine Iudicij repellendũ, quia ipse hæreditatem matris adiuit, quæ fuerat hæres dicti Iulij fratris, & ita sicut dicta Lucretia non potuit contra Iulium, cui successerat agere, quia omnes fuerant cõfusæ actiones, ita nec poterit dictus Sebastianus hæres matris impugnare dictos contractus, vnde de ordine Rotæ dubitaui strictè, an Lucretia, cui relictus fuerat vsus fructus, fuerit hæres dicti Iulij, quo dubio proposito Domini negatiuè respondendũ esse censuerunt, quicquid enim sit de illa toties disceptata Iuris quæstione, in qua tot grauissimorum Iurisconsultorum inter se dissentientium sententiæ leguntur, vtrũ institutus in vsufructu, quando alius instituitur in proprietate solum post mortẽ vsufructuarij, efficiatur hæres in totum, cum onere tamen restituendi hæreditatem vsufructu finito hæredi scripto per fideicõ-
1 missum, cum in interpretandis † vltimis voluntatibus mentem potius testatoris, quam nimiam iuris subtilitatem attendere debeamus, *l. in conditionibus, ff. de condit. & demonstr. l. cum quæstio C. de legat.* & voluntas testatoris post eius obitum necessario elicienda sit ex coniecturis, *l. licet Imperator ff. de legat. primo l. cum virum C. de fideic. cum similib.* Ideo Domini existimarunt hanc quæstionem esse decidendam
2 ex præsumptionibus, † quæ magis in hoc casu vrgere, & incalescere visæ sunt ad effectum vt dictus Iulius non censeatur voluisse Lucretiam sororem hæredem vniuersalem in proprietate pro medietate scribere.

Prima & maxima coniectura ex verbis ipsiusmet testamenti, non enim testator dũ vsufructuariam sororem reliquit, vsus est verbis directis, generalem hæredis institutionem importantibus, sed his verbis iure legati institutionis, & alias omni meliori modo reliquit, vnde potius videtur legatum voluisse facere, aut hæredis particularem institutionem in vsufructu, quã hæredem vniuersalem etiam in proprieta-
3 te, verbum siquidem † reliquit, cum non adijcitur vniuersitati bonorum, vel quotæ non importat institutionem, maximè quãdo res certa non relinquitur personæ necessario instituendæ, *l. cogi §. & generaliter ff. ad Trebell. Bened. in cap. Raynutius vers. in eod. testamento num. 57. Imol. num. 5.* quod eo magis dicendum est, quia quando testator Franciscum de Comitibus ex fratre nepotem voluit hæredem scribere, vsus est verbis directis, scilicet instituit, nominauit, & elegit, vnde colligitur testatorem, illum voluisse instituere in proprietate, etiã viuente sorore, ne alias potius hæreditas deueniret ad hæredes sororis minus dilectos, quod ex eo probatur, quia liberalitatẽ suã semper restrinxit ad vitam sororis, vnde; di-
4 spositio facta, † & limitata ad certũ tempus vltra illud nõ debet extendi contra mentẽ testatoris, *l. statu liberum §. strictum de legat. 2. l. 2. §. si mulier ff. de liber. agnoscend. Dec. cons. 61. num. 2. Paris. cons. 20. num. 7. & seqq. lib. 3. cum multis alijs adductis in vna Romana de Vanninis 17. Februarij 1606. coram Reuerendiss. Lugdunen.*

Secundam præsumptionem in eo consistere iudicarunt Domini, quod testator postquam sorori vsumfructum reliquit, eandem liberauit à confectione inuentarij & à præstatione fideiussionis quę præstari
5 solet & debet per vsufructuarium solummodo, non autem per hæredem in proprietate, si enim soror habuisset proprietatem
6 cum vsufructu, nullo modo † potuisset cogi ad confectionem inuentarij, quam rationem ponderauit, *Dec. cons. 277. nu. 50. Ruin. cons. 165. num. 1. lib. 3. Cephal. cons. cons. 37. num. 24. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 134. num. 16.* quibus accedit quod dum testator liberat à fideiussione sororem, grauat hæredem quærens sit locus fideiussioni ad præstandã cautionem pro ipsa, sicque noluit per hæredem molestari, ex quo infertur non fuisse dominam bonorũ
7 in proprietate, quia † nullo tempore potuisset ei molestia inferri, *Roman. cons. 206. Dec. dicto cons. 277. Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib. 4. tit. 5. art. 15. num. 6. & seqq. Rot. coram R. P. D. meo Vbaldo in vna Apothecaria* die

*die 11. Martis 1613. hodie denuo confirmata*.

Oritur ex ijsdem verbis tertia coniectura ex eo quod grauat hęredem suum Franciscum testator ad fideiubendum pro sorore vsufructuaria, vnde non censetur eũ voluisse grauare nisi illum honorando titulo institutionis, nominat enim illum hęredem viuente ipsa sorore, quæ ideo di-
8 cenda est vsufructuaria, † vt ex illis concludit, *Dec. dicto conf. 277. num. 6. Simon. de Pretis de interpret. vlt. volunt. lib. 3. solut. 1. num. 39. & 41.*

Considerarunt quarto loco Domini, cũ testamento relictus fuisset vsusfructus, tam iure legati, quam omni alio meliori modo, & vsufructuaria haberet æqualiter titulum legati, vel in subsidium titulum institutionis, interpretationem huius quęstionis plurimũ dependere ex obseruantia, quæ alias
9 pro † interpretatione vltimarum voluntatum magnæ est considerationis, *Abb. in c. cum dilectus num. 22. de consuetud. Put. decis. 12. in fin. lib. 3.* vnde cum ex pluribus actis, etiam iudicialibus adductis per informantes pro Sebastiano constet statim post obitum Iulij testatoris sorores quibus vsusfructus relictus erat, gessisse se tanquam vsufructuarias tantum, nepotem verò hæredẽ scriptũ declarasse se hæredem in proprietate collegerunt Domini Lucretiam nunquam fuisse hæredem in proprietate bonorum Iulij, sed solum vsufructuariam.

Nec obstare visum fuit, quod dicitur nepotem non fuisse institutum hæredem purè & simpliciter, sed solummodo finito per mortem sororum & extincto vsufructu & cum proprietate consolidato, quo casu cum incertum sit tempus mortis vsufru-
10 ctuariæ, illa verba † finito vsufructu important conditionem *l. 2. l. dies incertus ff. de condit. & demonstr.* & ideo nondum purificata conditione, seu tempore præscripto in institutione non potest dici cohæ-
11 res, † sed solummodo substitutus, *arg. l. ciuilibus l. 2. in fin. & l. hæres meus in princ. ff. de condit. & demonstr.* & sic aut in incerto, quod dici non potest, hæreditas permanebit, aut ante purificationem conditionis proprietas debuit residere pœnes sorores hæredes in vsufructu, *Ruin. conf. 36. vol. 2. Cephal. conf. 472. nu. 55. lib. 4. cum multis alijs per informantes allegatis*.

Huic obiectioni responsum fuit, vt quis dicatur habere cohæredem vniuersalem sufficere spem adesse, & quod quis ex testamento hæreditatem vniuersam adire,
12 quandoque possit, vt post *Alex. & infinitos quos citat Bero. conf. 58. num. 6. lib. 2.* respõdit *Rota in dicta Romana hæreditatis coram Reuerendiss. D. Lugdun.* stantibus præcipuè præsumptionibus supra declaratis, quę nõ aderant in consilijs Ruin. & Cephal. supra allegat.

Nec etiam obstat coniectura allegata per hæredes q. Francisci de Comitibus inde colligi Lucretiam fuisse hęredem in proprietate, quia testator eam ab omni fideiussione & confectione inuentarij liberam esse voluit, quia si non fuisset hæres
13 proprietaria de iure † non poterat à dicta cautione liberari, *l. 1. C. de vsufr. Bart. in l. nemo potest num. 3. ff. de legat. 1. vbi Rip. n. 39. cum alijs per Gabr. de vsufruct. concl. 1. n. 28.* Placuit enim responsio, testatorem hoc sciuisse, vnde vlterius procedendo declara-
14 uit velle, † vt si cogeretur soror ad talem fideiussionem, infrascriptus eius hæres ad fideiubendum pro ea grauaretur, sicque patet testatorem intellexisse Lucretiam sororem posse cogi ad fideiubendum, sicque remanere simplicem hæredem vsufructuariam, quæ propriè cogitur ad cauendum, & non proprietarius.

Nec obstant denique quæ dicuntur cõtra obseruantiam, eam non esse attenden-
15 dam, quia hæredes † scripti nullo iure possunt ex eorum confessione, aut obseruantia immutare voluntatem defuncti, vnde sequitur, nec Lucretiam sororem restringendo se ad vsum fructum, nec dictum Franciscum nepotem declarando se hæredem ante extinctionẽ vsusfructus, potuisse mutare naturam testamenti, quatenus sorores fuissent hæredes grauatæ, & d. Franciscus nepos substitutus; Huic enim obiectioni responderunt Domini, regulam esse
16 veram † quando constat de voluntate testatoris clara, & certa, non autem in hoc casu applicari, vbi voluntas illa est multum incerta, & dubia, sicque multum deferendum est in interpretatione vltimę voluntatis, obseruantiæ ex supradictis.

Et ita decisum.



FIR-

FIRMANA PECVNIARIA.

*Lunæ 1. Iunij 1615.*

Argumentum ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Extensio Camer. obligationis non est necessaria quando fuit consensum in relaxationem mandati.*

2 *Decretum relaxationis mandati nisi ad primam sustinetur stante consensu in relaxationem mandati.*

3 *Procurator non potest obligare suum principalem in forma Cameræ si non habeat in mandato facultatem illum obligandi iuxta stylum loci.*

4 *Ratificatio æquiparatur mandato.*

5 *Mandatum relaxatum pro expensis appellatione pendente ab excessiua taxatione est nullum.*

DECISIO XCI.

PLVRES nullitates fuerunt propositæ contra mandata A. C. quas minime subsistere visum fuit Dominis.

Prima enim nullitas deducta ex eo quod non fuit extensa obligatio in forma Cameræ tollitur ex facto, quia pars fuit citata ad videndum extendi, licet† nec extensione opus fuisset, ex quo fuit consensum relaxationi mandati, vt fuit resolutum in *vna Veneta donationis 9. Decembris 1608. coram bo. mem. Fenia, & in vna Romana pecuniaria 16. Ianuar. 1609. coram R. P. D. meo Caualerio.*

Et ex his cessat alia nullitas, ex eo quod non præuenit decretum infra tres, quia stante consensu relaxationi mandati, non fuit necessarium, sed potuit relaxari mandatum cum decreto nisi ad primam, vt per *Modernos in praxi Tribunalis A. C. lib. 1. cap. 32. num. 1. & seqq.* & admisit *Rota in Perusina Dotis Vener. 6. Aprilis coram Reuerendissimo D. Atrebaten. in contrarium allegata.*

Tertiam nullitatem ex eo quod Procurator qui contraxit non habebat in mandato, vt posset obligare suos principales sub obligatione Camerali, cum susceptione mandati, Dominis visum fuit tolli, vel ex † quo in mandato procuræ, dum fuit data facultas celebrandi instrumentum, cum clausulis, capitulis, & obligationibus prout opus fuerit, & iuxta stylum loci, videtur esse data facultas celebrandi cum obligatione Camerali, & susceptione mandati, quæ hodie in statu Ecclesiastico de stylo apponuntur in omnibus obligationibus & instrumentis.

Vel ex ratificatione subsequuta per solutionem partis prætij in executionem dictæ obligationis, & possessione bonorum ex dicto contractu acquisitorum,† quæ ratificatio æquiparatur mandato, *l. quod si speciali vbi Bald. ff. de minorib. Paris. consil. 47. num. 35. vol. 1. cum alijs per Surd. cons. 43. num. 13. & cons. 60. num. 14.* & in terminis obligationis Cameralis est *decisio Mohed. vlt. de procurat.* & fuit resolutum in *vna Romana prætij Vineæ Vener. 1. Iuly 1611. coram Reuerendiss. Lugdunen.*

Nullitatem vero obiectam mandatorum pro expensis, quia relaxata fuerunt appellatione pendente ab excessiua, Domini dixerunt cessare quo ad mandatum pro scut. 20. † cum pro dicta summa non detur appellatio, quo vero ad aliud mandatum pro scut. 60. nihil fuit firmatum sed particulariter reseruatum.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

IACEN. PORTIONIS.

*Lunæ 15. Iunij 1615.*

ARGVMENTVM.

Ex quibus dicatur iustificata, gratia Apostolica.

*SVMMARIVM.*

1 *Beneficium primum vacat per assequutionem vltimi incompatibilis.*

2 *Beneficia duo residentiam requirentia sunt incompatibilia.*

3 *Confessione partis nulla maior probatio.*

4 *Testes de certa scientia, publica voce, & fama, & communi reputatione probant originem Clerici.*

5 *Litteræ Ordinarij probant clericatum.*

6 *Valor beneficij probatur ex instrumento fundationis.*

7 *Residentiam non requirere beneficium ad probandum leuiores probationes sufficiunt.*

8 *Valor beneficij probatur per confessionem partis, & ex litteris Apostolicis, n. 11.*

9 *Summa in maiori summa minor continetur.*

10 Con-

10 *Confessio facta in precibus Principi porrectis contra porrigentem probat.*

12 *ad Valorem beneficij probandum sufficit semiplena probatio.*

## DECISIO XCII.

VISUM fuit Dominis gratiam Dominici Orlæ esse iustificatam, narratum enim fuit Papæ, vacasse portionem de qua agitur, ex eo quod Antoninus Romeus, qui dictum beneficium in Ecclesia S. Petri obtinebat prouisus fuerit de Ecclesia Parochiali Sancti Andreæ, nulla facta mentione incompatibilitatis cuius quidem Ecclesia parochialis cum dictus Antonius possessionem pacificam adeptus fuerit necessario infertur per assequutionem vltimi
1 incompatibilis primum vacasse, *cap. si tibi cap. licet Episcopus de præb. & dignit. in 6. & ibi DD.* & cauetur *in sacro Concilio Trident. sess. 7. cap. 4.* vt respondit sacra Congregatio Illustrissimorum Interpretũ Concilij, quos sæpè Rota sequuta est, vt patet ex decisionibus relatis per *Gonz. ad reg. 8. glos. 15. num. 19.*

Quod autem sit incompatibilis Ecclesia parochialis cum portione satis patet ex indulto bon. mem. Sixti V. in quo non solum disponitur, quod tales beneficiati assequendo alia beneficia propria dimittant, sed vlterius mandat, quod personaliter omnes saltem pro maiori parte anni residere teneantur, itaut Ecclesiæ illæ per totum annum dimidia beneficiatorum parte non careant; ex quibus resultare vide-
2 tur tam vacatio ob decretum, postquam mandat quod priora dimittantur, quam incompatibilitas quæ ex eo resultat, quod vtrumq; beneficium requirat personalem residentiam ex dispositione d. Sacri Concilij, *cap. 12. vers. præterea sess. 24.* vt in terminis similis portionis respondit Rota coram R.P.D. meo Vbaldo 5. Iunij 1613. in vna Gienneñ portionis confirmata 13. Nouembris eiusdem anni coram R.P.D. meo Buratto.

Quod autem dictus Antonius assequutus fuerit possessionem pacificam d. Ecclesiæ parochialis dum obtineret hanc portionem litigiosam in Ecclesia Sancti Petri, probatur primo ex propria partis confessione in responsione ad positiones in *Sum.*
3 *num. 3.* qua partis confessione nulla maior probatio adduci potest, *vulg. l. cum te, C. de transact.* deinde per testes formiter examinatos idem probatur, vt in *Summ. num. 4.*

Probata etiam fuerunt narrata concernentia habilitatem personæ ipsius Dominici; ipsum enim esse oriundum ex diœcesi Iaceñ, & filium naturalem d. villæ, quæ est qualitas requisita ab Indulto Gregorij XIV. probant testes quorum depositiones dantur in *Summ. num. 4.* qui loquuntur de certa scientia, publica voce, & fama, &
4 communi reputatione quæ probatio sufficit *Aeg. decis. 113. Guidobo. 112. Rota in vna Corduben. pensionis 25. Aprilis 1597. coram bon. mem. Litta, & alias sæpissimè.*

5 Clericatus, & alij Ordines eiusdem Dominici probantur ex litteris Episcopi, vt in *Summ. num. 5.* quæ sufficiunt vt per *Felin. in cap. post cessionem num. 3. & 15. de probat. Grammat. decis. 81. num. 1. cum vulg.*

Quod valor Cappellaniæ expressæ non
6 excedat valorem 24. ducatorum satis constat ex ipsamet fundatione dictæ Cappellaniæ, itaut eius redditus consistant solum in pecunia, cuius valor nec augetur, nec diminuitur, satis etiam idem probatur valor de tempore impetrationis gratiæ ex trad. per *Felin. in cap. ad aures numer. 13. concl. 11. & concl. 12. de rescript. Sarnen. in reg. de valore quæst. 8. num. 4. vers. nam pecuniam capiendo.* Prout satis iustificatur ex
7 dicta fundatione dictam Cappellaniam non requirere personalẽ residentiam, stante maximè quod in hoc probando Rota semper admittat leuiores probationes, vt multoties fuit decisum.

Quo verò attinet ad valorem portionis
8 d. Ecclesiæ S. Petri, de qua prouisus fuit dictus Dominicus, qui expressus fuit non excedere ducatos auri 40. de Cam. videtur iustificatus, primo ex litteris Apostolicis expeditis in fauorem Ioannis Rala resignatarij d. Antonij Romæi, qui est in causa, exprimit enim valorem annuum non excedere ducat. 30. aur. de Cam. vt in registro fol. 50. Cum igitur dicatur non excedere 30. multo minus dicitur non exce-
9 dere 40. cũ in maiori summa minor contineatur, *glos. in l. rogatus 33. ff. mandat.* Vnde sequitur quo ad dictum Ioannem resignatarium satis probatum valorem, quia
10 confessio facta in precibus Principi porrectis contra ipsummet porrigentem probat, *l. cum precum, C. de liberal. caus. & ibi Alciat. lib. 5. cap. 5.*

11 Probatur & idem valor ex litteris Apostolicis Gregorij XIV. concernentibus indultum conferendi beneficia ista prædictæ

Ec-

Ecclesiæ naturalibus filijs localibus, in quibus legitur expressum valorem non excedere 30. vt in registro fol. 159.

Probatur, & ex depositionibus trium testium super decimo articulo, quorum primus in registro, fol. 144. secundus fol. 151. tertius fol. 157. deponunt scite, & audiuisse publicè, & intellexisse fructus huiusmodi pensionis ascendere solum ad 30. ducat. Ex quibus simul iunctis cum non fuerit obtentum beneficium ob nō expressum verum valorem, videtur narratus valor satis iustificatus, maximè quia sufficit

12 semiplena probatio, *Cæs. de Graff. decis. 3. num. 6. de probat. Rota coram Seraphino decis. 261. cum allegat. per informantes.*

Ex quibus fuit conclusum pro iustificatione gratiæ dicti Dominici, ipso tantum informante in magnam d. Antonij, & Ioannis contumaciam.

## CATANIEN. QVARTÆ PORTIONIS.

*Mercurij 1. Iulij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Beneficium litigiosum quando dicatur, vt sit locus subrogationi gratiosæ, & quando dicatur adesse lis.

### SVMMARIVM.

1 *Litis pendentia per commissionem in actis productam parte citata inducitur.*

2 *Litis pendentia tollitur per rem iudicatam.*

3 *Instantia per 30. annos durat.*

4 *Subrogatio non datur probata calumnia: quam debet quis probare adfuisse ab initio litis, num. 5.*

### DECISIO XCIII.

DVbitaui de ordine Reuerendissimi Datarij vtrum supplicatio subrogationis signata in fauorem Ioannis Laurentij super quarta portione Ecclesiæ castri Sancti Ioannis Catanień diœcesis esset relaxanda, & DD. vtraque parte informante pro relaxatione dictæ supplicationis responderunt, ea maximè ratione, quod clarè appareat suum beneficium fuisse litigiosum, quia de lite inter dictum Ioannem Laurentium, & Ioannem Tramontanam per obitum cuius dicitur vacasse satis constat ex vltimo recursu ad signaturam Sanctissimi, per eundem Laurentium habito in qua obtinuit transmitti commissionem ad Rotam, vt prius videretur de releuantia scripturarum antequam causa restitutionis in integrum aduersus sententiam Rotalem, quæ transitum fecerat in rem iudicatam, committeretur, vt patet ex decisione in hac causa facta coram bon. mem. Penia, cui postea hæc causa commissa fuit, etiam si prius firmatum fuisset ante dictam productionem scripturarum, non constare de causis restitutionis in integrum.

Ex qua serie facti, & commissione causæ in petitorio, visum fuit satis apparere de litis pendentia, quæ per commissionem in

1 actis productā parte citata inducitur, cum per eam Iudici tribuatur iurisdictio, *Caputaq. decis. 260. par. 2. Bellam. decis. 319. Cass. decis. 9. num. 13. de caus. poss. & propr.* cum multis allegatis in vna *Barchinon. parochialis de Mataio 20. Iun. 1611. coram Reuerendiss. D. meo Decano*, & postea *coram R.P.D. meo Verospio in vna Tuden. parochialis 26. Iunij 1615.*

Nec obstare visum fuit, quod pro parte Iosephi dicitur, non constare amplius de lite, quia nouem ab hinc annis dicta causa restitutionis in integrum commissa reperitur, & tamen dictus Ioannes toto eo tem-

2 pore siluit, vnde sequitur elapso quadriennio dato ad prosequendam causam restitutionis in integrum litem si quæ aderat penitus extinctam, *Rota decis. 10. num. 3. vt lit. pend. in nou. Afflict. decis. 342. numer. 3. Bero. cons. 177. n. 26. lib. 1.*

Responsum enim fuit non subsistere in facto d. Laurentium post dictam commissionem toto nouennio causam deseruisse quia pendente illo tempore, pluries fuit eadem causa coram bon. mem. Penia proposita, super diuersis emergentibus, vt apparet ex diario, & ex decisione postea facta, & in omnem euentum etiamsi ob non prosecutionem causæ restitutionis in integrum quadriennio deserta causa diceretur, Tamen cum æquè principaliter causa nullitatis, & notoriæ iniustitiæ commissa reperiatur, sequitur non posse dici desertam,

3 cum hæc instantia per 30. annos duret, *Put. decis. 172. lib. 2. Ruin. cons. 34. lib. 5.* cum multis fusissimè adductis in *d. Truden. parochialis coram R.P.D. meo Verospio.*

Prout non obstat, quod dicitur Laurentium fuisse calumniosum litigatorem, quod dicitur iustificatum ex decisionibus in hac causa

causa factis coram Reuerendissimo D. meo Damasceno, & proinde ipsi denegandam subrogationem iisdem rationibus, quibus antea in causa Firmana Altaris Ricciolo
4 colligitanti Rota censuit probata calumnia non esse dandam subrogationem, vt apparet ex decisionibus coram me factis in *d. Firmana, die 20. Iunij 1614. & 12. Ianuarij 1615.*

Hæc enim obiectio tollitur ex supradicta facti serie, cum degustato iure d. Laurentij Rota censuerit causam esse committendam, vnde penitus omnis calumniæ suspicio deletur, sicque non possunt applicari rationes decisionis Firmanæ, in qua
5 firmatum fuit etiam ab initio litis adfuisse calumniam claram, quod requiritur, vt iure subrogationis colligigans priuetur, *Cassiad. decis. 5. vt lit. pend. & decis. 7. de dol. & contum.* Nec sufficit, quod postea litigantem malum ius fouere ex euentu litis fuerit detectum, vt fuit dictum in *d. Firmana 31. Ianuarij 1614.*

Ex quibus patet responsio ad id, quod dicitur Laurentium tanquam Impetrantem beneficium viuentis non debere gaudere regula de subrogandis cum ex facto appareat à principio eum fuisse prouisum ab Ordinario, & non impetrantem certo modo.

Ex quibus ita fuit decisum.

## ROMANA VINEAE.

*Mercurij 1. Iulij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Melioramenta probantur per relationem periti, sed facta lite pendente dicuntur facta mala fide, & quando per cautionem de illis reficiendis impediatur retentio.

### SVMMARIVM.

1 *Melioramenta probantur per relationem tertij periti de ordine Rotæ electi.*

2 *Melioramenta facta lite pendente, & post inhibitionem Rotalem dicuntur facta mala fide, & attentatè.*

3 *Pro melioramentis datur retentio si meliorans sit in possessione.*

4 *Melioranti quando sit cautum per cautionem de reficiendis melioramentis.*

## DECISIO XCIV.

Dominis visum fuit non posse controuerti melioramenta facta fuisse stante relatione tertij periti de ordine Rotæ
1 electi, vt in his terminis fuit dictum in alia *Romana vineæ 27. Iunij 1611. coram R.P.D. meo Manzanedo.*

Verum placuit non obstare exceptionē dictorum melioramētorum hoc casu, quia vltraquod per binas decisiones coram me constat nimis callidè fuisse deuentum ad deliberationem huius vineæ, d. deliberatio, ac melioramenta subsecuta, fuerunt at-
2 tentata in spretum litis pendentiæ, & inhibitionis Rotalis, ita vt meliorans non possit aliqua ratione excusari à dolo, & mala fide, *Rot. decis. 5. de restitut. spoliat. in non. Lancell. de attent. cap. 31. num. 68.* Et multo minus in melioramentis factis post decisionem coram bon. mem. Peña, in qua fuit dictum vtraque parte informante omnia gesta post commissam causam in Rota vti attentata reuocanda esse.

Alia, & potissima ratione Domini moti sunt, quia melioranti existenti in posses-
3 sione datur retentio aduersus agentem remedio adipiscendæ, sed hic meliorans non est in possessione, sed Bartholomæus, cui Rota decreuit dandum esse mandatum de manutenendo, vnde occasione dictorum melioramentorum ipsum priuandum esse sua possessione nec aliquod ius præcipit, nec aliqua ratio, aut æquitas suadet; Et meliorantis præiudicio, quia ex quo pro melioramentis non competit actio conceditur retentio, *l. si in area*, & fuit dictum in vna *Rom. Saluiani interdicti vener. 19. Nouembr. 1593. coram bon. mem. Penia apud Modern. de Saluia. interd. decis. 64. numer. 5.*
4 satis fuit consultum per cautionem præstitam à Bartholomæo in forma depositi de illis reficiendis.

Et ex his vtraque parte informante ita fuit decisum.

## BENEVENTANA CENSVS.

*Mercurij 1. Iulij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Fideiussor in contractu nullo non potest se eximere si se obligauerit vti principalis, & insolidum, & si à minore ipse tantumdem receperit.

SVM-

*SVMMARIVM.*

1 *Insinuatio requiritur in contractibus minorum ex constitutione Marchiæ, & non suppletur iuramento.*
2 *Fideiussio accessoria contractui nullo est nulla.*
3 *Limita quando fideiussor se obligauit principaliter, & in solidum.*
4 *Limita secundo si fideiussor recipiens bona à principali debitore census in specie se obligauit ad solutionem.*

## DECISIO XCV.

Domini censuerunt sententiam Rotalem esse confirmandam cum de illius validitate non dubitaretur, & de iustitia clarè cõstet ex ampla decisione R.P.D. mei Pamphilij in qua eadem fundamenta in hac positione deducta fuerunt optimè discussa, & sublata, ita vt nullus sit dubitationi locus.

Vnicum verò fundamentum de nouo oppositum contra validitatem census ob defectum insinuationis requisitę in contractibus minorum ex Constitutione Marchiæ, quæ habet locum in toto statu Ecclesiastico, & non suppletur iuramento, vt fuit sæpissimè decisum, & signanter in vna Perusina fideiussionis Lunæ 2. Aprilis 1612. coram eodem D. Pamphilio Dominis visum fuit minimè obstare.

Quia licet pro Petro stet regula negati-
2 ua, vt fideiussio accessoria contractui nullo sit nulla *ex Bart. in l. cum lex num. 4. & 5. de fideiuss. & alijs cumulat. per Gabr. de clausconcl. decima num. 4.* Tamen vltra quod intraret limitatio data à Doct. & à Rota firmata per *Mohed. decis. 2. de fideiuss. & Seraph. decis. 1324. n. 5. par. 2.* vt non haberet locum, vbi prout hic fideiussor se obligauit principaliter, & insolidum; Responsum fuit Petrum non posse iuuari d. regula,
3 quia ipse post 14. annos à die constitutionis census præuia emancipatione, ac donatione omnium bonorum obtenta à Nicolao patre, & fideiussore inter quæ bona aderant illa consignata à Vincentio minore prædicto Nicolao occasione huius census obligauit se solum, & insolidum cum alijs obligatis in constitutione census ad solutionem fructuum, & sortis principalis,
4 contra quam particularem, & distinctam obligationem non adest, quod apponi possit ex deductis per *Roman. cons. 311. num. 2. vers. secunda verò via, & facilior Afflict. decis. 95. num. 6. & Surd. decis. 32. num. 10.* Et multo minus stante iuramento, *cap. debitores cum ibi notat. de iureiuran.* Et retentione dictorum bonorũ ne locupletetur cũ aliena iactura contra *tex. in l. quis mancipijs, §. fin. ff. de instit.*

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

## ELNEN. BENEFICII.

*Mercurij 1. Aprilis 1615.*

## ARGVMENTVM.

In Iurepatronatus hæreditario quid debeat per præsentatum probari, vt præsentatio suum sortiatur effectum, & an in Iurepatronatus hæreditario Ecclesia acquirat libertatem vbi Ecclesia succedit patrono, & an clausula, constito quod beneficium spectet ad Episcopi collationem debeat iustificari.

*SVMMARIVM.*

1 *In Iurepatronatus hæreditario debet probari præsentantem esse hæredem primi patroni.*
2 *Iuspatronatus de iure præsumitur hæreditarium.*
3 *Iuspatronatus hæreditarium extinguitur & Ecclesia libertatem acquirit, quando ipsa succedit in hæreditate patroni cum nemo possit esse patronus sui.*
4 *Iuspatronatus Domini loci vbi situm est beneficium præsumitur ex dispositione Concilij Tridentini vsurpatum vnde exactior requiritur probatio tam in petitorio, quam in possessorio.*
5 *Clausula, constito, quod beneficium spectet ad collationem Episcopi non est iustificanda quia dicitur iustificata ex præsumptione iuris.*
6 *Iuris præsumptio dicitur liquidissima probatio.*
7 *Collatio omnium beneficiorum inferiorum de iure communi spectat ad Episcopum.*
8 *Breue de sui natura habet executionem paratam.*

## DECISIO XCVI.

LICET ex iuribus productis Domini in alia propositione huius dubij sub die 19. Decemb. præteriti existimauerint resultare magnum Iurispatronatus fumum quod

quod sufficeret ad effectum supersedendi in executione etiam si iura non sint in forma probanti donec probationes afferrentur per Ioannem præsentatum à D. Francisco Pau, tamen cum à mense Augusti quo fuerunt concessæ litteræ compulsoriales generales effluxerint vndecim, vel circiter menses, & non fuerint producta alia iura, nec minus ostensa aliqua legitima causa, quare iura non fuerint transmissa, sæpiusque citatus fuerit Ioannes super propositione dubij tandem illo proposito Dominis visum fuit non intrare arbitrium ad effectum supersedendi amplius in executione ea moti ratione, quia etiamsi ex dictis iuribus productis informibus probaretur Iuspatronatus, tamen non probatur
1 Franciscum† esse hæredem Guglielmi primi patroni, prout requiritur in Iurepatro-
2 natus hæreditario, quale est hoc, tam † ex iuris præsumptione, *Clem. plures, & ibi DD. de Iurepatr. Seraph. decis. 456. num. 1.* quam ex obseruantia subsequuta, ex iuribus enim productis apparet hoc Iuspatronatus peruenisse ad dictum Guglielmũ vti Iacobi fundatoris hæredem, deinde ad Franciscam eius vxorem hæredem, relictam a marito, postmodum ad Agnetem filiam hæredem dictæ Franciscæ ad quã cũ vigore substitutionis factæ ab eadem Franisca tota hæreditas peruenerit ad hoc beneficium per dictam successionem remansit
3 Iuspatronatus † extinctum, & beneficium libertatem acquisiuit, quia nemo potest esse patronus sui ipsius, *glos. in cap. vnico, in verb. eidem in fin. de iurepatr. Card. cons. 323. col. 2. vers. ad 3. Lambert. de iurepatr. lib. 1. cap. 2. art. 15. 1. quæst. princ. & lib. 2. par. 3. art. 13. 2. quæst. princ.* Imò & quatenus prętenderetur hoc Iuspatronatus gentilitium, tamen ex dictis iuribus non constat dictum Franciscum esse de descendentibus dicti Guglielmi.

Consideratum etiam fuit in hac facti serie agi de Iurepatronatus prætenso à Laico Domino in temporalibus loci vbi sita
4 est parochialis, in quo † cadit præsumptio vsurpationis inducta ex dispositione sacri Concilij Tridentini, & inde sequitur exactiorem, & magis concludentem probationem requiri, quam in alijs patronis non solum in petitorio, sed etiam in possessorio vt multoties fuit decisum. *& signanter in vna Bononien. parochialis de Guado 17. Iunij 1615. coram R.P.D. meo Andrea.*

Non obstare visum fuit, quod dicebatur
5 clausulam, † constito, in breui appositam ideo non esse iustificatam ex actis collationẽ huiusmodi spectasse ad Episcopum responderunt enim Domini hanc clausulam satis esse probatam ex præsumptione iuris
6 communis, † quæ dicitur concludens, & liquidissima probatio, *Dec. in l. 1. num. 57. & 63. ff. si cert. pet. Alex. in l. licet Imperator num. 4. de leg. 1. Socc. iun. in repet. l. 1. nu. 57. vers. & ista, ff. solut. matrim.* de iure siqui-
7 dem communi notũ est collationem omniũ beneficiorum nisi adsit probatio in contrarium spectare ad Episcopum, *Can. omnes Basilicæ 16. quæst. 7. latè Abb. in cap. cum Ecclesia Vulterana num. 8. in fin. de election.* Vltra quod hodie ex ipsamet prouisione Ordinarij facta in fauorem Ioannis Clarè id satis iustificatur.

Et ex his conclusum non intrare arbitrium ad effectum vt amplius sit supersedendum in executione Breuis, quod de sui natura habet executionem paratam.

## BARBASTREN. IVRISPRAESENTANDI.

*Lunæ 25. Maij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Iuspræsentandi, ac nominandi Vicarium ex certa fructuum dismembratione, ac illorum alteri applicatione censetur concessum simultaneè, & coniunctim non priuatiuè.

### SVMMARIVM.

1 *Beneficium ex quibus non dicatur vnitum per quamdam fructuum applicationẽ, itaut omne ius beneficio competens censeatur traditum illi cui prætenditur facta vnio.*
2 *Præsentandi ius est de fructibus beneficij.*
3 *Correctio momentanea in Papa non præsumitur.*
4 *Dispositio posterior quando est alterius continuatiua ad formam illius est regulanda.*
5 *Reo, & possessori sufficit vincere ex non iure actoris.*
6 *Verba, spectare, & pertinere, important dominij translationem.*
7 *Verba cum omni iure authoritate, & integritate applicamus, & appropriamus, importaut dominij translationem.*
8 *Obseruantia interpretatiua non intrat quando verba sunt clara.*
9 *Præscriptio quadragenaria requiritur quando vna Ecclesia vult contra aliam præscribere.*

10 *Præscriptio non currit contra non valentem agere.*
11 *Sententia à partibus acceptata transit in iudicatum, & quoad ipsos facit ius.*

## DECISIO XCVII.

DOMINI inhærendo decisioni in simili causa inter easdem partes factę coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto 23. Ianuarij 1610. & rationibus in eadem decisione contentis censuerunt ius nominandi, & præsentandi Vicarium in parochiali Ecclesia Prioratus de la Raga, ac Beneficiatos ad beneficia in eadem Ecclesia existentia, ac ius conferendi, non solum spectare ad Capitulum Barbastren. & Portionarios, sed etiam ad Abbatem, & Monasterium S. Ioannis de Penia, siue enim ratio habeatur Breuis fel. rec. Pij V. facti in fauorem d. Capituli, & Portionariorum, siue rescripti bo: me: Gregorij XIII. nullo iure poterit d. Capitulum illud ius nominandi priuatiuè quoad d. Abbatem, & Monasterium sibi vindicare.

Et primo ponderarunt Domini verba d. Breuis Pij V. (statuimus, atque decernimus, quod Prioratuum, & aliorum beneficiorum suppressorum huiusmodi per eos receptorum, quibus illorum fructus applicantur commodè supportentur onera consueta, etsi illis cura immineat animarũ nullatenus negligatur, sed per idoneos Vicarios diligenter exerceatur.) Ex quibus
1 apparet Pium V. † non processisse per viã vnionis, itaut d. Capitulum possit inferre in ipsius fauorem fuisse dictum Prioratum vnitum ipsi, & vna cum illo omne Ius dicto Prioratui competens, *iuxta tradit. per Innoc. in c. pastoralis num. 3. & ibi Abb. n. 7.*
2 *cæteriq. Canonist. de priuil.* sed † tantummodo fructuum portionem illis applicauit, adeout constet ex ipsa applicatione voluisse Papam principaliter de fructibus ipsis disponere, vt secundario in consequentiam fructuum sibi applicatorum teneatur ad onera, & emolumenta percipiat, itaut concurrere debeat ad nominationem Vicarij pro cura animarum, & aliorum beneficiatorum, si enim omnes pro rata fructuũ teneantur curare, vt nullatenus negligatur cura animarum, vt per idoneos Vicarios exerceatur necessario concludendum est, omnes interuenire debere in nominatione talis Vicarij, & beneficiatorum.

Quod eo magis dicendum est, quia cum certum sit primam applicationem factam à Pio V. non ascendere ad medietatem fructuum d. Prioratus suppressi, si totum ius nominandi, & præsentandi, quod erat de fructibus d. Beneficij suppressi *ex doctrin. Abb. in cap. ex litteris col. 1. de iurepatr.* fuisset integrè translatum penès Capitulum
3 & Portionarios sequeretur † Papam voluisse incontinenti seipsum corrigere, dum medietatem, vel circiter tantum fructuum, non integros fructus applicauit d. Capitulo quod esset absurdum.

Hoc posito frustra d. Capitulum prætendit in Breui Gregorij XIII. legi solummodo simplicem applicationem partis fructuum factam fauore fabricæ d. Monasterij, sine vlla expressione translationis curæ animarum, iurisque nominandi, visum enim fuit Dominis d. assignationem vltimo loco factam per Gregorium XIII. non esse nouam dispositionem, sed continuationem Prioris, quam fecerat Pius V. vnde sequi-
4 tur † esse regulandam, iuxta illius tenorem, & formam, prout fuit ponderatum in dicta decisione Illustrissimi Cardinalis Lancellotti, & in hac causa ex multis rationibus quę rursus Dominis placuerunt, itaut vtraque applicatio eodem iure censeri debeat, & neuter possit ius istud præsentandi, quod sub fructibus, & emolumentis comprehenditur pertinere in præiudicium alterius prætendere.

Nec obstare visum fuit, quod pro parte Capituli dicebatur, ius istud conferendi non esse translatum nec penès Capitulum nec penes Monasterium ex sola applica-
5 tione fructuum, & ita Capitulo † reo, & possessori sufficere excludere Monasterium nullo iure fultum, *vulgat. l. loci corpus, §. competit, ff. si seruitus vindic. l. fin. C. de rei vindic.* Responsum enim fuit verba litterarum suppressionis cõtinere vim, & potentiam transferendi ius nominandi, dum
6 vtitur verbis, † spectare, ac pertinere, quæ important dominij translationem, *l. sciendum 70. de verb. significat. l. lecta est 40. ff.*
7 *si cert. pet.* iunctis alijs verbis, cum † omni iure authoritate, & integritate applicamus & appropriamus, *l. si cum mihi 34. de dol.* Vnde non dubitandum est omnibus in genere, quibus fructus sunt applicati ius istud præsentandi, & nominandi fuisse concessum, non priuatiuè, sed simultaneè, & coniunctim.

Prout nec obstat allegata obseruantia interpretatiua, quæ quidem suffragaretur si du-

8 si dubia essent verba d. Breuis; † quæ ita clara visa fuerunt Dominis vt frustra recurratur ad obseruantiam.

Nec etiam potest d. Capitulum recurrere ad remedium præscriptionis quasi ius istud præsentandi, seu conferendi per spa-
9 tium 40. annorum præscripserit, † quod tempus requiritur, vt Ecclesia contra Ecclesiam possit simile ius præscribere, *cap. illud, cap. de quanta, & ibi communiter DD. de præscript.* Hæc enim obiectio penitus tollitur ex facto, nec potest subsistere, quia applicatio fructuum à Gregorio XIII. fuit facta die Februarij 1575. & lis in specie super isto iure præsentandi introducta fuit anno præterito, quia commissio fuit producta in actis Rotæ die 25. Maij 1614. & executa in partibus die 23. Augusti, & producta in Rota cum Instrumento executionis illius die 23. Octobris 1614. Ex quo calculo apparet clarè ante tempus 40. annorum fuisse interruptam præscriptionē, cum antequam ius aliquod d. Abbati, & Monasterio competeret, nulla possit præ-
10 tendi præscriptio, † contra enim non valentem agere nunquam currit tempus datum ad præscribendum ex vulgaribus.

Quæ dicuntur contra decisionem coram Illustrissimo D. Cardinali Lancellotto factam nulla consideratione digna sunt, quia vigore ipsius lata fuit sententia super aug-
11 mento fructuum, † quæ à partibus acceptata transiuit in rem iudicatam, & ita quo ad ipsas facit ius.

Ex quibus ita vtraque parte informante fuit in fauorem Abbatis, & Monasterij conclusum.

## BOVEN. PENSIONIS.

*Veneris 15. Maij 1615.*

## ARGVMENTVM.

Pensionarius contra Titularem habet bonum ius in summarijssimo possessorio, ex quasi possessione exigendi, & multo fortius si exhibeat litteras reseruationis.

## SVMMARIVM.

1 *Titulus pro obtinendo mandato de manutenendo non est necessarius, sed solum possessio.*

2 *Manutentio datur etiam si litteræ reseruationis non sint iustificatæ.*

3 *Possessio probatur per vnicam solutionem.*

4 *Solutio præsumitur facta de mandato titularis stante qualitate summæ, & scientia titularis.*

5 *Scientia probatur ex litteris missiuis debitoris.*

6 *Possessio contra prædecessorem suffragatur contra successorem, & num. 7.*

## DECISIO XCVIII.

DOMINI censuerunt constare de bono iure R.P.D. Olgiati, agitur enim in summarijssimo possessorio manutentio-
1 nis, † in quo licet titulus non sit necessarius, sed sufficiat sola possessio, vel quasi, *Rota diuers. decis. 595. num. 1. par. 1. fuit dictum in Cæsaraugustana pensionis 30. Ianuarij 1589. coram Giptio*, & in alijs causis, tamen fuerunt productæ litteræ reseruatio-
2 nis, † quæ sufficiunt etiam si non sint iustificatæ, *Abb. in cap. ex litteris col. 1. de restitut. spol. Achill. decis. 4. de rescript. Rota diuersor. decis. 545. num. 1. & 8.*

Quasi possessio probatur ex pluribus solutionibus factis mediante banco Domi-
3 norum de Olgiatis, † licet vnica sufficiat *Roman. cons. 311. num. 7. Rip. in cap. cum Ecclesia Sutrina num. 53. de caus. poss. & propr.*
4 *Rota diuers. decis. 196. num. 2. par. 1.* † quæ solutiones præsumuntur factæ de mandato titularis, stante qualitate summæ adeo notabilis, & scientia titularis, *Rota decis. 2. de caus. poss. & propr. in antiq. Cassad. decis. 3. de procurat. num. 4. Achill. decis. 3. num. 2. de restit. in integr. Rota diuers. d. decis. 196. sub num. 4. & fuit dictum in Regien. pensionis 1. Iulij 1596. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio.*

5 De scientia † constat ex litteris missiuis debitoris *l. 1. ff. mandat. Clem. 1. de procurat.* quæ quidem litteræ satis visæ fuerunt recognitæ, & non solum probatur scientia ex prædictis litteris, sed etiam ratificatio, quæ mandato æquiparatur, *cap. ratihabitio de reg. iur. in 6. l. semper, vers. sed si quis, & ibi Dec. num. 6. ff. eod. cum simil.*

Non obstat D. Olgiatum non esse in
6 possessione contra Capitulum, quia † possessio contra prædecessorem suffragatur contra successorem, cum huiusmodi ius metiatur ex parte actoris, iuxtà decis. *Guidop. 629.* sæpius à Rota canonizatam, &
7 mutatione † personæ non mutatur obligatio, *Gig. de pensione quæst. 47. num. 10. Put. decis. 151. num. 3.*

Verum quia pro parte Capituli præten-

 deba-

debatur pensionem non fuisse solutam ab anno 1588. propterea, Domini dixerunt constare de bono iure nisi possessio fuerit amissa, quod specialiter reseruarunt, videndum.

## LVCANA BENEFICII.

*Veneris 12. Iunij 1615.*

Argumentum ex Summario.

### S V M M A R I V M.

1 *Attentata est possessio post appellationem, & de stylo Rotæ est sequestranda tamquam vacans. & num. 2.*

3 *In attentatorum materia non sufficiunt coniecturæ, sed concludentes probationes requiruntur.*

## DECISIO XCIX.

NON dubitarunt Domini probata prius edicti affixione, concursu, & possessione capta ab Antonio de Christophoris post interpositam appellationem adesse attentata, cum enim fuisset lis introducta inter procuratorem fiscalem, & Communitatem, quæ præsentauerat Franciscum de Iudicibus, non poterat Iudex post appellationem mittere in possessionem d. Antonium, sic † omnia ab illo gesta remanent
1 nulla, & attentata, *cap. 1. & 2. vt lit. pend.*
2 & † hæc possessio de stylo Rotæ est sequestranda tamquam vacans, *Seraph. dec. 1043. in fin. Cassador. decis. 3. num. 6. de restit. cum multis allegatis in vna Lucana beneficij coram R.P.D. meo Remboldo 19. Febr. 1614.*

Verum duplici ratione pro nunc dixerunt non constare de attentatis, & sequestrum non esse apponendum, quarum prima est, quia nullibi constat saltem in actis de institutione Antonij facta ab Ordinatio, nec etiam de possessione per ipsum capta.

Neque obstant quæ dicuntur de verisimili possessione Antonij, quia verisimiliter Notarius non inseruisset in instrumento appellationis decretum concursus, quia
3 in † hac quæstione attentatorum in qua imputatur delictum Iudici, & parti non sufficiunt coniecturæ, sed concludentes probationes requiruntur, *Surd. post alios cons. 39. num. 7. & 8.*

Secunda ratio DD. pro non appositione sequestri ea fuit, quia non constat de decreto concursus grauante Franciscum præsentatum, sed tantummodo in instrumēto appellationis procurator Fräcisci copiam dedit cōcursus, & deinde corā Vicario appellauit à grauamine, ideo nō potest dici satis constare de attentatis, quia Notarius actuarius non facit fidem publicationis concursus, neque decreti Vicarij, sed solum procurator Francisci exhibet in actu appellationis scripturam concursus, cui credendum non est in præiudicium Vicarij de cuius iurisdictione agitur, & præcipue in quæstione attentatorum quæ euidenter probari debet ex supradictis.

Ex quibus ita fuit decisum vtraque parte informante.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Lunæ 22. Iunij 1615.*

### A R G V M E N T V M.

Præscriptioni statutariæ vt sit locus quæ requirantur, & quando excludatur ob contrarias præsumptiones.

### S V M M A R I V M.

1 *Præscriptio statutaria tamquam fundata in præsumptione solutionis, non excludit præsumptiones contrarias præponderantes quæ recensentur. num. 2. & 3.*

4 *Singula quæ non prosunt multa iuuant.*

5 *Præscriptio statutaria non currit contra fideiussorem.*

6 *Fideiussor dicitur qui alterius obligationi accedit.*

7 *Debitorem qui se agnoscit videtur agnoscere pecunias in rem suam versas.*

8 *Fideiussor respectu sui ipsius, quis non potest dici non obligato principali debitore.*

9 *Limita, si alias pecunias accepit, pro quibus se obligauit.*

10 *Præscriptio statutaria tamquam exorbitans à dispositione iuris communis est odiosa, & restringibilis.*

## DECISIO C.

CVM iam multoties in hac causa fuisset coram me resolutum constare de bono iure, & credito Dominorum de Cæsarinis quoad sortem principalem census, fructusque decursos, vsque ad dicti census extinctionem, nisi obstaret præscriptio statutaria, proposui hoc dubium à Rota reserua-

seruatum, quo proposito Domini censuerunt negatiuè respondendum.

Moti sunt ea maxime ratione, quia statutum Vrbis fundatum est super præsumptione solutionis, & ideo cum † præsumptio
1 præsumptionem non excludat iure, meritoque in præsumptione illa statutaria idem statutum admittit præsumptiones cótrarias, quæ preponderãt, quę ratio alias fuit ponderata à *Gabr. consil. 8. lib. 2. & à Seraph. decis. 692. num. 2.*

In hac autem facti specie tot Dominis visæ sunt adesse coniecturæ ex quibus elicitur dd. Dominos de Cæsarinis nunquam fuisse satisfactos de eorum credito, vt cessset solutionis præsumptio inducta à statuto.

2 Considerarunt enim primo loco † personarum qualitatem aliàs à Rota ponderatam in prima decisione in hac causa facta coram me die 10. Iunij 1613. non enim videtur verisimile, ideo solutum fuisse creditum, quia Dux Cæsarinus distulit per quindecim annos iuris vigore, contra Principem supremum pecunias debitas exigere, quas rogatus à dicto Principe mutuo sumpserat à Glorerijs constituendo censum, vt rem gratam dicto Principi faceret.

Concurrunt etiam aliæ vehementes cóiecturæ, confessio scilicet Principis Ernestis in epistola ponderata in alijs decisionibus præcedentibus, cum promissione soluendi dictum censum, & fructus, adest & solutio partis dictorum fructuum, legitur etiam descriptio huius crediti exactè semper facta ad hunc vsque diem in libris rationum domesticarum nobilis domus de Cæsarinis custoditis, & scriptis ab homine
3 fideli & probo, † quibus aliàs Rota fidem adhibendam censuit, & præcipuè in vna Romana pecuniaria 16. Februarij 1601. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto, & postea sub die 17. Februarij coram bo: me: Penia. Adsunt & testes asserentes Dominos de Cæsarinis continuo conquestos fuisse creditum istud nondum solutum, epistolasque scriptas ab ipsis dicto Principi Ernesti, ex qua facti serie, & omnibus simul iunctis, quæ forsan singula non sufficerent, placuit Dominis præsumptionem solutionis inductam à præscriptione statutaria satis superque sublatam ex vulg. iur.
4 regula, † quæ non prosunt singula multa iuuant.

Quibusdam etiam ex Dominis videbatur præscriptionem statutariam non obstare, quia statutum verbis expressis excipit
5 fideiussorem, itaut † contra eum non possit d. præscriptio currere, neque contra eũ qui pro alio cauit, *Rota apud Achill. dec. 1. de præscript. & in Romana Saluiani 22. Maij 1599. coram bon. bom. Penia*. Vnde in hoc casu existimarunt Domini d. Ducem Cæsarinum potuisse dici fideiussorem respectu
6 etiam d. Principis Ernestis, quia † reuera alterius obligationi accessit, & pro altero se obligauit *arg. l. 1. ff. ad Velleian. Mant. de contract. lib. 16. tit. 7. num. 1.* præcipue
7 quod d. Princeps † agnoscens se debitorem tacitè videtur agnoscere pecunias à Glorerijs acceptas in rem suam versas, *Gabr. in tit. de fideiussor. concl. 2. & 4. vbi multa allegat. Cephal. consil. 270. num. 17. Rota diuers. decis. 152. num. 2. & 6. par. 2.*

Nec obstat ratio considerata in præcedenti decisione Ernestem non contraxisse cum Glorerio, sed solum D. Ducem Iulianum constituendo censum, & vendendo,
8 itaut d. Iulianus respectu sui ipsius † non possit dici fideiussor non obligato principali debitore.

Huic obiectioni responderunt Domini, stricto iure veram esse propositionem in d. decisione firmatam dictum Ducem Cæsarinum non posse dici fideiussorem cum necesse esset ad hoc vt diceretur fideiussor Principem Ernestem Glorerijs fuisse obligatum, quod nullibi reperitur, sed cum appareat ex ipsius confessione dictum Ernestem solum pecuniam percepisse, pro qua obligatus reperitur dictus Dux Cæsarinus, qui nihil receperat, ideo non attenta verborum scrupulosa interpretatione
9 reuera † videtur remanere large fideiussoris sumpto vocabulo fideiussor, qui alienæ obligationi accessit, quæ lata interpre-
10 tatio videtur sumenda, cum † hæc præscriptio sit odiosa, & restringibilis tamquam exorbitans à dispositione iuris communis iubentis præscriptionem non intrare, nisi clapso triginta annorum spatio vulgatis iuribus.

Et ita decisum vtraqua parte informante.

SALERNITANA PRAESTATIONIS ANNUAE.

*Lunae 22. Iunij 1615.*

ARGVMENTVM.

Solutio facta in causam piam si annuatim durauerit per longum tempus inde resultat obligatio etiam absque expressione causae, itaut in posterum totidem sit soluendum.

*SVMMARIVM.*

1 *Annua praestationis solutio probata per 40. annos debet fieri, & in posterum etiam absq; expressione alicuius causae: multo magis si adsit causa, num.3.*

2 *Amplia etiamsi solutio coepta fuerit ex mera liberalitate, quando facta fuit in piam causam.*

4 *In productione Iurium si non fuit aliquid oppositum non potest amplius opponi.*

5 *Iura censentur tacitè approbata lata sententia ad fauorem producentis.*

6 *Copia registrata in alio processu est standum originale prducto, & deperdito absque culpa producentis.*

7 *Scriptura informi datur fides quando secundum eius tenorem fuit obseruatum.*

8 *Ob temporis lapsum praesumuntur omnia interuenisse quae requiruntur ad validitatem actus.*

9 *Nullitas praescribitur spatio 30. annorum.*

10 *Processus subscriptus, & sigillo munitus non dicitur copia, sed authenticus.*

11 *Successor in officio lite pendente sine compulsorialibus potest extrahere sumptum.*

DECISIO CI.

DOMINI censuerunt iura producta pro parte Monialium S. Sophiae releuare, ca moti ratione, quod dum ex illis constat per 30. 40. annos, & vltra dictis Monialibus fuisse per Monasteriũ Cauen. traditam certam quantitatem frumenti, &
1 ordei, † probata fuit obligatio in posterum eandem quantitatem praestandi, etiam absque expressione alicuius causae, *Bart. in l. solent, §.2. in fin. ff. de offic. proconf. Couarr. in reg. possess. par.2. §. 4.*
2 *num.3. de reg. iur. in 6.* etiamsi solutio † coepta fuisset ex mera liberalitate cum fuerit facta in causam piam, *Abb. in cap. suam nobis de simon. apostill. ad Abb. in cap. bone il 2. in 6. corol. in princ. de postulat. prælat. Felin. in cap. ad Apostolicam num.3. vers. præd. adde de simon. Gabr. de præscript. conclus.10. num.12. & inclinauit* Rota in hac causa *sub die 12. Februarij 1601. coram bon. mem. Illustrissimo Pamphilio*, & fuit resolutum *in Segobien. Cantoriae 11. Februarij 1604. corã Illustrissimo Lancellotto.*

Quod & multo magis habere debet lo-
3 cum hoc casu † dum testes etiam causam dictae praestationis cõcludere videtur, *Bart. in l. cum de in rem. verso num.14. ff. de vsur. Salyc. in l. si certis annis in fin. C. de pactis, cum alijs allegat. in d. decis. coram Cardinali Pamphilio.*

Non obstat praedicta iura non esse in forma probante, nam quoad processum factũ de anno 1486. cuius transumptum productum fuit in Rota, ac deinde originale licet deperditum fuerit cessat obiectio, ex quo aliud transumptum reperitur registratum in processu agitato inter easdem partes de anno 1577. corã Reuerendissimo D. Nuncio Neapolitano, in cuius productione
4 dum † non fuit pro parte d. Monasterij aliquod oppositum, non potest, nec hodie opponi, *Felin. in cap. fin. num.7. in 2. fallent. de fid. instr. Surd. dec. 199. num.8. Bellam. decis.139. Put. decis.155. lib.1. in nou. & fuit dictum in Mediolanen. Decimarum 4. Iuly 1614. coram R.P.D. meo Andrea.*

Et multo minus quia per sententiam Nuncij ad fauorem Monialium latam,
5 fuit tacitè dictum transumptum approbatum, *Put. decis.116. lib.2. in nou.*

Quibus accedit, quod cum in Rota fue-
6 rit productum originale, † & illud deperditum absque aliqua culpa procuratoris Monialium, standum esset copiae registratae in alio processu, *iuxta doctr. Bart. in l. chirographis sub num.2. vers. & ex hoc colligitur ff. de admin. & pericul. tutor. Bald. in l. fin. sub num.51. vers. sed pone, & num.52. C. de edict. Diu. Adr. toll. Castr. in l. publicato in princ. sub num.6. vers. item per hanc legem, C. de testam.*

7 Sed visa fuit tolli omnis difficultas † ex obseruantia tot annorum, per quam solet dari fides scripturae informi, *Crauett. cons. 158. num.1. Card. Seraph. decis.1192. nu.2. vers. ideo non obstat*, & fuit saepissimè resolutum.

Et ex his visum fuit tolli oppositionem contra examen testium, quod in d. processu
8 continetur, † vltra quod ob lapsum tanti temporis omnia solemnia interuenisse praesumuntur, vt fuit saepissimè decisum.

Ad-

9 Adducbant & aliqui ex Dominis ✝ hanc nullitatem oppositionum fuisse præscriptam spatio triginta annorum, & vltra, vt fuit nominatim resolutum in Mediolanen. Iurispatronatus 3. Aprilis 1615. coram R. P.D. meo Pirouano,

Quo vero ad processum factum coram 10 Nuntio, ✝ & coram me productũ cessat obiectio, quia ille fuit subscriptus, & sigillo munitus, quo casu non dicitur copia copię, sed authenticus, *Purpurat. in authen. si quis in aliquo*, C. *de edend. Rot. in Calaguritana Cappellaniæ 1. Iulij 1591. coram Orano, & in Burgen. Beneficij 18. Maij 1598. coram Corduba*, & licet fuerit extractus lite pendente sine compulsorialibus, & Notarius non sit Archiuista, tamen potuit extrahere, cum sit magister actorum eiusdẽ Curiæ Nuntij, in qua fuit factus processus, tanquam successor in officio, vt fuit resolutum in *Siracusana Parochialis 13. Febr. 1609. coram R.P.D. meo Caualerio, in Firmana beneficij 27. Ianuarij 1610. coram Reuerendiss. D. Lugdunen. & in Tuden. Parochialis 30. Iunij 1610. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno*, Aliæ nullitates Dominis non visę fuerunt in consideratione, & ex deductis pro Monialibus fuerunt reiectę.

Ex quibus ita vtraque parte informante fuit decisum.

## CALAGVRITANA DE VIANA,

*Mercurij 1. Iulij 1615.*

### ARGVMENTVM.

Remissoria non conceditur ad probañ iuspatronatus in quo cadit præsumptio vsurpationis & quod debet probari per scripturas etiam si articularetur scripturarum cõbustio si de istarum præcedente existentia non doceatur.

### SVMMARIVM.

1 *Iurispatronatus vsurpatio præsumitur in vniuersitate.*

2 *Iuspatronatus ab vniuersitate debet probari vltra immemorabilem per præsentationes continuatas spatio 50. annorũ per authenticas scripturas.*

3 *Remissoria non est concedenda quando materia est probanda per scripturas.*

4 *Remissoria an concedatur ad probandum per testes id, quod est probandum per scripturas stante incendio, & existentia talium scripturarum, & num. 7.*

5 *Remissoria denegatur stante inuerisimilitudine materia articulata.*

6 *Remissoria denegatur quando in partibus fuerũt examinati testes, quia hi præsumuntur meliores, & melius informati.*

### DECISIO CII.

DOMINIS visum fuit non esse dandam remissoriam, ✝ cum enim agatur de iurepatronatus Vniuersitatis, in qua cadit præsumptio vsurpationis ex dispositione *Sacr. Conc. Trident. sess. 25. cap. 9. de reform. Cresc. dec. 1. nu. 2. de iurepatr. Mohedan. dec. 2. in fin. vers. secundo quia eod. tit. Rot. diuers. dec. 842. par. 3.* & per consequens 2 vltra immemorabilem articulatam requirantur præsentationes continuatæ spatio 50. annorum per authenticas scripturas, *Rot. diuers. dec. 199. par. 2. & dec. 409. num. 2. par. 1. Menoch. præsumpt. 90. num. 3. lib. 3. & fuit sępissimè decisum*, intrat conclusio sæ- 3 piùs à Rota approbata ✝ non esse concedendam remissoriam, quando materia est probanda per scripturas, *Rot. dec. 10. de offic. deleg. & dec. 6. de probat. in non. & dec. 46. de testib. in antiq. Put. dec. 366. num. 7. lib. 2. Bellam. dec. 9. 384. & 355. & fuit in puncto decisum in Forosempron. seu Nullius iurisdictionis 17. Iunij 1596. coram bon. me. Card. Pamphilio.*

Nec visum fuit suffragari Vniuersitati 4 articulatum ✝ incendium scripturarum, quia de existentia talium scripturarum in Archiuio incenso nullo probationis genere constat prout requiritur vt fuit dictum in dicta Forosempronien.

Imo talis existẽtia videtur inuerisimilis 5 dum ✝ in eodem Archiuio reperiuntur approbationes, admissiones, & examina beneficiatorum, & non reperiuntur præsentationes, quæ tunc prætenduntur factę, qua stante inuerisimilitudine remissoria deneganda venit *Rota decis. 23. de testib. in antiq. & fuit sæpè decisum.*

His accedit præsumptio calumniæ ob quam remissoria denegari solet ex quo 6 vniuersitas in partibus ✝ examinauit plures testes, qui præsumuntur meliores, & melius informati, *Caputaq. dec. 50. num. 6. p. 3. Vestr. in prax. lib. 6. cap. fin. num. 3. vers. idem, si causa, fuit dictum in Hispalen. matrimonij 5. Iunij 1609. coram Reuerendiss. D. Bonon. & alias sæpè.*

In

In quam sententiam eo lubentius iue-
7 runt Domini, quia considerarunt si sub prætextu Incendij allegati probationes per testes induccerentur, fore, vt indirectè fieret fraus dispositioni Sac. Conc. Triden., dum eo colore præsentationes continuæ factæ per testes probarentur, quæ alias legitimè probari debent per scripturas authenticas ex rationibus supradictis.

Ex quibus vtraque parte informante pro denegatione remissoriæ fuit conclusum.

## TOLETANA CONFRATERNITATIS.

*Veneris 6. Nouembris 1615.*

### ARGVMENTVM.

Clausula, & ad viam iuris reduxit, adiecta in moderatione inhibitionis non potest retardare executionem rei iudicatæ.

### SVMMARIVM.

1 *Clausula (ad viam iuris reduxit) posita in decreto moderationis inhibitionis vigore appellationis non potest retardare executionem rei iudicatæ.*

2 *Inhibitioni vigore appellationis non est amplius locus postquam causa est deserta, & sententia fecit transitum in iudicatum.*

3 *Res iudicata debita executioni debet demandari.*

4 *Inhibitio vbi non est canonica debet moderari.*

5 *Clausula (ad viam iuris reduxit) magis declarat Iudicem à quo posse procedere ad executionem.*

6 *Expressum magis operatur quam tacitum.*

7 *Clausula (ad viam iuris reduxit) operatur vt per eam sit sublatus omnis effectus prioris inhibitionis.*

8 *Res quæ deuenit ad casum à quo incipere non potuit habetur, ac si non fuisset.*

## DECISIO CIII.

1 CVM in decreto moderationis inhibitionis per me in hac causa de ordine signaturæ facto, Notarius adiecisset solitam clausulam his verbis conceptam (& ad viam iuris reduxit) orta fuit discordia in partibus vtrum illa clausula inserta posset retardare exequutionem rei iudicatæ, consului Dominos quibus visum fuit negatiuè respondendum, quia inhibitio vigore commissionis appellationis emanauit, cui non erat amplius locus, post-
2 quam erat deserta, & sententia transiuerat in iudicatum, quo casu nec inhibitio de
3 iure potuit impedire exequutionem rei iudicatæ, certi siquidem Iuris est res iudicatas debitæ executioni demandari debe-
4 re, & inhibitionem, vbi non est canonica debere moderari, *cap. non solum de appellat. in 6. Rot. decis. 4. de exceptio, Lancell. de attent. post inhibit. num. 69.* quod factum fuit à me de ordine Signaturæ, & merito, quia cum Signaturæ visum fuerit adesse rem iudicatam, nullo modo debebat suspendi iudicium iam terminatum.

5 Imo clausula illa (& ad viam iuris reduxit) maiorem induxit declarationem, posse Iudicem à quo tuta conscientia procedere ad executionem, tum quia videtur expressio facta eius quod tacitè inest in
6 simplici moderatione expressioque magis operatur, quam tacitum *arg. l. cum filio ff. de vulg. & pupill. Seraph. de iuram. priuil. 89.*
7 *nu. 10.* tum etiam quia per eam fuit sublatus omnis effectus prioris inhibitionis,
8 perinde est, ac si nunquam fuisset concessa, & ita res deuenit ad casum, à quo incipere non potuit, vt multoties tenuit Rota, & præcipuè *coram Illustriss. Lancellotto in vna Albanen. Beneficiorum 20. Ianuarij 1601.* & nuper *in vna Signina Castrorum 3. Aprilis 1615. coram R.P.D. meo Buratto.*

Et ita decisum vna tantum parte informante.

## FAVENTINA EXPENSARVM.

*Mercur. 1. Iulij 1615.*

Argumentum ex Summario.

### SVMMARIVM.

1 *Expensarum condemnatio quando adest in sententia lata in gradu appellationis comprehendit omnes expensas sententiarum.*

2 *Limita si in prima instantia pars fuerit absoluta ab expensis.*

3 *Iudex appellationis tenetur ante omnia super nullitate pronunciare.*

4 *In expensis non est condemnandus habens iustam causam litigandi.*

DE-

## DECISIO CIV.

NON esse taxandas expensas primæ instantiæ DD. resoluerũt licet enim in sententia lata in gradu appellationis ad
1 sit condemnatio, † quo casu comprehendi omnes expensas sententiarum receptum est *Felin. in cap. significauerunt num. 7. vers. demum de exceptio Luc. Pet. in prax. for. cap. vlt. num. 49. Dec. in cap. sæpè num. 34. de appell. Mars. sing. 684. Rebuff. tom. 3. const. de appell. glos. vnic. art. 9. num. 29.* tamen hoc
2 in casu † cum in prima instantia pars fuerit absoluta ab expensis illæ minimè comprehenduntur vt est *decis. Put. 240. lib. 2. in nou. & fuit resolutum in Perusina Expensarum Veneris 14. Septembris 1607. coram bo. me. Iusto.*

Non esse pariter taxandas expensas secundæ instantiæ dixerunt Domini, quia ante sanatoriam commissionem obtentam stante nullitate examinis testium fratres de Spadis habuerunt iustam causam se opponendi contra dictam sententiam, ideo sicut
3 tenebatur Iudex in primis, & ante omnia super nullitate prununtiare, & pars refundere expensas *Cas. de Graff. dec. 9. num. 8. de*
4 *caus. poss. & propr.* Ita nunc † non visum fuit esse condemnandos dictos Fratres in expensis vsque ad diem sanatoriæ factis, *glos. in l. eum quem temerè ff. de Iudic. Mathesill. singul. 33. Rebuff. tom. 3. constit. tit. de expens. art. 1. glos. vnic. num. 13. & 14.*

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

## PLACENTINA CAPPELLANIAE.

*Veneris 6. Nouemb. 1615.*

Argumento non eget.

### SVMMARIVM.

1 *Restitutio in integrum non datur aduersus sententiam data validitate, & iustitia illius.*
2 *Sententia validitas ex quibus resultet.*
3 *Cappellania non dicitur sacerdotalis quando Cappellanus non tenetur per se ipsum missas celebrare.*
4 *Restitutio in integrum non datur post petitam exceptionem vigore rei iudicatæ.*

## DECISIO CV.

VISVM fuit Dominis non constare de causis restitutionis in integrum, & ita sententiam Rotalem esse executio-
1 ni demandandam, † cum enim causa restitutionis sit commissa prout de iure, & constet de validitate & iustitia dictæ sententiæ ex stylo Rotæ non potest dici constare de causis restitutionis, vt fuit sæpè resolutum & in specie *in vna Legionen. professionis 25. Febr. 1615. coram R. P. D. meo Pirouano, & nuper in Romana Pecuniaria 6. Aprilis proxime præteriti coram me.*

In hac autem facti specie satis apparet de validitate dictæ sententiæ Rotalis cum in actis commissio mandata procuræ, citationes & alia de iure requisita reperiantur
2 quæ † pro validitate sententiæ sufficere fuit sæpe à Rota decisum, & nuper in illa *Auenionen. Arresti 12. Septembris 1614. coram me.*

De iustitia etiam satis euidenter constare visum fuit ex decisione, ex qua apparet
3 Cappellaniam † de qua agitur non esse sacerdotalem cum onus missarum possit per alium exerceri, nec in fundatione adsint verba, quæ ostendunt Capellanum per se ipsum ministrare debere, vt in decisione *Romana Capellaniæ 13. Ianuar. 1589. coram bon. mem. Card. Pamphilio, cum alijs adductis per Gonzal. ad reg. glos. 5. num. 74. & fusissimè in dicta decisione in hac causa facta coram R. P. D. meo Buratto 26. Ianuar. proximè præteriti* cuius rationes maturè perpensæ DD. placuerunt.

Consideratum etiam fuit in omnẽ euentum non esse locum retardationi exequutionis rei iudicatæ, quia antequam commissa mihi fuisset causa restitutionis in integrum, iam petita fuerat exequutio dictæ sententiæ Rotalis, quæ transiuerat in rem iudicatam, seruati enim fuerant quatuor termini substantiales ad docendum de appellatione, & factum decretum mandati de immittendo, seu exequutorialium, ex
4 quibus † sequitur non esse locum retardationi exequutionis, ob superuenientiam commissionis restitutionis in integrum, vt ex multis authoritatibus firmauit *Rota in Ferrarien. bonorum Zaualis 16. Iunij 1613. coram R. P. D. meo Pamphilio, & postea in Salernitana Contributionis 12. Maij 1614. coram me & alias sæpe.*

Ex quibus Andrea solum informante, &

Petro

Petro de Balbuena sæpissimè citato non comparente ita fuit decisum.

## MEDIOLANEN. MATRIMONII.

*Veneris 13. Nouembris 1615.*

### ARGVMENTVM.

Ad Matrimonium contrahendum cogendus est qui illud ita promisit & sub tali promissione virginem stuprauit præcipuè si non adsit disparitas status, & personarum.

### *SVMMARIVM.*

1 *Confessione propria nulla maior probatio.*
2 *Matrimonium solo consensu contrahitur.*
3 *Matrimonium probatur per confessionem coniugum.*
4 *Confessio adminiculata fortius probat.*
5 *Testes contra producentem plenam faciunt probationem.*
6 *Stuprans virginem sub spe futuri matrimonij potest cogi censuris Ecclesiasticis ad illud contrahendum.*
7 *In Matrimonij materia disparitas status & conditionis personarum plurimum solet attendi.*

## DECISIO CVI.

DOMINI dixerunt sententias latas in partibus esse confirmandas, de earũ enim validitate satis visum fuit constare, ex reuolutione actorum, ex quibus apparet latas fuisse seruatis seruandis, præcedente iurisdictione, mandato procuræ, citationibusque etiam personaliter exequtis, alijsque de iure requisitis, *iux. decis. Caputaq. 260. par. 2. & fuit millies decisum.*

Iustitia vero satis remanet iustificata, ex propria ipsius Francisci Bernardini confessione, qua declarauit quod ipse promisit ducere vxorem D. Barbaram, & subdicta promissione eam cognouit, & ex ea
1 prolem suscepit † qua confessione stante nulla maior probatio adduci potest, *l. cum te C. de transact. Sard. decis. 17. nu. 9. & seqq. DD. in cap. fin. de confess.* maximè verò cum apud acta fuerit ab ipsomet Bernardino facta, & in figura Iudicij *l. interrogatum C. de lib. caus.*

In hac autem potissimum matrimonij
2 quæstione † in qua solus contrahentium consensus requiritur *l. nuptias de regul. iur. cap. cum locum de sponsalib. canon. sufficit 27.*
3 *q. 2.* † creditur assertioni partis confitentis, ita *Abb. in cap. super eo num. 5. in fin. vers. aut confessio fuit, de eo qui cognouit, consang. vxor. sua late Decius cons. 133. numer. 1. Curt. iun. cons. 27. num. 2.* ea ratione quod illa confessio à sola potestate, & pura voluntate asserentis dependeat, *Bart. in l. si forte ff. de castr. pecul. Menoch. de arbit. cons. 103. nu. 10. & quarto.*

Quod tanto magis in hoc casu proce-
4 dere visum fuit, quia illa confessio Bernardini confirmata reperitur, non solum ex testibus deponentibus de publica fama; sed etiam de tractatu habito per dictum Franciscum cum matre, & fratribus ad ef-
5 fectum dicti matrimonij, † qui quidem testes cum fuerint ad instantiam dicti Francisci examinati, contra ipsum plenam faciunt probationem, *l. si quis testibus, & ibi gloss. verbo exigere, C. de testib. Roman. consil. 104. in fin. Crauet. cons. 201. num. 7. Afflict. dec. 120. num. 3.*

Quibus sic stantibus iure meritoq; Ber-
6 nardus qui reluctatur, & vult se subducere à fide, & religione iuramenti compelli debuit per Iudices irrogata excommunicatione ad fidem implendam scilicet ad contrahendum matrimonium cum D. Barbara, quam virginem antea sub spe, & promissione futuri matrimonij stupro decepit & ex ea prolem suscepit, *cap. ex litteris & 10. cap. sicut & cap. requisiuit de spons. cap. 1. & 2. de adult. fuit dictum in vna Pheretrana matrimonij Lunæ 28. Iunij 1595. coram bon. Gipsio.*

In quam sententiam eo lubentius iuerunt Domini, quod disparitas illa status,
7 & conditio personarum, † quæ in hac materia plurimum solet attendi, vt per *Tiraq. ad leg. connub. l. quinta, num. 31. & 32. & Sanch. disput. 10. quæst. 1.* tantum abest vt notabilis aliqua pro parte dicti Francisci reperiatur, quin potius ex depositionibus testium, non tantum ratione nobilitatis D. Barbaræ æqualis Francisco comprobatur, sed etiam facultatibus longè anterior.

Ex quibus fuit pro confirmatione dictarum sententiarum conclusum vna tantum parte informante.

MI-

MILITEN. SEV PORTVGALLEN.
COMMENDAE.

*Veneris 13. Nouembr 1615.*

## ARGVMENTVM.

Inferiores tenentur litteris in forma Breuis à Papa expeditis obedire siuè sint præceptiuæ siue monitoriæ & quando præceptiuæ, vel monitoriæ dicantur.

## *SVMMARIVM.*

1 *Papæ potestas in beneficialibus suprema est.*

2 *Papæ monitionibus perindè ac mandatis inferiores obedire tenentur, & n.10.*

3 *Verba, nolumus & volumus secundum sui propriam significationem sunt merè imperatiua: Et prolata à Principe inducunt formam præcisam.*

4 *Verborum geminatio enixam proferentis voluntatem significant.*

5 *Litteræ monitoriæ post se expectant executorias.*

6 *Verba Principis quando commendatitia, & quando imperatiua dicantur.*

7 *Gratuita non sunt ea ad quæ nos necessitas adstringit.*

8 *Verba posita in dispositiua attendi potius debent quam posita in narratiua.*

9 *Litteræ monitoriæ tunc demum habent vim præcepti quando Papa mandat, aut præcipit.*

11 *Litteræ monitoriæ & si ius in re non quærant sufficiunt tamen ad implorandum officium Iudicis.*

12 *Verba, prout Iuris & æquitatis ratio postulat, quando fuerint adiecta causatiuè & nõ conditionaliter itant non limitent alia verba imperatiua.*

13 *Mandatum Episcopo datum prouidendi pauperem clericum expirat si interim illi Clerico aliud beneficium fuerit collatum.*

## DECISIO CVII.

NON acquiescente Illustriss. & Reuerendiss. D. Magno Magistro Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani decisioni in hac causa coram me factæ die 23. Iunij 1614. in qua Domini concluserant ipsum vigore Breuis monitorij fel. record. Clem. VIII. teneri conferre primam Commendam vacaturam fratri Emanueli de Couros proposui iterum hac die idem dubium quo maturè ab omnibus DD. discusso nõ esse recedendum à decisis censuerunt.

1 Cum enim de suprema † Summi Pontificis potestate, & præcipuè erga inferiores collatores nefas sit dubitare ex tota rescripti Apostolici serie, ponderatis omnibus eius verbis, satis superque constare visum fuit, Papam adstringere voluisse dictum Magnum Magistrum ad conferendũ dictam Commendam dicto fratri Emanueli verba siquidem de sua natura, & in proprio sensu sunt Principis Iubentis inferiori, vel saltem monentis quod sufficit, quia

2 Papæ † monitionibus perinde ac mandatis inferiores obedire tenentur, *Bald in l. si mandator num.2.C.quod cum eo qui. Dec. in rubr.C.mandat.nu.7. Barbat.in cap. mandatum num.5.de rescript.cum alys fusissime adductis in d.decis.*

Considerabant etiam Domini tot verba dicto rescripto Imperatiua contineri,& inter alia (monemus,& requirimus, Ius quæsitum, & antianitatem concedas, & registrari facias,) quæ singula iam ponderata fuerunt in dicta decisione,& præcipuè vim in eo Domini faciebant quod Summus Pontifex vtitur his verbis, volumus,& no-

3 lumus) † quæ verba secundum sui propriã significationem sunt mere imperatiua, *arg. l.si pater §. quidam ff.de fideicom.libert.*

4 & prolata † à Principe inducunt formam præcisam, *Seraph. decis.1474.* qui refert ita alias *coram Reuerendiss. Attrebaten.* à Rota Iudicatum, & patet ad sensum,quia ex stylo Cancellariæ Apostolicæ in omnibus litteris Apostolicis hoc verbum (volumus) ponitur legemque præscribit executoribus.

Nec solum hoc verbo (volumus) semel vtitur, sed etiam illud repetitum legitur, quæ repetitio est maximum enixe Papæ voluntatis argumentum, *arg. l.Balista ff.ad Trebell.Purpurat.cons.558.num.25. Cephal. cons.251.num.77.Dec.cons.44.nu.14.& 15. lib.3. cum multis alys adductis in vna Ciuitatis Castelli bonorum 21.May 1614. coram me.*

Animaduerterunt etiam Domini Papam in eisdem litteris declarauisse, non esse dicto Emanueli denegandam facultatem redeundi ad Sedem Apostolicam pro opportuno Iuris remedio, quatenus Magnus Magister vigore dicti Breuis, ei non prouideat, vnde colligitur litteras esse moni-

5 torias † quæ post se expectant executorias,

*Doct.*

*Doct. in cap. litteris de rescript. latè Federic. de Sen. q. 290. n. 1. 2. & 3.*

Hoc posito non obstant, quæ ab informantibus pro Magno Magistro dicuntur, rescriptum istud non esse monitorium, sed commendatitium vt colligitur ex his ver-
6 bis contentis in narratiua † (nostræ commendationis fauor) vnde inferunt litteras in dubio esse iudicandas commendatitias, quia Pontifex concedens eas tales nominat, tum etiam quia eundem Magnum Magistrum monet vt beneficētiam suam exerceat erga dictum fratrem Emanuelem, quibus verbis non vteretur, si necessariò primam vacaturam eidem conferre vigore dicti Breuis teneretur, cum non sint gra-
7 tuita ea ad quæ nos necessitas adstringit *l. rem legatam & ibi gloss. vers. liberalis existat ff. de adim. leg. cap. Sedes Apostolica & ibi glos. verb. liberalem de rescript. Surd. consil. 112. num. 7.*

Huic obiectioni duobus modis responderunt Domini, & primo hæc verba legi in narratiua dicti rescripti, sed postea in dispositiua adsunt verba illa superius dicta mere imperatiua, ex quibus elicitur clara voluntas Summi Pontificis iubentis, aut
8 saltem monentis, quæ potiùs † attendi debent, quam contenta in narratiua secundū *Bart. in l. Aurelio Sticho ff. de lib. legat. Dec. cons. 98. num. 3. & fuit resolutum* in illa mensæ nummulariæ *coram R. P. D. meo Decano 30. Iulij 1614.*

Nec obstare visum fuit, quod dicitur litteras illas etiam cum verbo (monemus & requirimus ideo non imposuisse legem Magno Magistro, quia non habent vllum annexum mandatum, quia tunc demum
9 monitoriæ habent vim præcepti, quando Papa mandat, aut præcipit, responsum enim fuit non solum præceptorias, sed
10 etiam † monitorias litteras præcisam imponere necessitatem inferiori collatori, & licet illud verbum (mandantes) non sit appositum, adsunt tamen in dicto Breui, verba æquiualentia, de quibus supra, quæ satis superque visa sunt sufficere, adhoc vt litteræ si non præceptoriæ, saltem monito-
11 riales iudicentur, quæ † licet Ius in te non quærant, sufficiunt tamen ad implorandum Iudicis officium *cap. si soli de concess. preben. in 6. Doct. Canonist. in cap. litteris de rescript. & in cap. dilectus, de prebend. & Fusius* fuit firmatum in præcedenti decisione in hac causa facta.

Nec etiam obstat, quod dicitur per ver-
12 ba illa † (prout iuris, & æquitatis ratio postulat) limitari alia verba Imperatiua, placuit enim responsio data in supradicta decisione non enim debent intelligi conditionaliter, sed causatiuè, *arg. text. in cap. Abbate de verb. signif. Bertaz. de clausf. instr. clausf. quinta, gloss. 2. num. 1. vers. & sciendum.*

Nec applicari potest dispositio *cap. si tui & cap. si pauper de preb. in sexto,* vbi si datur mandatum Episcopo prouidendi pauperem Clericum, si interim aliud beneficiū
13 ei collatum fuerit, † non tenetur amplius Episcopus prouidere, hæc enim obiectio tollitur ex lectura Breuis, cum appareat dictum Emanuelem tunc temporis iam Commendam quam vocant Iustitiæ obtinuisse, & petiuisse gratiosam Commendā sibi conferri, non ratione paupertatis, sed meritorum intuitu, & obsequijs per eum redditis suæ Religioni, à qua nullam aliam remunerationem acceperat.

Quæ dicuntur de subreptione Breuis, de eiusdem registratione, ac de prætensa renúnciatione facta per dictum Fratrem Emanuelem Iuris sibi per d. Breue quæsiti sublata fuerunt ex deductis in dicta decisione coram me facta, cuius rationes iterum examinatæ Dominis placuerunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## LVCANA IVRISPATRONATVS.

*Veneris 20. Nouembr. 1615.*

### ARGVMENTVM.

Attentata sunt gesta lite pendente, & de istis quando possit dari etiam contra tertium.

### SVMMARIVM.

1 *Lis quando dicatur sufficienter introducta.*
2 *Collatio beneficij facta pendente lite est nulla & attentata.*
3 *Possessio capta post appellationem est attentata.*
4 *Attentatorum remedium competit contra tertium habentem causam à parte.*
5 *Possessio vacans est sequestranda.*

DE-

## DECISIO CVIII.

POST decisionem in hac causa factam coram me die 12. Iunij 1615. in qua fuit dictum non constare de attentatis, nec esse apponendum sequestrum, ea ratione, quod nullibi constaret saltem in actis de
1 institutione D. Antonij de Christophoris, nec de possessione per eum capta, & multo minus de decreto grauante D. Franciscum, nisi ex certa copia, per ipsius procuratorem in instrumento appellationis inserta, informantes pro d.D. Francisco produxerunt de nouo in actis instrumenta collationis, & possessionis captæ, nec non edicti super dicto concursu ab ipso Ordinario emanati.

Vnde proposito per me dubio, an esset recedendum à decisis DD. affirmatiuè responderunt, cum enim secuta beneficij vacatione facta fuisset à patronis præsentario, Vicarius Lucanus mandauit edicta affigi, cum termino nouem dierum in forma, quo pendente termino Procurator Fiscalis sed pro libertate Ecclesiæ opposuit; & post productionem testium factam pro parte dictorum patronorum, emanauit aliud edictum in forma super præsentatione d. Fran-
1 cisci, ex qua facti serie non potest dici, quin lis fuerit plusquam sufficienter introducta, ad tradita per *Gemin. in cap. auaritia num. 6. vers. tertius de elect. in 6.* Qua li-
2 te stante actus dictæ collationis, & possessionis captæ tanquam gesti lite pendente in spretum Iudicis remanent nulli, & attentati, *cap. 1. & 2. vt lit. pend. in 6. & fuit dictum in vna Lucana beneficij 19. Nouembris 1614. coram R.P.D. meo Remboldo.*

3 Secundò quia cum fuisset pro parte dictorum patronorum appellatum ab edicto facien. concursum non poterat postea Iudex in præiudicium appellationis interpositæ conferre beneficium istud, nec à prouiso poterat legitimè capi possessio, vnde remanent attentata, *cap. non solum de appell. in 6. Seraph. in term. decis. 1403. num. 1. & per tot.*

Non obstat, quod d.D. Antonius tertij personam in hoc iudicio sustineat, & propterea contra eum tanquam tertium non possit dari de attentatis. Respondetur enim
4 quod cum causam habeat ab Ordinario, qui mediante procuratore fiscali erat in lite pro libertate Ecclesiæ, contra illum etiā quod cum tertij persona veniat competit remedium attentatorum, *glos. in cap. non solum in verbo reducendum de appellat. in 6. Afflict. decis. 354. num. 2. in fin. & seqq. Lancell. de attentat. par. 1. cap. 16. nu. 3. & seqq. & fuit dictum in d. Lucana coram R.P.D. meo Remboldo.*

5 Ex quibus visum fuit dictam possessionem tanquam vacantem, vt interim fructus conseruentur, ex consueto huius Tribunalis stylo esse sequestrandam, *But. decis. 414. num. 1. in fin. Seraph. d. decis.* 1403. & fuit sæpissimè decisum.

Et ita vna tantum parte informante.

## FIRMANA PECVNIARIA.

*Veneris 20. Nouembris 1615.*

## ARGVMENTVM.

Mora ob non implementum intra certum tempus potest purgari, & quando purgata dicatur.

## SVMMARIVM.

1 *Ratificatio etiam post tempus præfixum sequuta censetur admissa per emptorem soluentem pretium rei emptæ.*

2 *Instrumentum, quod non exprimit, adimplere quis non tenetur.*

## DECISIO CIX.

POstquam in hac causa sub die prima Iunij proximè præteriti coram me fuit resolutum, mandata A. C. nullitatis vitio minimè subiacere; Dubitaui, an prædicta mandata essent reuocanda ex capite iniustitiæ, & DD. resoluerunt negatiuè, nisi obstet exceptio census, & fideicommissi, de quibus reseruarunt particulariter videndum.

Exceptione siquidem non adimplementi ob non secutam ratificationem fratrum venditoris intra terminum vnius mensis in instrumento præfixum minimè obstare visū fuit, ex quo mora potuit purgari, prout purgata fuit, & admissa purgatio per ipsum Lucium emptorem, dum post ratificatio-
1 nem factam à fratribus sponte soluit scuta 800. per quam solutionem approbauit sine difficultate moræ purgationem, *l. Paulus respon-*

*respondit, ff. rem rat. hab. Crauet. cons. 106. num. 2. & cons. 158. num. 3. Menoch. praes. 54. per tot. lib. 2. Surd. cons. 104. numer. 1. & seqq.*

Non obstat in inuestimento dictorum scutorum 800. non fuisse expressum, quod bona empta essēt specialiter hypotheceata, pro euictione terrarum venditarum, nam satis fuit adimpletum per venditorē dum pretium inuestiuit in bonis stabilibus, ex quo in instrumento fuit solum cōuentum, quod pretium deberet reinuestiri in bonis stabilibus, quae bona semper remaneant, & intelligantur obligata pro defensione, &
2 euictione bonorum, non autem fuit dictum in dictis Instrumentis exprimi debere, quod illa bona essent specialiter obligata, *l. si quis stipulatus sit stychum in princ. l. si ita stipulatus, §. Chrisogonus, ff. de verb. oblig. latè Tiraq. in l. si vnquam, verb. libertis num. 5. C. de reuoc. donat. Surd. cons. 150. num. 32. & seqq.*

Et eadem ratione fuit sublatum obiectum contra quietantiam obtentam à fabrica dum in ea non fuit expressum scuta 200. fabricae soluta fuisse ex pecunijs solutis per emptorem, quia in instrumento hoc non fuit conuentum, sed solum vt soluerentur dicta scuta 200. & reportaretur quietantia, quod fuit adimpletum.

Et ex his Domini vtraque parte informante resoluerunt mandata A.C. non esse reuocanda, nisi obstat exceptio census, & fideicommissi, quod particulariter examinandum reseruarunt.

Et ita &c.

## TOLETANA DECIMARVM.

*Veneris 4. Decembris 1615.*

### ARGVMENTVM.

Remissoria conceditur in prophanis vbi articuli sunt releuantes, immò sufficit releuantia vnius tantum articuli, & quid si remissoria petatur postquam alij testes fuerunt in partibus examinati, & didicita testificata.

### SVMMARIVM.

1 *Layci sunt capaces decimarum si habent immemorabilem cum fama priuilegij.*

2 *Immemorabilis sola in materia capacitatis decimarum sufficit in personis Ecclesiasticis.*

3 *Remissoria in prophanis datur sine fumo si articuli sint releuantes.*

4 *Remissoria quando concedatur postquam alij testes fuerunt in partibus examinati, & eorum didicita testificata.*

5 *Remissoria solet concedi quando articuli de nouo dati magis specificant id, quod fuit alias articulatum.*

6 *Remissoria non ita de facili denegari solet ex sola praesumptione calumniae, quae cessat si detur vnus articulus releuans.*

7 *Sententia licet sit deserta respectu appellationis, & notoria iniustitiae, non tamen dicitur deserta causa nullitatis quae durat per 30. annos.*

## DECISIO CX.

Visum fuit Dominis dandam esse remissoriā hospitali, articulatur enim immemorabilis exemptio à solutione decimarum cum fama priuilegij, quae reddit
1 laycos capaces iuris decimarum, *Abb. Innoc. & alij in cap. cum Apostolica de his quae fiunt à Prael. Rebuff. de decim. quaest. 13. n. 64. fuit dictum in Toletana decimarum de Capilla 8. Febr. 1588. coram Orano, & in Cerrien. decimarum 27. Iunij 1602. coram bon. mem. Penia.* Imò sola immemorabilis in
2 personis Ecclesiasticis sufficeret, *Cresc. decis. 1. de decim.* & fuit dictum in *Valentina decimarum Ven. 21. Iunij 1613. coram* R. P.
3 *D. meo Caualerio.* Ex quo articulus cum sit releuans, & versemur in prophanis, qualis reputatur materia decimarum, *Caput. decis. 99. par. 1.* datur remissoria etiam absque fumo, *Caputaq. decis. 68. par. 3.* & fuit decisum in d. Valentina.

Non obstat fuisse examinatos alios testes in partibus, & didicita testificata quo
4 casu non solet super eisdem concedi remissoria, *l. fraternitatis, & cap. intimauit de testibus, Auth. vt qui semel, C. de probat.* vt fuit decisum in *Conchen. decimarum de Castion. 19 Ianuarij prox. praet.* Nam fuit responsum quod in partibus solum fuit articulatum, hospitale percepisse decimas, de

de quibus agitur, non autem immemorabilis cum suis requisitis prout hodie articulatur, quo casu cum articuli magis specificent id, quod alias fuit simpliciter articulatum, concedi solet remissoria, *Abb. in cap. fraternitatis num. 9. vers. nam qui probauit de testib. & fuit dictum in Pacen. decimarum 12. Iunij prox. præt. coram R. P. D. meo Manzanedo, & prius in Hispalen. primitiarum 28. Nouembris 1612. coram R. P. D. meo Pamphilio*; vbi etiam fuit dictum, quod saltem datur remissoria per viam restitutionis ne Ecclesia culpa defensoris remaneat læsa.

Et eo magis visa fuit remissoria concedenda, quia de nouo articulatur locum de quo agitur non esse infra limites parochiæ Ecclesiæ Cathedralis vnde intrat conclusio, quod dato vno articulo releuanti cessat
6 præsumptio calumniæ ex qua sola non solet ita de facili denegari remissoria, vt fuit sæpissimè decisum.

Non obstat causam esse finitam per lapsum quadriennij, quia causa est commissa non solum super notoria iniustitia, & restitutione in integrum, sed etiam super nullitate; ideo etiamsi respectu appellationis, & notoriæ iniustitiæ esset instantia
7 deserta, tamen respectu nullitatis durat vsque ad 30. annos, *Achil. decis. 15. de rescript. & fuit dictum in Placentina parochialis Malpardita, 1. Decembris 1603. coram bon. mem. Litta.*

Et ita fuit decisum.

## ROMANA ANNVLI.

*Lunæ 16. Nouembris 1615.*

### ARGVMENTVM.

In conflictu probationum circa rei dominium multoties Iudices solent viam mediam tenere diuidendo bona inter collitigantes.

### SVMMARIVM.

1 *Media via eligi debet vbicunque rationes hinc indè vrgent, & militant, & n. 5.*

2 *Iudices supremi Tribunalis quando possint recedere a regulis iuris.*

3 *Emptor præsumitur potius nomine proprio, quam alterius emisse, etiamsi emptio facta fuerit cum aliena pecunia.*

4 *Testis contra producentem plusquam semiplenè probat.*

### DECISIO CXI.

Cvm Sulpitia hæres Magdalenæ non acquiesceret decisioni in hac causa factæ coram bon. mem. Penia die 28. Iunij 1610. in qua Domini ob probationum diuersitatem mediam viam eligentes censuerunt Adamantis annulum sorte obuentum diuidendum esse inter hæredes Magdalenæ, ex cuius mandato, & pecunijs dicebatur emptus bulletinus (vt vulgo dicitur.) & filiam hæredem Cæsaris Bagnarotti, qui eundem bullettinum emerat; proposui iterum dubium vtrum standum esset in decisis, nec ne, quo proposito Domini nullo modo recedendum censuerunt.

Moti sunt ea maximè ratione, quia ex conflictu probationum testium, hinc, & inde examinatorum, contrarijs inter se depositionibus eo res est deducta, vt difficillimum sit pedem figere, cuius probationes
1 debeant præponderare, † quo casu cum istius causæ iudicium dependeat solummodo ex dictorum testium depositionibus, & aliunde veritas elici non possit, non est nouum, vt Iudex mediam viam amplectatur, vnicuique rem controuersam pro medietate adiudicando, quod iudicium non abhorruerunt antiqui I.C. etiam dum ageretur de hæreditate diuidenda, & ex verbis testamenti magna orta fuisset dubietas, *l. si paterfamilias, ff. de hæred. instit.* Laudaturque Tiberij Cæsaris iudicium in persona Parthenij à Pomponio I.C. in *l. Et hoc Tiberius, ff. eod.* Ex quibus concludunt
2 Domini, quando rationes, & probationes sunt indissolubiles, itaut vna non excludat aliam, in hoc conflictu rationum, præcipuè à Iudicibus supremi Tribunalis posse recedi à regulis iuris, *Alex. in l. Titius 54. ff. ad Senat. Trebell. num. 2. & 3.* qui ibidem citat Baldum, *Dec. in cap. 1. de constit. num. 96.*

In hac autem proposita facti specie ex diuersitate propositionum dictorum testiũ, magna, & penè indissolubilis oritur difficultas. Considerarunt enim Domini ex vna parte rationes militantes pro Liuia

Cæsaris filia ponderatas in d. decisione coram bon. mem. Penia, Cæsaris enim iura potiora videbantur, tum maximè quia assistentiam, & præsumptionem iuris pro se
3 habebat, quia potius nomine proprio, quā alterius emisse præsumitur, *l. Titium, & Manium, §. præfertur, vbi Bart. de adminis. tutor.* Quod procedit etiam si emptio facta fuisset à d. Cæsare mediante pecunia alienata, dummodo non constet alteri emere voluisse, *l. 1. & l. fin. C. si quis alt. vel sibi, l. si ea sexta, C. de rei vindic.* Quod multo magis debet dici cum pro Cæsare reperiantur testes deponentes pecunias ex quibus bulletinus emptus fuit non fuisse Magdalenæ nisi pro tertia parte, quæ omnia adminiculantur ex confessione ipsiusmet Magdalenæ, & ex alijs ponderatis in dicta decisione.

Ex altera verò parte dantur depositiones trium testium asserentes pecunias non solum fuisse Magdalenæ, sed etiam Bulletinum emptum à Cæsare genero de ipsius Magdalenæ socrus mandato, ex quibus testibus vnus fuit à d. Liuia Cæsaris filia in-
4 ductus, † & plusquam semiplenè probat contra ipsum inducentem, *l. si quis testibus, & ibi gloss. in verbo excipere, C. de testib. Roman. cons. 104. numer. 6. Crauet. cons. 201. num. 7.*

Considerarunt denique Domini tot tamquam vrgentes exceptiones dari ab vtraque parte contra testium, hinc & inde examinatorum dicta, & personas, vt difficile sit certi aliquid ex eorum depositioni-
5 bus iudicare, vnde tota facti serie inspecta, debilitata fide testium, dum nulla aliunde, quam ex eorum dictis probatio potest elici, visum fuit Dominis recurrendum esse ad supradictum remedium quo etiam vti voluit Salamon in dirimenda duarum mulierum super partu supposito controuersia, quod refertur *in cap. afferte mihi gladium extra de præsumpt.*

Ex quibus ita fuit vtraque parte informante resolutum.

## ROMANA DEPOSITI.

*Mercurij 2. Decembris 1615.*

Argumentum ex Summario.

### SVMMARIVM.

1 *Apocha probat creditum in ea descriptum.*
2 *Cessionarius succedit in ius cedentis.*

### DECISIO CXII.

DOMINI dixerunt constare de interesse D. Amigatii respectu scutorū mille, & portionis Bosio competentis, quæ est scutorum bis mille ex tredecim millibus comprehensis in instrumento societa-
1 tis, nam quoad scuta mille creditum probatur ex apoca à Massentio subscripta, *l. publica, §. fin. ff. depositi, Crauet. cons. 13. num. 15. in fin. Surd. cons. 57. n. 21.*

Quo verò ad decisionem Bosij probatur ex instrumento cessionis factæ D. Amiga-
2 tio per quam cessionem ipse in locum Bosij successit, *l. emptor, & ibi Bald. C. de hæred. vel act. vend. Crott. cons. 83. num. 1. Surd. cons. 22. num. 12. decis. 308. num. 1.* & fuit dictum in *Romana Anterioritatis 23. Iunij 1603. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio.*

An verò dictum interesse sit tale, vt sententia extra Rotam lata sit iniusta, qui est effectus dubij, dū absoluit emptores mercium, qui iuxta formam concessionis non deposuerint partem pretij, sed soluerint alijs creditoribus Massentij, Domini particulariter examinandum reseruarunt.

Et ita decisum.

## SALERNITANA PAROCHIALIS.

*Lunæ 23. Ianuarij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Gesta lite pendente, & post inhibitionem rotalem sunt notoriè attentata, & quando exceptione rei iudicatæ nequeant excusari.

### SVMMARIVM.

1 *Attentata resultant, & propter litem, & propter inhibitionem rotalem.*
2 *Attentata cessant ob rem iudicatam.*

3 De

3 *De re iudicata non potest objici sine actorum transportatione, ex quibus possit constare de iustitia sententiæ, & n.4.*

5 *Rem iudicatam non sufficit allegare, quando quis non possidet nisi per finalem executionem suum habuerit effectum cum alias dicatur lis pendere.*

## DECISIO CXIII.

Domini dixerunt constare de attentatis, ea moti ratione, quia cum fuerit in hac causa resolutum Lunæ 5. Iulij 1615. coram Illustrissimo Cardinali Ludouisio in Ecclesia S. Marci ad rotam adesse duo beneficia distincta, & vtrumque fuisse in possessione percipiendi fructus pro medietate, Rectoresque in tali possessione manutenendos, non poterat postea Thomas non obstante litis pendentia, ac inhibitione Rotali exigere prout exegit omnes fructus, vt ipse articulauit, & deponunt testes per ipsum examinati, absque vitio atten-
1 tatorum, quæ in hoc casu sine difficultate resultant non solum propter litem, sed etiam propter inhibitionem Rotalem, *tot. tit. nil nou. appell. pend. Lancell. de attentat. cap. 20. ampl. 11. num. 4. Acchill. decis. 29. n. 6. de appell. Rot. decis. 785. n. 6. par. 1. & fuit sæpissimè decisum.*

Non obstat exceptio allegata rei iudicatæ in fauorem dicti Thomæ ab eodem
2 D. Cardinali Ludouisio ex cuius capite ipse prætendebat cessare attentata; Domi-
3 nis enim visum fuit non posse objici rem iudicatam cum non fuerint transportata acta, *cap. cupientes vers. cum omnibus actis de elect. lib. 6. Doct. in l. qui ad ciuilia, C. de appell. Gabr. concl. 5. num. vlt. tit. de appell. Cassad. decis. 2. num. 10. eod. tit.* Ex quibus constare potest de iustitia dictæ sententiæ, & quod d. Thomas probauerit omnes fructus aliquando ad suum beneficium spectasse, itaut parti incumberet onus probandi aliquam dismembrationem.

4 Placuit etiam responsio quod quando quis non possidet, non sufficit allegare rem iudicatam nisi per finalem executionem
5 suum habuerit effectum, quia tunc dicitur lis pendere, *Put. decis. 311. lib. 2. Sarnen. de annal. quæst. 44.*

Et ita vtraque &c.

## FOROLIVIEN. BONORVM.

*Lunæ 16. Ianuarij 1617.*

## ARGVMENTVM.

Mixtura inter possessorium, ac diffinitiuam sententiam quando dicatur concurrere, itaut non intret dispositio Ægydianæ.

## SVMMARIVM.

1 *Agydiana non habet locum quando sententia continet qualitatem mixtam inter possessorium, & diffinitiuam sententiam.*

2 *Sententia implicitè pactum resolutiuum canonizans dicitur continere mixturam.*

3 *Sententia secunda expressè reuocans primam propter complicationem efficitur appellabilis, & num. 4.*

5 *Appellatio admittitur in vtraque parte, quãdo altera admittit appellationem, altera non.*

6 *Aegidiana non habet locum quando datur fumus iniustitiæ sententiæ.*

7 *Donatio clausulam constituti habens operatur dominij, & possessionis translationem.*

8 *Possessio ratione vsusfructus cessat per obitum.*

9 *Vsusfructus morte finitur.*

10 *Appellatio datur quando agitur ad possessionem vigore contractus.*

11 *Immissio vt detur debet constare de possessione Testatoris, & n. 12.*

## DECISIO CXIV.

Domini dixerunt non esse locum Aegidianæ, ea ratione moti, quia sententia extra Rotam lata continet qualitatem mixtam inter possessorium, & diffinitiuam sententiam, quo casu regulariter excluditur effectus Aegidianæ, *Contard. in l. vnica num. 45. C. si de mom. possess.*

In hac autem facti specie mixturam ex eo deducebant Domini, primo ex impli-
2 cita canonizatione pacti resolutiui, per quam excluduntur termini Iudicij possessorij, vt de simili pacto ad exclusionem Aegidianæ tenuit *Menoch. in præludijs n. 8. & 9. & fuit à Rota ponderatum in vna Fanen. fideicommissi 2. Decembris 1616. coram R. P. D. meo Manzanedo;* In qua vlterius fuit considerata condemnatio fructuum, & [illegible]

 expen-

In quam sententiam eo lubentius iuerunt Domini, quia considerarunt si sub
7 prætextu Incendij allegati probationes per testes inducerentur, fore, vt indirectè fieret fraus dispositioni Sac. Conc. Tridentini, dum eo colore præsentationes continuæ factæ per testes probarentur, quæ alias legitimè probari debent per scripturas authenticas ex rationibus supradictis.

Ex quibus vtraque parte informante pro denegatione remissoriæ fuit conclusum.

TOLETANA CONFRATERNITATIS.

*Veneris 6. Nouembris 1615.*

ARGVMENTVM.

Clausula, & ad viam iuris reduxit, adiecta in moderatione inhibitionis non potest retardare executionem rei iudicatæ.

*SVMMARIVM.*

1 *Clausula ( ad viam iuris reduxit ) posita in decreto moderationis inhibitionis vigore appellationis non potest retardare executionem rei iudicatæ.*

2 *Inhibitioni vigore appellationis non est amplius locus postquam causa est deserta, & sententia fecit transitum in iudicatum.*

3 *Res iudicata debita executioni debet demandari.*

4 *Inhibitio vbi non est canonica debet moderari.*

5 *Clausula (ad viam iuris reduxit) magis declarat Iudicem à quo posse procedere ad executionem.*

6 *Expressum magis operatur quam tacitum.*

7 *Clausula (ad viam iuris reduxit ) operatur vt per eam sit sublatus omnis effectus prioris inhibitionis.*

8 *Res quæ deuenit ad casum à quo incipere non potuit habetur, ac si non fuisset.*

DECISIO CIII.

1 CVM in decreto moderationis inhibitionis per me in hac causa de ordine signaturæ facto, Notarius adiecisset solitam clausulam his verbis conceptam (& ad viam iuris reduxit) orta fuit discordia in partibus vtrum illa clausula inserta posset retardare exequutionem rei iudicatæ, consului Dominos quibus visum fuit negatiuè respondendum, quia inhibitio vigore commissionis appellationis emanauit, cui non erat amplius locus, post-
2 quam erat deserta, & sententia transiuerat in iudicatum, quo casu nec inhibitio de
3 iure potuit impedire exequutionem rei iudicatæ, certi siquidem Iuris est res iudicatas debitæ executioni demandari debe-
4 re, & inhibitionem, vbi non est canonica debere moderari, *cap. non solum de appellat. in 6. Rot. decis. 4. de exceptio, Lancell. de attent. post inhibit. num. 69.* quod factum fuit à me de ordine Signaturæ, & merito, quia cum Signaturæ visum fuerit adesse rem iudicatam, nullo modo debebat suspendi iudicium iam terminatum.
5 Imo clausula illa ( & ad viam iuris reduxit ) maiorem induxit declarationem, posse Iudicem à quo tuta conscientia procedere ad executionem, tum quia videtur expressio facta eius quod tacitè inest in
6 simplici moderatione expressioque magis operatur, quam tacitum *arg. l. cum filio ff. de vulg. & pupill. Seraph. de iuram. priuil. 89.*
7 *nu. 10.* tum etiam quia ✝ per eam fuit sublatus omnis effectus prioris inhibitionis,
8 perinde est, ac si nunquam fuisset concessa, & ita res deuenit ad casum, à quo incipere non potuit, vt multoties tenuit Rota, & præcipuè *coram Illustriss. Lancellotto in vna Albanen. Beneficiorum* 20. *Ianuarij* 1601. & nuper *in vna Signina Castrorum* 3. *Aprilis* 1615. *coram R.P.D. meo Buratto.*

Et ita decisum vna tantum parte informante.

FAVENTINA EXPENSARVM.

*Mercur. 1. Iulij 1615.*

Argumentum ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Expensarum condemnatio quando adest in sententia lata in gradu appellationis comprehendit omnes expensas sententiarum.*

2 *Limita si in prima instantia pars fuerit absoluta ab expensis.*

3 *Iudex appellationis tenetur ante omnia super nullitate pronunciare.*

4 *In expensis non est condemnandus habens iustam causam litigandi.*

DE-

DECISIO CIV.

NON esse taxandas expensas primæ instantiæ DD. resoluerũt licet enim in sententia lata in gradu appellationis ad
1 sit condemnatio, † quo casu comprehendi omnes expensas sententiarum receptum est *Felin. in cap. significauerunt num. 7. vers. demum de exceptio Luc. Pet. in prax. for. cap. vlt. num. 49. Dec. in cap. sæpè num. 34. de appell. Mars. sing. 684. Rebuff. tom. 3. const. de appell. glos. vnic. art. 9. num. 29.* tamen hoc
2 in casu † cum in prima instantia pars fuerit absoluta ab expensis illæ minimè comprehenduntur vt est *decis. Put. 240. lib. 2. in nou. & fuit resolutum in Perusina Expensarum Veneris 14. Septembris 1607. coram bo. me. Iusto.*

Non esse pariter taxandas expensas secundæ instantiæ dixerunt Domini, quia ante sanatoriam commissionem obtentam stante nullitate examinis testium fratres de Spadis habuerunt iustam causam se opponendi contra dictam sententiam, ideo sicut
3 tenebatur Iudex in primis, & ante omnia super nullitate prununtiare, & pars refundere expensas *Cas. de Graff. dec. 9. num. 8. de*
4 *caus. poss. & propr.* Ita nunc † non visum fuit esse condemnandos dictos Fratres in expensis vsque ad diem sanatoriæ factis, *glos. in l. eum quem temerè ff. de Iudic. Mathesill. singul. 33. Rebuff. tom. 3. constit. tit. de expens. art. 1. glos. vnic. num. 13. & 14.*

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

PLACENTINA CAPPELLANIAE.

*Veneris 6. Nouemb. 1615.*

Argumento non eget.

*SVMMARIVM.*

1 *Restitutio in integrum non datur aduersus sententiam data validitate, & iustitia illius.*
2 *Sententia validitas ex quibus resultet.*
3 *Cappellania non dicitur sacerdotalis quando Cappellanus non tenetur per se ipsum missas celebrare.*
4 *Restitutio in integrum non datur post petitam exceptionem vigore rei iudicatæ.*

DECISIO CV.

VISUM fuit Dominis non constare de causis restitutionis in integrum, & ita sententiam Rotalem esse executio-
1 ni demandandam, † cum enim causa restitutionis sit commissa prout de iure, & constet de validitate & iustitia dictæ sententiæ ex stylo Rotæ non potest dici constare de causis restitutionis, vt fuit sæpè resolutum & in specie *in vna Legionen. professionis 25. Febr. 1615. coram R. P. D. meo Pirouano, & nuper in Romana Pecuniaria 6. Aprilis proxime præteriti coram me.*

In hac autem facti specie satis apparet de validitate dictæ sententiæ Rotalis cum in actis commissio mandata procuræ, citationes & alia de iure requisita reperiantur
2 quæ † pro validitate sententiæ sufficere fuit sæpe à Rota decisum, & nuper in illa *Auenionen. Arresti 12. Septembris 1614. coram me.*

De iustitia etiam satis euidenter constare visum fuit ex decisione, ex qua apparet
3 Cappellaniam † de qua agitur non esse sacerdotalem cum onus missarum possit per alium exerceri, nec in fundatione adsint verba, quæ ostendunt Capellanum per se ipsum ministrare debere, vt in decisione *Romana Capellaniæ 13. Ianuar. 1589. coram bon. mem. Card. Pamphilio, cum alijs adductis per Gonzal. ad reg. glos. 5. num. 74. & fusissimè in dicta decisione in hac causa facta coram R. P. D. meo Buratto 26. Ianuar. proximè præteriti* cuius rationes maturè perpensæ DD. placuerunt.

Consideratum etiam fuit in omnẽ euentum non esse locum retardationi exequutionis rei iudicatæ, quia antequam commissa mihi fuisset causa restitutionis in integrum, iam petita fuerat exequutio dictæ sententiæ Rotalis, quæ transiuerat in rem iudicatam, seruati enim fuerant quatuor termini substantiales ad docendum de appellatione, & factum decretum mandati de immittendo, seu exequutorialium, ex
4 quibus † sequitur non esse locum retardationi exequutionis, ob superuenientiam commissionis restitutionis in integrum, vt ex multis authoritatibus firmauit *Rota in Ferrarien. bonorum Zaualis 16. Iunij 1613. coram R. P. D. meo Pamphilio, & postea in Salernitana Contributionis 12. Maij 1614. coram me & alias sæpe.*

Ex quibus Andrea solum informante, &

Petro

MILITEN. SEU PORTUGALLEN. COMMENDAE.

*Veneris 13. Nouembr 1615.*

ARGUMENTUM.

Inferiores tenentur litteris in forma Breuis à Papa expeditis obedire siuè sint præceptiuæ siue monitoriæ & quando præceptiuæ, vel monitoriæ dicantur.

*SUMMARIUM.*

1 *Papæ potestas in beneficialibus suprema est.*
2 *Papæ monitionibus perindè ac mandatis inferiores obedire tenentur, & n. 10.*
3 *Verba, nolumus & volumus secundum sui propriam significationem sunt merè imperatiua: Et prolata à Principe inducunt formam præcisam.*
4 *Verborum geminatio enixam proferentis voluntatem significant.*
5 *Litteræ monitoriæ post se expectant executorias.*
6 *Verba Principis quando commendatitia, & quando imperatiua dicantur.*
7 *Gratuita non sunt ea ad quæ nos necessitas adstringit.*
8 *Verba posita in dispositiua attendi potius debent quam posita in narratiua.*
9 *Litteræ monitoriæ tunc demum habent vim præcepti quando Papa mandat, aut præcipit.*
11 *Litteræ monitoriæ & si ius in re non quærant sufficiunt tamen ad implorandum officium Iudicis.*
12 *Verba, prout Iuris & æquitatis ratio postulat, quando fuerint adiecta causatiuè & nō conditionaliter itant non limitent alia verba imperatiua.*
13 *Mandatum Episcopo datum prouidendi pauperem clericum expirat si interim illi Clerico aliud beneficium fuerit collatum.*

DECISIO CVII.

NON acquiescente Illustriss. & Reuerendiss. D. Magno Magistro Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani decisioni in hac causa coram me factæ die 23. Iunij 1614. in qua Domini concluserant ipsum vigore Breuis monitorij fel. record. Clem. VIII. teneri conferre primam Commendam vacaturam fratri Emanueli de Couros proposui iterum hac die idem dubium quo maturè ab omnibus DD. discusso nō esse recedendum à decisis censuerunt.

1 Cum enim de suprema † Summi Pontificis potestate, & præcipuè erga inferiores collatores nefas sit dubitare ex tota rescripti Apostolici serie, ponderatis omnibus eius verbis, satis superque constare visum fuit, Papam adstringere voluisse dictum Magnum Magistrum ad conferendū dictam Commendam dicto fratri Emanueli verba siquidem de sua natura, & in proprio sensu sunt Principis Iubentis inferiori, vel saltem monentis quod sufficit, quia
2 Papæ † monitionibus perinde ac mandatis inferiores obedire tenentur, *Bald in l. si mandator num. 2. C. quod cum eo qui. Dec. in rubr. C. mandat. nu. 7. Barbat. in cap. mandatum num. 5. de rescript. cum alys fusissime adductis in d. decis.*

Considerabant etiam Domini tot verba dicto rescripto Imperatiua contineri, & inter alia (monemus, & requirimus, Ius quæsitum, & antianitatem concedas, & registrari facias,) quæ singula iam ponderata fuerunt in dicta decisione, & præcipuè vim in eo Domini faciebant quod Summus Pontifex vtitur his verbis, volumus, & no-
3 lumus) † quæ verba secundum sui propriā significationem sunt mere imperatiua, *arg. l. si pater §. quadam ff. de fideicom. libert.*
4 & prolata † à Principe inducunt formam præcisam, *Seraph. decis. 1474.* qui refert ita alias *coram Reuerendiss. Attrebaten.* à Rota Iudicatum, & patet ad sensum, quia ex stylo Cancellariæ Apostolicæ in omnibus litteris Apostolicis hoc verbum (volumus) ponitur legemque præscribit executoribus.

Nec solum hoc verbo (volumus) semel vtitur, sed etiam illud repetitum legitur, quæ repetitio est maximum enixę Papæ voluntatis argumentum, *arg. l. Balista ff. ad Trebell. Purpurat. cons. 558. num. 25. Cephal. cons. 251. num. 77. Dec. cons. 44. nu. 14. & 15. lib. 3. cum multis alys adductis in vna Ciuitatis Castelli bonorum 21. May 1614. coram me.*

Animaduerterunt etiam Domini Papam in eisdem litteris declarauisse, non esse dicto Emanueli denegandam facultatem redeundi ad Sedem Apostolicam pro opportuno Iuris remedio, quatenus Magnus Magister vigore dicti Breuis, si non prouideat, vnde colligitur litteras esse moni-
5 torias † quæ post se expectant executorias, *Doct.*

*Doct.in cap.litteris de rescript.latè Federic.de Sen.q.290.n.1.2.& 3.*

Hoc posito non obstant, quæ ab informantibus pro Magno Magistro dicuntur, rescriptum istud non esse monitorium, sed commendatitium vt colligitur ex his ver-
6 bis contentis in narratiua † (nostræ commendationis fauor) vnde inferunt litteras in dubio esse iudicandas commendatitias, quia Pontifex concedens eas tales nominat, tum etiam quia eundem Magnum Magistrum monet vt beneficētiam suam exerceat erga dictum fratrem Emanuelem, quibus verbis non vteretur, si necessariò primam vacaturam eidem conferre vigore dicti Breuis teneretur, cum non sint gra-
7 tuita ea ad quæ nos necessitas adstringit *l.rem legatam & ibi gloss.vers.liberalis existat ff.de adim.leg.cap.Sedes Apostolica & ibi glos. verb. liberalem de rescript. Surd. consil. 112. num,7.*

Huic obiectioni duobus modis responderunt Domini, & primo hæc verba legi in narratiua dicti rescripti, sed postea in dispositiua adsunt verba illa superius dicta mere imperatiua, ex quibus elicitur clara voluntas Summi Pontificis iubentis, aut
8 saltem monentis, quæ potiùs † attendi debent, quam contenta in narratiua secundū *Bart.in l. Aurelio Sticho ff. de lib. legat.Dec. cons.v8.num.3.& fuit resolutum* in illa mensæ nummulariȩ *coram R. P. D. meo Decano 30.Iulij 1614.*

Nec obstare visum fuit, quod dicitur litteras illas etiam cum verbo (monemus & requirimus ideo non imposuisse legem Magno Magistro, quia non habent vllum annexum mandatum, quia tunc demum
9 monitoriæ habent vim præcepti, quando Papa mandat, aut præcipit, responsum enim fuit non solum præceptorias, sed
10 etiam † monitorias litteras præcisam imponere necessitatem inferiori collatori, & licet illud verbum (mandantes) non sit appositum, adsunt tamen in dicto Breui, verba æquiualentia, de quibus supra, quæ satis superque visa sunt sufficere, adhoc vt litteræ si non præceptoriæ, saltem monito-
11 riales iudicentur, quæ† licet Ius in re non quærant, sufficiunt tamen ad implorandum Iudicis officium *cap.si soli de concess.preben. in 6. Doct.Canonist.in cap.litteris de rescript. & in cap.dilectus, de prebend. & Fusius* fuit firmatum in præcedenti decisione in hac causa facta.

Nec etiam obstat, quod dicitur per ver-
12 ba illa † (prout iuris, & æquitatis ratio postulat) limitari alia verba Imperatiua, placuit enim responsio data in supradicta decisione non enim debent intelligi conditionaliter, sed causatiuè, *arg.text.in cap. Abbate de verb.signif.Bertaz. de clauf. instr. clauf. quinta, gloss.2. num.1. vers. & sciendum.*

Nec applicari potest dispositio *cap.si cui & cap.si pauper.de prab.in sexto,* vbi si datur mandatum Episcopo prouidendi pauperem Clericum, si interim aliud beneficiū
13 ei collatum fuerit, † non tenetur amplius Episcopus prouidere, hæc enim obiectio tollitur ex lectura Breuis, cum appareat dictum Emanuelem tunc temporis iam Commendam quam vocant Iustitiæ obtinuisse, & petiisse gratiosam Commendā sibi conferri, non ratione paupertatis, sed meritorum intuitu, & obsequijs per eum redditis suæ Religioni, à qua nullam aliam remunerationem acceperat.

Quæ dicuntur de subreptione Breuis, de eiusdem registratione, ac de prætensa renūciatione facta per dictum Fratrem Emanuelem Iuris sibi per d.Breue quæsiti sublata fuerunt ex deductis in dicta decisione coram me facta, cuius rationes iterum examinatæ Dominis placuerunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## LVCANA IVRISPATRONATVS.

*Veneris 20. Nouembr. 1615.*

## ARGVMENTVM.

Attentata sunt gesta lite pendente, & de istis quando possit dari etiam contra tertium.

## *SVMMARIVM.*

1 *Lis quando dicatur sufficienter introducta.*
2 *Collatio beneficij facta pendente lite est nulla & attentata.*
3 *Possessio capta post appellationem est attentata.*
4 *Attentatorum remedium competit contra tertium habentem causam à parte.*
5 *Possessio vacans est sequestranda.*

DE-

## DECISIO CVIII.

POST decisionem in hac causa factam coram me die 12. Iunij 1615. in qua fuit dictum non constare de attentatis, nec esse apponendum sequestrum, ea ratione, quod nullibi constaret saltem in actis de
1 institutione D. Antonij de Christophoris, nec de possessione per eum capta, & multo minus de decreto grauante D. Franciscum, nisi ex certa copia, per ipsius procuratorem in instrumento appellationis inserta, informantes pro d.D. Francisco produxerunt de nouo in actis instrumenta collationis, & possessionis captæ, nec non edicti super dicto concursu ab ipso Ordinario emanati.

Vnde proposito per me dubio, an esset recedendum à decisis DD. affirmatiuè responderunt, cum enim secuta beneficij vacatione facta fuisset à patronis præsentatio, Vicarius Lucanus mandauit edicta affigi, cum termino nouem dierum in forma, quo pendente termino Procurator Fiscalis se pro libertate Ecclesiæ opposuit; & post productionem testium factam pro parte dictorum patronorum, emanauit aliud edictum in forma super præsentatione d. Fran-
1 cisci, ex qua facti serie non potest dici, quin lis fuerit plusquam sufficienter introducta, ad tradita per *Gemin. in cap. auaritia num. 6. vers. tertius de elect. in 6.* Qua li-
2 te stante actus dictæ collationis, & possessionis captæ tanquam gesti lite pendente in spretum Iudicis remanent nulli, & attentati, *cap. 1. & 2. vt lit. pend. in 6. & fuit dictum in vna Lucana beneficij 19. Nouembris 1614. coram R.P.D. meo Remboldo.*

3 Secundò quia cum fuisset pro parte dictorum patronorum appellatum ab edicto facien. concursum non poterat postea Iudex in præiudicium appellationis interpositæ conferre beneficium istud, nec à prouiso poterat legitimè capi possessio, vnde remanent attentata, *cap. non solum de appell. in 6. Seraph. in term. decis. 1403. num. 1. & per tot.*

Non obstat, quod d.D. Antonius tertij personam in hoc iudicio sustineat, & propterea contra eum tanquam tertium non possit dari de attentatis. Respondetur enim
4 quod cum causam habeat ab Ordinario, qui mediante procuratore fiscali erat in lite pro libertate Ecclesiæ, contra illum etiã quod cum tertij persona veniat competit remedium attentatorum, *glos. in cap. non solum in verbo reducendum de appellat. in 6. Afflict. decis. 354. num. 2. in fin. & seqq. Lancell. de attentat. par. 1. cap. 16. nu. 3. & seqq. & fuit dictum in d. Lucana coram R.P.D. meo Remboldo.*

5 Ex quibus visum fuit dictam possessionem tanquam vacantem, vt interim fructus conseruentur, ex consueto huius Tribunalis stylo esse sequestrandam, *But. decis. 414. num. 1. in fin. Seraph. d. decis. 1403.* & fuit sæpissimè decisum.

Et ita vna tantum parte informante.

## FIRMANA PECVNIARIA.

*Veneris 20. Nouembris 1615.*

### ARGVMENTVM.

Mora ob non implementum intra certum tempus potest purgari, & quando purgata dicatur.

### *SVMMARIVM.*

1 *Ratificatio etiam post tempus præfixum sequuta censetur admissa per emptorem soluentem pretium rei emptæ.*

2 *Instrumentum, quod non exprimit, adimplere quis non tenetur.*

## DECISIO CIX.

POstquam in hac causa sub die prima Iunij proximè præteriti coram me fuit resolutum, mandata A. C. nullitatis vitio minimè subiacere; Dubitaui, an prædicta mandata essent reuocanda ex capite iniustitiæ, & DD. resoluerunt negatiuè, nisi obstet exceptio census, & fideicommissi, de quibus reseruarunt particulariter videndum.

Exceptione siquidem non adimplementi ob non secutam ratificationem fratrum venditoris intra terminum vnius mensis in instrumento præfixum minimè obstare visu fuit, ex quo mora potuit purgari, prout purgata fuit, & admissa purgatio per ipsum Lucium emptorem, dum post ratificatio-
1 nem factam à fratribus sponte soluit scuta 800. per quam solutionem approbauit sine difficultate moræ purgationem, *l. Paulus*

*respondit, ff. rem rat. hab. Cravet. cons. 106. num. 2. & cons. 158. num. 3. Menoch. praes. 54. per tot. lib. 2. Surd. cons. 104. numer. 1. & seqq.*

Non obstat in inuestimento dictorum scutorum 800. non fuisse expressum, quod bona empta essēt specialiter hypothecata, pro euictione terrarum venditarum, nam satis fuit adimpletum per venditorē dum pretium inuestiuit in bonis stabilibus, ex quo in instrumento fuit solum cōuentum, quod pretium deberet reinuestiri in bonis stabilibus, quae bona semper remaneant, & intelligantur obligata pro defensione, &
2 euictione bonorum, non autem fuit dictum in dictis Instrumentis exprimi debere, quod illa bona essent specialiter obligata, *l. si quis stipulatus sit stychum in princ. l. si ita stipulatus, §. Chrisogonus, ff. de verb. oblig. late Tiraq. in l. si vnquam, verb. libertis num. 5. C. de reuoc. donat. Surd. cons. 150. num. 32. & seqq.*

Et eadem ratione fuit sublatum obiectum contra quietantiam obtentam à fabrica dum in ea non fuit expressum scuta 200. fabricae soluta fuisse ex pecunijs solutis per emptorem, quia in instrumento hoc non fuit conuentum, sed solum vt soluerentur dicta scuta 200. & reportaretur quietantia, quod fuit adimpletum.

Et ex his Domini vtraque parte informante resoluerunt mandata A. C. non esse reuocanda, nisi obstat exceptio census, & fideicommissi, quod particulariter examinandum reseruarunt.

Et ita &c.

## TOLETANA DECIMARVM.

*Veneris 4. Decembris 1615.*

### ARGVMENTVM.

Remissoria conceditur in prophanis vbi articuli sunt releuantes, immò sufficit releuantia vnius tantum articuli, & quid si remissoria petatur postquam alij testes fuerunt in partibus examinati, & didicita testificata.

### SVMMARIVM.

1 *Layci sunt capaces decimarum si habent immemorabilem cum fama priuilegij.*
2 *Immemorabilis sola in materia capacitatis decimarum sufficit in personis Ecclesiasticis.*
3 *Remissoria in prophanis datur sine fumo si articuli sint releuantes.*
4 *Remissoria quando concedatur postquam alij testes fuerunt in partibus examinati, & eorum didicita testificata.*
5 *Remissoria solet concedi quando articuli de nouo dati magis specificant id, quod fuit alias articulatum.*
6 *Remissoria non ita de facili denegari solet ex sola praesumptione calumniae, quae cessat si detur vnus articulus releuans.*
7 *Sententia licet sit deserta respectu appellationis, & notoriae iniustitiae, non tamen dicitur deserta causa nullitatis quae durat per 30. annos.*

### DECISIO CX.

Visum fuit Dominis dandam esse remissoriā hospitali, articulatur enim immemorabilis exemptio à solutione decimarum cum fama priuilegij, quae reddit
1 laycos capaces iuris decimarum, *Abb. Innoc. & alij in cap. cum Apostolica de his quae fiunt à Prael. Rebuff. de decim. quaest. 13. n. 64. fuit dictum in Toletana decimarum de Capilla 8. Febr. 1588. coram Orano, & in Cerrien. decimarum 27. Iunij 1602. coram bon.*
2 *mem. Penia.* Imò sola immemorabilis in personis Ecclesiasticis sufficeret, *Cresc. decis. 1. de decim.* & fuit dictum in *Valentina decimarum Ven. 21. Iunij 1613. coram* R. P.
3 *D. meo Cavalerio.* Ex quo articulus cum sit releuans, & versemur in prophanis, qualis reputatur materia decimarum, *Caput. decis. 99. par. 1.* datur remissoria etiam absque fumo, *Caputaq. decis. 68. par. 3.* & fuit decisum in d. Valentina.

Non obstat fuisse examinatos alios testes in partibus, & didicita testificata quo
4 casu non solet super eisdem concedi remissoria, *l. fraternitatis, & cap. intimauit de testibus, Auth. vt qui semel, C. de probat.* vt fuit decisum in *Conchen. decimarum de Castion. 19. Ianuarij prox. praet.* Nam fuit responsum quod in partibus solum fuit articulatum, hospitale percepisse decimas,

de

de quibus agitur, non autem immemorabilis cum suis requisitis prout hodie articulatur, quo casu cum articuli magis
5 specificent id, quod alias fuit simpliciter articulatum, concedi solet remissoria, *Abb. in cap. fraternitatis num. 9. vers. nam qui probauit de testib. & fuit dictum in Pacen. decimarum* 12 *Iunij prox. praet. coram* R. P. D. *meo Manzanedo, & prius in Hispalen. primitiarum* 28. *Nouembris* 1612. *coram* R. P. D. *meo Pamphilio*; vbi etiam fuit dictum, quod saltem datur remissoria per viam restitutionis ne Ecclesia culpa defensoris remaneat laesa.

Et eo magis visa fuit remissoria concedenda, quia de nouo articulatur locum de quo agitur non esse infra limites parochiae Ecclesiae Cathedralis vnde intrat conclusio, quod dato vno articulo releuanti cessat
6 praesumptio calumniae ex qua sola non solet ita de facili denegari remissoria, vt fuit saepissimè decisum.

Non obstat causam esse finitam per lapsum quadriennij, quia causa est commissa non solum super notoria iniustitia, & restitutione in integrum, sed etiam super nullitate; ideo etiamsi respectu appellationis, & notoriae iniustitiae esset instantia
7 deserta, tamen respectu nullitatis durat vsque ad 30. annos, *Achil. decis.* 15. *de rescript. & fuit dictum in Placentina parochialis Malpardita*, 1. *Decembris* 1603. *coram bon. mem.* Litta.

Et ita fuit decisum.

## ROMANA ANNVLI.

*Lunae* 16. *Nouembris* 1615.

### ARGVMENTVM.

In conflictu probationum circa rei dominium multoties Iudices solent viam mediam tenere diuidendo bona inter colligitantes.

### SVMMARIVM.

1 *Media via eligi debet vbicunque rationes hinc indè vrgent, & militant, & n.* 5.

2 *Iudices supremi Tribunalis quando possint recedere a regulis iuris.*

3 *Emptor praesumitur potius nomine proprio, quam alterius emisse, etiamsi emptio facta fuerit cum aliena pecunia.*

4 *Testis contra producentem plusquam semiplenè probat.*

## DECISIO CXI.

CVm Sulpitia haeres Magdalenae non acquiesceret decisioni in hac causa factae coram bon. mem. Penia die 28. Iunij 1610. in qua Domini ob probationum diuersitatem mediam viam eligentes censuerunt Adamantis annulum sorte obuentum diuidendum esse inter haeredes Magdalenae, ex cuius mandato, & pecunijs dicebatur emptus bulletinus (vt vulgo dicitur.) & filiam haeredem Caesaris Bagnarotti, qui eundem bullettinum emerat; proposui iterum dubium vtrum standum esset in decisis, nec ne, quo proposito Domini nullo modo recedendum censuerunt.

Moti sunt ea maximè ratione, quia ex conflictu probationum testium, hinc, & inde examinatorum, contrarijs inter se depositionibus eo res est deducta, vt difficillimum sit pedem figere, cuius probationes
1 debeant praeponderare, † quo casu cum istius causae iudicium dependeat solummodo ex dictorum testium depositionibus, & aliunde veritas elici non possit, non est nouum, vt Iudex mediam viam amplectatur, vnicuique rem controuersam pro medietate adiudicando, quod iudicium non abhorruerunt antiqui I.C. etiam dum ageretur de haereditate diuidenda, & ex verbis testamenti magna orta fuisset dubietas, *l. si paterfamilias, ff. de hared. instit.* Laudaturque Tiberij Caesaris iudicium in persona Parthenij à Pomponio I.C. in *l. Et hoc Tiberius, ff. eod.* Ex quibus concludunt
2 Domini, quando rationes, & probationes sunt indissolubiles, itaut vna non excludat aliam, in hoc conflictu rationum, praecipuè à Iudicibus supremi Tribunalis posse recedi à regulis iuris, *Alex. in l. Titius* 54. *ff. ad Senat. Trebell. num.* 2. *&* 3. qui ibidem citat Baldum, *Dec. in cap.* 1. *de constit. num.* 96.

In hac autem proposita facti specie ex diuersitate propositionum dictorum testiũ, magna, & penè indissolubilis oritur difficultas. Considerarunt enim Domini ex vna parte rationes militantes pro Liuia

Cæsaris filia ponderatas in d. decisione coram bon.mem.Penia, Cæsaris enim iura potiora videbantur, tum maximè quia assistentiam, & præsumptionem iuris pro se
3 habebat, quia potius nomine proprio, quā alterius emisse præsumitur, *l. Titium, & Manium*, §. *prafertur, vbi Bart.de administ. tutor.* Quod procedit etiam si emptio facta fuisset à d. Cæsare mediante pecunia alienata, dummodo non conster alteri emere voluisse, *l.* 1. *& l.fin.C. si quis alt. vel sibi*, *l. si ea sexta*, *C. de rei vindic.* Quod multo magis debet dici cum pro Cæsare reperiantur testes deponentes pecunias ex quibus bullettinus emptus fuit non fuisse Magdalenæ nisi pro tertia parte, quæ omnia adminiculantur ex confessione ipsiusmet Magdalenæ, & ex alijs ponderatis in dicta decisione.

Ex altera verò parte dantur depositiones trium testium asserentes pecunias non solum fuisse Magdalenæ, sed etiam Bullettinum emptum à Cæsare genero de ipsius Magdalenæ focrus mandato, ex quibus testibus vnus fuit à d. Liuia Cæsaris filia in-
4 ductus, † & plusquam semiplenè probat contra ipsum inducentem, *l. si quis testibus, & ibi gloss. in verbo excipere, C.de testib.Roman. cons.* 104. *numer.* 6. *Grauet. cons.* 201. *num.* 7.

Considerarunt denique Domini tot tamquam vrgentes exceptiones dari ab vtraque parte contra testium, hinc & inde examinatorum dicta, & personas, vt difficile sit certi aliquid ex eorum depositioni-
5 bus iudicare, vnde tota facti serie inspecta, debilitata fide testium, dum nulla aliunde, quam ex eorum dictis probatio potest elici, visum fuit Dominis recurrendum esse ad supradictum remedium quo etiam vti voluit Salamon in dirimenda duarum mulierum super partu supposito controuersia, quod refertur *in cap. afferte mihi gladium extra de præsumpt.*

Ex quibus ita fuit vtraque parte informante resolutum.



## ROMANA DEPOSITI.

*Mercurij 2. Decembris 1615.*

Argumentum ex Summario.

### SVMMARIVM.

1 *Apocha probat creditum in ea descriptum.*
2 *Cessionarius succedit in ius cedentis.*

## DECISIO CXII.

DOMINI dixerunt constare de interesse D. Amigatii respectu scutorū mille, & portionis Bosio competentis, quæ est scutorum bis mille ex tredecim millibus comprehensis in instrumento societa-
1 tis, nam quoad scuta mille creditum probatur ex apoca à Massentio subscripta, *l. publica*, §. *fin. ff. depositi*, *Grauet. cons.* 13. *num.* 15. *in fin.Surd.cons.* 57. *n.* 21.

Quo verò ad decisionem Bosij probatur ex instrumento cessionis factæ D. Amiga-
2 tio per quam cessionem ipse in locum Bosij successit, *l. emptor, & ibi Bald. C.de hared. vel act.vend.Crott.cons.* 83. *num.* 1. *Surd.cons.* 22. *num.* 12. *decis.* 308. *num.* 1. & fuit dictum in *Romana Anterioritatis* 23. *Iunij* 1603. *coram bon.mem.Cardinali Pamphilio.*

An verò dictum interesse sit tale, vt sententia extra Rotam lata sit iniusta, qui est effectus dubij, dū absoluit emptores mercium, qui iuxta formam concessionis non deposuerint partem pretij, sed soluerint alijs creditoribus Massentij, Domini particulariter examinandum reseruarunt.

Et ita decisum.

## SALERNITANA PAROCHIALIS.

*Luna 23. Ianuarij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Gesta lite pendente, & post inhibitionem rotalem sunt notoriè attentata, & quando exceptione rei iudicatæ nequeant excusari.

### SVMMARIVM.

1 *Attentata resultant, & propter litem, & propter inhibitionem rotalem.*
2 *Attentata cessant ob rem iudicatam.*

3 De

3 *De re indicata non poteſt obijci ſine actorum transportatione, ex quibus poſſit conſtare de iuſtitia ſententiæ, & n.4.*

5 *Rem iudicatam non ſufficit allegare, quando quis non poſſidet niſi per finalem executionem ſuum habuerit effectum cum alias dicatur lis pendere.*

## DECISIO CXIII.

Domini dixerunt conſtare de attentatis, ea moti ratione, quia cum fuerit in hac cauſa reſolutum Lunæ 5. Iulij 1615. coram Illuſtriſſimo Cardinali Ludouiſio in Eccleſia S. Marci ad rotam adeſſe duo beneficia diſtincta, & vtrumque fuiſſe in poſſeſſione percipiendi fructus pro medietate, Rectoreſque in tali poſſeſſione manutenendos, non poterat poſtea Thomas non obſtante litis pendentia, ac inhibitione Rotali exigere prout exegit omnes fructus, vt ipſe articulauit, & deponunt teſtes per ipſum examinati, abſque vitio atten-
1 tatorum, quæ in hoc caſu ſine difficultate reſultant non ſolum propter litem, ſed etiam propter inhibitionem Rotalem, *tot. tit. nil nou. appell. pend. Lancell. de attentat. cap. 20. ampl. 11. num. 4. Acchill. decis. 29. n. 6. de appell. Rot. decis. 785. n. 6. par. 1. & fuit ſæpiſſimè deciſum.*

Non obſtat exceptio allegata rei iudicatæ in fauorem dicti Thomæ ab eodem
2 D. Cardinali Ludouiſio ex cuius capite ipſe prætendebat ceſſare attentata, Domi-
3 nis enim viſum fuit non poſſe obijci rem iudicatam cum non fuerint tranſportata acta, *cap. cupientes verſ. cum omnibus actis de elect. lib. 6. Doct. in l. qui ad ciuilia, C. de appell. Gabr. concl. 5. num. vlt. tit. de appell. Caſſad. decis. 2. num. 10. eod. tit.* Ex quibus conſtare poteſt de iuſtitia dictæ ſententiæ, & quod d. Thomas probauerit omnes fructus aliquando ad ſuum beneficium ſpectaſſe, itaut parti incumberet onus probandi aliquam diſmembrationem.

4 Placuit etiam reſponſio quod quando quis non poſſidet, non ſufficit allegare rem iudicatam niſi per finalem executionem
5 ſuum habuerit effectum, quia tunc dicitur lis pendere, *Put. decis. 311. lib. 2. Sarnen. de annal. quæſt. 44.*

Et ita vtraque &c.

FOROLIVIEN. BONORUM.

*Lunæ 16. Ianuarij 1617.*

## ARGUMENTUM.

Mixtura inter poſſeſſorium, ac diffinitiuam ſententiam quando dicatur concurrere, itaut non intret diſpoſitio Ægydianæ.

## SUMMARIUM.

1 *Agydiana non habet locum quando ſententia continet qualitatem mixtam inter poſſeſſorium, & diffinitiuam ſententiam.*

2 *Sententia implicitè pactum reſolutiuum canonizans dicitur continere mixturam.*

3 *Sententia ſecunda expreſsè reuocans primam propter complicationem efficitur appellabilis, & num. 4.*

5 *Appellatio admittitur in vtraque parte, quãdo altera admittit appellationem, altera non.*

6 *Aegidiana non habet locum quando datur fumus iniuſtitiæ ſententiæ.*

7 *Donatio clauſulam conſtituti habens operatur dominij, & poſſeſſionis translationem.*

8 *Poſſeſſio ratione vſusfructus ceſſat per obitum.*

9 *Vſusfructus morte finitur.*

10 *Appellatio datur quando agitur ad poſſeſſionem vigore contractus.*

11 *Immiſſio vt detur debet conſtare de poſſeſſione Teſtatoris, & n. 12.*

## DECISIO CXIV.

Domini dixerunt non eſſe locum Aegidianæ, ea ratione moti, quia ſententia extra Rotam lata continet qualitatem mixtam inter poſſeſſorium, & diffinitiuam ſententiam, quo caſu regulariter excluditur effectus Aegidianæ, *Contard. in l. vnica num. 45. C. ſi de mom. poſſeſſ.*

In hac autem facti ſpecie mixturam ex eo deducebant Domini, primo ex impli-
2 cita canonizatione pacti reſolutiui, per quam excluduntur termini Iudicij poſſeſſorij, vt de ſimili pacto ad excluſionem Aegidianæ tenuit *Menoch. in præludijs n. 8. & 9. & fuit à Rota ponderatum in vna Fanen. fideicommiſſi 2. Decembris 1616. coram R. P. D. meo Manzanedo*; In qua vlterius fuit conſiderata condemnatio fructuum, &

 expen-

expensarum, quæ in præsenti concurrunt.
Secundo ex renouatione sententiæ Gubernatoris Foroliuij, qui à petitione hæredum Iacobi Franciscum absoluerat, ex
3 qua complicatione resultante ex reuocatione prioris sententiæ regulariter datur appellatio, *Veral.decis.419.incip. Aegidiana secundum Dominos lib.1. in manuscript. Moder.auth.var. resol. lib.2.cap.75.num.17.*
4 Et ita cum causa effecta fuerit appellabilis licita etiam debet esse pro parte Francisci appellatio, *Rot.diuers.decis.132.par.2.* ma-
5 ximè verò quia regulariter pars vna appellabilis trahit ad se non appellabilem, *Rota decis.263.& decis.323.par.1.diuers.Contard. in d.l.n.4. & 5.*
In quam sententiam eo lubentius iuerunt Domini, quia datur magnus fumus
6 iniustitiæ d. sententiæ, ex cuius iniustitiæ capite excluditur effectus Aegidianæ, *Put. decis.4.de Aegid.Menoch.de adipisc. remed.4. num.85.Rot.diuers.decis.19.numer.20.lib.3. Contard. in d.l.vnic.q.4.num.6.* ea ratione, quia aut prætenditur immissio, ex eo, quod prædium possideretur per Iacobum, sed
7 cum ex contractu donationis constet, quod ipse sibi reseruauit vsumfructum, ac etiam apposuit clausulam, *constituti*, ad fauorem Lucretiæ, cui prædium donabat, non potest dubitari quin dominium, & ciuilis possessio translata fuerint in Lucretiam dona-
8 tariam, *l. quod meo, ff. de acquir. possess. leg. quamuis, §.conductor. eod.l.mulier, vbi gloss. Bart.& alij ff.de rei vindic.Handed.cons.42. num.37.Paris.cons.33. num.3.vol.3. Tiraq. de constit.par.3.num.2.limit.11.* & possessio sibi reseruata ratione vsusfructus cessauit per eius obitum, & per consequens non potuit possessio defuncti transire in hæredē vigore statuti Foroliuij, quod non potest habere locum in bonis quæ à defuncto
9 possidebantur ratione vsusfructus, cum morte naturali finiatur, *§.fin. instit.de vsufruct.Castrens.cons.113. circa fin. lib.1.*
Aut verò prætenditur immissio ex resolutione contractus, ex eo quod Franciscus contrauenerit laudo, & vlterius ex resolutione contractus donationis factæ ad fauorem Lucretiæ filiæ propter patris inobseruantiam, & vtroque casu Dominis visum fuit actum fuisse potius actione personali, quàm alio iuris remedio, vel actio-
10 ne reali, & ita non posse dici quod lis versaretur in mero possessorio, itaut admittenda non sit appellatio nam dum agitur ex contractu, prout in casu isto licitum est partibus appellare, *Bald. in l.vnica sub num.6. C.si de mom. possess.& cons.210.n.5. lib.5.Grat.cons.vlt.numer.51.vers. vigesimo tertio, lib.2.Rota decis.356. numer.8.par.1. diuers.*
Non obstat, quod traditio huius prædij facta per Franciscum ad fauorem Iacobi esset conditionalis, ex quo pro pretio æstimando facta reperitur, placuit enim Do-
11 minis responsio, quod aut prædium fuit translatum in Iacobum per dationem ei factam in solutum, & bene superius allegatæ rationes applicantur, aut viro non fuit translatum, quo casu non possunt Foroliuius, & hæredes Iacobi prætendere aliquam immissionem tanquam de bonis
12 dicti Iacobi, cum saltem ad hunc effectum probare teneantur, per ipsum Iacobum dictum prædium, in vita fuisse possessum, *Doctor. communiter in l.fin. C.de edict.Diu. Adr. toll.*
Et ita fuit vtraque parte informante decisum.

## VERONEN. CONTRIBVTIONVM.

*Lunæ 30.Ianuarij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Inhibitio moderanda est si fuerint verificata contenta in clausula, *constito*, sub cuius forma mandatum fuit illam moderari.

### SVMMARIVM.

1 *Clausula*, constito, *verificatur ex lectura commissionis, & ex verificatione substantiæ materiæ super qua Papa se fundauit.*
2. *Parochus, qui inseruit altari non est æquitati consonum, quod non consequatur sibi assignata loco alimentorum.*
3 *Gratia non vitiatur si non sint iustificata narrata quæ non mouerunt Papam ad illam concedendam.*

### DECISIO CXV.

Dominis visum fuit moderandam esse inhibitionem, nec posse impediri Rectorem Pasfani, quo minus augmentum Ecclesiæ suæ filiali factum consequatur ex fructibus communibus Archipresbyteri, & Clericorum, è manibus Massarij fine præiudicio iurium dicti Archipresbyteri, & Clericorum, quos solos insimul decimas, omniaque bona matricis Ecclesię possidebant

fidere non controuertitur, rescripti siquidem præcisa forma est, vt constito de assertis, inhibitio sit moderanda.

1 Quod autem verificetur dicta clausula, *constito*, satis colligi dixerunt Domini ex lectura ipsius commissionis, quæ licet sit satis superque prolixa, tamen substantia super qua Papa se fundauit, & proinde iustificanda est, in eo consistit, quod fuerit assignatum dicto Parocho istud augmentum, de cuius excessu, nec Archipresbyter, nec Clerici vnquam conquesti sunt, sed solum inter ipsos controuersum fuit, quis illud augmenrum, & quomodo dicto Parocho soluererur, qua lite pendente non videtur æquitati consentaneum, vt Paro-
2 chus, qui quinque ab hinc annis altari ministrat, & officio Rectoris fungirur, diutius istud augmentum sibi alimentorum loco assignatum expectare teneatur.

Quod autem narrata remaneãt iustificata, colligitur ex assignatione dotis facta per Ordinarios in ipsius parochialis Ecclesiæ erectione secundum formam institutam à Sacro Concilio Tridentino, constat eriam de augmento per decretum eiusdem Ordinarij, confirmato per Vicarium Veronen. & quod in causa pendenre coram bon. me. Seuarola, non erat contenrio super iniustitia augmenti, sed solummodo quomodo Archipresbyter, & Clerici illud soluere deberent.

Nec obstat, quod aliqua narrara videantur non esse iustificata, & primo dum dicitur Archipresbyterum appellasse à sententia Vicarij Brixien. Hoc enim non est substantiale, nec potest dici mouisse Pa-
3 pam ad concedendam grariam, & ideo non vitiatur rescriptum *cap. super litteris, & ibi omnes Canonistæ de rescript.* Tanto magis, quia cum videret dictus Parochus Archipresbyrerum appellationis causam profequi iustam habuit causam credendi ipsum appellasse.

Neque etiam obstat, quod dicitur secũndo, fuisse falso narratum litem versari solum inter Archipresbyterum, & Clericos, cum apparear Parochum coram Seuarola fuisse citatum, placuir enim responsio fuisse citatum Parochum, vt sentenria inrer Archipresbyterum, & Clericos eum afficeret, & sciret à quo debirum augmentum exigeret, & ideo dici non potest augmentum factum fuisse litigiosum, aut controuersum, quasi iniustum, & excessiuum, & ideo non falso narrauit Parochus narrando litem inter illos tantum pendere, non autem super augmento Ecclesiæ filiali ab Ecclesia matrice debito.

Reliqua quæ dicuntur super bono iure Archipresbyreri, & Clericorum, concernunr merita causæ, quæ pendet coram me indecisa inter eos, nec debent retardare quo minus Parochus augmenrum, & alimenta sibi assignata consequatur.

Ex quibus Domini moderãdam esse inhibirionem sine præiudicio iurium ambarum partium, omnibus informantibus censuerunt.

## BONONIEN. DE MONTERENTIIS.

*Lunæ 23. Ianuarij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Institutus in vsufructu quando alio instituto in proprietate solum post mortem vsufructuarij efficiatur hæres in rotum cum onere restituendi hæreditatem vsufructu finito hæredi scripto per fideicommissum.

### SVMMARIVM.

1 *Vsufructuarius censetur institutus in vsufructu etiamsi alius instituatur in proprietate solum post mortem vsufructuarij maximè concurrentibus coniecturis.*
2 *Legatarius potest propria auctoritate capere legatum, quando in testamento adsunt verba*, iure instirutionis, & omni meliori modo.
3 *Aditio hereditatis non inducitur ex actu, qui potest fieri & iure legati, & iure hereditario.*
4 *Vsufructus est seruitus quæ non cadit in re propria, sed consideratur existere nuda proprietate penès alium.*
5 *Hæres vt cohæredem vniuersalem habere dicatur, sufficit spem adesse, quod quis ex testamento hæreditatem adire quandocumque possit.*
6 *Vsufructus morte expirat.*
7 *Testator relinquens legatum cum clausulis*, iure instirurionis alias omni meliori modo, *non censetur voluisse legatarium hæredem instituere nisi quatenus fuisset necessarium.*

DE-

expensarum, quæ in præsenti concurrunt.

Secundo ex renouatione sententiæ Gubernatoris Foroliuij, qui à petitione hæredum Iacobi Franciscum absoluerat, ex
3 qua complicatione resultante ex reuocatione prioris sententiæ regulariter datur appellatio, *Veral.decis.419. incip. Aegidiana secundum Dominos lib. 1. in manuscript. Moder.auth.var. resol. lib.2.cap.75.num.17.*
4 Et ita cum causa effecta fuerit appellabilis licita etiam debet esse pro parte Francisci appellatio, *Rot.diuers.decis.132.par.2.* ma-
5 ximè verò quia regulariter pars vna appellabilis trahit ad se non appellabilem, *Rota decis.263.& decis.323.par.1.diuers.Contard. in d.l.n.4. & 5.*

In quam sententiam eo lubentius iuerunt Domini, quia datur magnus fumus
6 iniustitiæ d. sententiæ, ex cuius iniustitiæ capite excluditur effectus Aegidianæ, *Put. decis.4.de Aegid.Menoch.de adipisc. remed.4. num.85.Rot.diuers.decis.19.numer.20.lib.3. Contard. in d. l.vnic.q.4.num.6.* ea ratione, quia aut prætenditur immissio, ex eo, quod prædium possideretur per Iacobum, sed
7 cum ex contractu donationis constet, quod ipse sibi reseruauit vsumfructum, ac etiam apposuit clausulam, *constituti*, ad fauorem Lucretiæ, cui prædium donabat, non potest dubitari quin dominium, & ciuilis possessio translata fuerint in Lucretiam dona-
8 tariam, *l. quod meo, ff. de acquir. possess. leg. quamuis, §.conductor. eod. l.mulier, vbi gloss. Bart.& alij ff.de rei vindic.Honded.cons.42. num.37.Paris.cons.33. num.3.vol.3. Tiraq. de constit.par.3.num.2.limit.11.* & possessio sibi reseruata ratione vsusfructus cessauit per eius obitum, & per consequens non potuit possessio defuncti transire in hæredé vigore statuti Foroliuij, quod non potest habere locum in bonis quæ à defuncto
9 possidebantur ratione vsusfructus, cum morte naturali finiatur, *§. fin. instit.de vsufruct.Castrens.cons.113. circa fin. lib.1.*

Aut verò prætenditur immissio ex resolutione contractus, ex eo quod Franciscus contrauenerit laudo, & vlterius ex resolutione contractus donationis factæ ad fauorem Lucretiæ filiæ propter patris inobseruantiam, & vtroque casu Dominis visum fuit actum fuisse potius actione personali, quàm alio iuris remedio, vel actio-
10 ne reali, & ita non posse dici quod lis versaretur in mero possessorio, itaut admittenda non sit appellatio nam dum agitur ex contractu, prout in casu isto licitum est partibus appellare, *Bald. in l.vnica sub num.6. C.si de mom. possess.& cons.210.n.5. lib.5.Grat.cons.vlt.numer.51.vers.vigesimo tertio, lib.2. Rota decis.356. numer.8.par.1. diuers.*

Non obstat, quod traditio huius prædij facta per Franciscum ad fauorem Iacobi esset conditionalis, ex quo pro pretio æstimando facta reperitur, placuit enim Do-
11 minis responsio, quod aut prædium fuit translatum in Iacobum per dationem ei factam in solutum, & bene superius allegatæ rationes applicantur, aut viro non fuit translatum, quo casu non possunt Foroliuius, & hæredes Iacobi prætendere aliquam immissionem tanquam de bonis
12 dicti Iacobi, cum saltem ad hunc effectum probare teneantur, per ipsum Iacobum dictum prædium, in vita fuisse possessum, *Doctor. communiter in l. fin. C.de edict.Diu. Adr. toll.*

Et ita fuit vtraque parte informante decisum.

## VERONEN. CONTRIBVTIONVM.

*Lunæ 30. Ianuarij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Inhibitio moderanda est si fuerint verificata contenta in clausula, *constito*, sub cuius forma mandatum fuit illam moderari.

### SVMMARIVM.

1 *Clausula, constito, verificatur ex lectura commissionis, & ex verificatione substantia materiæ super qua Papa se fundauit.*
2 *Parochus, qui inseruit altari non est æquitati consonum, quod non consequatur sibi assignata loco alimentorum.*
3 *Gratia non vitiatur si non sint iustificata narrata quæ non mouerunt Papam ad illam concedendam.*

### DECISIO CXV.

Dominis visum fuit moderandam esse inhibitionem, nec posse impediri Rectorem Pasani, quo minus augmentum Ecclesiæ suæ filiali factum consequatur ex fructibus communibus Archipresbyteri, & Clericorum, è manibus Massarij sine præiudicio iurium dicti Archipresbyteri, & Clericorum, quos solos insimul decimas, omniaque bona matricis Ecclesiæ possi-

de-

fidere non controuertitur, rescripti siquidem præcisa forma est, vt constito de assertis, inhibitio sit moderanda.

1 Quod autem verificetur dicta clausula, *constito*, satis colligi dixerunt Domini ex lectura ipsius commissionis, quæ licet sit satis superque prolixa, tamen substantia super qua Papa se fundauit, & proinde iustificanda est, in eo consistit, quod fuerit assignatum dicto Parocho istud augmentum, de cuius excessu, nec Archipresbyter, nec Clerici vnquam conquesti sunt, sed solum inter ipsos controuersum fuit, quis illud augmentum, & quomodo dicto Parocho solueretur, qua lite pendente non videtur æquitati consentaneum, vt Paro-
2 chus, qui quinque ab hinc annis altari ministrat, & officio Rectoris fungitur, diutius istud augmentum sibi alimentorum loco assignatum expectare teneatur.

Quod autem narrata remaneāt iustificata, colligitur ex assignatione dotis facta per Ordinarios in ipsius parochialis Ecclesiæ erectione secundum formam institutam à Sacro Concilio Tridentino, constat etiam de augmento per decretum eiusdem Ordinarij, confirmato per Vicarium Veronen. & quod in causa pendente coram bon. me. Seuarola, non erat contentio super iniustitia augmenti, sed solummodo quomodo Archipresbyter, & Clerici illud soluere deberent.

Nec obstat, quod aliqua narrata videantur non esse iustificata, & primo dum dicitur Archipresbyterum appellasse à sententia Vicarij Brixien. Hoc enim non est substantiale, nec potest dici mouisse Pa-
3 pam ad concedendam gratiam, & ideo non vitiatur rescriptum *cap. super litteris, & ibi omnes Canonistæ de rescript.* Tanto magis, quia cum videret dictus Parochus Archipresbyterum appellationis causam prosequi iustam habuit causam credendi ipsum appellasse.

Neque etiam obstat, quod dicitur secundo, fuisse falsò narratum litem versari solum inter Archipresbyterum, & Clericos, cum appareat Parochum coram Seuarola fuisse citatum, placuit enim responsio fuisse citatum Parochum, vt sententia inter Archipresbyterum, & Clericos eum afficeret, & sciret à quo debitum augmentum exigeret, & ideo dici non potest augmentum factum fuisse litigiosum, aut controuersum, quasi iniustum, & excessiuum, & ideo non falsò narrauit Parochus narrando litem inter illos tantum pendere, non autem super augmento Ecclesiæ filiali ab Ecclesia matrice debito.

Reliqua quæ dicuntur super bono iure Archipresbyteri, & Clericorum, concernunt merita causæ, quæ pendet coram me indecisa inter eos, nec debent retardare quo minus Parochus augmentum, & alimenta sibi assignata consequatur.

Ex quibus Domini moderādam esse inhibitionem sine præiudicio iurium ambarum partium, omnibus informantibus censuerunt.

## BONONIEN. DE MONTERENTIIS.

*Lunæ 23. Ianuarij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Institutus in vsufructu quando alio instituto in proprietate solum post mortem vsufructuarij efficiatur hæres in totum cum onere restituendi hæreditatem vsufructu finito hæredi scripto per fideicommissum.

### SVMMARIVM.

1 *Vsufructuarius censetur institutus in vsufructu etiamsi alius instituatur in proprietate solum post mortem vsufructuarij maximè concurrentibus coniecturis.*

2 *Legatarius potest propria auctoritate capere legatum, quando in testamento adsunt verba*, iure institutionis, & omni meliori modo.

3 *Aditio hæreditatis non inducitur ex actu, qui potest fieri & iure legati, & iure hæreditario.*

4 *Vsusfructus est seruitus quæ non cadit in re propria, sed consideratur existere nuda proprietate penès alium.*

5 *Hæres vt cohæredem vniuersalem habere dicatur, sufficit spem adesse, quod quis ex testamento hæreditatem adire quandocumque possit.*

6 *Vsusfructus morte expirat.*

7 *Testator relinquens legatum cum clausulis*, iure institutionis alias omni meliori modo, *non censetur voluisse legatarium hæredem instituere nisi quatenus fuisset necessarium.*

DE-

DECISIO CXVI.

CVM in hac causa die Veneris 20. Martij 1615. visum fuisset Dominis Sebastianum de Monterentijs vti heredem Lucretiæ matris non prohiberi quo minus impugnare possit contractus factos inter Lucretiam, & q. Iulium de Comitibus, quia dicta Lucretia fuerat simpliciter vsufructuaria, & non hæres in proprietate, proposito iterum super ijsdem dubio Domini standum esse in decisis responderunt, ex ijsdemmet fundamentis decisionis coram me in hac causa factæ dicta die 20. Martij.

Licet enim articulus ille iuris in abstracto, an institutus in vsufructu, quando alius instituitur in proprietate solum post mortem vsufructuarij efficitur hæres in totum, cum onere tamen restituendi hæreditatem, per fideicommissum vsufructu finito hæredi scripto, sit satis perplexus, & inter Doctores vtriusque iuris controuersus,
1 tamen opinio illa quod sit tantum vsufructuarius videtur humanior, & vti menti Testatoris magis cōformis approbata fuit sæpius in Rota, & præcipuè in causa *Romana hæreditatis de Vanuinis 17. Febr. coram Reuerendiss. Lugdunen. & in Tridentina bonorum 7. Aprilis eiusdem anni coram Reuerendiss. D. meo Damasceno, & nuper in vna Romana Apothecæ profumariæ dicta die Veneris 20. Martij 1614. coram R. P. D. meo Vbaldo*, vbi multa pro hac opinione adducuntur.

Quidquid tamen dicendum sit de illo iuris articulo in proposita facti specie, & ex lectura totius testamenti, magis vrgere visæ sunt coniecturæ pro Sebastiano adductæ, quàm pro hæredibus dicti Francisci de Comitibus, prout fusius in supradicta decisione coram me facta firmatum fuit.

Et inter alias præcipuè placuit illa quæ deducitur ex obseruantia tanti temporis, cum non sufficiat hæredibus Francisci Lucretiam fuisse hæredem institutam, ad hoc vt teneatur suscipere, & adimplere obligationes Iulij, sed vlterius tenentur probare ipsam adiuisse hæreditatem dicti Iulij, certum siquidem est, quod vsusfructus fuit relictus dictæ Lucretiæ, & sorori, sub titulo legati, quod legatum cum potuerit Lucretia capere propria auctoritate propter
2 illa verba testamenti, (iure institutionis, & omni meliori modo) quæ important facultatem capiendi propria auctoritate absque aditione hæreditatis implorando officium Iudicis iuxta remedium consideratum per *Bald. in l. extraneum C. de hæred. instit.* quem sequuntur relati per *Menoch. præsumpt. 141. num. 44. lib. 4.* Vnde sequitur cum actus acceptationis vsusfructus potue-
3 rit fieri, & iure legati, & iure hæreditario, sicque citra ius, & nomen hæredis, non induci aditionem hæreditatis, *Corn. cons. 269. vol. 4. Grauet. cons. 204. numer. 14. Surd. cons. 164. num. 46.* Nec potest concludi ex eo necessario Lucretiam fuisse hæredem Iulij, si ex obseruantia non colligitur aditio hæreditatis, imo contrarium, cum ipsa potuerit iure legati cōsequi vsumfructum propria auctoritate.

Considerarunt etiam Domini testatorem non simpliciter vsum his verbis, (finito vsufructu) sed vlterius addidisse (& eo cum proprietate consolidato) ex quibus verbis elicitur Testatorem clarè distinxisse vsumfructum à proprietate, consolidatio enim nihil aliud est, quàm readunatio, & coniunctio eiusdem rei apud diuersos, sicque hæc verba non possunt intelligi Lucretiam fuisse proprietariam, quia si hoc esset non posset considerari vsusfructus formalis, & illius retentio, vel consolidatio per obitum Lucretiæ, vsusfructus enim est
4 seruitus, quæ non cadit in re propria, sed consideratur solummodo existente nuda proprietate penes alium, *l. vti frui in princ. ff. de vsufr. l. in re communi, ff. de seruit. vrban. prædior.* quæ distinctio facta à testatore colligitur clarè ex alijs verbis d. testamenti, (& quamuis cogerentur grauauit, & grauatum esse voluit hæredem infra instituendum) ex quibus videtur declarari testatoris intentio, quod scilicet hæres vniuersalis habendus sit d. Franciscus infra nominandus, ita vt sorores supra nominatæ dicendę sunt tantum vsufructuariæ non autem proprietariæ.

Ex quibus patet responsio ad id, quod pro parte hæredum dicti Francisci dicebatur, eum fuisse hæredem institutum finito vsufructu per verba ablatiui absoluti, quæ important conditionem, vltra quod ad ef-
5 fectum, vt quis dicatur habere cohæredem vniuersalem sufficit spem adesse, quod quis ex testamento hæreditatē adire quandocunq; possit, *vt ex multis fuit in hac causa firmatum coram me dicta die 20. Martij, & eadem die in dicta Romana Apotheca coram D. meo Vbaldo.*

Nec obstat coniectura pro parte hæredum

dum dicti Francisci ponderata, quod testator grauauerit vnam sororem alteri resti-
6 tuere vsumfructum, & tamen in simplici vsufructu qui morte expirat nō potest dari talis substitutio, nec grauamen, tollitur enim ex facto, & ex lectura dicti testamenti, quia testator non grauauit aliquam ex sororibus in casu obitus restituere, nec per obitum vnius aliam ei substituit, sed vna deficiente aliam in toto vsufructu instituit, ex quibus verbis patet non fuisse consideratum aliquod grauamen, aut aliquam restitutionem respectu sororis prædefunctæ, & ita cessat hæc coniectura.

Nec etiam obstat, quod dicitur testatorem vsum fuisse verbis directis importan-
7 tibus hæredis institutionem, cum vsumfructum sororibus legauit, qualia sunt (iure institutionis, & alias omni meliori modo) vnde dicendum est eas fuisse hæredes scriptas non vsufructuarias, tollitur enim hæc obiectio ex lectura dicti testamenti, non enim testator dixit iure institutionis relinquo, & postea addidit, iure legati, sed dixit, iure legati, immo nec appositum fuit illud verbum, instituo, nisi in substitutione dicti vsusfructus inter sorores facta, vnde sequitur cum prius testator reliquerit iure legati, alia verba iure institutionis, & similia addita fuisse ad ostendendam enixam testatoris voluntatem circa effectū dicti legati, & ita non ex hoc potest dici testatorem voluisse eas hæredes instituere, nisi quatenus fuisset necessarium, quod persona cui legatum erat relictum esset necessario instituenda, & clausula, *omni meliori modo*, nihil aliud operatur, *Mant. de coniect. lib. 3. tit. 14. num. 11.*

Nec obstat denique coniectura desumpta ex prælegato, non enim concludit Lucretiam fuisse hęredem in proprietate cum fuerit factum, vt d. sorores res prælegatas plenè consequerentur, non enim poterat testator grauare hæredem, qui durāte vsufructu non debebat possessionem accipere sicque necessarium erat, vt vna ex sororibus illud prælegatum caperet de manu altetius.

Reliquæ omnes coniecturæ, & præsumptiones vel sublatæ satis superque fuerunt in supradictis decisionibus, vel in concursu grauiorum satis leues visæ fuerunt Dominis stante maxime tanti temporis obseruantia, in qua vt superius dictum fuit maximum fundamentum fecerunt.

Ex quibus ita vtraque parte informante fuit decisum.

## ROMANA PECVNIARIA DE CAESARINIS.

*Lunæ 13. Februarij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Vsuræ quando non possint prætendi ab extinguente censum cuius fructus alter soluere tenebatur ob non factam interpellationem etiamsi illas prætendat actione negotiorum gestorum non requirente dictam intimationem.

### SVMMARIVM.

1 *Actione negotiorum gestorum, etiam nulla facta interpellatione potest quis repetere vsuras minores à principali quas contraxerat, vt extingueret censum, qui grauiores vsuras pariebat.*

2 *Fideiussor à lege ipsa habet mandatum ad soluendum.*

3 *Principalis censetur is ad cuius manus pecuniæ peruenerunt.*

4 *Fideiussor potest pro extinctione debiti pecunias accipere sub vsuris, vt à fideiussore* liberetur, *etiam sine noua mora, aut interpellatione debitoris principalis si is à maioribus vsuris minore grauamine liberetur.*

5 *Fideiussor extinguens debitum principalis pecunia numerata non potest postea accipere pecunias sub vsuris nisi interueniente interpellatione.*

6 *Ab vsuris liberatus non potest postea grauari nouo debito sub interesse absque interpellatione.*

7 *Fideiussor non est, quando non adest principalis debitor.*

8 *Obligatio prima transfunditur in secundam quando fideiussor capit pecunias ad minorem vsuram durante prima obligatione, secus ea extincta.*

9 *Subrogatio sapit naturam eius in cuius locum subrogatur.*

10 *Cessio actionum per creditorem facta fideiussori post solutionem non valet.*

11 *Pecunia pecuniam non parit.*

12 *Instrumentum facit probationem probatam.*

13 *Simulatio in dubio non præsumitur nisi claris rationibus ostendatur.*

14 *Rei suæ vnusquisque est moderator, ac arbiter.*

DECISIO CXVII.

CVm in hac causa sub die 3. Aprilis 1615. visum fuisset Dominis Excellentissimum D. Ducem Cæsarinum eiusq; fratres potuisse exigere à Serenissimo Electore Coloniæ sortem principalem census scutorum 2. mil. debitorum, & solutorum Glorierijs vna cum fructibus vsq; ad diem extincti census, fructus autem præteritos post dictam extinctionem fuisse indebitè exactos, non acquiescentibus Dominis de Cæsarinis ipsis instantibus proposui dubium quo proposito reque maturè discussa ab omnibus, Dominis standum esse in decisis censuerunt, ex ijsdemmet rationibus fusè deductis in d. decisione.

Quibus non obstare visum fuit quæ pro parte dictorum D. de Cæsarinis adducuntur bon. mem. Ducem Iulianum gessisse negotium in vtilitatem d. Serenissimi Electoris extinguendo cum pecunijs montis Cæsarini debitum censum, qui grauiores vsuras pariebat, & ita posse saltem negotiorum gestorum actione vsuras minores
1 dicti montis repetere etiam non facta interpellatione, *l. si contraria, & ibi gloss. in verb. veniunt, ff. de vsur. l. atqui natura, §. non tantum sortem, ff. de negot. gest. l. si vnus, §. si quod vnus, & ibi gloss. in verb. dedit, ff. pro soc. l. si pupillus, §. item quæritur, l. soluendo, ff. de neg. gest.* Idque tanto ma-
2 gis in fideiussore dicendum est, cum à lege ipsa mandatum habeat ad soluendum, *l. indebitum, ff. de cond. indeb. l. 1. C. de dol.* qualis reperitur in hac obligatione d. Dux Cæsarinus, ex eo, quod pecuniæ peruenerint ad manus d. Serenissimi Electoris, qui
3 propterea principalis existit, *Rip. titul. de vsur. resp. 1. num. 1. cum seqq. Rota diuers. decis. 152. num. 2. & 6. par. 2.* & in hac causa fuit firmatum coram me die 22. Iunij 1615. ex rationibus in d. decisione adductis, & propterea potuit pro extinctione debiti pecunias accipere sub vsuris, vt à d. fideiussione liberaretur, *l. si verò non remunerandi, §. si mihi, l. mandatum, §. fideiussor. ff. mandat. & fuit dictum in illa Romana Cambiorum 27. Decembris 1584. coram Gy-*
4 *ptio*, etiam sine noua mora, aut interpellatione debitoris principalis cum à maioribus vsuris minori grauamine liberetur, *Rot. diuers. 231. num. 1. vers. non obstat, par. 2. & fuit dictum in Bonon. quaderna 22. Aprilis 1615. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto.*

Huic obiectioni duplici modo responderunt Domini, & primo ex instrumento extinctionis census apparere eam fuisse factam in pecunia numerata mediante ordine directo D. Ruspulo mercatori per quã extinctionem D. Iulianus effectus fuit creditor d. Serenissimi Electoris, itaut non potuerit postea accipere pecunias sub vsu-
5 ris, nisi interueniẽte interpellatione, *Castr. in l. 3. ff. de eo, quod cert. loc. Mohed. decis. 2. & 3. de vsur. & fuit dictum in d. Romana coram Gyptio.* Nam contraria procederent, si appareret, quod dictus Dux Iulianus vendidisset loca montium pro extinctione d. census, eo enim casu nunquam d. Serenissimus Elector remansisset liberatus ab vsuris, & fuisset potius transfusio cum minori summa ad quam obligatus esset, sed cum fuerit facta extinctio absque aliqua declaratione de pecunijs D. Iuliani, statim d. Serenissimus remansit liberatus ab vsu-
6 ris, nec potuit postea grauari nouo debito sub interesse absque interpellatione, *l. Titium, & Maeuium, §. præfectus, ff. de administr. tut. Bart. in l. gerit, num. 5. ff. de acquir. hæred. Card. cons. 310. numer. 7. lib. 3.* Sicque extincta fuit prior obligatio, quæ amplius reuiuiscere non potest, nec in aliam transfundi ad hunc effectum, non enim firmatum fuit in d. decisione verè Ducem Iulianum fuisse fideiussorem, sed moti fuerant Domini quadam æquitate suadente, & attenta partium qualitate, vt à rigore iuris recederent, largè sumpto fideiussoris vocabulo propter exorbitantiam statuti, cum ageretur de præscriptione, de materia scilicet odiosa, & restringibili, ex rationibus ibidem adductis, & ita eius obligatio tanquam fideiussoria considerari nõ
7 potest, principali debitore non obligato, *l. generaliter, l. gracè, ff. de fideiuss. vt fusissime fuit deductum in d. decis. sub die 3. Aprilis 1615.* ex multis rationibus quæ rursus examinatæ placuerunt Dominis. Idque tanto magis, quia post extinctionem census, multo minus nec etiam largo modo dici potuit fideiussor ille, qui solus erat creditor d. Serenissimi Electoris sine nouo actu, consensu, & interpellatione, iuxta *not. in l. Modestinus, vbi Bart. ff. de solut.* & optimè declaratur in *d. decis. Romana cambiorum coram Gyptio.*

8 Considerarunt etiam Domini, magnam constitui differentiam cũ capiuntur pecuniæ ad minorem vsuram durante prima obligatione, vel ea iam extincta, in primo enim

enim casu, non extinguitur prima obligatio, sed transfunditur in secundam, quia 9 tamquam subrogata in locum primæ, † debet sapere omnes eius qualitates *ad l. si cum §. qui iniuriarum, ff. si quis caut.* sicuti non 10 valet † cessio actionum per creditorem fideiussori facta post solutionem, quia principale debitum erat extinctum, *Bart. in d. l. Modestinus num. 6. de solut.* secundo casu non transfunditur prima obligatio iam extincta, sed potest agere creditor pro damnis & interesse, quod sine interpellatione nunquam debetur, cum regulariter pecu- 11 nia † pecuniam non pariat, vt dicitur in d. decisione Romana Cambiorum coram Gipsio, nisi probato concludenter interesse secundum requisita *Paul. de Castr. in l. 3. ff. de eo quod cert. loc.*

Nec placuit DD. quod dicitur de stylo mercatorum creandi aliquem creditorem, & debitorem in pecunia licet fuerit satisfactus in locis montium, quia quidquid sit de illa fide, data intensio d. Serenissimi nõ nititur in partitis mercatorum, sed in in- 12 strumento publico, † quod facit probationem probatam, *Bald. in l. interest num. 2. C. solut. Seraph. decis. 1406. num. 1. cum similibus*, ex quo instrumento disertis verbis apparet in tot pecunijs fuisse Glorieros satisfactos.

Prout nec placuit DD. quæ dicuntur de correspectiuitate, ex quo eadem die fuit extinctus census, & vendita loca montium considerarunt enim Domini dictum censum fuisse extinctum inter D. Iulianum, & Glorierium mediante pecunia, emptionem verò locorum montium intercessisse, inter Glorierum, & Rospulum, qui benè potuit ei vendere absque quod interuenerit ali- 13 qua simulatio, † quæ propterea in dubio non est præsumenda, sed claris rationibus ostendi debet, *Bald. cons. 389. vol. 4. Castr. cons. 261. vol. 2. & cons. 688. col. 2. vol. 1. Dec. resp. 23. num. 3. vol. 2.* & eo magis quia potuit Glorierius cum pecunijs, quibus realis extinctio census facta fuit emere loca montium, vel aliud sibi bene visum, cũ 14 vnusquisque rei suæ iustus arbiter, & moderator existimetur, *l. in re mandata, Cod. mandati.*

In quam sententiam eo libentiùs iuerunt DD. quia non summo iure egerunt cum responderunt constare de credito dictorum DD. de Cæsarinis quo ad sortem principalem cẽsus, & fructus, quia ad illius crediti probationem non aderat nisi epistola dicti Ernestis, minùs legitimè recognita, quæ nullam mentionem d. census debiti Glorierijs faciebat, & contra quam præscriptio statutaria obijciebatur, sed potius mitiorem, & benigniorem interpretationem sequentes voluerunt à rigore iuris recedere attentis maximè Magnatũ personis, vt firmatum fuit in multis decisionibus in hac causa factis, noluerunt tamen illud arbitrium extendere ad vsuras prætensas per DD. de Cæsarinis ex rationibus toties deductis.

Ex quibus, & alijs allegatis per informantes standum esse in decisis vtraque parte informante censuerunt.

## PAMPILONEN. BENEFICIORVM. DE TAFFALA.

*Lunæ 23. Martij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Rei iudicatæ executio iam cœpta non potest impediri sub prætextu restitutionis in integrum, nec interesse remoti, & quando dicatur cœpta executio.

### SVMMARIVM.

1 *Restitutio in integrum petita non potest retardare executionem iam captam.*
2 *Vbi executoriales sunt relaxatæ dicitur cœpta executio.*
3 *Clausula conditionalis in commissione apposita non tribuit nisi iurisdictionem limitatam.*
*Et tunc Iudex debet solum cognoscere, an exequutio sit cœpta, & si est cœpta nullam habet iurisdictionem, imò debet suam inhibitionem moderari.*
4 *Inhibitio vigore commissionis conditionalis potest substineri vbi de facili potest constare de assertis; secus vbi impossibile est conditionem iustificari.*
5 *Habens interesse remotum non potest impedire executionem rei iudicatæ, sed debet docere de iure claro & liquido.*

### DECISIO CXVIII.

DOMINI sine vlla difficultate dixerunt moderandã esse inhibitionem, itaut retardari non debeat executio sententiarũ Rotalium tam super prætenso Iurepatronatus, quàm in fauorem Guglielmi, & Martini

tini latarum, ea maximè ratione, quia latę fuerunt seruatis seruandis cum matura cognitione, & præuijs decisionibus coram R. P.D.meo Pirouano in hac causa factis, quæ cum transierint in rem iudicatam ob non interpositam appellationem, & executio
1 cæpta sit restitutio in integrum petita non potest retardare executionem iam cæptam *Castr. in auth. quæ supplicatio num. 3. versic. vel dic melius, C. de precib. Imp. off. Fut. decis. 285. lib. 2. Rota diuers. decis. 346. cum multis fusè allegatis in vna Ferrarien. bonorum 26. Iunij coram R. P. D. meo Pamphilio, & postea in vna Salernitana Contributionis 12. Maij 1614. coram me*, & in terminis sententiæ latæ per contradictas datur decisio *Perusina bonorum 10. Maij 1600. coram Corduba*.

Quod autem executio iam sit cæpta vi-
2 sum fuit non posse in dubium reuocari quia constat executoriales fuisse iam relaxatas, & ità cæpta dicitur executio secundum opinionem quam passim seruat Rota reprobata opinione *Staphil. Lancell. de attent. restit. in integr. pen. 2. par. cap. 18. num. 131.* & multoties fuit decisum vt apparet ex d. Perusina bonorum coram Corduba, in qua similes decisiones allegantur, quæ communis opinio Rotæ videtur sine dubio attendenda cum hodie agatur in Tribunali Rotæ, & dubitetur vtrum sit cæpta executio sententiæ Rotalis.

Secunda ratio Dominorum ea fuit quæ tollit omnem difficultatem, quia hæc causa commissa à Signatura reperitur cum clausula expressa, *dummodo executio non sit cæpta*, quæ clausula conditionalis non
3 tribuit iurisdictionem nisi limitatã, *Achill. decis. 18. num. 2. in fin. de probat. Verall. decis. 156. par. 1.* cum multis potissimè adductis *in decis. Seraph. 1484.* vbi in indiuiduo hic casus deciditur.

Ex quibus cessant omnia quę contra validitatem, & iustitiam Rotalis sententiæ deducuntur, cum id vnum cognoscere possit Iudex, vtrum executio sit cæpta nec ne, & quatenus cæpta reperiatur nullam habet iurisdictionem, debetque suam moderari inhibitionem.

Nec obstat *decisio 22. par. 3. diuers.* quia
4 etsi ibi videatur posse sustineri inhibitionem quando commissio est conditionalis id videtur procedere, quando posset de facili constare de assertis, secus in hoc præsenti casu in quo impossibile est secundum opinionem quam seruat Rota, quod executio non dicatur cæpta post relaxationem executorialium.

Nec etiam obstare visum fuit, quod dicitur de interuentu, & interesse Capituli, ex eo quia Archidiaconus prætendit hoc ius conferendi, Responsum enim fuit causam nunquam fuisse cõmissam à Capitulo pro suo interesse, nec constare in actis de vllo mandato procuræ Capituli, & cum legitimè fuerit citatus Archidiaconus in omnem euentum non posset Capitulum
5 ob interesse tàm remotum impedire executionem rei iudicatæ, sed deberet docere de iure claro, & liquido, *Innoc. & alij DD. in cap. veniens de test. Seraph. decis. 314. nu. 2. & decis. 504. num. 1.* vbi pluries fuisse decisum testatur, & fuit dictum in vna *Conchen. Cappellaniæ 24. Nouembris 1614. coram R. P. D. meo Verospio*.

Reliquæ omnes obiectiones aut fuerunt sublatæ per informantes, aut visæ sunt non esse tanti momenti quæ possint impedire executionem iam cæptam sententiarum Rotalium.

Ex quibus ita fuit vtraque parte informante decisum.

## ROMANA FRVCTVVM CENSVS.

*Veneris 3. Martij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Pactum l. Commissoriæ, seu alias resolutiuum contractus ob non obseruantiam promissorum non habet locum nisi volente eo ad cuius fauorem fuit adiectum: Promittens aliquid facere, impleuisse non dicitur si inualidè, ac nulliter fecit, quod facere tenebatur.

### SVMMARIVM.

1 *Nullum quod est nullum producit effectum.*
2 *Paria sunt actum non facere, vel illud inutiliter facere.*
3 *Verba contractus interpretari debent prout verisimile est partes contrahere voluisse secundum actus naturam.*
4 *Obligatio semel extincta sine nouo consensu reuiuiscere non potest.*
5 *Clausula, non aliter nec alio modo &c. est valdè præcisa.*
6 *Pactum l. commissoria, quibus verbis concipiatur.*
7 *Contractus resolutioni ob pactum legis commissoriæ non est locus nisi ipso venditore volente.*

Lex

8 *Lex aliquid disponens fauore priuatorum tacitam habet conditionem, nisi is de cuius vtilitate agitur, aliud velit.*
9 *Clausula ipso iure, & sine alia declaratione, habet tacitam conditionem volente eo de cuius vtilitate agitur.*
10 *Pactum l. commissoriæ habet locum non solum in contractu emptionis, & venditionis sed etiam in datione in solutum, dummodo non adsit antea constitutio pignoris.*
11 *Pactum l. commissoriæ habet locum etiam in transactione.*
12 *Pactum l. commissoriæ, seu resolutiuum censetur appositum in fauorem amborum contrahentium, quando in contractu dictum fuit, quia partes cum ista conditione, & non aliter contrahere voluerunt, sed ibidem declaratur.*
13 *Verba sunt accipienda secundum subiectam materiam congrua congruis referendo.*
14 *Verba contractus in dubio censentur apposita in fauorem creditoris.*

## DECISIO CXIX.

CVM sub die 19. Nouembris 1614. visum fuisset DD. Excellentissimum D. Ducem Cæsium non teneri soluere fructus census petitos ab Excellentissimo D. Duce Galesij à die extinctionis census debiti, & soluti Genuensibus postea dubio super ijsdem pluries proposito, Domini censuerunt à supradicta decisione recedendum.

Moti fuerunt ea præcipue ratione, quia dictus Dux Cæsius assumpsit in se onus prædicti census, promisitque non solum soluere Genuensibus fructus decursos, & decurrendos vsque ad diem extinctionis census, sed etiam extinguere dictum censum intra biennium, sicque apparet eum fuisse obligatum ad talem extinctionem, qua liberaret D. Ducem Galesij ab omni obligatione, quod cum factum non fuerit ex eo quia disdicta, & depositum fuit declaratum minus legitimè factum, & dictus Dux dictos fructus census fuerit coactus soluere Genuensibus iure eos repetere potest, ab eo qui eum indemnem reddere tenebatur, non obstante deposito nulliter fa-
1 cto, † quod nullum iuris effectum potuit producere, *l.4. §. condemnatum, vbi DD. ff. de re iudic.* paria enim sunt actum non fecisse, & illud inutiliter fuisse factum, *l. non putauit, §. non quauis, vbi Bart. ff. de offic. præsid. l. quoties, ff. qui satisdar. cog. cap. Nicolao de appell.*

Nam vbi partes non considerarunt nudum factum, sed effectum respexerunt, eo
2 casu non sufficit nudum factum, † sed requiritur vt validum sit, & producat effectũ à partibus consideratum, *Bart. in l. quid ego, §. cum autem factum. ff. de his qui infam. not. Rom. conf. 199. num. 2. lib. 3. Surd. cons. 3. lib. 1. num. 12.* æquitas enim suadet, vt ver-
3 ba † posita in dispositione contractus interpretari debeant, prout verisimile est partes contrahere voluisse secundum actus naturam, *l. pater dotem, ff. de pact. dotal. Soccin. cons. 9. num. 28. lib. 1.* Ex quibus necessario colligitur præcisè obligatum fuisse D. Ducem Cæsium ad faciendum depositum legitimum, & sufficiens, ex quo extingui census, & D. Dux Galesij ob obligatione sua liberari posset, aliter ad fructuum census solutionem teneretur.

Nec obstare visum fuit vnicum, & maximum supradictæ decisionis fundamentũ d. Ducem Cæsium promisisse extinguere censum infra duos annos, cum hac tamen conditione, quod si ipse tàm in solutione fructuum, quàm in dicta extinctione infra biennium defecerit, ipso facto d. Instrumentum habeatur pro non facto, & liceat d. Duci Galesij in quolibet casuum prædictorum redire ad primæua iura, ex quibus verbis cum constet de resolutione contractus ipso iure finito biennio, non poterat amplius sine nouo consensu, dicti Ducis
4 Cesij obligatio † semel extincta reuiuiscere, *l. 1. §. conuentionis, ff. de pact. l. consensu, ff. de act. l. qui res, §. aream. ff. de solut.* verba enim sunt resolutiua directè, & non obliquè, *Bald. l. 4. §. 1. ff. de leg. commiss.* pon-
5 deratis verò præcipuè his verbis, † *non alias, nec alio modo*, quæ sunt valdè præcisa, *Gabr. conf. 185. in princ. Surd. cons. 484. num. 87.* & lapso biennio remouebant consensum ab actu, *Ceph. conf. 118. num. 14. Verall. decis. 82. num. 4. par. 3.*

Huic obiectioni responderunt DD. istud pactum non aliquid plus continere quam
6 pactũ legis commissoriæ, quod † hoc modo fieri solet, si ad Calendas proximas pecunia soluta non sit, fundus sit inemptus, *l. 2. l. 3. de leg. commiss.* & tamen resolutioni huius contractus non esse locum respondet I. C. nisi ipso venditore volente, *d. l. 2.*
7 ea ratione, quia cum † lex aliquid constituit in fauorem priuatorum, tacita subest conditio, nisi is de cuius vtilitate agitur
8 aliud velit, *l. 1. §. inde quæritur, ff. de oper. nou. nuntiat. l. si sponsus, §. si quis rogatus,*

*ff. de donat. int. vir. & ux. fusissimè Mant. de tac. & ambig. conu. lib. 4. tit. 19. quasi per tot.*

9 Et licet adsit clausula, † ipso iure, & sine alia declaratione semper intelligi debet ipso volente, de cuius vtilitate agitur, vt ex pluribus iuribus, & authoritatibus firmat *Tiraq. in l. si vnquam, in verb. reuertatur nu. 10. & seqq. C. de reuoc. donat. Mant. loco præcitato.*

Quod autem hæc conuentio fuerit apposita in fauorem solius Ducis Galesij, ex eo collegerunt DD. & primo considerarunt d. Ducem Cæsium tempore facti instrumenti fuisse verum debitorem ex causa dotis, itaut d. Dux Galesij vigore obligationis Cameralis illico eum cogere posset ad soluendas dictas pecunias ratione dotis ipsis debitas: verum facto instrumento biennij dilationem ipsi concessit ad soluendum, quod tunc temporis poterat exigere.

Secundo fuit consideratum soli D. Duci Galesij concessam facultatem redeundi ad primæua iura cum reseruatione anterioris hypothecæ, ad effectum inducendi D. Ducem Cæsium debitorem istius ad extinctionem census, vnde colligitur illud biennij tempus fuisse ad commodum creditoris appositum, aliàs dependeret ab ipsius debitoris voluntate obseruantia contractus quinimò violando ius iurandum, & non satisfaciēdo promissis lucrū captaret quod non est rationi consentaneum, vt considerauit I. C. *in d. l. 2. ff. de leg. commiss.*

Non obstat quod dicitur dictam legem non procedere nisi in contractu emptionis placuit enim responsio dictam legem

10 habere † locum etiam in datione in solutum, qualis est hæc accollatio, dummodo non adsit antea constitutio pignoris, *l. vlt. in princ. ff. de contrah. empt.* quam dicit singularem *Bald. in cap. 1. num. 6. in verf. quare pone quod mutasti mihi decem, de feud. dat. in vicem leg. commiss. Purpurat. cons. 349. num. 5.* qui testatur de communi cum alijs allegatis per *Mantic. de tacit. & ambig. conuent. lib. 4. tit. 29. num. 7.* quam

11 legem habere locum in † transactione colligitur *ex trad. per Cuman. cons. 179. in princ. Cranet. cons. 245. nu. 19. Ias. in l. quamuis in fin. C. de transactionib.* & in omnibus alijs similibus contractibus asserit *Ciriac. in paratil. ff. de leg. commiss.*

Nec etiam obstant illa verba, quia par-

12 tes † cum ista conditione, & non aliter contrahere voluerunt, ex quibus dicitur pactum appositum fuisse in fauorem amborum contrahentium, hæc enim clausula

13 accipienda est secundum † subiectam materiam cōgrua congruis referendo, nec excludit quin pacta quædā nō adaptentur in fauorē vnius, nec attendendū est quomodo verba sint concepta, sed ad cuius fauorem sunt directa, in dubio autem dicendum est

14 verba apposita esse in fauorem creditoris, ne pendeat à debitoris arbitrio soluere debitum, *vt ex Bald. in d. l. 2. declarat Mant. loco præcitato num. 3. Syluan. cons. 102. num. 2* sicque ista resolutio contractus quæ depen det à solo creditore habet implicitam conditionem, si ea vti velit quousque aliam viam elegerit, quam amplius mutare non potest, sed hodie facta declaratione à creditore debet debitor stare contractui.

Inquam sententiam eo lubentius iuerunt DD. quia etiam si vtriusque partis consensus requireretur, & pactum esset in fauorem vtriusque partis appositum adhuc tamen existimarent concurrere actus positiuos vtriusque Ducis elapso biennio, ex quibus necessario colligitur ipsos noluisse à prima obligatione resilire, quin potius eam de nouo ratam habuisse, vnde neuter ipsorū potest amplius pœnitere, post actus resolutionem excludentes *l. 4. §. 4. eleganter, ff. de leg. commiss.* vbi si post præstitutam diem venditor petat vsuras, censetur conuentioni renunciasse, & non est locus pœnitentiæ, *l. commissoriæ, C. de pact. inter empt. & vendit.*

Quod autem vterq; post biennij tempus elapsum non habuerint d. contractum pro resoluto, sed pro valido satis cōstare visum fuit Dominis, & primo quoad Ducem Galesij ipse nomen interposuit ad disdicendum censum, & depositum factum, necnon ipsius procurator, vna cum procuratore d. D. Ducis Cesij reproduxit d. disdictam & depositum, & interuenit in omni actu iudiciali facto contra Genuenses pro extinctione census, quo verò ad D. Cæsium, clarius apparet, ex quo non solummodò isti actus depositi, & disdictæ fuerunt facti nomine ipsius, de ipsius pecunijs, & ipso instante, vt apparet ex actis, & testibus examinatis, sub nomine d. Ducis Galesij, sed etiam longè post biennium præteritum fructus dd. census decursos sciente d. Duce Galesij soluit spōtè dd. Genuensibus quos non debebat, si d. contractum ipso iure resolutum credidisset, ex quibus actis positiuis, & alijs cumulatis in facto, visum fuit neutram partem acceptasse huiusmodi resolutionem.

Pla-

Placuit, & quibusdam Dominis alia responsio, etiam si ipsa conditio ipso iure esset resoluta, non ideò D. Ducem Cæsij esse liberatum à solutione dd. fructuum, ea ratione, quia pacto videtur in instrumento cautum, vt D. Dux Galesij deficiente D. Duce Cæsio in solutione fructuum, & extinctione census possit redire ad primæua iura, & interea fructus census medio tempore d. Dux Cæsius soluere promisit, quod medium tempus intelligi debet intra tempus redeundi ad primæua iura, & tempus extinctæ conuentionis, stante maximè, quia ex depositione testis nouissimè examinati apparet D. Ducem Galesij distulisse redire ad primæua iura, ad supplicationem dicti D. Ducis Cesij, & rem gratam ei facere.

Ex quibus, & alijs fusè per informantes deductis Domini à decisis recesserunt.

## TREVEREN. DECIMARVM.

*Luna 13. Martij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Iura vt sint in forma probanti, quæ requirantur.

### SVMMARIVM.

1 *Transumptum transumpti in iudicio non facit fidem, & num.4.*

2 *Transumpto facto ante motam litem, & seruata forma cap. fin. de fide instrum. tamquam originali in iudicio adhibenda est fides.*

3 *Testibus inductis à parte, qui potius Iudicis quam testis officio funguntur non est adhibenda fides.*

## DECISIO CXX.

DOMINI dixerunt instrumentum donationis productum non esse in forma probanti, ea ratione, quia est transum
1 ptum transumpti, † quod in iudicio fidem non facit, *Doct. in auth. si quis in aliquo, C. de edendo, Alex. cons. 138. num.4. lib.1. Caputaq. decis. 234. num.1. par.1.*

Non obstat quod dicitur huiusmodi sumptum fuisse factum de anno 1571. ante motam litem propter rationabilem causam & seruata forma præscripta *in cap. fin. de*
2 *fi. instrum.* † quo stante tali transumpto tamquam originali in iudicio adhibenda sit fides, *iuxta textum in dicto cap. fin. de fid. instrum.*

Responsum enim fuit non fuisse seruatam formam *dicti cap. fin.* quia non adest legitima recognitio, licet ad hunc effectũ fuerint testes examinati, nec enim deponunt illa iura præseferre speciem antiquitatis, nec vllã reddunt rationem, cur illa iura debeant iudicari authentica, verum solùm dicũt illa esse authentica & fide digna, & omni suspicione carentia, ac in omnibus Tribunalibus tàm sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, illis ratione vetustatis fidem adhiberi; vnde videntur dicti testes potiùs Iudicis quàm testis officio fun-
3 gi, sicque ipsis fides adhibenda non est, licèt peritis, cùm sint inducti à parte, Rota coram Cardinali Pamphilio in vna Romana rescissionis contractus 30. Decembris 1602. vbi multa alleganțur.

Considerarunt etiam Domini transumptum factum de anno 1571. non esse factum ex scriptura authentica, sed ab alio transumpto, quod colligitur ex illis verbis fol.17: d. transumpti, seù voluminis pag.2. & postea donatio Ecclesiæ de Conde, cuius donationis tenor talis est, quæ verba inferunt copiam transumpti, non
4 autem matricem, † sicque sine dubio hoc transumptum bis transumpti fidem facere non potest.

Quoad alia iura extracta vigore compulsorialium Rotalium steterunt in decisis sub die 20. Februarij 1617. Nec obstare existimarunt, quod dicitur deficere legitimam citationem Capituli. Placuit enim responsio fuisse verè & legitimè citatum Capitulum, sed si deinde Procurator vigore mandati specialis expresse declarauit non ampliùs assistere in iudicio frustra citatus fuisset, potuitquè legitimè exequi citatio per affixionem ad valuas stante maximè contumacia Capituli, quod nunquã voluit consentire in iurisdictionem Iudicis compulsorialis.

Ex quibus ita fuit decisum vtraque parte informante.

## GIENNEN. PERMVTATIONIS BENEFICIORVM.

*Luna 13. Martij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Remissoria contra factum proprium, & cum calum-

calumnia non datur. Ad permutationem Ecclesiarum quæ sint necessaria.

S V M M A R I V M.

1 *Articuli tendentes ad probandum contrariū eius quod fuit in partibus probatum non sunt admittendi.*

2 *Remissoria solet denegari propter præsumptionem calumniæ.*

3 *Remissoria denegatur quando articuli sunt irreleuantes.*

4 *Permutatio beneficij non publicata non respicit nullitatem permutationis, sed nouam vacationem.*

5 *In permutatione beneficiorum attenditur sola vtilitas Ecclesiarum.*

DECISIO CXXI.

FERDINANDVS de Pedrosa cum esset Prior parochialis Ecclesiæ loci Marmolaio, porrexit preces per epistolam ac per Procuratorem Ordinario Giennen. vt vellet admittere permutationem dictæ Ecclesiæ cum Ecclesia Parochiali S. Saluatoris in Ciuitate de Baeza, cuius erat Parochus Blasius Turel, pro cuius petitionis iustificatione examinari curauit quatuor testes, ex quorum depositionibus constat Ferdinandum tan quam prouectæ ætatis senem, & aduersa valetudine laborantem nō potuisse suo muneri satisfecisse cum dicta parochialis de Marmoleio esset admodum numerosa, nec ibi adessent presbyteri, qui eum in cura huiusmodi exercenda coadiuuare possent, in Parochiali verò Ecclesia S. Saluatoris minorem adesse Parochianorum numerum, ibique Ferdinandum cum melioris valetudinis statu permansurum, propter natiuam & salubriorem aeris constitutionem, cum ipse esset ex illa Ciuitate oriundus, & ibi plures adessent Sacerdotes, qui sibi in diuinis ministrandis adiumento forent, & cum esset diuitijs & facultatibus præditus, potuisset Ecclesiæ, ac pauperum Parochianorum necessitatibus melius subuenire, Blasium verò iuuenem, & prospera valetudine corporis frui, ex quibus causis optimè, & concludenter probatis, admissa per Ordinarium permutatione quietè, & pacificè capta fuit per eosdem possessio cuiuslibet Ecclesiæ permutatæ.

Verum postea Ferdinandus mutata animi voluntate mouit Iudicium coram Ordinario Giennensi super rescissione dictæ permutationis, in quo Iudicio sententiam contra se reportauit, quæ per Iudicem appellationis fuit confirmata, & causa in tertia instantia mihi commissa fuit pro parte dicti Ferdinandi petitum admitti articulos ad probandam nullitatem dictæ permutationis, vnde dubitaui, an esset concedenda remissoria adhunc effectum, quo dubio per me proposito Domini vnanimiter de-
1 negandam esse censuerunt nam † cum sex primi articuli tendant ad probandum totum contrarium eius quod fuit in partibus ab ipsomet Ferdinando expositum, & probatum, minimè veniunt admittendi per *tex. expressum in Clem. 2. & ibi gloss. in ver. directo contrarijs de testib. Oldrad. cons. 320. num. 2. vers. præterea Seraph. decis. 1364. n. 5.* in qua fuit dictum ex hoc solo vehementè oriri præsumptionem calumniæ propter
2 quam Rota solet remissoriam denegare, vt fuit decisum *coram eodem Seraphin 1460. num. 1. & in vna Corduben. redecimarum 27. Martij 1607. coram R.P.D. meo Decano in Vlixbonen. Iuris conferendi Mercurij 7. Febr. 1607. coram Illustriss. Lancellotto & in Hispalen. matrimonij de Alcala 5. Iunij 1609. coram Illustriss. Ludouisio.*

Quod autem articuli sint directo contrarij, patet ex lectura articulorum, & dictis testium, nec enim aliter fieri potest, vt dictus Ferdinandus probet hanc permutationem factam in preiudicium vtriusque Ecclesiæ, cum exposuerit, & satis superque probauerit coram Ordinario illam tendere in vtilitatem dictarum parochiarum.

Quo verò ad alios articulos Dominis
3 visum fuit eos esse Irreleuantes † & propterea denegandam esse remissoriam, *l. ad probationem C. de probat. Caputaq. decis. 66. par. 3. Seraph. decis. 1364. n. 2.* & fuit sæpissimè decisum.

Articulus enim septimus in quo continetur Blasium non publicauisse dictam permutationem, ex eo fuit visus irreleuās,
4 cum non respiciat nullitatem permutationis, sed nouam vacationem ob non ipsius publicationem.

Articulus octauus circa Indultum Clementis VII. super Iure conferendi Parochiales non respicit inualiditatem permutationis sed nullitatem collationis factæ Blasio.

Nec etiam releuat articulus nonus quo prætenditur probari Ecclesiam de Marmoleio esse maioris redditus, cum in hac permu-

mutatione attendatur sola vtilitas Ecclesiarum; vt scilicet persona sit vtilior Ecclesiæ permutatæ per *tex. in cap. quæsitum de rer. permut. Calder. cons. 6. vers. satis enim. eod. tit. Prob. ad Monachum. in c. si titulo n. 22. de renunt. Dec. con. 209. n. 5.*

In quam sententiam eo libentiùs iuerũt Domini, quia si id probaretur validior po-
5 tius ✝ redderetur ipsa permutatio, nam ex eo quod Ferdinandus vri facultatibus & diuirijs Blasio anterior poterit melius Ecclesiæ S. Saluatoris, ac pauperibus parochianis subuenire, ita etiam Blasius opibus inferior cum maiori Ecclesiæ de Marmolæio reditu poterit etiam Ecclesiæ satisfacere ac pauperum parochianorum necessitatibus commodius subuenire.

Ex his Domini vtraque parte informante non esse concedendam remissoriam censuerunt.

## PAMPILONEN. BENEFICIORVM DE TAFFALLA.

*Veneris 7. Aprilis 1617.*

### ARGVMENTVM.

Clausula dummodo, quam iurisdictionẽ præseferat & de clem. Auditor de rescriptis.

### SVMMARIVM.

1 *Clausula dummodo apposita in commissione non dat nisi iurisdictionem limitatam.*
2 *Clausula dummodo apposita in prima commissione censetur repetita in secunda.*
3 *Executio iuxta stylum Rotæ, & Signaturæ dicitur cepta per relaxationem executorialium.*
4 *Causa quando est deuoluta ad Rotam non est opus nouo processu.*
5 *Clementina Auditor de rescript. extenditur ad ea quæ non sunt commissa dummodo sint dependentia & ab eodem fonte proueniant.*
6 *Clementina Auditor habet locum vbicumque subest euidens ratio euitandi circuitum.*

### DECISIO CXXII.

HAC die consului Dominos vtrum moderanda esset inhibitio iuxta decisionem in hac causa coram me factam, & Domini examinatis rationibus hinc inde deductis censuerunt locum esse expeditioni causæ, mihique ordinarunt vt moderarer inhibitionem nulla habita ratione vltimæ commissionis coram me præsentatæ, ea maximè ratione, quia cum in prima commissione vigore cuius fuit inhibitum
1 apposita esset clausula, ✝ dummodo executio non sit cepta, quæ non dabat iurisdictionem nisi limitaram, vt ex pluribus fuit
2 decisum eadem ✝ clausula censetur repetita in vltima commissione eidem Auditori porrecta, *Rota decis. 321. numer. 1. par. 1. diuers. Marth. de clausulis part. secunda claus. vndecima.*

Quæ clausula fuit iure meritoque per Signaturam adiecta, quia iam per relaxa-
3 tionem executorialium ✝ cepta fuerat executio iuxta opinionem quam semper Rota seruat, & quam vbi agitur de sententijs Rotalibus etiam à Signatura seruari tradit *Marcb. lib. 1. cap. 2. fol. 398. n. 19.*

Quoad interesse Capituli hæc obiectio tollitur ex deductis in d. decisione.

Quod ad nullitates benè tolluntur per informantes, & præcipuè ea quæ deducitur ex eo, quia de nouo nõ fuit citata pars pro executione litterarum Apostolicarum
4 causa ✝ enim legitimè deuolura ad Rotam non opus erat nouo processu Clem. Audi-
5 tor de rescriptis, quæ ✝ etiam extenditur ad ea quæ non sunt commissa dummodo sint dependentia & ab eodem fonte promanent vbicumque subest euidens ratio circuitus prout in hoc casu vt in specie
6 fuit decisum *coram R.P.D. meo Pirouano in vna Tuden. parochialis 27. Iunij 1614.* & in omnem euentum nulla suberat iurisdictio ex deductis in dicta decisione.

Et ita conclusum vtraque parte informante.

## MELEVITANA IVRISPATRONATVS.

*Veneris 14. Aprilis 1617.*

### ARGVMENTVM.

Habens ius sepulchri & sedendi in Cappella non potest impedire constitutionem iurispatronatus in eadem Cappella cum ista inter se sint contradistincta nec præiudiciũ alteri inferatur.

### SVMMARIVM.

1 *Actio nascitur ex obligatione.*
2 *Contradictorem legitimum nisi quis se esse docuerit non potest se opponere actui.*

3 *Iurispatronatus concessionem non possunt laici impedire. & n.8.*

4 *Iuspatronatus & sepultura sunt res diuersæ.*

5 *Clausula sine praeiudicio operatur vt quatenus inferretur praeiudicium perinde sit ac si actus non esset factus.*

6 *Sepulchri ius habenti non competit aliud ius nisi vt locus sepulchro familiæ destinatus non attingatur.*

7 *Ecclesiæ iura tueri, eamque à seruitute vendicare vnusquisque potest declara, num. seqq.*

9 *Appellatio eius qui nullum in causa habet interesse non substinetur.*

## DECISIO CXXIII.

COMMENDATOR Molina obtinuit à Capitulo Prouinciali Fratrum Minorum S.Francisci reseruationem Iurispatronatus Cappellaniæ maioris Ecclesiæ Monasterij dicti Ordinis Ciuitatis de Velez facta prius dotatione, & alijs adimpletis per ipsum Molinam promissis cum pacto expresso, vt dictus Molina cum his, qui Ius sepulchri, & sedendi prius in dicta Cappella habebant inire concordiam teneretur. vel consentire vt idem Ius in dicta Cappella retinerent, verum quia huic concessioni se opposuit Cosmus, & alij habentes in dicta Cappella Ius sepulchri, & sedendi, dictus Molina obtinuit litteras à Ministro generali pro executione dictę cōcessionis, quarum vigore Commissarius generalis, cui litteræ directæ fuerant cum consensu Fratrum dicti Conuentus Procuratorem Molinæ in possessionem d. Cappellæ immisit, à cuius possessionis traditione appellarunt dictus Cosmus, & alij, & causa per appellationem commissa fuit in partibus, lata sententia qua Iudex mandauit litteras Ministri generalis esse exequendas, & in gradu nouæ appellationis coram me causa commissa dubitaui, An sententia esset confirmanda, vel infirmanda & Domini dixerunt Cosmum & litis consortes non posse impedire executionē dictarum litterarum Ministri generalis dūmodo non impediantur in ipsorum possessione, & iure sepulturæ & sedendi.

Moti sunt Domini hac præcipuè ratio-
1 ne, quia indubitati Iuris est † ipsos sine obligatione ex qua nascitur actio non esse audiendos, *l.licet §.ea obligatio ff. de procu-*
2 *rat.* † nec se possunt opponere actui, nisi se esse legitimos contradictores, & de interesse quod habere possunt docuerint, cū
3 ipsi † sint laici & non possint legitimè impedire concessionem Iurispatronatus, *cap. a nobis de Iurepatr. fuit dictum in vna Calaguritanā Iurispatronatus de Victoria 4. Februarij 1614. coram R.P.D. meo Caualerio,*
4 multum † enim sunt diuersa Iuspatronatus & sepulturæ, & de vno ad aliud non infertur, *Rocch. de Iur. patr. in verb. Ecclesia, num.13. Lambert.eod.tract.p.1.lib.1. qu.11. art.13.n.1.& seq.*

De ipsorum præiudicio tantum abest, vt constet quin imò apparet ex concessione facta Molinæ expressè ipsorum Ius esse reseruatum virtute clausulæ sine præiudi-
5 cio † quæ operatur, vt quatenus ipsis inferretur præiudicium, perinde esset, ac si actus non esset factus *l.si testamento §. 1.ff. de manum. testam. Put.decis.193.nu.23 lib.1. & 31.lib.2.& fuit sæpe decisum.*

Nec dici potest ex illo Iure sepulchri, & sedendi inferri posse ad Ius prohibendi, ne alteri simile Ius cōcedatur, in Cap-
6 pella, aut Ecclesia † nullum enim aliud Ius dicto Cosmo competere potest, nisi vt locus sepulchro familiæ destinatus nō attingatur, vt ex multis fuit decisum in vna Calaguritana de Amurio 12. Nouemb. 1603. *coram Illustriss. Ludouisio.*

Nec etiam obstat, quod dicitur non expressè legi in dicta sententia reseruationē interesse Cosmi, & litis consortium, dum enim Iudex mandauit executioni dictas litteras Generalis demandari, in quibus inserta fuerat sub conditione hæc reseruatio, necessario dicendum est Iudicem præiudicium dicti Cosmi reseruasse.

Nec denique vrget quod prætenditur
7 vnumquemque † Iura Ecclesiæ tueri, eamque à seruitute vindicare posse, *Paris.cons. 32.num.25.lib.4.cum allegatis,* quia quidquid sit in clericis eiusdem Ecclesiæ, laici tamen ad hunc effectum regulariter non admittuntur, cum nullum penitus interesse, nec principaliter aut per consequens
8 habere possint, & † merito dicti laici per sententiam Iudicis repulsam passi sunt, cū non essent legitimi contradictores, *Iaf. in l. vbi pactum num.11.& 19. C. de transact.*
9 nec † substinetur appellatio eius, qui nullum in causa habet interesse, cū ipsi alias grauamen notabile inferri non possit *Seraphin.decis.356.n.4.cum allegatis.*

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

RO-

ROMANA PECVNIARIA DE COLVMNA.

*Veneris 21. Aprilis 1617.*

ARGVMENTVM.

Mandatum Rotale quando nullitatibus non inficiatur nec iniustitia labefactetur.

*SVMMARIVM.*

1 *Mandati procuratoris scientia & ratificatio præsumitur ex impensis factis ab eo in lite.*

2 *Procurator numquid possit consentire ut credatur copiæ alicuius scripturæ originalis nō productæ, ubi etiam an possit consentire libro priuato.*

3 *Iuramentum calumniæ stante protestatione partis est omnino præstandum quod limita ex generali consuetudine, ex non repetita protestatione in quolibet actu, nec non ex bono iure agentis, ut num. 4. 5. & 6.*

7 *Hæres alterius quis non præsumitur nisi probetur.*

8 *Minoris aditio hæreditatis sine solemnitatibus non valet.*

9 *Nullitas actus debet verificari ex præcedentibus & non subsequentibus.*

10 *Facta ad maiorem cautelam nocere non debent.*

11 *Dictio forsan non habet vim approbationis.*

12 *Nullitas defectu mandati respectu vnius alteri non nocet, & num. 14.*

13 *Decisiones in Maceraten. hæreditatis 10. Decembris 1604. & 1. Iulij 1605. coram Iusto & 13. May 1608. declarantur.*

15 *Iudex potest mandatum relaxatum moderari quando ex moderatione non oritur præiudicium partis.*

16 *Cessio alicuius rei facta cum omnibus oneribus censetur facta cum onere soluendi fructus.*

17 *Obseruantia subsequuta est vera interpretatio præcedentis tractatus.*

18 *Hæres non potest impugnare assertionem testatoris & minus hæres hæredis.*

19 *Solutio censetur facta ex causa præcedentis obligationis.*

20 *Obligatio Cameralis trahitur ad bona præsentia & futura.*

21 *Exceptiones turbidæ non sunt apta retardare executionem oblig. Camer.*

DECISIO CXXIV.

CONTRA mandatum Rotalem opponebantur plures exceptiones tam nullitatis, quam iniustitiæ, quibus non obstantibus DD. illud confirmandum esse censuerunt.

Prima nullitas ex defectu mandati illius qui fuit citatus ad dicendum contra commissionem, & qui citationem nomine D. Principissæ reproduxit, verum hæc nullitas visa fuit satis sublata ex actibus postea gestis in prosequutione litis tam acriter in Rota agitatæ ante relaxationem mandati cum solitis expensis notabilis quantitatis, ex quibus fuit inducta scientia præsumpta & ratificatio D. Ducis ac D. Principissæ ita
1 vt de † insufficienti mandato hodie dici non possit *l. vlt. C. de alim. pupill. præstand. fusè post Bart. & Bald. Tiraquel. de præscript. glos. 4. num. 59.* & in hac specie respondit, *Rota coram Seraph. decis. 720. paulo ante numerum primum vers. nec releuat.*

Secunda verò nullitas deducebatur ex eo, quod mandatum fuit relaxatum in vim simplicis copiæ, cui dicebatur non potuis-
2 se consentire † eumdem Procuratorem D. Ducis sine speciali mandato ex decisione *in Romana pecuniaria 9. Decembris coram Illustriss. Ludouisio*, sed Domini iudicarunt dictum consensum sufficientem cum agatur de modico præiudicio dum de facili possit recurri ad originale, & in Curia hoc passim fiat ad euitandas expensas, maximè quia agitur solum ad substinendum Iudicium sine præiudicio partis, secus verò cū originale non reperitur, & prætenderetur pro parte D. Principissę standum esse dictę copiæ ex solo consensu dicti Procuratoris, prout in casu dictæ decisionis coram D. Card. Ludouisio, in qua agebatur de consensu Procuratoris declarantis velle stare partitis cuiusdam libri priuati qui de iure non probat proscribente.

Tertia nullitas ex defectu iuramenti calumniæ non præstiti per D. Principissam,
3 quod † erat omnino præstandum stante partis protestatione, *Vestr. in prax. lib. 5. cap. 2. numer. 15. Rota decis. prima in addit. in fin. de iuram. calumn. in nou.* Ex pluribus huic obiectioni fuit responsum, & primo ex *dec. Romana seu Bononien. census 7. Maij 1600. coram Corduba*, in qua fuit di-
4 ctum de generali † consuetudine sufficere mandatum generale ad lites.

Secundo quia in alijs actibus subsequutis

5 tis non fuit † repetita protestatio prout in Iudicialibus requiritur, *Mohed. decis. 2. de iudic. Caputaq. decis. 403. incip. protestatio p. 2. Seraph. decis. 1057. num. 2.*

Tertio denique quia ex decisioni-
6 bus factis constabat de † bono Iure D. Principissæ vt fuit dictum in *Aprutina seu Montis Alti census 4. Iulij 1602. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno, in Lucana parochialis 12. Maij 1603. coram bon. mem. Penia in Marsicana Affictus 7. Maij 1612. coram R. P. D. meo Manzanedo, & in alijs causis.*

Quarto nullitas deducebatur ex eo, quod non fuerit citatus legitimus procurator D. Camilli cohæredis, sed hæc visa fuit cessare dum tempore Iudicii moti cõtra D. Ducem non fuit oppositum adesse cohæredẽ,
7 & de Iure † non præsumebatur. *Bald. cons. 168. num. 6. vers. series autem facti lib. 1.* & licet post relaxationem mãdati fuerit producta ratificatio aditionis factæ à D. Camillo, tamen vltra quod fuit facta à mino-
8 re † sine solemnitatibus prout videbatur requiri ex allegatis per *Tiraq. de legib. connubial. glos. 5. num. 125.* non potest † ex illa
9 annullari mandatum antea legitimè relaxatum *Rot. decis. 100. num. 27. par. 1. diuers.*

Nec visum fuit obstare fuisse aliquando citatum Procuratorem D. Ducis vti Procuratorem D. Camilli, quia citatio fuit ad
10 maiorem cautelam quæ † nocere non debet D. actrici, & relatiuè ad acta, in quibus D. Camillus fuit expressus pro asserto bonorum possessore cum dictione forsan,
11 ob † quam non fuit approbatus pro possessore, *l. certum ff. de confess. Natt. cons. 45. num. 3. Crauett. cons. 157. n. 9.*

Et in omnem euentum Domini dixerũt mandatum substineri quoad personam D.
12 Ducis † legitimè citati *Seraph. decis. 327. n. 3. & fuit firmatum in Romana de Pinis 27 Ianuar. 1614. coram Reuerendiss. D. meo Da-*
13 *masceno*, nec obstant † decisiones in *Maceraten. hæreditatis 10. Decembris 1604. & primi Iulij 1605. coram bo. me. Iusto & Vener. 13. May 1616. coram R. P. D. meo Caualerio*, nam ibi agebatur de exequutione facienda, quæ præiudicabat etiam non citatis, sed in hac facti specie agitur de exequutione mandati relaxati, & quod debet exequi super portione D. Ducis legitimè citati in bonis per eum possessis. & in specie in bonis Passarini & Gallicani, quæ
14 exequutio potest fieri absq; eo quod præiudicetur D. Camillo in sua portione, *Rot. decis. 39. num. 2. & 5. par. 2. fuit dictum in Interamnen. de Paradisis 1. Iulij 1605. coram R. P. D. meo Pamphilio in Perusina de Bigazinis 13. Iunij 1607. coram eodem in Cesenaten. de Aldannis 14. Ianuar. 1611. coram R. P. D. meo Decano.*

Quinta nullitas (quæ percutit iniustitiã) ex capite excessus dum fuit condemnatus D. Dux ad totam summam visa fuit cessare quia postquam in actis fuit doctum de dicta ratificatione D. Camilli R. P. D. meus Remboldus exequi mandatum pro medietate tantum contra portionem D. Ducis
15 mandauit, quod † validè facere potuit, quia nullum adest præiudicium D. Ducis ex *Capic. decis. 51. num. 7. vers. fuit votatum, fuit dictum in Lucana expensarum 26. Febr. 1601. coram bon. mem. Iusto*, in qua allègabatur etiam decisio in vna *Perusina executionis 18. Decembris 1595. coram bon. memor. Penia.*

Impugnabatur etiam iustitia dicti mandati ex eodem capite excessus quia D. Iulia non tenebatur nisi pro tertia parte, cũ essent tres sorores quæ se obligarint in transactione ad fauorem D. Claricis, sed hoc obiectum apparuit satis sublatum in *decis. R. P. D. mei Remboldi*, quia aliæ sorores eesserunt bona Passarani & Gallicani eum omnibus & singulis oneribus, & sic
16 per † consequens eum hoc onere soluendi fructus tunc super dictis bonis ab eisdẽ sororibus apposito adnotata in *l. 1. ff. de leg. 1. Surd. cons. 73. num. 63. & decis. 255. nu. 8.*
17 quod & obseruantia † subsequuta optimè declarauit dum D. Iulia per plures annos viuente D. Clarice illi soluit scu. 720. quolibet anno *l. si de interpretatione ff. de legib. l. cum de in rem. ff. de vsur. Bald. in l. si de certis num. 9. C. de pact. Gabr. cons. 164. nu. 7. lib. 1. Natt. cons. 287. num. 7. lib. 2. Honded. cons. 35. n. 44. & seq. lib. 2.*

Omnisque difficultas tollitur ex testamento Claricis in quo dixit se creditricẽ scutorum 720. annuorum super dictis bonis, quam assertionem sicut non potuisset
18 impugnare D. Iulia hæres *l. cum à matre C. de rei vindicat. l. si rem alienam C. de pignor. Socc. cons. 249. num. 29. vers. ex quibus indubitanter lib. 2. & cons. 13. num. 5. & 6. lib. 3. Dec. cons. 184. num. 11. vers. & ad hoc facit cum alijs adductis in prima decis. D. mei Remboldi*, ita nec possunt impugnare hæredes D. Iuliæ.

Nec obstare visum fuit, solutionem non fuisse factam à Domina Iulia, sed à D.

19 à D. Martio, quia cum solutio ✝ censeatur semper facta ex causa præcedentis obligationis, *Bart. in l. tertium ff. de verb. obligat.* & *Craue. cons. 91. num. 7. & cons. 198. num. 53. Decian. resp. 52. num. 41. & seqq. lib. 3. & fuit dictum in Vrbeuetana dotis Lunæ 7. Iuny 1610. coram Illustriss. Ludouisio*, dum non ostenditur aliqua obligatio ex persona propria D. Martij, censendum est ipsum soluisse in vim dictæ obligationis D. Iuliæ vxoris vti illius procuratorem ac legitimū administratorem dictorum bonorum, maximè quia ipse consensum præstiterat dictę obligationi D. Iuliæ.

Prout nec visum fuit obstare, quod cessio facta D. Iuliæ fuerit conditionalis quatenus pactum & fideicommissum non fuisset validum, nam decisiones allegatæ super validitate fideicommissi præcesserunt contractum cuius vigore agitur, & ad effectum ne bona Passarani & Gallicani sint obligata ad fauorem D. Claricis non sufficiunt dictæ decisiones, sed requireretur sententia & res iudicata, vigore cuius D. Iulia fuisset illis bonis priuata, cuius tamen contrarium constat ex illius pacifica possessione ac solutione fructuum tot annorum.

Secundo obijciebatur iniustitia ex eo, quod sorores non promiserunt soluere de proprio, sed solum conuenerunt vt per D. Claricem perciperentur fructus pro rata sui crediti ex dictis bonis, hoc obiectum tolli visum fuit ex decisionibus in hac causa factis quæ in effectu hoc firmant, nec non ex obseruantia subsequuta solutionis fructuum à D. Iulia per tot annos factæ.

Tertio dicebatur mandatum iniustum, non præcedente liquidatione cum in Instrumento supradicti contractus non fuerit assignata quantitas ad summam scut. 720. sed huic obiecto fuit optimè responsum in 2. decis. D. mei Remboldi non fuisse necessariam aliam liquidationem, cum fuerit facta ab ipsa D. Iulia per solutionem dictæ summæ, & à D. Clarice in suo testamento, & in partitis suorum librorum productis; quam liquidationem impugnare non possunt hæredes, *d. l. cum à matre*. Et ex hoc etiam tollitur obiectio excessus, qui nec præsumitur nec fuit pro parte D. Ducis concludenter ostensus, prout tollitur obiectio quod per mortem D. Claricis cessasset solutio fructuū donationis propter nuptias vt bene deducitur in dicta decis. R. P. D. mei Remboldi in *vers. nec obstat*, *quod saltem* vltra quod tanquam requirens altiorem indaginem non potest retardare exequutionem obligationis Cameralis vt fuit sæpissimè decisum.

Quarto allegabatur iniustitia, quia mādatum fuit relaxatum contra supradicta bona, quæ non leguntur expresse obligata in Instrumento dicti contractus, sed obie-
20 ctum non procedit stante obligatione camerali, sub cuius extensione veniunt bona præsentia & futura dictę D. Iulię vltra alias responsiones datas per informantes.

Quinto opponebatur esse iniustum mādatum, quia fructus dictorum bonorum fuerant prius hypothecati, & assignati in dotem D. Iuliæ ipsi D. Martio, & Clarix promisit de sua dote soluere scuta 8. mil. Huic obiectioni fuit optimè responsum in 1. & 2. decisione R. P. D. mei Remboldi obligationem ad fauorem D. Claricis fuisse factam cum consensu D. Martij, qui & pro D. Iulia ratione dd. bonorum soluit per tot annos.

Quod verò dicitur competere D. Duci retentionem ratione prælegati scutorum mille Domini dixerunt huic obiectioni optimè satisfactum in secunda decisione, quod D. Iulia censeatur tanquam hæres sibi satisfecisse.

Iniustitiam denique prætendebant ratione fideicommissi super quo D. Martius transegerit ac solutis scut. 40. mil. reportauerit cessionem.

Verum & huic obiectioni fuit responsū in prima decisione adhuc non constare de fideicommisso non obstantibus decisionibus super fideicommisso factis, quæ vt superius firmatum est præcesserunt Instrumentum dicti contractus, & promissionis dictæ D. Iuliæ, vltra quod exceptiones vti
21 illiquidę non possunt retardare exequutionem obligationis Cameralis, & eo minus, quia vt pluries dictum est D. Martius in dicto contractu & promissione interuenit, & illius vigore soluit fructus per tot annos.

Ex quibus & alijs fusissimè deductis per informantes Domini confirmandum esse mandatum Rotale responderunt.



RO-

ROMANA DOMORVM.

*Veneris 21. Aprilis 1617.*

ARGVMENTVM.

Facultas nominandi alicui concessa in inuestitura, quando expiret, & quando quis illius vigore possit nominare.

SVMMARIVM.

1 *Inuestiture tenor in emphyteusi attendi debet.*

2 *Nominandi extraneum facultas concessa primo acquirenti sub conditione si sine filijs euanescit relictis filijs.*

3 *Nominatio extranei permissa patri, quando censeatur etiam permissa filio.*

4 *Inuestitura prior declarat sequentes, intellige, vt in num. 5.*

6 *Inuestitura posterior facta cum pactorum mutatione, & inter diuersas personas non recipit à prima aliquam interpretationem.*

7 *Relatio non refertur ad ea quæ sunt expressè mutata.*

8 *Inuestitura posterior in dubio non intelligitur discrepare à priori.*

9 *Emphyteusis beneplacitum Apostolicum, ac vtilitas concessionis in emphyteusim præsumitur ex obseruantia 30. annorum.*

10 *Simulatio non præsumitur nulla interueniente causa simulandi.*

DECISIO CXXV.

Domini dixerunt sententiam extra Rotam latam esse confirmandam quo ad domum à Canonicis, & Capitulo Sancti Laurentij in Damaso concessam Bernardino de anno 1528. quo verò ad aliam concessam Alexandro Deto de anno 1534. esse reuocandam.

Ratio Dominorum quo ad primam domum fuit, quia ipsi soli Bernardino fuit data facultas nominandi in euentũ in quem ipse filijs careret, non autem nominato à Bernardino, seu descendentibus ab ipso, ideo cum domus peruenerit ad Bonifaciũ eius filium, & Andreas non descendat à Bonifacio nominante ex linea masculina, vt inuestitura desiderat non venit admittendus, quia repugnat inuestituræ tenor,
1 qui in hac materia attendi debet, *cap. 1. de duob. fratr. Rol. cons. 60. num. 14. lib. 1. & alij cumul. per Card. Mantic. de tacit. lib. 23. tit. 19. num. 1. & seq.* Et maximè quia conditio nominationi apposita si sine filijs Ber-
2 nardinus decesserit, non fuit purificata cũ ipse reliquerit Bonifacium filium *ad l. si legatum purè ff. de adim. legat. l. aliquando ff. de condit. & demonst. l. quod purè, ff. quando dies legat. Surd. decis. 66. num. 15.*

Nec visum fuit iuuari posse Andream ex traditis in *dec. diuers. 575. par. 1. Seraph. decis. 579. tom. 1. Cald. de emphyt. lib. 3. c. 6. num. 1.* Nam illorum dicta procedere possunt in casibus, in quibus præsumptio locum habere potest, non autem in casu de quo agitur, in quo facultas nominandi
3 fuit ipsi soli Bernardino data, quando filios non habuisset, & tamen illos reliquisse non dubitatur.

Quo verò ad aliam domum, Domini moti fuerunt, ea ratione, quia illa reperitur concessa Alexandro ad tertiam generationem, & deficiente tertia generatione ad tertiam nominationem, & postea de anno 1545. ab hærede Alexandri fuit cessa Bonifacio de Capituli consensu, cum expressa conuentione à Capitulo adiecta, quod ille esset secunda generatio, seu nominatio; vnde ipse potuit nominare Andream vigore dictæ concessionis factæ Alexandro, ex eadem ratione superius adducta pro Capitulo, quod inuestituræ tenor attendendus sit.

4 Et licet pro parte Capituli diceretur inuestituram prædictam declarandam esse à prima facta d. Bernardino de anno 1532. in qua facultas nominandi legitur data Bernardino ijsdem modis, quibus prima domus *ex cumul. per Menoch. cons. 1. n. 124. Mantic. de tacit. lib. 22. tit. 34. num. 35. & seq. Surd. cons. 573. num. 24. & 25. lib. 4.* Tamen Domini animaduerterunt Bernardinum remisisse domum in manibus Capituli, per quam renunciationem resoluta fuit illa concessio, & dum fuit domus data Alexandro cum pactorum mutatione, tanquam noua concessio non recipit à prima
5 aliquam interpretationem, sed illius tenor ad vnguem attendendus est, vt ex *Ias. cons. 24. num. 19. lib. 3.* respondit *Bero. consil. 71. num. 44. vers. sed quando lib. 1. Caph. cons. 27. num. 3. Mantic. de tacit. lib. 23. tit. 21. num. 16. Grauet. respons. pro gener. num. 317. vers. consequenter, Surd. cons. 440. n. 44. vers. tollitur ergo, & n. 45. & seqq.*

6 Et ratio euidens videtur, quia acquirens semper posset dicere, alias non conduxissem, nisi cum eo pacto expresso, DD. verè

in

in contrarium allegati loquuntur in renouatione concessionis factæ personis in prima inuestitura vocatis in præiudicium aliorum postea vocatorum, & vbi non fuit facta de expresso consensu Vassalli volentis mutare, vt post alios *Surd. in allegat. cons.573. sub n.24.*

Nec visum fuit obstare in dicta concessione facta Alexandro fuisse habitam relationem ad concessionem Bernardino factam in illis verbis, cum pactis, modis, formis, canone, promissione, obligationibus, latius in prædicto instrumento expressis, & prout & sicut d. Bernardino domus concessa fuit; nam fuit responsum relationem
7 intelligendam præterquam quo ad expressè mutata, *Alex.cons.226.num.5. lib.6. Paris.cons.39. numer.19. & 20. lib.1. cons.36. num.20. & cons.42. in fin. lib.2.* & in terminis inuestituræ *Becc. cons.101. numer.79. Ruin.cons.20.numer.7.lib.1. Surd.cons.440. num.49.*

Et dum pro parte Capituli replicabatur concessionem fuisse Alexandro factam per errorem ad tertiam nominationem, quia in narratiua instrumenti fuerat dictum Bernardino concessam fuisse domum ad tertiam generationem, & nominationem. Placuit Dominis responsio data per informantes, quod in instrumento concessionis factę Bernardino narratur Capitulum alias dedisse hanc domum Iacobo de Mazzocchis ad tertiam generationem computato ipso acquirente, & ita ad tertiam nominationem eodem computato, vt scilicet Iacobus posset vnam personam nominare, & persona nominata posset aliam nominare, quæ domus, seu melioramenta fuerunt adiudicata cuidam creditori d. Iacobi, & deinde per eundem creditorem vendita ipsi Bernardino durante tertia generatione, & tertia nominatione Iacobi, quæ concessio facta Iacobo non solum deseruit pro declaratione narratiuæ concessionis factæ Alexandro, vt non dicatur per erro-
8 rem facta, sed pro interpretanda dicta concessione facta Bernardino ex Doctoribus allegatis pro Capitulo, & optimè *Bero. cons.71.num.44. vers. prætcrea, lib.1. Mantic.d.lib.23.tit.21.n.14.*

Et ex his remanet sublata obiectio, quod concessio facta Alexandro esset læsiua tanquam comprehendens aliam nominationem non concessam Bernardino, quia hodie constat in facto non substineri.

Quod verò adesset læsio, quia Alexander tenebatur expēdere pro melioramentis solum scuta 50. & Bernardinus obligatus esset expendere scuta 150. non fuit visum Dominis concludenter probari, quia fieri potuit, quod antea per Bernardinum facta fuerint melioramenta ad summam scutorum 100. & ita præsumendum est
9 stante obseruantia subsequuta vltra 30. annos, ex qua præsumitur beneplacitum Apostolicum quatenus requireretur, ac etiam vtilitas, vt fuit sæpissimè decisum, & signanter in *Leodien. bonorum Mercury 14. Marty 1607. coram Illustriss. Lanccllotto, & in Leodien. bonorum Mercury 3. Decembris coram Illustriss. Ludouisio.*

Ex his etiam visum fuit cessare obiectum, quod obseruantia esset æquiuoca, ex quo Bonifacius erat comprehensus in prima locatione facta Bernardino, licet nec ex hoc potuisset dici obseruantia æquiuoca, quia vt dictum est, illa concessio facta Bernardino fuit resoluta per renunciationem, & Bonifacius possedit vigore cessionis sibi factæ ab Alexandro cum expressa conuentione Capituli, quod ipse esser, vel secunda generatio, vel secunda nominatio.
10 Deducta circa simulationem concessionis factæ Alexandro Dominis non visa fuerunt consideratione digna, nulla subsistente causa simulandi, sine qua non datur simulatio ex vulgaribus.

Et ex his fuit resolutum sententiam esse confirmandam quoad domum de qua in prima inuestitura, quo ad aliam reuocandam ex capite iniustitiæ pluries causa proposita, & maturè discussa.

Et ita &c.

## FOROLIVIEN. BONORVM.

*Veneris 28. Aprilis 1617.*

### ARGVMENTVM.

Immissio non potest prætendi ab eo, qui non docet testatorem possedisse bona de tempore eius obitus.

### *SVMMARIVM.*

1 *Immissioni vt sit locus requiritur vt testator possederit vsque ad eius obitum.*
2 *Immissio ex interdicto quorum bonorum, vt sit danda sufficit si probetur defunctum tempore obitus possedisse, & n.4.*

3 Con-

3 *Confessio extraiudicialis non probatur per vnicum testem.*

5 *Donatio cum reseruatione vsusfructus operatur, vt mortuo donante possessio naturalis consolidetur cum ciuili.*

6 *Possessio non transfertur in donatarium si donans non possidet.*

7 *Venditio facta pro pretio declarando est imperfecta nondum pretio declarato.*

## DECISIO CXXVI.

EX quibus rationibus visum fuerat Dominis non esse locum Aegidianæ, & dari fumum de iniustitia sententiæ super immissione extra Rotam latæ in fauorem Foroliuij, & litis consortium, ex ijsdemmet denegandam esse ipsis immis-
1 sionem Domini censuerunt, cum nec adhuc probauerint requisita in hoc iudicio possessionem videlicet defuncti de tempore obitus eius cuius sunt hæredes ab intestato vti proximiores.

Nec obstat hodie per testes coram me nuper examinatos, & per librum æstimationis bonorum Iacobum defunctum tempore obitus possedisse prædium contro-
2 uersum, quod sufficit ad effectum immissionis ex interdicto quorum bonorum, *l. 1. C. quorum bonorum, & ibi scribentes, & in l. fin. C. de edict. D. Adr. toll.*

Nam vltra quod quibusdam Dominis visum fuit testes quorum dicta dantur in *Summ. numer.* 3. non concludere; Primus enim deponit se pluries adfuisse in domo Iacobi, quando ibi fructus d. prædij deferebantur, sed nón expressè concludit de certa scientia, quod sciret hos fructus collectos fuisse in dicto prædio. Secundus verò de auditu à Francisco tantum depo-
3 nit, & ideo nihil probat, quia vnicus, respectu confessionis Francisci, deinde isti testes non percutiunt aliquod certum tempus, quia dictus Iacobus prius fructus etiã dicti prædij tanquam tutor Francisci collegerat, in hoc omnes conueniunt possessionem ciuilem Iacobi nullo modo pro-
4 bari prout expressè requiritur ad petendam immissionem.

Nam si prætenditur possessionem acquisitam Iacobo ex eo, quia ea fuit translata ipsi Iacobo à Francisco per laudum, & dationem in solutum vigore clausulæ constituti illa neq; momento pertransiuit apud Iacobum cum eodem contextu eademmet bona in solutum recepta donauerit Lucretiæ eiusdem Francisci filiæ cum simili clausula, *constituti*, & reseruationis fructuum adiectis verbis, ex nunc, prout ex
5 tunc, quibus stantibus sine alio ministerio detentio naturalis, si quæ aderat per obitum d. Iacobi consolidata est cum ciuili quæ sẽper à die prædictæ donationis penes Lucretiam donatariam permanserat, & vsusfructus cum proprietate consolidatus, vt fuit in hac causa firmatum coram me die Lunæ 16. Ianuarij præteriti, & in simili causa fusissimè coram *R. P. D. meo Vbaldo in vna Rom. de Incoronatis die 29. Aprilis 1616.* & postea confirmata die 10. Februarij præteriti, in quibus respondetur omnibus obiectionibus in contrarium adductis.

Nec obstare visum fuit, quod dicitur non potuisse ciuilem possessionem trans-
6 ferri in donatariam, quia donans de tempore donationis non possidebat cum ven-
7 ditio, seu datio in solutum facta per Franciscum in Iacobum pro pretio æstimando esset imperfecta, & sine effectu nondum pretio declarato, *l. fin. C. de contrah. empt. Surd. cons. 225. num. 25. vol. 2. cum allegat.* Placuit enim responsio decisionis frustra hæredes ab intestato petere immissionem, si in Iacobum non fuit translata possessio per dationem in solutum, alias semper possessio ciuilis, & naturalis permansisset penes Franciscum, quia Iacobus nullum alium habuit titulum, & causam possidendi nisi à Francisco cuius nomine prius ipse tutor possederat.

Nec placuit Dominis, quod dicebatur prædictam donationem factam à Iacobo in fauorem Lucretiæ esse conditionalem, dummodo laudum ab eius patre non impugnaretur, verba enim non sunt concepta sub conditione, vt apparet euidenter ex lectura donationis vltra quod adhuc sub Iudice lis est si Franciscus laudo contrauenit, quia solum prætendit se agere pro reseruatis in d. laudo, & in omnem euentũ multum dubitabant Domini quatenus constaret de aliqua contrauentione, si pater potuerit filiæ impuberi præiudiciũ notabile inferre; & locus sit resolutioni contractus, vel potius cogendus sit Franciscus ad obseruationem d. contractus, & in omnem euentum huiusmodi quæstiones examinandæ sunt via ordinaria, & non executiua.

Ad ea, quæ dicuntur de reseruatione scut. 50. facta per d. Iacobum in instrumen-
to

to donationis placuerunt deducta per informantes, competere quidem hæredibus actionem, sed cum certa sit summa pecuniarum, & non quota prædij debeatur frustra prætendi immissionem.

Ex quibus & alijs fusissimè allegatis per informantes, & in decisione in hac causa facta, ita vtraque parte informante fuit decisum.

BONONIEN. DE MONTERENTIIS.

*Lunæ 17. Aprilis 1617.*

ARGVMENTVM.

L. 2. C. de rescind. vend. num procedat in annuis redditibus ad vitam emptis: & an in contractibus sicut in legatis sit facienda computatio vitæ ex l. hæreditatum ad leg. falc. in æstimando iusto pretio.

SVMMARIVM.

1 *Emptio est rescindenda stante læsione, quod procedit etiam in annuis redditibus ad vitam emptis cum ista etiam sit vera emptio, & num. 2.*

3 *Contractus iustitia, vel iniustitia elicitur ex æqualitate dati, & accepti.*

4 *L. hæreditatum ff. ad l. falcidiam, an vendicet sibi locum in contractibus, & n. 8.*

5 *Pretium iustum in contractu emptionis de annuis redditibus dependet ab arbitrio Iudicis.*

6 *Proprietas duplo plus ad minus debet existimari, quam vsufructus.*

7 *Vita hominis quomodo computari debeat.*

9 *Veritas rei præponderare debet præsumptioni.*

10 *Contractus, & non dubij euentus tempus considerari debet ad constituendum iustum pretium.*

11 *Renuncians enormissimæ læsioni cum iuramento non potest amplius implorare beneficium l. 2. C. de rescindenda vend. maximè si renuncians habuit scientiam veri valoris, & n. 12.*

13 *Iuramentum habet vim specialis renunciationis, limita in casu l. 2. C. de resc. n. 16.*

14 *Specialis renunciatio requiritur ad renunciandum beneficio, l. 2.*

15 *Ignorantia veri valoris, & iuris excusat mulierem.*

17 *Iuramentum non praiudicat mulieri minori, & rustico præsertim concurrente læsione.*

DECISIO CXXVII.

Præsuppositis decisionibus in hac causa factis, sub die 20. Martij 1615. & 23. Ianuarij præteriti, in quibus visum fuit Dominis Sebastianum de Monterentijs vti hæredem Lucretiæ matris prohiberi, quominus possit impugnare contractus inter Lucretiam, & Iulium de Comitibus initos, cum dicta Lucretia fuerit solummodo vsufructuaria, & non hæres in proprietate d. Iulij; Dubitaui, an contractus emptionis locorum montium, factus à d. Lucretia sustineretur, quo dubio proposito responderunt
1 † stante læsione vigore *l. 2. C. de rescind. vendit.* dictam emptionem esse re-
2 scindendam, † non enim reuocarunt in dubium huius legis beneficium competere etiam in annuis redditibus ad vitam emptis, & venditis, quia sunt vera emptio per *Oldrad. cons. 207. Bero. cons. 9. num. 23. lib. 1. Cuiac. in repet. d. l. 2.* vbi ait in iure Cæsareo de emptione dictorum redditum fieri tãtum mentionem in Nouell. scilicet 160 idque dummodo non adsit læsio vltra dimidium iusti pretij.

Quæ definitio, seu æstimatio iusti pretii dependet ab eo vtrum seruata fuerit æqua-
3 litas dati, & accepti, inde enim elicitur iustitia, vel iniustitia contractus, *Nauarr. in Manual. cap. 23. num. 78. & cons. 10. num. 2. lib. 3. sub tit. de empt. & vendit.* Et quamuis magna adsit controuersia ad discernendum an hæc venditio annui redditus sit læsiua, necne, vtrum in contractibus sit
4 præcisè facienda computatio, vt in legatis annuis iuxta formam præscriptam à Iurisconsulto in *l. hæreditatum, ff. ad l. falcid.* an verò habendã sit ratio aliarum circumstantiarum, in qua Doctores multum inter se discrepant, Domini pro nunc indecisa hac quæstione firmarunt, definitionem iusti pretii huiusmodi contractus dependere ab
5 arbitrio Iudicis, qui habito respectu qualitatis personarum, senilis ætatis, loci, & obseruantiæ, poterit periculum vitæ ponderare vna cum quantitate redditTuum constitutorum, iuxta *l. 16. C. de rescind. vendit. & in l. si fundum per fideicommissum, ff. de legat. 1. & express. tradit. Bald. in l. si ea portione, num. 1. C. de vsur. & ibi Castr. n. 2. & in l. si pater puellæ num. 2. vbi Doctores communiter, C. de inoff. testam. Surd. de aliment. tit. 9. quæst. 11. numer. 19. vers. 3. declara.*

Vnde cum à Iudicis arbitrio depen-

 deat,

deat, hæc constitutio iusti pretii visum fuit Dominis ex tota serie facti satis constare de læsione vltra dimidium, ea maximè ratione quia apparet Lucretiam emisse annuum redditum librarum 121. pro pretio librarum 2000. vita ipsius duråte tantum, cum tamen pro eodem pretio ad rationem sex pro centenario, vel circiter, potuisset eumdem redditum annuũ emere vna cum proprietate, quam ad hæredem transmisisset, ex quo apparet læsio manifesta; tamen ex parte Iulii venditoris, qui periculum vitæ sororis septuagenariæ tam vili pretio emit, vt ius proprietatis, & transmissionis ad hæredes ex iisdemmet pecuniis d. Lucretiæ sororis, non soluto obulo de suo acquisiuerit, vel potius retinuerit.

Pro parte verò Lucretiæ remanet probata iniustitia pretii, quia arbitrium Iudi-
6 cis, quod regulam accipit à iuris dispositione debet æstimare proprietatem duplo plus ad minus, quam vsumfructum solum, per consuetudinem vsu receptam non solum in Vrbe, sed quasi in toto Orbe Christiano à iure approbatam per text. expressum *in can. precaria il primo q. 2. causa 10. & ibi gloss. Abb. & cæteri Canonistæ*, vbi dicitur posse assignari ei, qui fundum Ecclesiæ perpetuo concessit redditum annuum ad eius vitam, duplo, vel etiam triplo maiorem, ita *Castr. in l. si pater puellæ num. 2. C. de inoff. testam.*

Quod arbitrium si extenditur generaliter ad omnes, qui se proprietate spoliant, vt habeant eorum vita duråte certum redditum annuum multo magis habet locum in hoc casu, in quo constat Lucretiam tempore contractus initi, fuisse senem, ne dicam decrepitam, quippequæ ad annum ætatis 73. peruenerat, vnde eius vita est
7 computanda si non iuxta rigorem dispositionis dictæ legis hæreditatum, quæ loquitur de sexagenario, & non de eo, qui septuagesimum annum excessit multo minus æstimari debet quam alterius, in quo etiã posset prætendi læsio vltra dimidiam, cum vsusfructus, vt supradictum est duplo minus, quam proprietas æstimandus sit ex supradictis.

Quod autem d. Lucretia potuisset cum dictis 2000. libris, proprietatem eiusdem redditus annui acquirere, quam ad hæredes transmisisset satis visum fuit probari ex vsu Ciuitatis Bononien. in qua fructus census ad septem, aut octo pro centenario communiter ascendunt, nec non fructus locorum montium ascendunt, & sæpius superant sex pro centenario, quod comprobatur ex erectione similium locorũ montium in d. Ciuitate facta à Paulo IV. ad rationem octo pro centenario, daturque fides, & attestatio, quod hodie dicta loca montium emuntur cum proprietate ad dictam rationem scutorum sex pro centenario.

His stantibus non obstant rationes in contrarium ponderatæ per informantes pro hæredibus Iulii, & primo dũ ex multis Doctorum auctoritatibus probare conan-
8 tur dispositionem legis hæreditatum non esse extendendam ad contractus, sed restringendam ad vltimas voluntates, responsum enim fuit Dominos non fixisse solum pedem super computatione inducta in d. l. sed arbitriũ, interposuisse consideratis multis qualitatibus, & circumstantiis quæ ex tota facti serie colliguntur ex supradictis.

Nec videtur considerabile, quod dicitur post initum contractum Lucretiam superuixisse per 15. annos, & ita excludi læsionem vltra dimidiam, si tot annorum ratio habeatur, vt haberi debet cum rei ve-
9 ritas præsumptioni præponderare debeat. Placuit enim responsio ad constituendum
10 iustum pretium, considerari tempus contractus, & non euentus dubii, & incerti, *l. si voluntate, C. de rescind. vendit. cap. cum dilecti de empt. & vendit.* quanto tempore scilicet is, qui emit verisimiliter victurus fuisset, quia sequenti die post factam emptionem potuit mori, & iulius 2000. libras sino vllo periculo lucrari, *Castren. in l. fideicommisso num. 3. & ibi Alex. num. 2. vers. & illud facit, & Dec. num. 14. C. de transactio, Natt. cons. 198. num. 13. Surd. de aliment. d. tit. 9. quæst. 11. num. 28. & in terminis Crauet. cons. 194. nu. 6. Gabr. cons. 168. q. 7. n. 98. lib. 1.*

Nec obstare visum fuit præcipuum fundamentum hæredum d. Iulii Lucretiam
11 expressè renunciasse enormissimæ læsioni cum iuramento, & ita non posse amplius d. legis beneficium implorare, prætextu enormis læsionis; Indubitati enim iuris est vnumquemque de suo iure detrahere posse, *l. potest, §. penult. C. de pact.* & sic dictæ l. posse renunciare, vt cõprobat *Cyriac. in d. l. 2.* multis exemplis, quod tanto magis habet locum in hoc casu quo emptrix habuit scientiam veri valoris de tempore contractus, in quo exprimitur pretium emptionis,

12 nis, & redditus annui, sicque non potest hodie petere rescissionem huius contractus *Bart. Bald.* quos citat, & sequitur *Castr. in d.l.2.num.70.vers. secunda conclusio*, cum allegatis per Informantes.

Et quod magis vrget ipsamet emptrix cum iuramento promisit non contrauenire nec aliquod ius, beneficium, vel priuilegium consequi prætextu alicuius damni, enormis & enormissimæ læsionis, & ideò excludi debet penitus à remedio *d. leg. 2.*
13 quia eo casu † iuramentum habet vim specialis renunciationis *Aym. cons. 188. n. 3. Osasch. decis. 41. num. 8. Guttier de iuramen. par. 1. cap. 26. num. 5.* quod de communi testatur in termiuis de muliere, *Alex. consil. 127. num. 2. vers. pro hoc etiam lib. 2.*

Huic obiectioni responderunt Domini non reuocari in dubium posse huius legis beneficio renunciari, dummodo adsit spe-
14 cialis renunciatio, & alias quam ex clausulis generalibus secundum stylum Notarij extensis *Gabr. concl. 1. de empt. & vendit. num. 92.* tanto magis in hoc casu in quo mulier contraxit in qua non præsumitur scientia veri valoris d. annui redditus his
15 enim parcitur propter ignorantiam iuris sibi competentis, *l. 2. §. fin. ff. de iur. fisc. l. de die, §. si seruus, ff. qui satisd. cogant*, & quidquid sit in alijs vtrum iuramentum
16 habet vim specialis renunciationis, † hanc conclusionem limitari in muliere minore & rustico post *Bald. & Imol. tradit Gabr. d. concl. 1. de empt. & vendit num. 104.* & quod
17 eis non præiudicet iuramentum tradit sub *num. 83.* vbi infinitos Doctores colligit, & *num. 93.* concludit requiri specialem renunciationem quæ limitatio tot Doctorum auctoritatibus confirmata placuit Dominis stante læsione enormi, quæ colligitur ex supradictis.

Quæ deducuntur de vsufructu legato Lucretiæ per Iulium animo compensandi benè tollitur per informantes cum quibus transierunt Domini, & ita decisum vtraque parte informante.

## HISPALEN. CONCORDIAE.

*Lunæ 24. Martij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Quasi possessio administrationis Sacramentorum quando dicatur probata ad effectum concedendæ manutentionis non probato titulo, & quadragenaria præscriptione.

### SVMMARIVM.

1 *Manutentio negari non potest probata possessione tempore motæ litis.*
2 *Quasi possessio administrationis Sacramentorum probatur per testes attestantes de visu quoad dictam administrationem.*
3 *Producens libellum fatetur in illo contenta.*
4 *Manutentionis iudicium requirit non solum probationem possessionis, sed etiam titulum cum quadragenaria præscriptione, quando actor habet contra se iuris resistentiam, declara vt num. 5.*
5 *Quasi possessio administrationis Sacramentorum à iure præsumpta offuscatur per testes deponentes contrarium.*
6 *Obseruantia longi temporis dat fumum tituli colorati, etiam quod instrumentum patiatur visibiles defectus.*
7 *In administratione Sacramentorum fauore Hospitalium admittitur præscriptio ordinaria.*
8 *Scientia, & patientia præsumitur in his quæ publicè, & palàm fiunt.*

### DECISIO CXXVIII.

ORTA lite coram Ordinario super administrati one Sacramentorum & iuribus parochialibus inter Rectorem, & Beneficiatos S. Iacobi senioris Ciuitatis Ispaleñ, & administratores Hospitalis S. Enemergilij intra cuius Parrochiæ fines situm est Hospitale], lata fuit sententia per dictum Ordinarium in fauorem dictorum Ministrorum Hospitalis, à qua cum pro parte Beneficiatorum fuerit appellatum causa mihi commissa, Dubitaui cui dandum esset mandatum de manutenendo, quo dubio proposito Domini censuetunt (intactis pro nunc alijs iuribus parochialibus) quoad administrationem Sacramentorum dandum esse mandatum de manutenendo Ministris Hospitalis, quia de tem-
1 pore motæ litis † reperiebantur in quasi possessione. Vnde eis manutentio non potest denegari, *§. retinendæ instit. de interd. l. 5. §. huius autem, ff. vti possidetis, l. 5. vbi Bart. num. 3. C. eod.*

Quæ quasi possessio Hospitalis visa fuit probari ex duplici capite, & primo per testes, qui dantur in Summario per extensum, qui deponunt de longæua possessione dum dicunt se vidisse Ministros Hospitalis Curatos, videlicet & Cappellanos Sacramenta non solum infirmis, & seruientibus

Hospitalis, sed omnibus alijs qui deuotionis gratia ad d. Hospitale confluunt de præfectiti administrare, & 20. & ampliùs annis antea administrasse distinctè loquendo de singulis Sacramentis pœnitentiæ, sanctissimæ Eucharistiæ, & extremæ Vn-
2 ctionis, ex quibus necessariò † colligitur quasi possessio, *glos. Bart. Alex. & Ias. in l. stipulatio ista, §. hac quoque, ff. de verbor. obligat. Dec. cons. 56. num. 4. Seraphin. decis. 1061. num. 1.*

Comprobatur secundo ex confessione dicti Rectoris, & Beneficiatorum in libello coram Ordinario porrecto, ex cuius lectura apparet, quod constituunt se actores, &
3 fatentur Ministros Hospitalis esse reos †& possessores, *Angel. in l. non cogendum, §. si procuratori, ff. de procurat. Contard. in l. diffamari in quæst. num. 10. & seq. ff. de ingen. & manum. cum alijs allegatis in vna Romana Communantiarum 15. Martij 1609. coram Reuerendiss. Lugdunen.*

Nec obstare visum fuit maximum Rectoris, & Beneficiatorum fundamentum, dum dicitur etiam in iudicio manutentionis requiri titulum cum quadragenaria,
4 prout requiritur in præscribendo † quando ius vehementissimè resistit ei, qui prætendit possessionem contra illum qui habet iuris assistentiam, *cap. 1. vbi glos. de præscr. in 6. in l. causam de prascript. Franc. in cap. ad decimas num. 8. in vers. quia ex quo ius resistit. de restit. spoliat. cum allegatis per informantes.*

Huic obiectioni responderunt Domini, quidquid sit an Parrocho ex sola assistētia Iuris communis competat manutentio, de quo multum semper Rota dubitauit, tamen in casu isto non posse Rectorem impedire manutentionem Hospitalis, quia iuris
5 assistentia remanet † offuscata per testium depositiones, qui longæuam Hospitalis quasi possessionem probant, *Innoc. in cap. cum venissent de restit. spoliat. Abb. in cap. 1. vt lit. pend. num. 8. Couar. pract. quæst. cap. 17. num. 6. & fuit dictum in vna Montis Regalis Iurisdictionis 4. Nouembris 1598. corā R.P.D. Penia, & in Mediolanen. decimarum coram Reuerendissimo D. meo Decano 1605. & alias sæpè.*

Vltra quod pro parte Hospitalis exhibetur instrumentum concordiæ, quod licet plures & visibiles defectus patiatur tamen
6 iuncta obseruantia † tanti temporis dat fumum tituli colorati.

Secundo responsum fuit non posse applicari dispositionem *cap. 1. de præscr. in 6.* quia magna constituitur differentia quando ius vehementissimè resistit, vt in materia iurisdictionis inter superiorem, & subditum, decimarum inter Parochum & laicum, in quibus casibus possent procedere allegata per Informantes pro Rectore, secùs autem in hac propositi facti specie, in qua cessat vehemens illa iuris adsistentia, quinimò quoad administrationem Sacramentorum tantum abest vt ius resistat Hospitalibus, quinimò defert consuetudini, & admittit præscriptionem cōtra Parochos
7 in fauorem † Hospitalis, *vt est text. expressus in Clem. quia contingit, §. fin. & ibi glos. & Vital. num. 88. & seqq. de relig. domibus, latè Moder. Bonon. var. resolut. lib. 1. cap. 11. num. 45. & seq.*

Nec deniquè obstat, quod dicitur hos actus possessorios per Hospitale non iustificari factos cum scientia, & patientia Rectoris, & Beneficiatorum; Placuit enim
8 responsio in † his quæ publicè, & palàm fiunt etiam semper præsumi scientiam & patientiam, vt in terminis resoluit *Rota in vna Cæsaraugustana Dedicationis 27. Nouembris 1613. coram R.P.D. meo Verospio,* vltrà quod vt dixi datur fumus tituli colorati præambuli.

Ex quibus ita vtraque parte informante fuit decisum.

## BONONIEN. REDDITIONIS RATIONIS.

*Mercurij 1. Aprilis 1617.*

### ARGVMENTVM.

Constituens se non solùm fideiussorem pro administratore, sed etiam principalem debitorem, quando non possit euitare redditionem rationis ad quam tenetur ipse administrator.

### SVMMARIVM.

1 *Fideiussor obligatus principaliter, tenetur reddere rationem administrationis ac si administrasset.*
*Rationem administrationis reddere tenetur, qui constituit se non solum fideiussorem, sed etiam principalem debitorem.*
2 *In Instrumento primo disposita censentur repetita in secundo habente relationem ad primum.*
3 *Verba in omnibus & per omnia, operantur quod*

*quod expressum in instrumento censeri debet insertum in altero.*
4 *Fideiussoris obligatio est strictè accipienda.*
5 *Clausula relatiua est interpretanda respectu aliorum quæ non sunt in Instrumento expressa.*
6 *Obligationes diuersas oriri ex diuersis respectibus non est incompatibile.*
7 *L. qui Romæ, §. Augerius, ff. de verb. oblig. in quo casu procedat.*
8 *Dispositio l. qui Romæ, §. Augerius, ff. de verb. oblig. comprehendit etiam hæredes.*

## DECISIO CXXIX.

VISUM fuit Dominis D. Equitem Sigismundum vigore suæ obligatio-
1 nis teneri † reddere rationem administrationis hæreditatis Francisci Tusignani perinde ac Roggerius, qui eam administrauerat, cum se constituerit non solùm fideiussorem, sed etiam principalem debitorem, *Mohed. decis. 2. de fideiuss. cum alijs allegatis in decis. coram R. P. D. Penia in hac causa facta die Veneris 27. Iunij 1608.* à qua Domini non esse recedendum censuerunt non obstantibus quæ per informantes pro D. Equire Sigismundo adducuntur.

Et primo non obstat maximum fundamentum, quod hodie de nouo proponitur ad impugnandam decisionem, D. Equitem scilicet non simpliciter fideiussisse pro Roggerio, sed in omnibus, & per omnia iuxta formam contractus celebrati die 27. Iunij 1597. in quo d. Eques non erat obligatus nisi in casu dumtaxat quo Roggerius non redderet rationem culpa, aut negli-
2 gentia d. Equitis, vnde † cum disposita in primo Instrumento censeantur repetita in secundo fideiussionis habente relationem ad ptimum, *vulg. l. asse toto, ff. de hæred. instit.* quod claré apparet ex supradictis verbis, in omnibus, & per omnia, quæ denotant nullam esse differentiam inter di-
3 ctas obligationes, itaut † expressum in Instrumento censeri debeat insertum in altero, *Rimin. iun. cons. 106. num. 2.* dicendum est obligationem Equitis non debere extendi vltra disposita in dicto primo Instrumento anno 1597. cum Serenissimo Alphonso Duce Ferrariæ celebrato, tanto
4 magis † cum fideiussoris obligatio sit strictè accipienda, *l. fideiussores, Magistratuum in princ. ff. de fideiuss. l. blanditus, C. eodem* imò strictissimè *Cephal. cons. 603. nu. 1. & 4. cum allegatis.*

Huic obiecto responderunt Domini relationem factam in vltimo Instrumento transactionis in quo d. Eques onus in se suscepit redditionis administrationis pro Roggerio intelligendam esse de obligatione Ruggerij reddendi rationem in omnibus & per omnia prout fuerit conuentum in d. Instrumento, ad quod fit relatio, non autem respectu fideiussionis d. Equitis qui in dicto ptimo Instrumento non fideiusserat, sed tantum se obligauerat reddere rationem in casu negligentiæ, & sic non potuit eius intuitu fieri aliqua relatio, cum non entis nullæ sint qualitates, quod etiã intelligitur ex præcedenti promissione ipsius Ruggerij in eodem Instrumento reddendi rationem, in qua fuit expressa relatio ad alia per ipsum promissa in præcedentibus Instrumentis.

Quibus stantibus ista fideiussio Equitis debet intelligi, vt ipse teneatur reddere rationem in omnibus & per omnia prout Ruggerijs in alijs instrumentis promiserat non autem prout ipse Eques in particulari obligatione tenebatur cum generaliter clausula relatiua ne detur correctio instrumenti, aut contrarietas in ipsa obligatione sit interpretanda respectu aliorum quæ nõ
5 sunt in Instrumento expressa, *l. doli clausula, ff. de verbor. obligat. l. vxorem, §. felicissimo in fin. ff. de legat. 3. Osasch. decis. 169. n. 1. & 2. Surd. cons. 241. num. 29. lib. 2. cum multis allegatis in vna Romana domorum die 21. Aprilis coram me hoc anno.*

Non obstat secundo, quod dicitur implicare contradictionem, vt Eques sibi ipsi teneatur rationem reddere propter obligationem factam à Ruggerio reddendi rationem ipsi Equiti; Placet enim responsio data in decisione non esse incompatibile, vt Eques possit exigere redditionem rationis à Ruggerio prout poterat Aemilia, & quatenus Ruggerius non reddat rationem d. Aemiliæ, ipse Eques ratione particularis suæ obligationis teneatur eam reddere d. Aemiliæ hoc modo enim diuersis respectibus, & causis oriuntur diuersæ obliga-
6 tiones, † quod nullam inducit incompatibilitatem, *Ant. Gabr. in tit. de fideiuss. concl. 2. num. 1. & 2. Angel. in l. reos num. 1. ff. de duob. reis, Rota diuers. decis. 153. num. 8. par. 3. cum alijs fusè allegatis, in dicta decis. coram bon. mem. Penia in hac causa facta.*

7 Non obstat denique dispositio textus in *in l. qui Romæ, §. Augerius, ff. de verb. obligat.* quæ videtur restringere stipulationem ad

personam Ruggerij, quo viuente computa non fuerunt reddita, hoc enim responsum Sceuolæ tantum procedit quando agitur de eo qui promisit soluere id quod alius debebat facto calculo, vel reddita ratione, vt eo mortuo non redditis computis talis promissor ad nihil teneatur, secùs verò dicendum in eo, qui ipsemet obligatus est reddere rationem, vt in hoc casu Eques Sigismundus, qui se pro Ruggerio principaliter, & insolidum obligauit.

Placuerunt, & Dominis responsiones datæ in dicta decisione super interpreta-
8 tione *dicti §. Augerius, ex Paris. cons. 21. lib. 4. & Couarr. pract. quæst. cap. 39. num. 5.* qui testatur de communi quoad intelligentiam d. legis, vt eius dispositio comprehendat etiam hæredes stantibus maximè tot renunciationibus iurisiurandi religione vallatis appositis in vltimo instrumento transactionis, quo casu non esse locum dispositioni *dicti §. Augerius testatur, Couar. dicto cap. 39. num. 5. Guttier. de iuram. par. 1. cap. 37. num. 27. vers. 8.*

Ex quibus Domini persistendum esse in decisis responderunt vtraque parte informante.

## TREVEREN. DECIMARVM.

*Veneris 5. Maij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Decimæ vt prætendi valeant quæ requirantur.

### *SVMMARIVM.*

1 *Actore non probante, Reus absoluitur, & num. 13.*
2 *Decimæ spectant ad eum qui habet curam animarum, si intra limites parochiæ sita sunt prædia super quibus decimæ petuntur.*
3 *Vnio non præsumitur nisi probetur.*
4 *Præscriptio immemorabilis, aut quadragenaria cum titulo requiritur ad præscribendum decimas.*
5 *Sumptum non meretur fidem si non sit in forma probanti.*
6 *Confirmatio quando dicatur in forma communi.*
7 *Confirmans nihil noui tribuit.*
8 *Confirmatio non importat donationem.*
9 *Sententia lata de recenti sine actis non probat.*
10 *Confessio Syndici non nocet Capitulo, vel Ecclesiæ.*
11 *Confessio non nocet si sit incerta.*
12 *Testes non deponentes de quadragenaria ante motam litem cum titulo non probant contra Ecclesiam.*
13 *Indefinita in teste nõ æquipollet vniuersali.*

### DECISIO CXXX.

1 ROTA censuit Capitulo † Palatioleñ reo & possessori dandam esse absolutionem, cum Monasterium Stabuleñ suam intentionem, videlicet decimas, de quibus agitur, ad ipsum spectare non probauerit. *vulgat. l. qui accusare, C. de eden. Surd. cons. 1. num. 71. cons. 13. num. 3. & con-*
2 *sil. 129. num. 15.* † ad hunc enim effectum requirebatur, vt Monasterium probaret curam animarum ad ipsum spectare, & prædia super quibus decimæ petuntur esse sita intra limites istius Parochiæ *cap. fin. de paroch. cap. cum contingat de decim. cap. ad*
3 *decimas de restit. spol. in 6.* † aut saltem exhibendum priuilegium si prætendatur vnio & probanda immemorabilis, aut quadragenaria cum tit. *cap. 1. de præscript. Rebuff. de decim. quæst. 13. num. 63. 81. & 82. Rota decis. 10. de reb. Eccl. non alienan. in antiquis,* vnio siquidem non præsumitur *Dec. consil. 233. num. 275.* stante maximè quod dicta Ecclesia de Conda habeat parochum proprium qui curam exercet animarum.

Licet enim Monasteriũ ad probandũ decimas sibi deberi ex bonis intra limites parochialis Ecclesiæ de Cõda asserat d. parochiã de Conda vnitam d. Monasterio, & ad hunc effectum produxerit quoddam instrumentum donationis d. Ecclesiæ tamen stante resolutione facta sub die 13. Martij
4 præteriti, quod † sumptum d. donationis nõ sit in forma probanti, non poterit fieri aliquod fundamentum super illa ad fundandam intentionem actoris.

Nec etiam visum fuit potuisse fieri fundamentum in confirmatione eiusdem Ecclesiæ factæ ab Innocentio Secundo, nam
5 ex lectura illius † apparet esse confirmationem in forma communi ibi (Ecclesia Stabuleñ, & Conda sicut eas instè, & pacificè possidetis) vt post alios tradit *Ferret. cons. 38. num. 5. & tenuit Rota in causa Abulen. Iurisdictionis 1. Iunij 1587. coram Ora-*
6 *no,* † qui autem confirmat nihil noui tribuit *cap. cum dilecta, §. nos igitur, vers. nolentes de confirmat. vtil. & inutil. cap. quia diuersitatem*

*tatem in fin. de concess. prab. cum alijs per gloss. in cap. ex parte in ver. confirmatione de const. vbi ex text. in cap. inter dilectos §. eaternum de*
7 *fid. instr.* firmat † confirmationem non importare donationem.

Deducebantur etiam quædam sententiæ latæ super nullitate alienationis cuiusdam tertiæ partis decimarum, in eisque sentẽtijs declarabatur dictam tertiam partem spectare ad Monasterium, sed fuit responsum dictas sententias latas esse inter alios nec loqui de omnibus decimis, sed de quibusdam particularibus, & vti latas
8 de recenti fine actis non probare, *l. si cum nulla vbi gloss. Bart. & aly ff. de re iudic. Rot. decis. 196. numer. 5. par. 2. diuers. Seraph. decis. 615. num. 5. & decis. 723. num. 12. & fuit dictum in Veneta donationis Vener. 7. Nouembris 1614. coram R.P.D. meo Buratto.*

Nec obstare visum fuit, quod dicitur Monasterium suam intentionem probasse ex confessione Syndici Capituli, dum in responsione ad positiones dixit se credere stabulenses esse veros decimatores de Cõda, Placuit responsio d. confessionem non continere vnionem d. Ecclesiæ, & quoad
9 Ius decimandi, † nec etiam præiudicare Capitulo, vel saltem Ecclesiæ, *Abb. in cap. fin. num. 44. de præscript. & ibi Felin. num. 11. Castr. cons. 34. num. 2. & cons. 338. num. 3. lib. 1. Honded. cons. 76. nnmer. 14. lib. 2.* &
10 multo minus quia d. confessio est incerta cum syndicus non dixerit stabulenses esse decimatores omnium bonorum *l. certum est vbi Bart. & aly ff. de confess. Surd. cons. 311. num. 60.*

Nec etiam visum fuit posse fieri aliquod fundamentum super dispositione testium examinatorum per Monasterium, cum non
11 deponant† de quadragenaria ante motam litem cum requisitis, *gloss. in cap. 1. de præscript. in 6.* quæ præscriptio quadragenaria requiritur ad fundandam intentionem Ecclesiæ contra Ecclesiam Parochialem *c. de quarta, & ibi Abb. num. 4. & cap. ad aures de præscript.* quia ex supradictis non habet as-
12 sistentiam Iuris, Nec etiam concludunt quoad bona Capituli dum dicunt stabulẽses esse decimatores loci Conda, quia indefinita in teste non æquipollet vniuersali, & satis eorum dictum verificatur si in aliquo prædio sint decimatores, *Innoc. in cap. auditis de præscript. Crauett. cons. 33. num. 16. Natt. cons. 412. n. 26. Surd. cons. 431. nu. 68. & dec. 263. num. 10.*

Nec placuit quod dicitur Capitulum non probare satis concludenter se exemptum à solutione decimarum, quidquid enim sit de eo sufficit reo actorem non pro
13 basse quia † ex non Iure actoris reus absoluitur vulgatis iuribus.

Et ità vtraque parte informante fuit decisum.

## ROMANA SEU CASTREN. AFFICTUS.

*Lunæ 5. Iunij 1617.*

## ARGVMENTVM.

Gesta intra terminum ad appellandum non sunt attentata quando appellatio non datur.

## SVMMARIVM.

1 *Appellatio non datur contra obligationem Cameralem ad effectum suspensiuum.*
2 *Appellatio interposita post terminum datum ad appellandum nullius est roboris.*
3 *Attentata sunt gesta pendente recursu.*
4 *Attentata allegand incumbit onus probandi per probationes concludentes.*
5 *Ignorantia recursus, quæ facilè inducitur attenta modicitate temporis, & distantia loci excusat ab attentatis.*
6 *Mandatum nullum & notoriè iniustum non potest exequutioni demandari.*
7 *Mandatum relaxatum à Iudice legitimè recusato est nullum.*
8 *Recusatio quæ ad notitiam Iudicis non peruenit, non tollit Iurisdictionem illius.*
9 *Suspicionis allegatio non probata quando non fuit appellatum ab vlteriori processu non tollit iurisdictionem Iudicis.*
10 *Mandatum relaxatum pro plus debito est nullum.*
11 *Animi declaratio requiritur ad hoc vt ea, quæ alicuius meræ facultati remittuntur ligent.*
12 *Exceptio non adimplementi admittitur in contractu vltro citroque obligatorio.*
13 *Exceptio non adimplementi competit conductori contra locatorem, num. 14. & 19.*
15 *Exceptio non adimplementi non competit nisi in ijs quæ sunt de genere implendorum non vero in ijs quæ consistunt in impedimento superuenienti.*
16 *Exceptio impedimenti superuenientis non impedit executionem obligationis Cameralis.*
17 *Conductori constituto in pacifica possessione rei.*

*rei locatæ si superueniat aliquod impedimentum non competit alia ratio nisi ad interesse, & non ad resolutionem contractus.*

18 *Conductor allegans se impeditum in possessione rei locatæ debet probare.*

20 *Interesse non liquidatum non impedit executionem obligationis cameralis,*

21 *Mandatum ritè & rectè relaxatum vigore obligationis cameralis est executioni demandandum.*

22 *Conductor redditus ex locatione percipiens non debet a cautione liberari sub prætextu molestiarum cum alia via possit sibi prouidere.*

## DECISIO CXXXI.

ROTA censuit non constare de attentatis, sed esse procedendum ad vlteriorem executionem dempta tamen summa retinenda ad extinctionem census pro quo Sauinus conductor fideiusserat pro D. Mario locatore.

Præcipuum decisionis fundamentum illud fuit, quia R.P.D. Stella Iudex deputatus qui mandatum vigore obligationis Cameralis relaxauit illud potuit sine vitio attētatorum non obstante appellatione execu-
1 tioni demandare, quia non † dabatur appellatio ad effectum suspensiuum, *Cassad. decis. 1. num. 2. de mut. petit. Mohed. decis. 2. & 3. de exceptio. Gales. ad 3. par. post oblig. cam. q. 1. n. 1. cum allegatis.*

Tum etiam quia dictum decretum factum reperitur 13. Martij præteriti & eadem die intimatum, appellatio vero interposita die 25. dicti mensis Martij, & ita postquam terminus datus ad appellandū
2 iam per biduum effluxerat, † paria enim sunt actum non fecisse, & illud inutiliter fuisse factum, *l. non putauit §. non quouis vbi Bart. ff. de offic. præs. l. quoties ff. qui satisd. cogant Cap. Nicolao de appell.*

Nec obstant quæ longa verborum serie ab informantibus pro Sauino ad inducenda attentata proponuntur, & primo dum
3 dicitur † pendente recursu ad Principem non potuisse exequi mandatum qui recursus probatur ex eo quod post porrectum memoriale Sanctissimo Procuratores partium inter se conuenerant coram Reuerendiss. D. Datario de persona Prælati, qui huiusmodi causæ commissionem proponere de ordine Sanctiss. debeat, & adhunc effectum coram dicto Prælato citatus fuerat Procurator dicti Marij, ex qua citatione saltem ipsum habuisse scientiam dicti recursus ante factam executionem præsumebatur.

Huic obiectioni responderunt DD. ad excludenda attentata (quę delicto obspretam superioris iurisdictionem non carent)
4 benigniorem semper sumi debere interpretationem, & ideo sæpius Rota censuit
5 ei qui allegat attentata incumbere onus ea probandi per probationes non æquiuocas aut præsumptas, sed concludentes, in hac autem proposita facti specie attenta modicitate temporis, quod effluxit inter, citationem factam coram Prælato à partibus approbato vsque ad diem executionis factæ in oppido Aquæpendentis distante ab Vrbe 70. milliatibus, vel circiter visum fuit non posse induci scientiam talem in D. Mario quæ inducat spretum Signaturæ, & causet attentata, sed facilè posse excu-
6 sari, vt in simili respondit *Rota coram Seraph. decis. 1096. num. 2. Lancell. de attent. 2. p. cap. 4. limit. 27. & par. 1. cap. 1. num. 92. & de attentat. post inhibitionem limit. 25.*

Secundo obijcitur decretum D. Stellæ esse nullum & notoriè in iustum & ita non
7 potuisse † exequutioni demandari, *l. 4. §. condemnatum ff. de re iudic. fusè Lancell. de attentat. nullit. pend. p. 2. cap. 17. nu. 10. & seq. cum allegat.*

8 Nullitas † deducitur ex defectu iurisdictionis Iudicis qui relaxauit mandatum postquam fuit legitimè recusatus causaque ab eo auocata ab A. C. & alteri Prælato deputato commissa *Rot. decis. 23. alleg. 2. de procurat. in nou. Guidob. decis. 91. fuit dictum in vna Hispalen. seu Caurien. permutationis 4. Decembr. 1595. coram Gipsio.*

Hæc obiectio tollitur ex facto, nam ex toto processu coram D. Stella facto nulla legitur recusatio, & ea quæ in alio processu facta fuit coram A.C. non reperitur ad notitiā Iudicis peruenisse, vltra quod alle-
9 gatio † suspicionis non probata quando non fuit appellatum ab vlteriori processu non tollit iurisdictionem Iudicis, *l. non distinguemus §. cū quidam ff. de recept. arb. glos. in cap. quoniam contra, vers. & si Iudex non admittat de probat. Innoc. in cap. cum Episcopali num. 4. vers. et supra his vbi Butr. vers. alij dicunt de appell. Gabr. de iud. conf. 5. n. 2. Caputaq. decis. 390. par. 2. fuit dictum in vna Mediolanen. rescissionis transactionis coram Reuerendiss. Damasceno 14. Decembr. 1603.*

Quod autem non constet de auocatione cau-

causæ, & deputatione alterius Prælati clarissimè colligitur ex reuolutione actorum nam deputatio facta ab A. C. de R. P. D. Pepulo die 13. Martij 1617. non fuit facta purè & simpliciter, sed cū decreto, nisi ad primam cū intimatione, vt in registro fol. 26. à tergo, quæ intimatio tantum abest vt fuerit facta, quin potius apparet dictam deputationem à neutra parte acceptatam cum Procurator Sauini die 15. eiusdem mensis citauerit D. Martium ad dandam listam Iudicum confidentium, vt in d. registro fol. 27. quod nunquam fecisset, si deputationem Domini Pepuli acceptasset, vltra quod ex reuolutione actorum constat nunquam hanc deputationem notificatam Iudici alias prius legitimè deputato, & de cuius iurisdictione non dubitabatur.

Secunda nullitas quæ percutit iniustitiam ex eo prætēditur, quia Iudex relaxa-
10 uit mādatum pro plus debito cū Sauinus vt patet ex Instrumento publico haberet facultatem retinendi scuta 500. pro extinguendo censu vna cum fructibus ratione fideiussionis per eum factæ pro D. Mattio locatore.

Verum hęc obiectio non reddit nullum, aut iniustum mādatum quia Sauinus nunquam coram Iudice de hoc opposuit qui alias non potuit diuinare verum iste conductor vellet vti hac facultate, ad hoc
11 enim vt ea quæ alicuius merę facultati remittuntur ligent, requiritur declaratio animi istius vt sciri possit verum ea facultate vti velit nec ne, vnde cum postea in actis Sauinus declarauit se velle dictam partitam destinatam in extinctione census penes se retinere Domini declararunt pro hac parte non esse obligatum cedulam bāchariam dare, quia dictam summam cum tempus solutionis aduenerit debet creditoribus census persoluere, vt tam ipse fideiussor quàm principalis sua obligatione liberentur.

Tertia nullitas seu potius iniustitia resultare dicitur, quia Iudex in contractu vltro citroque obligatorio nō admisit exceptionem nō adimplementi, quæ D. Ma-
12 rium actorem à limine Iudicij remouebat, *l. Iulianus §. auferri ff. de act. empt. l. ædiles §. fin. ff. de ædilit. edict.* vbi ædiles statuerunt vt qui prior agit prior adimpleat, quam exceptionē admitti etiam cum agitur vigore obligationis Cameralis, notissimi Iuris est.

Hanc autem exceptionem non adimplementi ex duplici capite probare nituntur informantes pro cōductore, & primo pro-
13 pter † impedimentum extractionis granorum præstitum ab Illustriss. D. Thesaurario, quo stante non potest vti dicta extractione concessa, & promissa per D. Locatorem in instrumento locationis sine qua promissione verisimiliter non contraxisset, vt in terminis extractionis *Rol. cons. 69. per tot. lib. 4.* vbi dicit posse ex illo capite resolui contractum.

Secundum caput non adimplemēti præ-
14 tenditur, quia subditi D. Marij non soluūt integrè salmam vnam grani pro qualibet salma terræ ab eis possessa in Territorio Farnesiano prout habetur in assignatione redditus facta à Domino Locatore conductori.

Et quoad primum obiectum attinet responsum fuit hanc exceptionem non respicere implementum, sed impedimentum superueniens, adimpleuerat enim iam D. Locator ab initio pro parte sua bona sua conductoribus tradendo, & contractus habuit suam executionem per successiuam patientiam toto triennio conductoribus præstitam, vnde si superuenerunt impedimenta vt conductores extrahere non potuerint annonam vel propter renitentiam Vassallorum exigere non potuerint respō-
15 siones, † hæc omnia non sunt de genere implendorum, sed consistunt in impedimento superuenienti, cum sufficiat semel adimpletum, etiamsi non duret adimpletum, *l. in substitutione ff. de vulg. & pupill.*
16 *Surd. cons. 36. num. 77.* & ideo hæc † exceptio impedimenti superuenientis finito triennio non impedit executionem obligationis Cameralis ex fusè deductis in vna *Romana pecuniaria 18 Iunij 1607. coram bo. mem. Penia, & in vna Romana Affictus 2. Aprilis 1593. coram Illustriss. Mantica,* & in alijs multis decisionibus quæ dantur vbi hæc quæstio in terminis decisa fuit.

Ex quo enim Sauinus constitutus fuit in
17 possessione pacifica rei locatæ, & istius extractionis (quidquid sit verum D. Marius teneatur d. Conductorem in d. extractione manutenere) non competit ei alia ratione nisi ad interesse, sed non ad resolutione m contractus, *l. si in lege §. colonus l. si merces §. qui fundum l. si fundus ff. locati Soccin. sen. cons. 125. num. 7. lib. 1. cum allegatis in vna Romana damnorum, & interesse 5 Iulij 1593*

coram

18 *coram Illustriss. Mantica* † cum enim alleget se fuisse impeditum id debet probare, liquidare damnum, & agere ad interesse, non autem potest per viam exceptionis non adimplementi impedire executionem, *vt in Romana Afflictus 30. Martij 1612. coram R.P.D. meo Pirouano, & in supradictis decisionibus.*

Quoad secundum caput obiecti obtinet
19 desumptũ ex impedimento † integræ responsionis terrarum illud non potest dici probatum ex sola renitentia Vassallorum solvere debentium, non enim sufficit quod quis recuset soluere nisi etiam probet ad solutionem non teneri, vnde conductores agere debent via Iuris, & cogere Vassallos ad soluendum, D. enim Locator tenetur ipsis præstare assignationem factam esse exigibilem alias ad interesse, quod simi-
20 liter † non liquidatum ex supradictis non impedit obligationis Cameralis exequutionem.

Ex quibus omnibus patet responsio ad
21 aliam partem dubij, nam † cum Iudex rectè, ritè & iustè processerit in relaxatione mandati vigore obligationis Cameralis illud debitè executioni est demandandum, in quam sententiam eo libentiùs iuerunt DD, quia hodie non agitur de soluendo pretium locationis, sed tantum de dando cedulam quæ succedit loco cautionis, nec
22 æquum † est vt conductor qui percipit fructus & redditus ex locatione debeat interim liberari ab ista cautione sub prætextu dictarum molestiarum cum possit post datam cedulam agere pro suo interesse, illud liquidare, & obtinere mandatum cuius vigore apponet sequestrum pecuniarũ in manibus mercatoris, & hoc modo vtrique parti erit consultum.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CIVITATIS CASTELLANAE CANONICATVS.

*Veneris 2. Iunij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Iudices & executores mixti nulliter procedentes possessionem manutenibilem non tribuunt.

### SVMMARIVM.

1 *Possessio probatur ex publico instrumento alio non existente in possessione.*
2 *Possessio posterior non est manutenibilis.*
3 *Iudex nulliter & attentate procedens non priuat possessorem sua possessione.*
4 *Executor parte non citata non potest executionem decernere.*
5 *Littera Apostolica non dicuntur producta quando producens eas secum reportauit.*
6 *Sententia Iudicis præcipitanter lata, nulla & inualida est.*
7 *Clausula, amoto, facit executorem mixtum.*
8 *Executor mixtus tenetur iuris ordinem seruare, & assumere partes Iudicis.*
9 *Appellatio datur à decreto executoris mixti.*
10 *Attentata sunt gesta per Iudicem pendente termino ad appellan.*
11 *Attentata saltem per viam nullitatis sunt reuocanda.*
12 *Possessorium iudicium prius quam petitoriũ terminandum est.*
13 *Prædo spoliatus restituendus venit.*

### DECISIO CXXXII.

Domini pro Petro informante respõderunt dandum scilicet ipsi mandatum de manutenendo de cuius possessione
1 anteriori capitulariter capta † constat ex publico Instrumento, quod sufficit alio non existente in possessione, *Menoch. retinend. remed. 3. nu. 575. Rota diuers. decis. 363. num. 1. par. 1.* cum alijs fusè deductis in vna *Regien. beneficij 15. Nouembris 1613. coram me*, in qua multæ decisiones allegantur.

Non obstat possessio Angeli, quia tan-
2 quam † posterior non est manutenibilis, *cap. licet causam & ibi DD. de probat. Rot. decis. 19. nu. 1. par. 2. diuers.* & quamuis capta reperiatur auctoritate Iudicis, Angelo tamen suffragari non potest, cum Iudex nul-
3 liter & attentatè procedẽs non priuet possessorem legitima possessione, *l. 4. §. condemnatum ff. de re iudic. cum vulgarib.* & ita Petrus qui non habuit se pro spoliato, & animo pristinam possessionem retinuit, iure potest petere manutentionem, *Put. decis. 419. in fin. lib. 2. cum vulgarib.*

Nullitas clarè apparet ex eo, quia Angelus obtinuerat sibi prouideri de Canonicatu, de quo agitur tanquam vacante per incapacitatem Petri, qui cum non fuerit

rit citatus omnia gesta per Iudicem executorem corruunt, & præcipuè executio
4 facta, *Acchil.decis.3 de re iudic.Put.decis.91. lib.3. Seraph.decis.1314. num.2. cum similibus.*

Secunda nullitas deducitur, quia constat Angelum nunquam exhibuisse litteras Apostolicas nisi verbaliter, & animo eas reportandi, prout actualiter reportauit, & ideo exhibitio & productio cum non fuerit
5 realis, perinde est ac si litteræ † nunquã fuissent exhibitæ, *Corn.cons.218.nu.4.lib.1. Roman.cons.156.num.3.*

6 Nulliter † etiam Iudex processit, quia eadem die & hora, qua dictæ litteræ ipsi fuerunt præsentatæ, ita nimis præcipitanter concessit immissionem, *Put. decis. 344. lib.1.Gabr. cons.6. num.6. de sentent.* & fuit decisum.

Et quod omnem tollit difficultatem nullitas & attentata clara ex eo resultant, quia cum ageretur de impetratione certo modo Iudex non erat merus executor, sed mixtus, quia impetratus fuerat Canonica-
7 tus per incapacitatem Petri cum † clausula (amoto) quæ facit executorem mixtum, *Abb.in cap.de cætero num.8. vbi Felin.nu.9. de re iudic.* sicque tenebatur executor Iuris
8 ordinem seruare, & assumere partes Iudicis, *Abb.in cap.pastoralis §. quia verò nu.3. de offic.deleg.& tenuit Rot.in causa Zamoren. confraternitatis 14.Iunij 1591.coram Gipsio & alias sæpe.*

Quod cum Iudex non fecerit, imò de facto sine iustificatione gratiæ, & litterarũ Apostolicarum immiserit d. Angelum in possessionem adsunt attentata clarissima debuit enim deferre appellationi, quia ab
9 eius decreto seu sententia † dabatur appellatio *Guidopap.decis.71.num.3.Card. consil. 63.in princip.Rot.decis.32.de rescript.in antiq.& decis.30.de rescript.in nou.* Vnde om-
10 nia † gesta per d. Iudicem pendente termino præscripto à iure ad appellandum dicuntur attentata, *cap. non solum de appell. in 6.cap.2, vt lit. pend.* vel saltem reuocari
11 debent † per viam nullitatis, *Cas.de Graff. decis.2.num.5. de appellat.* cum alijs allegatis in vna *Syracusana beneficij 19. Martij coram Illustriss.Pamphilio*, & multoties fuit decisum.

Quæ narrantur in gratia Angeli, & dici possent de pœna exilij ab Vrbe, & eius districtu inducta d.Petro respiciunt petitorium & merita causæ interim cum agatur in summarijssimo Iudicio, & momentanea possessione eo prætextu retardari non de-
12 bet, prius † enim possessio, quã Canonica institutio est discutienda, *cap. in litteris*
13 *de restit.spoliat.* cum prædo † etiam spoliatus sit restituendus, *l.1.§.qui à me ff. de vi & vi armat.l.vltima ff. de acquir. possess. l.10.ff.de donat.int.vir.& vxor.*

Et ita conclusum informante tantum Petro in maximam Angeli sæpius citati, & non comparentis contumaciam.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Lunæ 5. Iunij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Creditor quando habet in manibus debitoris pecunias nunquid propria authoritate possit illas sibi soluere, & an tunc pecuniarum dominium in eumdem creditorem transferatur.

### SVMMARIVM.

1 *Identitas pecuniarum præsumitur ex identitate summæ, temporis, formæ & alijs.*
2 *Pluralitas summarum non præsumitur nisi probetur.*
3 *Creditor habens pecunias debitoris in suis manibus potest eas retinere & sibi ipsi soluere itaut ab isto non possint auocari ab alio creditore sub prætextu anterioritatis vel à Domino dictarum pecuniarum.*
4 *Pecuniæ dominium transfertur per traditionem earum & commixtionem cum suis.*
5 *Pecuniæ dominium quando non censeatur translatum in creditorem qui sibi ipsi soluit absente & ignorante debitore ita quod ista possint auocari à creditore anteriore & fortius à pecuniæ Domino.*
6 *Dominium & possessio nunquam acquiritur ignoranti & absenti nisi forte per Procuratorem.*
7 *Dominium rei possesæ vt acquiratur requiritur animus & intellectus possidendi qui animus non datur in absente, & ignorante.*
8 *Donatæ rei sine acceptatione dominium non transfertur in donatariam.*
9 *Mandati fines ad vnguem sunt seruandi.*
10 *Dominium non acquiritur ab existente in mala fide.*

11 Pe-

11 *Pecunia mala fide consumpta condici potest ac si extaret.*
12 *Ratificatio retrotrahitur & sufficit vt postea interueniat declara nisi medio tempore alteri fuerit ius quæsitum, n.13.*
14 *Actus nullus nullum producit effectum.*
15 *Paria sunt actum non fecisse & illum non legitimè fecisse.*
16 *Clausula, omnesque alios inducit litis pendentiam quoad citatos habentes interesse.*
17 *Attentata sunt gesta lite pendente.*

## DECISIO CXXXIII.

POstquam visum fuit Dominis mandatum A. C. in fauorem D. Ducis Cesarini contra Serenissimum Electorem Coloniæ fuisse nulliter attentatè & pro plus debito relaxatum Agentes pro d. D. Electote prætendentes pecunias vigore dicti mandati sequestratas repetiri adhuc penes D.Robertum Primum ad quem per litteras cambij ab Hispania in Vrbem fuerunt transmissæ, actionem direxerunt contra dictum Robertum, vnde dubitaui vtrum dictus Rebertus ad earum pecuniarum solutionem teneretur, quo dubio proposito DD. affirmatiuè responderunt.

Et primo existimarunt non posse controuerti, quin pecuniæ, quæ continentur in litteris cambij Io. Lucæ Palauicini, quæ spectabant ad d. D. Electorem sint ipsemet quas d. Robertus sibi ipsi applicare declarauit in satisfactionem crediti, quod habebat cum bo. me. Duce Iuliano Cesarino, concurrit enim identitas summæ in scutis 4278. sol.3. den.7. auri in auro & sic non solum in scutis sed etiam in solidis & denarijs deinde concurrit forma litterarum videlicet quod dd. pecuniæ soluēdæ erant cum interuentu Excellentissimæ D. Liuiæ vxoris d. D. Ducis, cum alijs coniecturis diei, mensis, & anni, quæ simul iunctæ
1 probant † identitatem, *l. qui aliena ff. de acquir. hæred. l. quadam mulier ff. de reivindic. Bart. in l. triticum, & ibi DD. ff. de solut. Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 24.* cum multis allegatis in *decisione Seraphin.* 1093. stante maximè quia non præsumitur plu-
2 ralitas † summarum nisi probetur, *Bald. cons. 344. lib. 2. cum alijs per Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 15. n. 8.*

Secundo non reuocarunt in dubium propositionem firmatam ab informantibus pro D. Roberto licitè posse † creditorem pecunias debitoris sui, quæ ad eius manus peruenerunt sibi ipsimet soluere, & ita so-
3 lutas non posse auocari à creditore debitoris per eum qui prætendit se vel anteriorem, vel dominum illarum pecuniarū fuisse, *Afflict. decis. 290. Ioseph. Perus. dec. 45. num. 20. Menoch. cons. 25. num. 1. Seraph. decis. 174. nu. 3. fusè Couar. pract. quæst. cap. 29. nu. 1.* Quidquid enim sit in aliarum traditione rerum, id speciale est in pecunia, vt facta traditione, & commixtione transfe-
4 ratur † dominium, etiam si res esset aliena, *l. alieni nummi. ff. de solut. glos. & Bart. in l. singularia ff. si cert. pet.*

Verum non ideo fuisse liberatum dictū Robertum censuerunt, quia hæc conclusio tantummodo videtur habere locum, quando ipsemet debitor soluit pecuniam suo creditori in eam causam tunc enim efficitur illius, qui recipit per commixtionem irreuocabiliter, & desinit esse in dominio
5 debitoris, † secus verò quando creditor ex se sibimet soluit absente & ignoran-
6 te debitore, quia tunc non transfertur dominium deficiente termino habili nempè scientia & consensu debitoris, & sic non sufficit sola traditio, *l. nunquam nuda ff. de acquir. rer. domin. cum alijs per Surd. allegatis cons. 4. num. 41. vol. 1.* & quamuis Robertus habeat exceptionem retentionis, & compensationis anterior tamen & præcipuè dominus potest auocare dictam pecuniam re integra ab eo, qui est debitor, dum adhuc dominium non est translatum, deficit enim causa commixtionis, & consumptionis, potestque eam condicere ab eo, qui locupletior factus est ex re sua, *l. si eum. & ibi Ciriac. ad Affricanum ff. de reb. cred. l. si ipsa ff. quod met. caus. l. vltima ff. de negoc. gest.*

Quæ conclusio in hoc casu habet locū, quia bo: me: Dux Iulianus, cui directæ erāt litteræ cambij, & soluendæ pecuniæ, nec eius hæredes eo præmortuo vnquā agnouerunt istas pecunias fuisse suas, & ita earum dominium penes eos nec per momē-
6 tum stetit cum † ignoranti, & absenti nūquam acquiratur dominiū sicuti nec possessio nisi fortè per Procuratorem, *l. 1. C. per quas personas l. 1. per procuratorem ff. de*
7 *acquir. possess.* requiritur † enim animus & & intellectus possidendi ad effectum vt dominium rei possessæ acquiri possit *d. l. 1. §. cæterum & §. hæc quæ eod. tit.* qui animus nō

potest

potest dari in absente & ignorante, *l.2. C.
de seruit. & aqua.* potuisset enim d. Dux
Iulianus, vel eius hæredes huiusmodi lit-
teras cambij non acceptare, nec poterant
8 ad id cogi, cum etiam † rei donatæ sine
acceptatione dominium vel possessio non
transferatur penes donatarium absentem,
*l.absenti ff. de donat.*

Deinde cum expressè in dictis litteris
cautum esset, vt D.Duci Iuliano soluerentur
tur istæ pecuniæ cum interuentu tamen D.
Liuiæ eius vxoris, sine cuius consensu non
poterat hæredibus soluere dominiumque
earum in eos transferre, nec per conse-
quens sibimet Robertus satisfacere, cum
9 ipse fines mandati ad vnguem † deberet
seruare, *l.diligenter ff.mandati Anch.cons.75
in princ. Alex. cons.6. num.3. lib.4.* alias di-
ceretur ipsum mala fide pecuniam receptã
10 commiscuisse cum sua, & † tunc sibi do-
minium non acquisiuisse, *l. sed etsi pater in
fin.ff.ad Macedon. Dign. in l. de eo §. si quis
ff.ad exib.*quem sequitur *Bart.in d.l.si alie-*
11 *ni ff.de solut.* pecunia † enim mala fide cõ-
sumpta potest condici perinde ac si exta-
ret, *l.obligari §.pupillus il 1.ff.de auct.tut. l.
Cassius ff.de solut.§.admonẽdi inst.quib.alien.
licet glos.in l. si filius in verb.condictione ff. si
cert.pet.num.5.* vbi ait fingi pecuniam ex-
tare, & ideo æquè ac si extaret vindicari
posse cum alijs allegatis per *Surd. consil.4.
num.43.*

Non obstat ratificatio subsequuta DD.
Ducis Moderni & Ducissæ eius matris, quę
12 retrotrahitur,† sufficitque vt postea inter-
uenerit, *l. fin. ff.ad Macedon.Iasin l. si quis
mihi bona §. iussus ff.de acquir. hæred. Thes.
decis.7.num.2.& 3.*

Quidquid enim sit, vtrum ad præstan-
dum hunc consensum necessariæ fuissent
quoad D. Liuiam solemnitates statutariæ,
Placuit DD.responsio hanc ratificationem
factam fuisse post motam litem contra
ipsummet Robertum contestatam, & ita
medio tempore ius quæsitum fuit D. Ele-
ctori, qui non habuit dominium suum pro
abdicato ex mandato nullo & iniusto, &
iure merito exigit pecunias suas exactas à
D.Roberto, quas ipse Robertus exegit à
D.Luca Parauicino prout apparet ex In-
strumento in actis producto in quo expres-
sè promittit indemnem se redditurum d.
Lucam Parauicinum in euentum, quod
ista solutio sibi facta non subsisteret.


Ex quibus apparet ratificationem istam
13 tanquam † nullam & attentatam haberi
pro non scripta & non facta, cum nullum
14 Iuris effectũ actus iste † nullus producere
potuerit, *l.4. §.condemnatum vbi DD. ff.de*
15 *reiudic.* paria † enim sunt actum non fe-
cisse, & illum inutiliter & minus legitimè
fuisse factum, *l.non putaui §.non quæuis vbi
Barb.ff.de offic. Præsid.l.quoties ff. qui satisd.
cogant.cap.Nicolao de appell.*& proinde cum
nunquam istæ pecuniæ fuerint effectę DD.
de Cesarinis debitorum d. Roberti pos-
sunt hodie ab earum vero domino vin-
dicari,aut condici, licet à D.Roberto con-
sumptæ perinde ac si extarent ex supradi-
ctis.

Nec placuit DD. quod dicitur vigore
16 clausulæ, omnesque alios, non esse indu-
ctam litis pendentiam cum d. D.Roberto,
qui fuit citatus vigore cõmissionis,nam cũ
de eius euidẽtissimo interesse hodie cõstet
ex supradictis quippè qui pecunias istas
in quibus dominium nunquam acquisiuit
retinet sine dubio ipse perinde ac si nomi-
natus esset in dicta commissione compre-
henditur, & postquam fuit citatus ab illa
17 die, omnia per ipsum † acta remanent at-
tentata, *Vestr.in prax.Romanæ Romanæ Cu-
riæ lib.4. cap.2. fusè Lancell. de attent. post
inhibit 2. part.cap.20.in præfatione q.4.n.94
& 95.*vbi decisionem in fortioribus termi-
nis allegat.

Nec etiam obstat, quod dicitur adhuc
pendere litem contra DD. Cesarinos con-
tra quos non fuit prolata sententia non
enim agitur ad repetendum indebitum
solutum, sed prætenditur pro parte Ele-
ctoris nunquam dd.pecunias fuisse solutas
DD.de Cesarinis, saltem legitimè, & ita
easdem hodie remanere penes dictum Ro-
bertum.

Quæ dicuntur de legitimatione per-
sonarum ea satis fuerunt sublata ex deci-
sionibus, in hac causa factis, tam coram
Reu. P. D. meo Caualerio quam coram
me,

Et ita decisum vtraque parte informan-
te.



O ME-

METEN. PROFESSIONIS.
*Luna 19. Iunij 1617.*

## ARGVMENTVM.

Professio Monialis, quando censeatur facta metu reuerentiali.

## SVMMARIVM.

1 *Restitutio in integrum non datur sine læsione.*
2 *Validitas sententiæ ex quibus dicatur constare.*
3 *Iustitia sententiæ rotalis resultat ex decisionibus in causa factis.*
4 *Professio tacita quæ inducitur ex solemni susceptione veli distincti æquiparatur professioni expressæ quidquid sit in tacita professione ex simplici habitus indifferentis delatione.*
5 *Metus reuerentialis, & metus cadens in constantem virum, quibus in casibus requiratur pro annullanda professione.*
6 *Verbum,* forsan, *est dubitatiuum.*
7 *Professio solemnis per susceptionem habitus, an differat à professione tacita ad effectum vt dicatur facta metu reuerentiali.*
8 *Verba naturaliter exprimunt certum conceptum mentis.*
9 *Simile non est idem.*
10 *Professio dicitur metu facta, quando in susceptione habitus fuit facta protestatio à Moniali, & postea sæpius repetita.*

## DECISIO CXXXIV.

POst latam sententiam in Rota in fauorem D. Renatæ Elisabeth de Floremilla pro nullitate professionis pro parte DD. Annæ, & Francescæ sororum d. Renatæ recursu habito ad Signaturam causa restitutionis in integrum prout iuris mihi commissa proposito dubio vtrum constaret de causis restitutionis in integrũ DD. negatiuè responderunt.

Moti sunt ea ratione, quia de iure non
1 datur restitutio in integrum, † nisi docto prius de læsione, quæ in hoc casu adesse non potest, cum constet de validitate, & iustitia sententiæ Rotalis, & quoad
2 validitatem † latã fuit seruatis seruandis præuijs citationibus, mandatis, & iurisdictione, omnibusque requisitis.
3 De iustitia satis superq; constat ex tribus decisis. in hac causa corã R.P.D. meo Vbaldo factis, in quibus causa maturè per triennium discussa ex multis rationibus decisum fuit non constare de tali professione, quæ dictæ Renatæ possit obstare.

Quibus non obstat, quod dicitur multum differre inter tacitam professionem resultantem à simplici habitus indifferentis delatione, & eam quæ inducitur ex solemni susceptione veli distincti, quæ æquipa-
4 ratur † professioni expressæ. Primo enim casu sufficit metus reuerentialis, in secun-
5 do verò † requiritur metus cadens in constantem virum, ad excludendam præsumptionem surgentem ex susceptione habitus, qui deferri non solet, nisi à professis, *arg. cap. 1. de his quæ vi metusue caus. & ibi Abb. num. 14. & Henricus Boich. d. cap. 1. n. 3.* quæ doctrina Abbatis dicitur militare in nostro casu, cum probetur per testes dictam Renatam suscepisse velum album à nouitijs gestari solitum à Sacerdote præsente Abbatissa, & postea anno probationis elapso velum nigrum Monialibus professis dari solitum cum eadem cæremonia.

Huic obiectioni pluribus modis responderunt DD. & primo consideratis verbis ipsiusmet Abbatis visum fuit ipsum dubitatiuè loqui, vtitur enim his verbis (credo posse dici) & sub fine dicti numeri 14.
6 vtitur hoc verbo (forsitan) quod est dubitatiuum, *l. Gallus, §. forsitan, ff. de lib. & posth. l. Etsi quis, §. fortassis, ff. de relig. & sumpt. funer. l. arboribus, §. vlt. ff. de vsufruct.*

Secundo responderunt, omnes quasi Canonistas nulla facta differentia susceptionis habitus solẽnis interpretatos fuisse dictum capitulum primum de his, quæ vi metusue causa, vt habeat locum in om-
7 ni professione tacita, † quæ inducitur per delationem cuiuscumq; habitus, & inter eos id expressè tradunt *Innoc. in d. cap. 1. num. 3.* claris verbis, quæ quasi eadem repetit, *Io. Andr. num. 9. Hostien. num. 12. Butr. num. 25.* vbi expressè loquitur de deferente habitum professorum, *Imol. num. 16.* quĩ ita debere intelligi *d. cap. 1.* expressè tradit, his verbis allegando rationem diuersitatis, quod verbalis professio certitudinaliter arguit, seu demonstrat professionem,
8 quia verba † naturaliter exprimunt certũ conceptum mentis, *arg. l. labeo §. tubero, ff. de supell. legat.* Et ideò tunc standum est professioni expressæ nisi iustus metus interue-

uenerit, & probetur, sed receptio habitus non infert semper pernecesse mentem certam profitendi, sed præsumptam solum à iure, quæ præsumptio semper per contrarium eliditur, *arg. cap. transmissa, qui filij sint legitimi cum ibi notatis cap. cum inter de elect.*

Considerabant tertio etiam si daretur susceptionem veli solemnem æquiparari professioni expressæ, non ideo sequi esse
9 expressam, † omne enim simile non est idem ex regula Philosophorum semperq; comparationes, & similitudines claudicant, & ita in effectu cum desint concepta verba, remanet semper professio præsumpta, & non expressa, licet forsan solemnis veli susceptio requireret probationes clariores, quas satis superque concludentes adesse apparet ex testibus, & rationibus ponderatis in dictis decisionibus coram D. meo Vbaldo factis in quibus dicitur
10 sufficere protestationem † in susceptione dicti habitus ante, postea, & semper sæpius repetitam à d. Renata consuluit, *Bald. consil. 206. lib. 4. Hond. cons. 78. nu. 25. lib. 2. Rota decis. 206. num. 21. par. 2. diuers.* cum multis alijs allegatis in prædictis decisionibus.

Quæ dicuntur ab informantibus pro dictis sororibus Renatæ, quo ad delationem veli nigri post obitum auiæ per annum, & vltra ea penitus tam in iure, quàm in facto satis superque sublata sunt in decisione in hac causa facta die Lunæ 25. Maij 1615. & fusissimè in vltima decisione coram d. D. Vbaldo Lunæ 13. Februarij 1617. quæ rursus ponderata placuerunt Dominis, & omnem tollere penitus difficultatē visa sunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA PECVNIARIA DE COLVMNA.

*Lunæ 19. Iunij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Reijciuntur nonnullæ nullitates oppositæ contra mandatum Rotale.

### SVMMARIVM.

1 *Mandatum in procuratore ex quibus præsumatur, & n. 2. 3. & 4.*
5 *Nullitates non sunt attendendæ quando sunt turbidæ, & constat de iustitia mandati Rotalis.*
6 *Recipiens bona cū omnibus oneribus ad quid teneatur.*
7 *Instrumenta plura stipulata vnico contextu censentur correspectiua.*
8 *Hæres non potest impugnare declarationem sui authoris prout nec hæres hæredis.*
9 *Mandatum quando sine liquidatione possit relaxari.*
10 *Taxatio fructuum inter partes quoad stabilia quando non sit prohibita.*
11 *Quod semel placuit amplius displicere non potest.*
12 *Exceptiones fideicommissi turbidæ non retardant viam executiuam.*

### DECISIO CXXXV.

Placuerunt decisiones in hac causa factæ, non obstantibus eisdem exceptionibus nullitatis, & iniustitiæ oppositis, & sublatis in tribus decisionibus.

Et quoad nullitatem ex defectu mandati Procuratoris, in qua potissimum insistebant informantes pro D. Duce; Placuit responsio data in decisione; quod quidquid sit, an ex sola substitutione facta à Procuratore censeantur ratificata antea gesta, cessat nullitas ratione mandati præsumpti ex commissionibus obtentis ex sustentatione litis, cum tot laboribus, & magnis expensis, tam in informando Signaturam, quàm in disputationibus factis coram R. P. D. meo Remboldo, ex productione iurium, ac scientia D. Ducis, vt ex productione iurium (præcipuè cum d. productio importat notabilem expensam, vt in
1 hoc casu) præsumi mandatum † tradidit *Bart. in l. vulgo in fin. ff. de administr. tutor. Roman. cons. 486. numer. 11. Cravet. cons. 80. num. 5. Caput. decis. 183. nu. 3. par. 2. Seraph. decis. 933. num. 2. & decis. 973. num. 4. fuit dictum in Nicoteren. donat. 22. Iunij 1601. coram Illustriss. Millino in Bononien. Pecuniaria, seu bonorum 1. Martij 1612. coram Illustriss. Ludouisio in Ceneten. Parochialis, Lunæ 19. Iunij 1606. coram Reuerendissimo Lugdunen.*
2 Ex expensis autem mandatum præsumi testatur *Cassad. decis. 3. num. 4. de procurat. Cas. de Grass. decis. vlt. de procurat. Crescen. decis. 1. alias 15. de præsumpt. & alij allegati in alia decisione, & fuit dictum in d. Nicoteren. donationis in Pampilon. praeminentiar. Vener. 14. April. 1606. coram R. P. D. meo Manzanedo, in Ceneten. parochialis*, Lunæ

 27. Iu-

27. Iunij 1607. *coram Reuerendiss. Lugdun. & in alijs causis.*

3 Ex scientia enim Domini mandatum deducit *Innoc. in cap. ex parte Decani, num. 2. & ibi Abb. num. 8. circa medium de rescript. Castr. cons. 1. num. 1. lib. 1. Bisignet. decis. 13. de procurat. latè Afflict. decis. 308. num. 6. 7. & 8. Rota decis. 38. & 39. de procurat. in nou. & fuit dictum in d. Bononien.* Vnde hoc casu omnibus prædictis concurrentibus non visum fuit posse dari de defectu mandati.

Et ex his sequitur talem procuratorem,
4 qui consensit standum esse simplici copiæ habuisse ad id sufficiens mandatum, nec substitutio facta à procuratore generali, qui habebat facultatem substituendi tollit prædictam præsumptionẽ mandati, & procuræ, vt fuit dictum in *Cramonen. pensionis 26. Ianuarij 1609. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno.*

5 Ex quibus etiam, & alijs fusius deductis in decisione visum fuit cessare penitus omnes nullitates oppositas, vel saltem reddi adeò turbidas, vt minimè attendendæ veniant stante præsertim iustitia mandati, *Rota diuers. decis. 762. in princ. par. 1. Seraph. decis. 933. in fin.*

De iustitia verò clarè constat ex tribus
6 decisionibus, nec visum fuit obstare D. Iuliam non teneri vigore transactionis, nisi pro tertia parte, quia placuit responsio data in decisione ipsam recepisse vnico contextu tenutas Passarani, & Galliani, cum omnibus oneribus, & sic cum onere soluendi dotem, & quartũ dotale, quod onus tunc fuerat super dictis tenutis impositum ex allegatis in decisionibus.

Nec visum fuit refragari prædicta verba, cum oneribus, non legi in instrumento celebrato cum D. Flaminia, quia dum omnia
7 instrumenta † fuerunt stipulata vnico contextu censentur correspectiua, & vnum alteri inesse, *l. si ventri, §. vltimo, & ibi glos. ff. de priuileg. credit. Alex. cons. 90. numer. 8. vers. nec habent obstare lib. 3. Grauet. cons. 298. sub n. 13. Gabr. de præsumpt. concl. 13. numer. 28. Mantic. de tacit. lib. 3. tit. 15. num. 50.*

Sed omnis difficultas visa fuit sublata ex obseruantia subsequuta dum sola D. Iulia, & pro ea D. Martius soluit integros fructus, quod & declarauit D. Clarix in
8 suo testamento, † quam declarationem non potest D. Iulia eius hæres, nec D. Dux hæres Iuliæ impugnare, *l. cum à matre, C. de rei vindicat. cum similibus in decisione allegatis.*

9 Non etiam visum fuit obstare assignationem fuisse factam in tot fructibus dictarum tenutarum Gallicani, & Passarani, pro rata dictæ dotis, & quarti, & propterea non potuisse relaxari mandatum absque præcedenti liquidatione.

Nam placuit responsio non fuisse necessariam, cum adesset in effectu facta à partibus per solutionem ad summam scutor. 720. vt constat ex libris D. Claricis, qui dum fuerunt appositi in inuentario, non possunt ab eius hærede impugnari, & eo minus accedente declaratione eiusdem Claricis facta in testamento, quæ dictam liquidationem videtur approbasse, & ratam habuisse.

Et licet replicaretur, non potuisse partes facere talem vniformem taxationem; Tamen placuit responsio data in alijs de-
10 cisionibus, obiectum procedere vbi adesset excessus de quo hic nullo modo constat, cum taxatio parum excedat quatuor pro centenario, & tamen *Rota apud Cæs. de Graff. decis. 1. de vsur.* admisit ad rationem quinque stante maximè prædicta obseruantia.

Alia exceptio iniustitiæ deducebatur ex eo, quod in summa pro qua fuit facta assignatio sunt comprehensa scut. 3500. donationis propter nuptias, quæ per obitum Claricis erant restituenda illius filiabus, & per consequens cessare fructus debuissent; Verum placuit responsio aliàs data in secunda decisione R. P. D. mei Remboldi, quod dum pro dote, ac donatione propter nuptias fuerunt assignati fructus ex dictis tenutis Gallicani, & Passarani, non potest dici per obitum Claricis cessasse obligationem soluendi fructus D. Flaminiæ, quæ remansit creditrix pro sua portione dictorum fructuum, non solum dotis, sed etiam donationis propter nuptias.

Demum nec visa fuit obstare toties repetita exceptio fideicommissi ad fauorem Francisci, & cuius ratione dicitur D. Martium fuisse coactum soluere scut. 40. mil. nam & in alijs decisionibus fuit responsum, non constare de fideicommisso non obstantibus decisionibus factis ante transactionem, nec etiam constare de solutione dictorum scut. 40. mil. & ita in omnem euentum, quatenus etiam constaret, tamen cum esset detrahenda legitima Sciarræ, ex qua

qua dos D. Clariceis restitui debet, & illa fuerit assignata super his tenutis consen-
11 tiente D. Martio, † non videtur hodie posse impugnari, quod semel fuit approbatum, maximè cum agatur via executiua, &
12 istæ † exceptiones fideicommissi de quo non adhuc constat, & lis pendet coram R.P.D. meo Vbaldo requirant altiorem indaginem.

Reliquæ omnes obiectiones visæ fuerunt Dominis sublatæ ex responsionibus datis in tribus præcedentibus decisionibus, tam coram R.P.D. meo Remboldo, quàm coram me factis, quæ rursus maturè consideratæ, & ponderatæ placuerunt Dominis.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## LVCANA PENSIONIS.

*Mercurij 28. Iunij 1617.*

## ARGVMENTVM.

Nullitas, & iniustitia sententiæ ex quibus deprehendatur.

## SVMMARIVM.

1 *Nullitas sententiæ ex defectu citationis dicitur resultare ex quo Iudex processit in petitorio dum iudicium non erat introductum nisi in possessorio, & cuius monitorij vigore citatio fuerat decreta.*
2 *Sententiæ nullitas resultat ex non seruatione terminorum substantialium.*
3 *Terminorum substantialium omissio reddit processum nullum.*
4 *Actus est nullus ex defectu formæ substantialis.*
5 *Termini substantiales seruari soliti in executiuis sunt diuersi ab ijs, qui seruari solent in iudicio ordinario.*
6 *Pensionum translationes vigore priuilegiorum militum Lauretanorum, an sustineantur, & de quibus pensionibus loquantur, & num. 8. 9. & 10.*
7 *Verba vniuersalia omnia includunt.*

## DECISIO CXXXVI.

Visum fuit Dominis sententiam extra Rotam latam ex capite nullitatis, & iniustitiæ esse reuocandam.

Prima nullitas ex eo colligitur, quia iudicium non fuerat introductum coram A.C. super nullitate translationis pensionis, sed in possessorio super nuda executione, & ita non poterat Iudex in petitorio sine nouo monitorio pronunciare, cum citatio decreta vigore monitorij ad diuersam rem non suffragetur pro sustinenda
1 sententia, subintratque nullitas ex defectu citationis, *Felyn. in cap. consuluit in princ. de offic. deleg. Bart. in l. aut qui aliter, ff. quod vi, aut clam.* cum multis susissimè allegatis in vna *Hispalen. Canonicatus 19. Nouembris 1560. coram Cotta*; in qua hæc quæstio in terminis deciditur, & non sine magna ratione, cum qui agit in summario possessorio, & instat solum pro manutentione, non cogitat, quomodo se possit defendere in petitorio, vnde noua requiritur citatio.

Secundam nullitatem deducebant Domini ex defectu terminorum substantialiū,
2 sine quibus sententia lata nullitatis vitio subiacet, *Rota decis. 2. num. 1. de rescript. in nouis, Aegid. decis. 27. Cassad. decis. 8. num. 6. eod. tit.* Cum enim termini substantiales
3 sint de essentia Iudicis si omittantur processus est nullus, & consequenter sententia ipso iure nulla, *l. prolatum, & ibi glos. C. de sent. & interlocut. omn. iudic. Raph. Fulg. cons. 167. num. 2. Dec. cons. 483. col. 1. & 2. & multoties fuit in Rota decisum, & præcipuè coram Card. Mantica 17. Decemb. 1593. in vna Sabinen. pensionis*, vbi dicitur Bullam fel. rec. Pij IV. non substinere actum
4 nullum † ex defectu formæ substantialis, *cap. cum dilecta, & ibi Doctores omnes de rescript. cum multis ibi cumulatis.*

Nec placuit quod dicitur deseruire terminos seruatos à translatario ad docendum D. Decanum paruisse litteris Apo-
5 stolicis, & monitorialibus, quia isti sunt termini seruari soliti in iudicio executiuo, non autem in iudicio ordinario pro sententia diffinitiua super nullitate translationis pensionis, in quo termini substantiales diuersi seruari solent, vt patet ex lectura eorumdem terminorum.

Quoad iniustitiam sententiæ attinet, ea dicitur euidens dum Iudex pronunciauit trāslationem pensionis esse nullam, quamuis vigore priuilegiorum militum Lauretanorum potuisset iure transferri.

Et licet eadem pensio fuerit alias translata vigore eorumdem priuilegiorum, nihilominus si verba, & mens Summi Pontificis in Bulla quartæ erectionis attentè
6 considerentur, † apparebit nulla ratione

excludi posse translationes vigore eorumdem priuilegiorum factas, cum dicantur expresse verbis generalibus, vt in puncto respondit *Rota coram Reuerendiss. Attrebaten. 9. Martij 1607. in vna Papien. pensionis.*

Verba enim in prædictis facultatibus
apposita ad declarandam intentionem
Papæ, de quibus pensionibus alias trans-
latis intellexerit concedere facultatem
ipsis militibus, vt denuo semel translatas
transferre possent, sunt generalia imo etiã
7 vniuersalia, & geminata, sicque compre-
hendunt omnes pensiones, à quocumque,
& quomodocumque translatas cum verba
vniuersalia omnia includant, *l. Iulianus de
leg. 3. cap. si Romanorum 19. distinct. Bart. in
l. generali, §. vxori, ff. de vsufr. fusè Bec.
cons. 94. num. 31.* & nulla persona compre-
hensa in generali locutione dicitur exce-
pta, *Rol. cons. 54. num. 50. & cons. 61. nu. 29.
lib. 3.*

Non obstat, quod dicitur translationes
pensionum esse odiosas, & ista priuilegia
tanquam exorbitantia à iure communi es-
se restringenda, & non extendenda, ex re-
gulis iuris vulgaribus; Placuit enim re-
sponsio non hodie quæri de interpretatio-
ne extensiua, sed comprehensiua, quæ men-
8 tem ✝ Summi Pontificis ostendit sub ver-
bis generalibus omnes translationes pen-
sionum comprehendere volentis, *Rolan. d.
cons. 54. num. 39. Aymon. cons. 294. per totum,
Ruin. cons. 73. numer. 19. lib. 3. Aret. cons. 29.
n. 17. cum allegat.*

Et ideò non applicatur dispositio, *l. bo-
ues, §. hoc sermone, ff. de verb. sign.* Siue
9 enim habeatur ratio ipsius pensionis non
potest dici pensionem semel translatam
non esse amplius transmissibilem, quia re-
pugnaret de directo verbis expressis Bullæ
siue persona consideretur ipsius militis
transferentis, & eo casu certum est perso-
nam militis, qui transtulit secunda vice
non esse eandem, sed diuersam, & sic non
intrat materia, *d. l. boues.*

Non obstat denique maximum informantium pro D. Decano fundamentum, dum dicitur priuilegia, quorum vigore fuerunt semel translatæ pensiones esse posita discretiuè, & pro termino distincto à priuilegijs ipsorum Militum Lauretanorum, itaut comprehendant tantum facultatem transferendi pensiones vigore quorumcumque priuilegiorum non autem præsentium translatas.

Huic obiectioni responderunt Domini
hæc verba non fuisse apposita discretiuè,
sed potius demonstratiuè, ampliatio siqui-
10 dem est generalis, ✝ & illa verba vigore
quarumcumque facultatum non inferunt
differentiam vnius priuilegij ab altero, sed
omnes facultates, & priuilegia insimul cu-
mulant, si enim Bulla accuratè legatur, &
perpendatur, apparebit non debere exclu-
di ista priuilegia, in quibus de mente
Principis apparent cumulata omnia alia
priuilegia; & si alia sumeretur interpreta-
tio inducta ad fauorem multiplicis, & vni-
uersalis priuilegij contrariũ penitus ope-
rarentur effectum, *Aym. d. cons. 294.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CAMERINEN, SEV CALLIEN. PECVNIARIA.

*Luna 26. Iunij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Statutum exclusiuum fœminarum ob existentiam masculorum an habeat locum quando sorores vterinæ volunt succedere cum fratribus vterinis ad hæreditatem communis matris.

### *SVMMARIVM.*

1 *Fœminæ, masculique æqua lance de iure succedunt matri.*
2 *Statutum exclusiuũ fœminarum à successione vtriusque parentis ob existentiam masculorum non habet locum inter vterinas, & vterinos quoad successionem matris.*
3 *Statuta exclusiua fœminarum ob masculos censentur facta pro conseruatione familiarum, & agnationum.*
4 *Cessante causa dispositionis cessare debet, & illius effectus.*
5 *Statuta exorbitantia à iure communi sunt stricte interpretanda.*
6 *Causa finalis mens & dispositio statuentium colligitur ex proœmio.*
7 *Verba clara proœmij dispositionum declarant dispositiones dubias,*
8 *Statuta exclusiua fœminarum ob masculos descendentes per lineam masculinam non extenduntur ad fratres vterinos, qui non descendunt à linea masculina, sed fœminina.*
9 *Vxor, vel eius hæredes præmortuo marito ex æqui-*

*æquitate, vel implorato Iudicis officio pos-
sunt admitti ad paternam dotem ab eo qui
ad eam soluendam fuit obligatus.*
10 *Actio hypothecaria competit vxori, vel eius
hæredibus contra bona promittentis dotem.*
11 *Actio competens viro pro dote consequenda
est inducta in fauorem ipsius vxoris ne alias
remaneat indotata.*

## DECISIO CXXXVII.

IOANNES Ludouicus, & Hieronymus
de Innocentijs filij q. Erminiæ egerunt
coram A. C. pro solutione dotis promissæ
per Ludouicum patrem d. Erminiæ ipso-
rum patri contra hæredes d. Ludouici,
mandataque executiua pro scutis 1200.
obtinuerunt, Verum cum eadem Erminia
priùs nupta fuisset Vincentio S. Crucio, &
ex primo matrimonio tres filias suscepisset
ideo dictæ filiæ insurrexerunt, cæperunt-
que prætendere partem dictæ dotis pro-
missæ Erminiæ sibi competere tamquam
vocatis ad hæreditatem ab intestato com-
munis matris æquo iure cum fratribus vte-
rinis nō obstantibus constitutionibus Sere-
nissimorum Ducum Vrbini, statutisque ex-
cludentibus fœminas propter masculos,
sed cum d. fœminæ, quæ pro eorum inte-
resse coram eodem A. C. fuerant ad cau-
sam admissæ, repulsam passæ fuissent, cau-
sa in gradu appellationis mihi commissa
Dubitaui vtrum fratribus supradictis con-
stitutionibus, & statuto Callij fœminæ
stantibus fratribus vterinis à successione
matris censeantur exclusæ, quo dubio pro-
posito Domini negatiuè responderunt, ea
maxime ratione, quia de iure communi
nulla habita sexus differentia fœminæ,
1 masculique æqua lance in successione ma-
tris ab intestato concurrunt, *l. maximum
vitium, C. de liber. præter.*
Nec obstāt prædictæ constitutiones vna
cum statuto Callieñ in Summario dictarū
fœminarum datæ, quibus fœminæ extanti-
2 bus masculis à successione † vtriusque pa-
rentis arcentur, non enim habent locum
in sororibus vterinis volentibus succedere
vna cum fratribus vterinis in successione
communis matris, vt in terminis *Soccin.
cons. 84. num. 1. in fin. & seq. lib. 2.* vbi dicit
ita conclusum fuisse, & iudicatum per ce-
lebertimos vtriusque Iuris Consultos, idē
*Socc. cons. 241. num. 8. in fin. lib. 2. & in l. cum
vir num. 2. ff. de condit. & demonstr. Bald. con-
sil. 316. lib. 2. Brun. de stat. art. 12. num. 98.
99. & 250. & seq.* cum multis alijs fusissi-
mè allegatis in vna *Firmana Pecuniaria
10. Iunij 1613. coram R.P.D. Verospio*, vbi
hanc opinionem Rota amplexa est, repro-
bata Gabrielis, & Hondedei contraria
opinione.
3 Huiusmodi enim statuta † regulariter
censentur facta pro conseruatione familia-
rum, & agnationis, vt latè per *Brunum di-
cto tract. art. 3. in princ. per totum, & art. 12.
nu. 250. & 251. Menoch. cons. 426. num. 6.*
sicque cum ratio considerata per statuentes
cesset in concursu fratrum vterinorum, per
quos dici non potest familiæ, & agnationis
decus propagari posse, vt est notorium;
Dispositio quoque Constitutionum, aut
statuti cessare debet, ex vulgari regula
4 cessante † causa cessat effectus, quæ tanto
magis habet locum, quia huiusmodi sta-
5 tuta sunt exorbitantia † à iure communi,
& ita non sunt trahenda de casu ad casum,
sed stricta fieri debet interpretatio vulga-
tis iuribus.
Quod autem d. Callij statutum, & hu-
iusmodi cōstitutiones Serenissimorum Du-
cum Vrbini factæ fuerint pro conseruatio-
ne agnationis satis visum fuit colligi ex
6 verbis † præfationis, ex quibus mens, &
dispositio statuentium deprehendi solet,
*arg. l. fin. C. de hæred. instit. cum similibus.
Nonius in his terminis cons. 12. num. 6. & 7.*
Verba siquidem dictarum constitutionum
sunt clara, & clariora ipsius statuti dum ex-
pressa fit mentio conseruationis familiarū,
7 & agnationis, per quæ verba † statuti si
adesset dubietas in verbis constitutionum
venirent declarandæ, vt in terminis *Surd.
cons. 568. num. 9. & seq.*
Consideratum denique fuit per dictum
statutum, & dictas Constitutiones non ex-
cludi fœminas per masculos quoscumque
purè, & simpliciter, sed solummodo per
descendentes per lineam masculinam, &
8 ideo non † extendi debent ad fratres vte-
rinos, qui non descendunt à linea mascu-
lina, sed fœmina, *Fulgos. cons. 54. numer. 2.
vers. in oppositum, Brun. d. tract. art. 8. n. 52.*
cum allegatis per informantes.
Nec etiam obstat, quod dicitur dictos
fratres de Innocentijs egisse coram A. C.
petijsseque dotem Erminiæ matris non
vt eius hæredes, sed tamquam hæredes pa-
tris, cui dos à Ludouico fuerat promissa.
Responsum enim fuit, vel ex æquitate, aut
9 implorato Iudicis officio admitti † potuisse
præmortuo marito vxorem, vel eius hære-
des

des ad petendam dotem (quidquid sit de rigore iuris) ab eo, qui eam soluere fuit obligatus secundum *decis. Guidop. qu.375. per totum.* vel saltem negari non posse ipsi
10 vxori, hæredibusque actionem † hypothecariam competere contra bona promittentis dotem; *l. vnica, C. de rei vxor. act. Franc. decis. 33. num. 5.*

Et quod omnem penitus difficultatem tollit, cum hodie dos dictæ Erminiæ vigore mandatorum ab A. C. relaxatorum sit exacta per filios & hæredes secundi mariti rationi congruit, vt sicut deberet hodie restitui hæredibus vxoris per maritum, ita eo mortuo exacta dos ab ipsius hæredibus debet restitui filiabus, & hæredibus ab intestato d. vxoris pro ea parte, in qua dictæ filiæ cum fratribus vterinis matri succedunt qui d. dotem exegerunt.

11 Totus enim circuitus † dandi actionem viro inductus est in fauorem ipsius vxoris, ne alias remaneat indotata, *Doct. in l. si pro te, C. de dot. promiss. Corn. cons. 183. in princ. lib. 4. & cons. 318. num. 3. lib. 3. Bald. Nouel. de dot. par. 8. priuileg. 24. & 25. inter tractatus cum allegatis.*

Quæ dicuntur de non transportatione actorum, & legitimatione personarum hodie sublata videntur ex reuolutione actorum, & testium depositionibus datis in Summario pro parte Vrsolinæ, & sororum.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Iunæ 3. Iulij 1617.*

## ARGVMENTVM.

Mercator nunquid possit propria authoritate sibi soluere debitum sui debitoris habentis pecuniam in suo banco. Vbi non adest cameralis obligatio iudicium incipere non potest à sequestro, & seruandi sunt termini substantiales.

## SVMMARIVM.

1 *Creditor numquid possit propria authoritate sibi soluere debitum ex pecunia sui debitoris penes ipsum existente, & num. 2.*

3 *Pecunia vnius non transeunt in dominium alterius sine scientia, & consensu domini pecuniarium.*

4 *Creditor anterior potest auocare pecuniam solutam per debitorem posteriori creditori, & quomodo procedat.*

5 *Pecunia commixta, & consumpta mala fide possunt condici.*

6 *Iudex non potest incipere à sequestro, & multo minus cessante obligatione camerali.*

7 *Termini substantiales sunt necessary quando proceditur ordinariè.*

## DECISIO CXXXVIII.

EX quibus rationibus sub die 5. Iunij proximè præteriti visum fuit Dominis D. Robertum Primum teneri ad resti-
1 tutionem pecuniarum quas ipse † sibi soluere non potuit pro computo DD. de Cæsarinis ex iisdemmet fundamentis DD. standum esse in decisis censuerunt, non obstantibus quæ in contrarium longa verborum serie deducuntur.

Et primo non obstat, quod dicitur pecuniã prius fuisse solutam Bernardo Roias Procuratori D. Ducis Iuliani in Ciuitate Madrid, & deinde ex eius ordine, & mandato transmissam ad Vrbem per litteras Lucæ Parauicini vnde inferunt, cum hæc pecunia transiuerit in dominium Ducis
2 Iuliani per commixtionem † D. Robertum potuisse de ea pecunia facta sui debitoris sibi soluere.

Responsum enim fuit nullam constitui differentiam, quod pecuniæ fuerint in dominio, & possessione Serenissimi Electoris, vel quod fuerint illi debitæ, semper enim vrget eadem ratio quod pecuniæ extant, & non transiuerunt in dominium Roberti,
3 qui † sine scientia, & consensu d. Ducis Iuliani sibimet soluere voluit, sufficit enim vt hæc debitæ sint Serenissimo Electori, etiam si dictæ pecuniæ mala fide commixtę non fuissent de eius dominio, nam semper agere potest ad condicendam pecuniam sibi debitam, dummodo extet, etiamsi per mille manus ambulauerit, potestque auocari, vt fusè declarat *Surd. cons. 4. num. 43.*
4 dum loquitur de creditore † anteriore auocante pecuniam solutam per debitorem posteriori creditori, cum creditor anterior nunquam fuisset dominus illius pecuniæ in specie; & licet non sint ipsæmet nihilominus censentur subrogatæ in locum aliarum pecuniarum primo per Procuratorem receptarum, sapiuntque naturam eius in cuius locum facta fuit subrogatio, *Mant. cons. 80. vol. 2. Gabr. de reg. iuris. consil. 2. num. 2.*

Se-

Secundo responsum fuit vltra quod non constat de sufficienti mandato d. Bernardi Roias, omnia gesta ab eo nulliter,& attentatè gesta, & sic cum ab initio † adfuerit
5 mala fides possunt condici pecuniæ etiam commixtæ, & consumptæ, vt tradit idem *Surd. d. cons.* 4. *num.* 43. & fusiùs firmatum fuit in supradicta decisione coram me.

Quod autem nulliter pecuniæ fuerint solutæ dicto procuratori patet,quia sequestrum factum ab A. C. mandatumque de consignando omniaque gesta vigore dictorum decretorum fuerunt nulla, & attentata, & de eo nunquam Domini dubitarunt, & ipsimet Domini Cæsarini in supplicatione porrecta in Signatura Gratiæ illud ingenuè fassi sunt.

Nullitates enim sunt palpabiles, & quę
6 nullo modo velari possunt quia A.C. non potuit contra omnes iuris regulas incipere à sequestro multò minus cum nulla adesset obligatio cameralis, sed esset iudicium ordinarium, procedere per simplex decre-
7 tum de consignando † non seruatis terminis substantialibus, & nemine citato cum in actis non constaret de credito DD. de Cæsarinis, epistola enim nunquam fuit legitimè, & parte citata recognita, nec instrumentum census facti ad fauorem DD. de Glorerijs,in quo vis tota pro fructibus fuerat productum, vt videre est ex reuolutione actorum.

Quoad secundam partem dubij Domini existimarunt non posse adhuc Serenissimum cogere D. Robertum, cum huiusmodi actio non possit separari, nec debeat repetere pecuniam, nisi quatenus probet eam sibi debitam, fuisse indebitè sequestratam, & relaxatam, alias semper dicto Electori obstaret mandatum de consignando donec iudicialiter fuerit reuocatum, idque per rem iudicatam, Robertus siquidem iure prætendet, etiam si sibi soluere non potuerit, eam tamen pecuniam Ducis Iuliani, vel suorum hæredum retinere posse, quousque creditum Serenissimi Electoris fuerit per sententiam,quæ possit executioni mandari canonizatum.

Et ita decisum.

MANTVANA PENSIONIS.

*Lunæ 1. Iunij 1615.*

## ARGVMENTVM.

Pensione reseruata in ducatis auri de Camera quando isti sint præstandi, vel pecunia quæ illis correspondet de tempore solutionis.

## *SVMMARIVM.*

1 *Monetæ certa species promissa, nec in bonitate intrinseca mutata eademmet est soluenda, vel eius æstimatio de tempore solutionis & num.* 4.

2 *Monetæ valor promissus ex facto priuatorũ pendet, sed species promissa à voluntate Principis si certa nummorum species fuit in obligatione.*

3 *Suprema potestas est veluti vis maior cuius, vti casus fortuiti nulla debetur euictio.*

4 *Qui sentit onus, sentire debet, & commodũ.*

5 *Lucrum legitimum est quod accidit ratione incertitudinis.*

## DECISIO CXXXIX.

ANNO 1592. reseruata fuit à fel. rec. Clemente VIII. annua pensio mille ducatorum aureorum de Camera super fructibus mensæ Episcopalis Mantuanæ in fauorem Illustrissimi Cardinalis Iustiniani. D. Episcopus qui huc vsque non soluit nisi annua scuta mille nonaginta aurea ponderis veteris cæpit prætendere se plus soluisse, & pro satisfactione sufficere scuta mille auri pōderis veteris vna cũ mille iulijs pro mille ducatis, cui prætesioni ministri D. Cardinalis acquiescere noluerunt, sed dixerunt solutionem mille ducatorum aureorum de Camera iusti ponderis in eadem nummorum specie eum reperiuntur esse faciendam, aut si alterius generis nummos exsoluerunt habēdam rationem eorũ veri valoris qui tempore solutionis faciendæ erit, & ita non sufficere dicta scuta mille nonaginta veteris ponderis, & multo minus, quod dictus Episcopus prætendit scuta mille aurea dicti ponderis veteris cũ mille iulijs, eum quibus non possunt haberi mille ducati de Camera, vnde proposito super hoc particulari dubio Domini pro Illustriss. Cardinali pensionario vnanimiter responderunt.

Mo-

Moti fuerunt hae præcipuè ratione, quia
certa species nummorum ducati scilicet
aurei de Camera fuerunt promissi, & sunt
in obligatione, qui hodie & de tempore
solutionis extant, & videntur, & eorum
1 bonitas † intrinseca non est mutata,
aut alterata, sed extrinseca, seù valor ip-
sius tantum, vnde consequens est non pos-
se tantundem reddi, neque eandem boni-
tatem præstari, & exolui, nisi vel mille
ducati aurei de Camera eiusdem monetæ
genere, eodemque numero soluantur, vel
debitor vt creditoris indemnitati consulat
tantundem in alijs nummis præstare velit,
quanti totidem ducati de Camera iusti pon
deris emi possint, vt in terminis similis du-
cati ex professo fusissimè respondit *Soccin.
iun. cons. 101. per tot. vol. 3. Bart. & aly in
l. Paulus in 2. quæst. & in l. si quis stipulatus
decem, ff. de solut. & in l. 1. §. 1. ff. de aur. &
arg. legat. Aret. cons. 11. & cons. 84. Hostien.
cæteriq. Can. in cap. quanto de iurepatr. Abb.
in cap. olim de censib. in 4. notab. vbi allegat.
consilium Oldr. 31. Corn. cons. 279. & fusius
cons. 187. vol. 1.* cum multis alijs fusissimè
congestis in vna *Acheruntina fructuum Ve-
neris 28. Aprilis 1600. coram Illustrissimo
Cardinali Lancellotto*; in qua plurimæ au-
ctoritates Doct. & aliæ conformes Rotæ
decisiones allegantur, & nuper in vna *Ca-
puana pensionis coram R. P. D. meo Verospio
6. Marty præteriti*, eâdemque opinionem
Rotæ amplexum fuisse Parlamentum Bur-
dagelense asserit *Boer. decis. 327.* & Sena-
tum Parisiensem tradit *Ann. Robert. rerum
iudic. lib. 1. cap. vlt.*

Magna siquidem adest differentia, quan-
do æstimatio, seù valor pecuniæ promissus
fuit, vel quando certa nummorum species
præcisè est in obligatione, primo enim ca-
su ista æstimatio ex facto priuatorum pen-
det, *l. si voluntate C. de rescind. vend.* In
secundo verò casu in nummis pretium vo-
luntate Principis æstimatur, quæ semel
promulgata conuentionibus priuatis legē
imponit, suprema potestas est veluti vis
2 maior, † cuius vt casus fortuiti nulla debe-
tur euictio, *l. Lucius, ff. de euict. l. item si
verberatum, §. item si fortè, ff. de rei vindic.*
vnde si non ijdem nummi eiusdem bonita-
tis intrinsecæ saltem tantundem creditori
solui debet habita ratione æstimationis
pretij, & monetæ tunc currentis secundum
Principis voluntatem *Clem. fin. de decim.*

Si contigisset enim valorem ducatorum
aureorum de Camera à tempore obliga-
tionis decreuisse in bonitate intrinseca,
tamen debitor mille ducatos aureos sol-
uendo liberaretur, eadem ratione quale-
cumque eueniet incrementum, non aliter
obligationi satisfiet, nisi mille ducati nu-
merentur eorumue talis valor vt creditor
reperire, & emere possit totidem ducatos
aureos, qui ei per debitorem fuerunt pro-
3 missi, ex vulgata iuris regula † qui sentit
onus &c. quam rationem ponderauit in
indiuiduo, *Rota coram Gyptio in vna Cæsa-
raugustana pensionis 11. Maij 1591.* & licet
ratione incertitudinis aliquod lucrum ac-
cedat legitimum est, *l. oleo, C. de vsur. l. si
pater puellæ, C. de inoff. test. l. de fideicomm.
C. de transact.*

His positis non obstant in contrarium
deducta ex decisione Romana octo zecca-
rum coram eodem Illustrissimo Lancellot-
to cum allegatis, quia procedunt in reser-
uatione facta in scutis aureis veteris pon-
deris, quæ cum ante decretum octo zecca-
rum esset in communi commercio dicun-
tur stipulata, & esse in obligatione, & sic
in eis præcisè facienda erat solutio, secùs
verò dicendum in reseruatione ducatorum
de Camera, qui vel sunt soluendi in ea-
demmet nummorum specie nunquam in
valore intrinseco mutata, vel danda eius
æstimatio in moneta currente, vt ex ea du-
cati aurei de Camera possint de tempore
solutionis pensionis faciendæ emi à credi-
tore, qui aliter cautus esse non potest, nec
vllo modo cogendus est in aliam formam
4 numinos † accipere, si ex ea re damnum
aliquod passurus est, vt respondit *Paulus
I.C. in l. creditorem 99. ff. de solut. d. Soccin.
cons. 101. num. 3. Boer. dicta decis. 327. nu. 5.*
cum alijs allegatis in supradictis decisio-
nibus.

Nec obstare potest obseruantia tanti
temporis, quæ colligitur ex solutionibus
hucusque factis in scutis aureis ponderis
veteris, quia cum reseruatio sit præcisa, &
euidens in ducatis de Camera frustra re-
curritur ad coniecturas *vulg. l. ille, aut ille,*
5 *ff. de legat. 3.* cum in claris † obseruantia
interpretatiua locum non habeat, *Dec. con-
sil. 49. num. 1. Aretin. cons. 115. num. 2.* & in
istis terminis respondit *Rota in dicta Cæsa-
raugustana pensionis coram Gypsio, & fusius
in dicta Capuana pensionis coram R.P.D. meo
Verospio*, in qua multæ aliæ auctoritates, &
decisiones adducuntur.

Et ita decisum vtraque parte infor-
mante.

RO-

ROMANA PRAELATIONIS.

*Lunæ 16. Ianuarij 1617.*

ARGVMENTVM.

Prælatio quando competat censuarijs etiam si census acquisiuerint pendente lite.

*SVMMARIVM.*

1 *Dominus census in venditione fundi censuati debet præferri cæteris emere volentibus.*

2 *Alienatio rei non prohibetur ob litis pendentiam super iure illi connexo.*

3 *Collitigantes possunt saltem ex æquitate canonica acquirere nouum ius à tertio non existente in lite, & ex illo obtinere.*

4 *Denunciatio futuræ venditionis fundi censuati debet fieri Domino census non autem procuratori.*

DECISIO CXL.

DOMINI censuerunt sorores de Rubeis esse præferendas in emptione
1 vineæ tamquam † censuarias vigore Bullæ Pij V. *Seraph. decis. 1475. fuit dictum in Romana vinea 31. Ianuarij 1601. coram Illustriss. Millina, & in alia Romana vinea 26. Iunij coram Illustriss. Ludouisio.*

Nec visum fuit obstare census acquisitionem fuisse factam pendente lite, & ad æmulationem; Responsum enim fuit quo ad litis pendentiam non posse dici litem fuisse motam super censu, imò nec etiam super dominio vineæ, sed super prælatione
2 & ideò valida est † alienatio, quæ non impeditur per litem super iure connexo, *l. 1. C. de litig. & l. 1. ff. eodem, l. quamquam, §. Iulianus, ff. de aq. pluu. arc. Afflict. decis. 331. Cassad. decis. 4. in princ. vt lit. pend.*

Nec etiam alienatio dicitur facta ad æmulationem, quia cum dictæ mulieres ab initio intentarint prælationem ex capite vicinitatis, & postea acquisierint huiusmodi censum ad effectum vt facilius possent consequi vineam cessabat omnis æmulationis præsumptio, nec iure prohibitum
3 est collitigantes posse acquirere nouum Ius à tertio non existente in lite, & ex illo obtinere, præcipuè ex æquitate canonica *cap. Abbate de re iudic. in 6. Bart. in l. & an eadem, §. actiones col. penult. vers. sed de æquitate canonica, ff. de except. Oldrad. cons. 229. num. 3. Gabr. de indic. concl. 4. num. 27.*

Nec etiam visum fuit obstare denunciationes factas à Lisciano nam illa facta Lucatello asserto Procuratori Societatis Sancti Bartholomæi dominæ census visa fuit insufficiens, quia nec de illius mandato
4 constat, & denunciatio † debet fieri domino, cuius est declarare, an velit præferri vt in simili de interpellatione inuestiturenti ad effectum constituendi aliquem in mora pro vsuris, tenuit *Rota in vna Romana de Crescentijs anni præteriti coram R. P. D. meo Pamphilio*. Interpellatio verò facta sororibus, postqnam ipsæ census cessionem reportarunt non obstat, quia infra terminum 30. dierum datum censuario in Bulla declararunt in articulis se velle præferri, & quamuis talis declaratio fuerit facta à Procuratore, tamen infra eundem terminum fuit ab ijsdem sororibus ratificata, & de nouo facta, quæ declaratio quicquid pro parte Lisciani dicatur visa fuit satis clara.

Et licet articulus fuerit reseruatus à Iudice, tamen ex eo non fuit sublata declaratio facta à dd. sororibus, tamquam quod non potuisset fieri, sed solum, quod ille articulus non erat admittendus in causa prælationis ratione vicinitatis.

Verùm quia pro parte Lisciani prætendebatur se esse præferendum ratione alterius census scutorum quinquaginta antiquioris super eadem vinea impositi, & per eum acquisiti pendente hac lite DD. dixerunt sententiam latam extra Rotam, qua mandatur sorores esse præferendas esse confirmandam, nisi obstet instrumentum census, de quo voluerunt particulariter dubitari.

Et ita decisum vtraque parte informante.

CAESENATEN. SEPARATIONIS THORI.

*Mercurij 22. Iunij 1617.*

ARGVMENTVM.

Vxor dedignata si discedat è domo viri, & secum portet iocalia ex quibus probetur ea non esse propria, sed eius viri, & an dicantur donata à viro vxori, vel à socero nurui.

*SVMMARIVM.*

1 *Testis duo in qualibet materia sufficienter probant.*

Oppo-

2 *Oppositiones contra testes si sint leues non attenduntur.*
3 *Confessio extraiudicialis fortius probatur per testes quando est adminiculata.*
4 *Testes quando dicantur deponere de certa scientia, quod iocalia vxoris sint mariti.*
5 *Testis famulus & singularis habens pro se aliquam confessionem extraiudicialem, & præsumptionem iuris concludenter probat.*
6 *Vxor non tenetur ad restitutionem iocalium sibi donatorum à socero.*
7 *Iocalia quando sunt magni valoris non præsumuntur a socero, vel viro donata vxori.*
8 *Vxori non est credendum dum asserit eius virum, vel socerum sibi donasse iocalia.*
9 *Maritus dando iocalia vxori si vtatur verbo, donare, intelligi debet quoad vsum; secus, quoad proprietatem.*
10 *Vxor quæ discessit ab eius viro vt cogi possit ad restitutionem iocalium eidem datorum à viro quæ veniant discutienda.*

## DECISIO CXLI.

PROPOSITO per me dubio vtrum constet D. Mariam Felicem cum à domo viri in Monasterium confugit detulisse secum gemmas, & iocalia de quibus deponunt testes, itaut ea teneatur restituere D. Fabio eius marito, visum fuit Dominis respondendo primæ parti dubij constare de transportatione, & eadem iocalia esse viri.

Et primo ipsam dicta iocalia asportasse à domo viri, eaque dum in Monasterio S. Catherinæ moraretur penes se habuisse, & demum cum Romæ vna cum fratre iter aggressa est secum detulisse probatur per depositiones duarum Monialium contestiũ quæ deponunt de facto proprio, & reddunt optimam causam scientiæ, vnde conclu-
1 dens elicitur probatio, cum in ore † duorũ testium stet omne verbum, *l. vbi numerus, ff. de testib.* concurrente etiam præsumptione, *l. Quintus Mutius*, *Gabr. conclus. 15. de præsumpt.*

Quoad exceptiones datas contra perso-
2 nas dictarum Monialium visæ sunt satis leues, aut non probatas non concludere.

Quod vero dicta iocalia fuerint mariti, & ab eo vxori data ad ornatum satis iustificatur ex confessione dictæ D. Mariæ Felicis extraiudicialiter probata per dd. Moniales, quæ venit adminiculata ex deposi-
3 tione sexti testis qui deponit de certa scië-
4 tia cum fuerit præsens quando emit Dominus Fabius dicta iocalia, quæ postea dictæ Mariæ Felici ad eius ornatum fuerunt assignata.

Et licet dicatur debilitari dictum dicti
5 sexti testis, cum sit famulus dicti Fabij, & singularis, tamen coniunctum cum dicta confessione extraiudiciali, & cum præsumptione iuris, vsuque communi satis concludentem probationem facere visum fuit.

Non obstat, quod dicitur dd. gemmas, seu iocalia fuisse d. Mariæ Felici à socero,
6 donata & ita non teneri ad eorum restitu-
7 tionem quia, cum dictę gemmæ sint magni valoris censentur donatæ, seu potius commodatæ ad vsum ipsius vxoris, vt honestius decentiusque incederet, *l. sicut certo, §. interdum, ff. commod. l. sed etsi vir. ff. de donat. inter vir. & vxor. l. id vestimentum, ff. de pecul. Bart. in l. pen. §. seruus num. 2. ff. solut. matr. Corn. cons. 114. num. 7. lib. 4. Clar. in §. donatio quæst. 10. num. 3.* & ex multis cumulatis fuit decisum in vna *Ferrarien. lucri dotis 13. Martij 1616. coram R. P. D. meo Manzanedo.*

Et licet quintus testis deponat dictam
8 D. Mariam dixisse illa iocalia fuisse sibi donata a socero vltra quod non statur eius
9 dicto in sui fauorem illud verbum, *donare* debet intelligi quoad vsum, & non quoad proprietatem, *Bart. in l. 1. §. nec Castrense num. 10. ff. de vi bonor. rapt.* fusissimè *Hondede d. cons. 30. num. 29. & seq. lib. 2.* vbi hanc quæstionem ex professo disputat, & fuit dictum in dicta Ferrarien lucri dotis corã R. P. D. meo Manzanedo, vbi etiam plenè respondetur obiectioni, quæ fit ex præsumpta donatione quæ inducitur ex nobilitate mariti, vel vxoris.

Quoad alteram dubij partem, an mari-
10 tus constante matrimonio ad eius libitum possit cogere vxorem ad restitutionem dictorum iocalium, cum hæc decisio dependeat à meritis causæ, & iudicij super separatione thori coram me introducti, vtrum scilicet D. Maria Felix iustam habeat causam cõfugiendi ad Monasterium ideo Domini iudicarunt mereri dubium particulare.

Ex quibus ita fuit decisum vtraque parte informante.

AVE-

AVENIONEN. ARRESTI.

*Veneris 10. Nouembris 1617.*

ARGVMENTVM.

Iudex requisitus exequi sententiam Iudicis alterius territorij non potest cognoscere de iustitia, vel nullitate sententiæ, de cuius executione requiritur.

*SVMMARIVM.*

1 *Possessio probatur ex locatione cum fructuū perceptione.*

2 *Possessio demonstrat bona esse possidentis, & esse in illius bonis.*

3 *Iudex requisitus an possit examinare iustitiam sententiæ Iudicis requirentis, & n. 5. & 7.*

4 *Iudex requisitus potest si vult procedere ad executionem sententiæ non examinando iustitiam Iudicis requirentis.*

6 *Arbitrio alicuius, quod est remissum iuris necessitati nullo modo subijcitur.*

8 *Sententia in dubio præsumitur iusta.*

9 *Recursus ulli elapso anno non dantur ab arrestis in Regno Franciæ.*

DECISIO CXLII.

GVGLIELMVS Charrier, & litis consortes Mercatores Lugdunenses vigore arrestorum secretioris Regis Christianissimi Consilij contra D. Carlottam de la Marque Dominam Baroniæ de Serignan sitæ in Comitatu Auenionen. latorum, nec non litterarum executorialium, & rogatoriarum obtinuerunt à D. Vicelegato Auenionen. decretum fauorabile pro executione dictorum arrestorum, & pro sequestro quo legitimè executo Illustrissimus D. Bouillon & Comes de Monleurier, vti hæres dictæ D. Carlottæ recursum habuit ad Auditorem Vicelegati successoris in offitio qui executionem relaxatam, & sequestrū vti nulliter, & indebitè factum reuocauit à qua sententia d. Guglielmus appellauit, obtinuitque causam committi in Curia A.C. qui dictam sententiam ex capite nullitatis reuocauit, postmodum causa per appellationē mihi commissa in Rota post decisionem pro confirmatione sententię A.C. factam, placuit Dominis vt disputaretur dubium super iustitia, & meritis sententiæ dicti Auditoris, quo bis proposito, & causa maturè discussa Rota vnanimi voto censuit dictam sententiam esse iniustam, & proinde reuocandam.

Moti sunt Domini ea ratione, quia ex serie facti apparet executionem, & sequestrum factum super fructibus dictæ Baronię esse legitimum cum Carlotta debitrix, & condemnata in dictis arrestis, vti Domina d. Baroniæ eam possideret locando, & dislocando vna cum perceptione fructuum per Procuratorem, de cuius mandato con-
1 stat in actis ex qua locatione, & fructuum perceptione possessio dictæ Baroniæ probatur *cap. cum venissent, & ibi gloss. & DD. de restit. spoliat. glos. in l. qui vniuersas, §. quod per colonum, ff. de acquir. possess. fuit dictū in Lucerina Beneficij 6. February 1609. coram R.P.D. meo Caualerio, & in Romana Domorum Mercur. 11. Decembris 1613. co-*
2 *ram me, & in alijs causis*, & ex dicta possessione Baroniam fuisse in bonis Carlottæ sufficienter demonstratur, *l. bonorum, §. in bonis, & ibi Rebuff. ff. de verbor. signif. l. vlt. ff. de vsufruct. glos. in l. rem alienam, in verbo pignoratitia actio, Guidop. decis. 432. num. 5. Afflict. decis. 383. sub num. 4. & 6. Gail. obseruat. 27. num 1. & 2.* quam possessionem tantum abest, vt dictus D. de Bouillon. reuocauerit in dubium, quin potius se vt hæredem d. D. Carlottæ illam hodie possidere fateatur.

Nec tenebatur dictus Vicelegatus cognoscere super iustitia dictorum arrestorū Regiorum, quæ ex constitutionibus Regni Franciæ vti res iudicata habent executionem paratam, licet enim maxima inter Doctores vtriusque iuris sit controuersia, an
3 Iudex requisitus possit examinare iustitiā sententiæ Iudicis requirentis, vt videre est apud *Card. in Clemen. 1. §. eorum in fin. num. 5. quæst. 5. de foro compet. Innoc. in c. 1. num. 2. de offic. ordin. & fusè apud Couarr. lib. 1. variar. cap. 1. in fin. num. 10. vers. & si iudex ordinarius.*
4 Hoc vnum est, quod Iudex requisitus potest si vult procedere ad executionem sententiæ non examinando iustitiam, nec ita exequendo vllum grauamen partibus affert, nulla siquidem lege cautum est, nec vlla adduci potest Doctorum auctoritas, ex qua cogi possit ad cognoscendum de iusti-
5 tia sententiæ Iudicis requirentis, quinimo Doctores omnes, qui asserunt executorem posse examinare nullitates, & iustitiam talis sententiæ, vno ore arbitrio executoris illam cognitionem remittunt, *arg. text. in l. à Diuo Pio, §. 1. in verb. si hoc visum fuerit ff. de*

P

Magistri auctoritate confirmatæ esse præferendum hoc non obstante dictus D.Hercules in venerabilis linguæ Prouinciæ Cõcilio petijt, & obtinuit electionem, & post modum confirmationem à dicto Magno Magistro, & Concilio vna cum collatione atque possessione, à qua electione pro parte dicti D.Guglielmi fuit appellatum, causaque in Signatura Gratiæ Sanctiss. D. N. mihi commissa, pro parte dicti D.Herculis fuerunt exhibiti articuli, quibus probare nitebatur dictam concordiam non potuisse obstare suæ electioni, vnde iuxta ordinem Rotæ dubitaui vtrum danda esset remissoria, nec ne, quo dubio proposito DD. sine vlla difficultate denegandam esse remissotiam responderunt.

Præcipuum & maximum fundamentum decisionis illud est, quod omnes articuli
1 dati pro parte D.Herculis visi sunt Irrelcuantes, & non percutiunt vires concordię, aut continent materias in Constitutionibus Religionis registratas, & decisas, vnde
2 frustra petitur remissoria † ad probanda ea de quibus per scripturas constare debet *Felin.in cap.1.num.4.de appell.Rot.decis.6.et 46. de testib.in antiq.* cum multis alijs adductis in vna *Tuden.Beneficij de Rosal.9. Iunij 1598. coram Corduba.*

Quoad sextum articulum in quo informantes pro parte dicti Herculis vim faciunt, cum in eo prætendant probare dictũ D.Herculem cessisse antianitatem super dignitatibus, & in specie super Baiuliuatu dicto D.Guglielmo, sed noluisse cessionem huiusmodi sortiri effectum, nisi postquam dictus D. Hercules Magni Commẽdatoris officium obtinuisset, & non prius, nec hunc articulum esse admittendũ DD. censuerunt duplici ratione, aut enim contenditD.Hercules probare hunc casum nõ esse comprehensum in concordia, & tunc ad testes frustra recurritur, quia non datur
3 remissoria † ad probandum contenta in scripturis publicis ex supradictis, spectandus enim solummodo est tenor concordiæ super quo cadere debet disputatio, aut prætendit probare per testes tenorem diuersum ab ipsa concordia, & hoc etiam
4 casu denegatur † remissoria, quando de contrario constat pet scripturas, *Aegid.decis.9. Put.decis.331.& 339.lib.2. Card. Seraphin.decis.1460.* & fuit decisum in vna *Carthaginen. fructuum 2.Maij 1611. coram Illustriss.Lancellotto.*

Visum enim fuit verba illa concordiæ esse clara & nulla indigere interpretatione, cum appareat ex his dictũ D.Guglielmum, qui eodem antianitatis iure gaudebat cessisse ius & antianitatem suam super d. officio seu dignitate Magni Commendatoris, vel Locumtenentiæ in fauorem d. D.Herculis, qui viceuersa in casum vacationum aliarum dignitatum, & in specie d. Baiuliuatus sacramenro se obstrinxit in concursu d. D.Guglielmi ad dictas dignitates se promoueri non petiturum, qua
5 conuentione † & promissione iurata stante, non poterat ipse petere, multoque minus obtinere electionem ad dictum Baiuliuatum.

Non obstat, quod dicitur dictum articulum non directè oppugnare tenorem concordiæ, sed cum verba sint dubia ac perplexa ad ea interpretanda non denegari probationes per testes, quæ perplexitas inducitur ex illis verbis, dum d. D. Guglielmus cedit antianitatem ad Magnam Commendam, & Locumtenentiam cum clausula copulatiua, ita vt non videatur sufficere dictum D.Herculem fuisse Locũtenentem, nisi etiam ascenderit ad Magni Commendatoris dignitatem, prout fusius per informantes pro dicto Domino Hercule.

Responsum enim fuit ex his verbis nullam perplexitatẽ induci posse ad introducendum sensum dubitatiuum, vt magis intelligi debeat de persona Commendatoris, quàm de persona Locumtenentis, cum verba non possint restringi ad eum tantum qui ascenderet ad prædictam Magni Cõmendatoris dignitatem, quin imo separatim considerata fuit dignitas ipsa, & separatim Locumtenentia, & consideratus casus quod vnus posset esse Magnus Commendaror, & alius Locumtenens.

6 Dictio siquidem, † &, posita inter Magnum Commendatorem cum non possit copulare in eadem persona, quia idem eodem tempore non posset esse Magnus Commendator, & Locumtenens, resoluitur quod ad quemlibet ex his cum quibus contrahitur in disiunctiuam, quasi dictum fuisset vel, *vt in auth. vt fratrum filij circa medium, Alber. in l.cum quidam C. de verb. signif.Io.Andr.in cap.si qui de elect.in 6.*

Nec est nonum in iure, vt dictio, Et, cũ
7 ponitur † inter ea quæ insimul stare non possunt in eodem subiecto vim habeat disiunctiuæ, vt in specie *l.fin.§.1.C.de codicil. & in l.si Titio ff. de vsufr.* quam interpretatio-

P 2

tationem suadent verba sequentia concordiæ, in qua partes semper disiunctiuè & alternatiuè locutæ sunt de locumtenentia, & sic intrat regula in alternati-
8 uis sufficere partem vnam verificari, vt sit dispositioni locus, *l. si heredi plures ff. de condit. instit. l. generaliter, vbi Dec. n. 2. C. eod. l. si ita stipulatus fuerit, ff. de verbor. obligat.*

Nec potest interpretatio suppleri ex prætenso articulato tractatu, quia conclusio
9 ipsa est, non autem tractatus in Instrumēto, *Bald. in cap. fin. col. fin. de iuram. cal. & in cap. 1. circa medium de prohib. alien. feud. Rip. in l. 1. post. princ. ff. ad Trebell.* cum infinitis allatis per *Tiraquel. in tract. Connub. in fin. num.* 24. si enim admitteretur probatio dicti tractatus non esset declaratio, sed potius subuersio concordiæ factæ cum magna maturitate inter partes confirmata à Magno Magistro, à Sede Apostolica, & registrata in Cancellaria.

Nec etiam visa sunt obstare illa verba, & præcipuè ante illum qui erit Magnus Commendator, quia cum sæpius verba ex
10 supradictis sint † clara, & pura implicant casum magis dubitabilem, *l. illud. C. ad leg. Aquil. glos. in l. quod si minor. §. restitutio, ff. de minor.*

Non obstat, quod officium Locumtenentis non sit dignitas certa, vt fuit articulatum, sed medium, seu ascensus ad dignitates per quod officium non est verisimile, quod quis voluerit renunciare suæ antianitati, si enim hodie detegeretur læsio conuentionis factæ hoc non sufficit in euentualibus, potuit enim nō solum in vno anno, sed etiam in vno die euenire talis casus, vt simul quis, & Locumtenens, & maior Commendator efficeretur propter cessionem concursus D. Guglielmi, ideo D. Hercules debet patienter tolerare accidens contrarium, in cessionibus enim, quæ
11 pendent † ab euentu futuro non sunt metienda pacta à felici euentu.

Secundo denegarunt DD. remissoriam, quia causa est beneficialis nec solet ex sty-
12 lo Rotæ † concedi sine fumo, *Put. dec. 366. num. 7. lib. 2.* qui non datur pro parte dicti D. Herculis, sufficit enim, vt petatur beneficium, siue per viam electionis, siue alia via, vt intret *Clem. dispendiosam de iudic. vt ibidem glos. & Doctores Achil. decis. 6. de dilat.* [illegible]

Nec dici potest causam non esse benefi-
13 cialem, quia † Commendæ & Præceptoriæ dicti Ordinis sunt beneficia amouibilia ad nutum, quia manualia, & regularia sub eadem Clementina dispendiosam comprehenduntur, vt ibi *glos. & Imol. numer. 3.* prout non placuit, quod dicitur nō agi de titulo beneficij cum non agatur de concordia nisi ad effectum petendæ dignitatis vacantis.

Vltra quod pro parte D. Guglielmi opponitur D. Herculi exceptio periurij incursi ex eo quod tribus diebus ante obtētam absolutionem à iuramento ad effectū agendi ipse D. Hercules petijt, & obtinuit electionem de dicto Baiuliuatu contra promissionem in concordia expressam, & iuramento vallatam, quæ exceptio omninò
14 repelleret Herculem à limine Iudicij *canparuuli, vbi glos. in fin. 22. q. 5. cap. sua nobis vbi Bald. de iureiur. l. si quis maior. C. de transact. cum similibus.*

Et ità decisum vtraque parte acerrimè informante.

## BONONIEN. ADMINISTRATIONIS.

*Luna 20. Nouembris 1617.*

### ARGVMENTVM.

Administrator bonorum hæreditariorum de quibus bonis rationem reddere teneatur.

### *SVMMARIVM.*

1 *Debitum idem non est bis soluendum.*
2 *Redditionis rationis tempus attenditur adhoc vt data cum acceptis computentur.*
3 *Creditum non censetur constare ex sola delatione iuramenti decisory si pars non iurauerit.*
4 *Legatum quando comprehēdat etiam partem fundi alienatam, licet adsit dictio, sui, & num. 5.*
6 *Administrator tenetur de negligentia, vel culpa.*
7 *Administrator potest constituere factores, & computistas cum salario in hæreditate quā administrat.*
8 *Iurisperitus non debet exercere officia factoris & computistæ.*
9 *Ad damna & interesse quis non tenetur nisi adsint requisita* Castr. in l. 3. de eo quod certo loco.

DE-

## DECISIO CXLIV.

CVM fuerit firmatum tam coram bo: me: Penia, quàm coram me D. Equitem Maluasiam vigore suæ obligationis teneri reddere rationem administrationis hæreditatis Francisci Tussignani pro Ruggerio administratore dedi dubium ad quid teneatur D. Eques, quo hodie proposito Domini dixerũt teneri ad partitas lib. 166 lib. 2636. & lib. 615. in reliquis non teneri.

Quoad primam partitam non aderat aliqua difficultas cum non controuerteretur.

Quoad secundam DD. censuerunt illam deberi, quia licet Ruggerius constituisset se creditorem pro salario de dicta summa in libris rationum, tamen dum fuerat ante redditam rationem de d. salario satisfactus à D. Aemilia in concordia inter ipsos facta, dicta partita erat delenda à credito Ruggerij, & ita D. Aemilia in redditione rationis remanebat creditrix de d. summa,
1 ne † alias idem debitum bis soluat contra *tex. in l. bona fides ff. de reg. iur.*

Nec obstare visum fuit Equitem non teneri ad illa quæ Ruggerius exegit vigore particularis transactionis, nam obiectum procedere potuisset vbi post solidatas rationes Ruggerius exegisset, non autem
2 antea quia cum † tempus redditionis attẽdatur adhoc vt data cum acceptis computentur, *l. cum seruus ff. de condit. & demonstr. Socc. cons. 24. num. 1. lib. 3. Menoch. de arbitr. cas. 209. num. 14. 25. 35. & 36.* stante dicta satisfactione partita illa non erat attendenda ac si vnquam Ruggerius fuisset d. salarij creditor, & per consequens semper verum erit quod Ruggerius remanebit debitor d. summæ in redditione rationis.

Quoad tertiam partitam lib. 615. censuerunt DD. teneri Equitem quia Ruggerius fecit se creditorem d. summæ solutæ Equiti vti creditori hæreditatis, & de tali credito in actis non constat, & licet dicatur fuisse Equiti delatum iuramentum de-
3 cisorium, † tamen cum adhuc non iurauerit non potest dici constare de illius credito.

Quoad alias partitas Domini dixerunt Equitem non teneri, nam quoad illam lib. 618. de quibus Ruggerius se constituit creditorem vti solutis pro affictu possessionis nuncupatæ la Colombara relictæ Hipolytę licet prætenderentur indebitè solutæ, ex eo quod Hipolyta non teneretur soluere,
4 cum legatum† non comprehenderet partẽ non alienatam propter illam dictionem sui ex traditis per *Surd. decis. 93. nu. 20. Seraph. 963. num. 6. & decis. 969. n. 8.*

Tamen DD. censuerunt nõ teneri Equitem, quia visum fuit legatum comprehendere etiam partem alienatam, cum testator mandauerit omnia bona vendita cum pacto affrancandi redimi ab eius hæredi-
5 bus, † vnde appareat Testatorem voluisse legare possessionem tanquam suam, non tanquam alienam, maximè cum possessionem suis finibus descripserit, & tunc perinde est ac si totam legasset, quo casu ex dictione sui non restringitur, *Bero quæst. 30. num. 5.*

Placuit etiam alia ratio quod etiam si pars sola legata fuisset, tamen cum Ruggerius vti administrator bonotum teneretur soluere cum omnia bona Testatoris essent obligata, licet potuisset repetere eandem
6 summam à d. Hipolyta, tamen † dum non constat de Ruggerij negligentia, vel culpa, ad quam solam tenetur, *l. 1. & 2. C. de hæred. tut. Dec. in l. contractus num. 37. de reg. iur. Roman. cons. 413. num. 13.* non potest dici Equitem teneri ad d. summæ restitutionem.

Quoad partitam libr. 1180. pro salario Factoris, & Computistæ DD. fuerunt in
7 voto non teneri, quia † potuit Ruggerius illis constituere & soluere, vt per *Bart. in l. cum ad quemlibet C. de condit. in public. horre. lib. 10. Bursatt. cons. 133. nu. 62. lib. 2. Menoch. cons. 228. nu. 26. lib. 3.*

Non obstat, quod Ruggerius habuerit salarium, nam cum ipse esset Iurisperitus,
8 nec † posset nec conueniens esset, vt exerceret prędicta officia, non etiã decuit ipsũ teneri de suo salario satisfacere Factori, & Computistæ, quia ipse Ruggerius remansisset sine salario, quod quidem salarium datum Factori, & solicitatori non visum fuit excessiuum, sed proportionatum hæreditati cuius cura habenda erat.

Quo verò ad damna & interesse ob dilatam redditionem rationis & computorum solidationem cum restitutione reliquatus fuit dictum non teneri D. Equitem, cum in sententijs de partibus pro quarum executione agitur non legatur cõdemnatus, nec
9 etiam† constet de damnis & interesse passis per D. Aemiliam, nec adsunt requisita, *Castr. in l. 3. ff. de eo quod certo loc. à Rota sæpius canonizati.*

Et ex his vtraque parte informante ita fuit decisum.

HISPALEN. QVINTORVM.

*Lunæ 27. Nouembris 1617.*

ARGVMENTVM.

Fructus bona fide consumpti quando repeti possint.

*SVMMARIVM.*

1 *Fructus spectantes ad aliquem, peruenti ad alium tanquam res aliena ne locupletetur cum alterius iactura, sunt restituendi.*

2 *Vacatio etiam de facto non potest dari ex prouisionibus nulliter factis in beneficio reseruato.*

3 *Indulto percipiendi quintam partem fructuum beneficiorum per vacantiam non est locus nulla subsistente vacatione.*

4 *Fructus bona fide percepti & consumpti amplius repeti non possunt.*

5 *De fructibus qui non veniunt accessoriè ad possessionem tanquam de sorte principali habenda est ratio.*

6 *Res aliena ad aliquē peruenta est per ipsum restituenda.*

7 *Locupletior factus ex pecunia aliena apud se existente, vel data consumptione ad vsus fabricæ tenetur ad illius restitutionem.*

8 *Partitis formiter extractis ab administratoribus ad id deputatis fides defertur.*

9 *Extractio vigore mandati compulsorialis facta ab officialibus publicis dicitur legitimè facta.*

DECISIO CXLV.

VISVM fuit DD. omnia quinta vnico excepto à Capitulo Hispalen. percepta restituenda esse Hieronymo de Miranda, ea maximè ratione, quia fructus beneficiorum de quibus dicta quinta fuerunt percepta spectabant ad d. de Miranda à die prouisionis Apostolicæ in eius fauorem factæ vsque ad diem eius obitus, vndè cum dicti fructus tanquam res aliena peruenerint ad Capitulum, nec sub sit causa, quare apud illud remanere debeant quamuis inter d. Capitulum, & Hieronymum nihil fuerit actum certi conditione vel sine causa ab eo iure condicun-
1 tur, ne † ex alterius iactura locupletetur, ex æquitate *l. si me & Titium ff. si cert. petat. l. perpetuo de condict. ob turpem causam*, cum multis similibus adductis per *glos. in d. l. si me in verb. peruenit.*

Quod autem dd. fructus ad ipsum Hieronymum spectarent patet ex sententijs Rotalibus, quæ transiuerunt in rem iudicatam in fauorem d. Hieronymi latis contra intrusos ab Ordinario, ex quibus constat hæc beneficia collata Hieronymo fuisse reseruata, & nunquam venisse casum ante obitum prius alterius vacationis, quæ eius dum d. Hieronymus fuit prouisus vnde necessario sequitur, non superueniente nisi vnica vacatione, vnicum quintum debitum fuisse Capitulo vigore Indulti, non obstantibus prouisionibus factis nulliter ab Ordinario lite pendente, ex quibus non
2 potest † dari vacatio etiam de facto in beneficio reseruato, *Caputaq. decis. 345. par. 3. Peregrin. decis. 39. lib. 1. fuit dictum in vna Compsana Iurispatronatus 26. Iunij 1609.*
3 *coram bo: m. Penia*, & sic frustra † prætenditur locum fuisse Indulto de percipienda quinta parte fructuum nulla subsistente vacatione, *Aegid. dec. 612. Garz. de benef. p. 11. cap. 11. num. 14.* cum multis cumulatis per *Gonzal in reg. 4. glos. 15. §. 1. n. 73.*

Neque obstat, quod dicitur Capitulum nunquam fuisse in causa, aut ei intimatū sequestrum, & ita bona fide percepisse di-
4 ctos fructus, † qui consumpti amplius repeti non possunt ex regulis Iuris vulgaribus, vt fuerat in hac causa ponderatum die 18. Februarij 1614. coram me.

Placuit enim DD. responsio huiusmodi fructus nō venire accessoriè ad possessionem Capituli, quod non possidet aliquam rem, vigore cuius ista quinta ei debeatur
5 & ideo † tanquam sortis principalis dictorum fructuū habenda est ratio, vt *in decis. Paleott. 335. vel vt inter impressas diuers. 689 par. 3. lib. 3. diuers. Franc. decis. 634. Seraph. decis. 1168. num. 3. & tenuit Rot. in causa Caesaraugustana pensionis 15. Maij 1549. coram Gipsio*, vnde ratione coloratæ possessionis non intrat bona fides ad effectum prout lo quuntur Doctores in supradicta decisione
6 coram me facta allegati, sed † cum agatur de sorte principali intrat æquitas dictæ *l. si me & Titium ff. si cert. pet.* quæ competit aduersus eos ad quos res aliena peruenit, etiam absque præcedente causa & obligatione, *Surd. post alios, consil. 152. nu. 2. lib. 2.*

Vndè non obstare visum fuit adhoc vt intret dictæ legis remedium requiri Capitulum fuisse ex iactura Hieronymi locuple-

pletatum, responsum enim fuit (vltraquod vt superius firmatum fuit nõ agitur de acquirẽdis Fructibus ratione bonæ fidei perceptis) non posse dici Capitulũ non fuisse factum locupletius, quia d. quinta reperiũtur conuersa in vsus fabricæ, quæ habet certos, & fidos administratores, qui tenentur reddere rationem Capitulo, vel deputatis ab ipso, vnde inferendum est,
7 vel pecuniam semper extare penes dictos administratores, vel fuisse consumptam ad vsus fabricæ, quæ in eis facta fuit locupletior, & Capitulum teneri ad restitutionem ad tantumdem fructuum iam consumptorum in eadem specie, *Bart. in l. 2. §. mutui datio num. 5. & Ias. num. 4. ff. cert. pet.* vel saltem ad æstimationem, *Seraph. dec. 1168. num. 6.*

Non denique obstat motiuum alias excitatum in supradicta decisione coram me facta, dum dubitaretur, vtrum satis probaretur exactio dictorum quintorum per simplicem fidem non satis legitimè extractam tollitur enim ex facto, cũ hodie appareat non esse simplicem fidem, sed partitas firmiter ab administratoribus, & deputatis ad computa facienda dictæ fabricæ quibus
8 fides defertur, quia non est assertio administratoris, sed liber ipse qui loquitur *l. apparitores C. de exact. lib. 10. cap. post cessionem & ibi Felin. & alij Canonistæ de probat. Seraphin. decis. 780. num. 1.*

9 Et sic † extractio vigore mandati compulsorialis facta ab iisdem officialibus, & Ministris publicis dicitur legitimè facta, vt ex multis alijs decisionibus allegatis firmauit, *Rota in vna Toletana fructuum 11. Martij coram R. P. D. Caualerio.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## BENEVENTANA DOTIS.

*Veneris 1. Decembris 1617.*

### A R G V M E N T V M.

Mulier prohibita à statuto nè extantibus filijs disponat vltra decimam partem de bonis dotalibus, nec etiam potest filium hæredẽ institutum fideicommisso grauare.

### *S V M M A R I V M.*

1 *Mulier si sit prohibita à statuto alienare vltra decimam partem dotis extantibus filijs, nec filia hæredi institutæ potest substituere per fideicommissum.*

2 *Statuti verba negatiua auferunt potestatem disponendi.*

3 *Verbum disponere, conuenit maximè vltimæ voluntati.*

4 *Heres grauatus restituere non tenetur restituere quod ad eum peruenit non ex iudicio testatoris sed ex alia causa.*

5 *Legitima aliud non est nisi quædam portio taxata arbitrio legis personis quibus iure naturæ vel quasi successio debetur.*

6 *Legitima non recipit onus neque conditionem.*

7 *Argumentum à statuto ad statutum non valet stante diuersitate dispositionis.*

8 *Minor dotem in stabilibus constituere non potest sine decreto Iudicis.*

9 *Mater non potest dare tutorem filiæ.*

10 *Tutela expirat filia effecta maiore 12. annorum.*

11 *Minor mulier potest dare in dotem stabilia dummodo det illa inæstimata,*

12 *Minores possunt sibi constituere dotes in stabilibus quando nulla ratione lucri potest fieri alienatio.*

13 *Tutoris & curatoris nomina multoties confunduntur.*

14 *Ratificatio contractus resultat si quis ex eo postea agat.*

15 *Dos debet esse æqualis inter sorores & quando id patiatur difficultatem.*

16 *Lex vbi non distinguit nec nos distinguere debemus.*

17 *Ratio vbi eadem est ibi & eadem legis dispositio esse debet.*

18 *Verbum, suum, est possessorium.*

19 *Indefinita æquipollet vniuersali in statutis ac legibus.*

20 *Dos dicitur proprium patrimonium mulieris.*

21 *Legitima post assignationem dicitur patrimonium legitimarij.*

22 *Statutum prohibens mulieri habenti filios disponere de dote non verè dicitur odiosum nec exorbitans à iure communi.*

23 *Verba sunt impropriãda quando tractatur de euitando aliquo absurdo.*

24 *Verba quandoque concipiuntur ratione frequentioris vsus.*

25 *Argumentum à contrario sensu non valet causa dotis.*

DE-

DECISIO CXLVI.

Domini dixerunt sententiam extra Rotam latam esse iustam & proinde confirmandam, iure enim meritòque Iudex Margaritæ denegauit immissionem petitam vigore testamenti Dianæ, iuxta *l.final.C.de edict.diu.Adrian.toll.* quia stan-
1 te statuto † Beneuentano prohibente mulierem decedentem cum filijs disponere de suis dotibus vltra decimam partem, cū Diana decesserit cum filia hærede instituta, non potuit illi substituere per fideicōmissum, eamque hoc onere grauare, vt in terminis *Franch. decis.486. per totam. Dec. cons.386. in fin.& Castr. cons.441.numer.2. lib.1.* vbi dicit, quod proprium patrimonium mulieris stante dicto statuto censeri debet solum decima pars, de qua testari
2 potuit libere, verba siquidem † statuti negatiua auferunt potestatem disponendi, *glos.in cap.1.in verb.non potest, & ibi Franc. num.3.Cæterique Canonistæ de reg. iur. in 6.*
3 cum verbum † disponere conueniat maximè vltimæ voluntati, & ad eam in dubio referatur, vt in §. *disponat. Auth.de nupt.§. pen.& fin.instit.quib. ex caus. manum.* cum multis cumulatis, per *Surd. decis. 282. num.12.*
4 Constat enim hæredem † non cogi restituere quod ad eum peruenit non ex Iudicio Testatoris, sed ex alia causa, *l. cum quis §.hoc amplius, vbi Bart.ff.de dot.praleg. l. qui fundum §.qui filios ff.ad leg. Falcid. l. pater filium, ff.eod.l.vnū ex familia in princ. §.1.ff.de legat.2.* vt in hac facti specie dicendum est filiam Dianæ non potuisse grauari ad restituendum nouem partes hæreditatis maternæ sibi à statuto non à iudicio matris delatas, *Castr. supradicto cons.441. num.2.* vbi dicit quodammodo matrem haberi pro vsufructuaria extantibus filijs, *Ofasch.decis.20.num.7. Acchil.dec.14. in fin. de constit. fuit dictum in vna Romana successionis de Tagliaferris coram Reuerendiss.Lugdunen. 19.Martij 1607.*
Quin imo per similem prohibitionem censetur aucta legitima per statutum inhe-
5 reditate matris, cum legitima† nihil aliud sit nisi quædam portio taxata legis arbitrio personis, quibus iure naturę, vel quasi debetur successio, *Auth.nouissima C.de inoff. testam.* in qua appellatur debitum bonorum subsidium, & licet de iure communi sit tertia, per statutum videtur aucta vsque ad nouem partes, *Cald.cons.20.de constit.* cū infinitis cumulatis per *Socc.cons.84.num.9.*
6 sic cum legitima de iure nōn † recipiat onus nec conditionem, *l.omnimodo & l.quoniam in prioribus C. de inoff. testam. cum similibus* substitutio facta per Dianam filiæ in his nouem partibus corruat necesse est.

Nec in contrarium fuit decisio in causa *Romana lucri dotis 20.Februar.1615.coram R. P. D. Pirouano*, nam vt ex ea apparet statutum Vrbis nō prohibet mulierem testari, sed tantum emanauit ad conseruandum vsumfructum marito; statutum verò Beneuentanum prohibet dispositionem vl-
7 tra decimam partem, vnde non † concludit argumentum de vno ad aliud statutum.

Prout non obstare videtur quod dicitur
8 constitutionem dotis fuisse minus solemniter factam in bonis videlicet stabilibus absque decreto Iudicis, quod fieri non potuit, *l.lex quæ tutores C. de administr. tut. l.1.C.si aduersus dotem, vbi glos.& Bald.n.4. & Bart. num.3.* cum multis allegatis per *Surd.decis.287.num.17.& seqq.* tum quia dicta constitutio facta fuit à tutore dato à
9 matre, quæ † non potest tutorem dare *l.1. ff.de testam.tutel.Socc.iun. cons.509.num.29. lib. 3.* & tanto minus cum Diana haberet alium Tutorem à Patre datum,& ipsa esset
10 maior 12. annorum, itaque † tutela expirauerat *§.1. instit.quib.mod.tutel.fini.*

Huic obiectioni responderunt DD.mu-
11 lierem minorem † posse etiam dare immobilia in dotem viro, dummodo det inæstimata, quia hæc non videtur alienatio, vel translatio, vt probat *tex.in l.in rebus C. de iur.dot.secus si darentur æstimata l. plerūque ff.de iur. dot. l.quoties, C. eod.* quam distinctionem ex multis rationibus, & auctoritatibus tanquam verissimam comprobat, *Surd.decis.287.num.21.cum seqq.& Simoncel.de decret.tit.8.inspect.13.nu.96.*

Quæ difficultas penitus sublata videtur in facto, quia expresse stipulatum fuerat, ne lucrum dotale ratione mariti, & vxoris excederet scut.100. quæ poterant extrahi ex parte dotis cōstituta in pecunia & mobilibus absque vlla diminutione stabiliū,
12 vnde intrat regula, quod † minores possunt sibi constituere dotes in bonis stabilibus,quando nulla etiam ratione lucri potest fieri alienatio per *tex.in l.siue generales, ff.de iur.dot.cum allegatis.*

Et quoad dictum Tutorem ille reperitur datus à Iudice, qui cum etiam deputauit

tauit in administratorem bonorum, & sic
in Curatorem, & ideo ipse licet in dicta
constitutione dotis se nuncupauerit Tuto-
rem, non irritatur actus, quia sæpius no-
13 men Tutoris, & Curatoris confunditur,
*Rot.diuers.decis.89.num.14.part.2.* & in om-
nem euentum iste defectus Curatoris sub-
14 stinetur ex ratificatione † Dianæ, quæ po-
stea contraxit matrimonium *Rot. dec.diuers.*
*89.numer.11. & seqq. part.2.Put.decis.187.*
*lib.1.& 397.lib.2. Surd. decis.229. numer.5.*
*& seqq.*

Nec placuit quod dicebatur dotem fuis-
se excessiuam, cum sorori quæ nupta erat
inferioris conditionis viro eadem dos con-
stituta fuisset, seruanda erat æqualitas in
15 dotibus constituendis super earum bonis
paternis, *Rota decis. 156. & 157. part. 2.*
*diuers.*

Verum quia pro parte Margaritæ fuit
oppositum statutum Beneuentanum de do-
tis restitutione comprehendere solum do-
tem à parentibus vel ab alijs constitutam,
sed non eam quam sibi mulier constituit,
ideo DD. hac difficultate particulariter
examinata nullam adesse differentiam ma-
ximis rationibus responderunt.

Considerarunt enim primo statutum in-
distinctè loqui de muliere, & ita debere
intelligi de quacumque muliere siue do-
tata à se ipsa, siue ab alio, cum bona mu-
lieris non minus ea sint, quæ ipsa sibi in
dotem constituit quàm ea quæ ab alijs ac-
16 cepit, vnde cum lex † non distinguat, nec
nos distinguere debemus, *l. 1. §. generali-*
*ter de legat.præst.l.de pretio de public. in rem*
*actio.*

Nec vlla assignari potest differentia, cur
filij mulieris à se ipsa dotatæ esse debeant
deterioris conditionis ab alijs, quorum
mater fuit à parẽtibus dotata, militat enim
idem fauor filiorum, vt scilicet eorum le-
gitima censeatur aucta ad nouem ex de-
cem partibus dotis constitutæ, vt patet ex
rationibus & auctoritatibus supradictis vbi
17 autem † militat eadem ratio, militat pari-
ter eadem Iuris dispositio etiam ex vi cõ-
prehensionis, *l. illud ff.ad leg. Aquil. cum si-*
*milibus.*

Considerabant secundo DD. hanc diffe-
rentiam excludi ex ipsiusmet verbis statu-
ti dum loquitur de dotibus suis, hæc enim
verba æque conueniunt dotibus quoquo
modo fuerint constitutæ, imò magis doti-
bus cõstitutis ab ipsamet muliere propter
18 illud verbum † possessiuum suis ad tradi-
ta per *Peregr. de fideicom.art.13.num.10.* &
sic perinde est ac si statutum diceret de
quibuscumque dotibus, cum in legibus &
19 statutis indefinitę † æquipolleant vniuer-
salibus ex doctrina *Bart. in l.si pluribus de*
*leg.2.Conar.variar.resol.cap.13.n.8.*

Quod si hæc differentia subsisteret, à d.
statuto exclusæ essent viduæ sui iuris, quę
ad secundas nuptias cum suis dotibus trã-
20 sierunt, huiusmodi enim dotes † dicun-
tur proprium patrimonium earum, *l.in re-*
*bus C.de iur.dot.Castr.cons.11.numer.2.lib.1.*
essent, & exclusæ aliæ fœminæ suis iuris,
quæ nubunt cum sua legitima debita in
21 bonis paternis, vel maternis, quæ cense-
tur earum similiter patrimonium post assi-
gnationem, *Bald.in l.filium quem habentem,*
*num.36.C.famil.Ercis.*

Huic resolutioni non obstant pro parte
Margaritę deducta & Primo quod in odio-
sis sicut dicitur illud statutum, per quod li-
bertas testandi mulieribus multum coar-
ctatur stricta interpretatio sit sumenda ex
vulgatis Iuribus, Respondetur enim statu-
tum istud factum in fauorem filiorum, im-
mo etiam mulierum ne imbecillitate se-
xus, & aliorum blanditijs deceptæ alijs do-
tes suas relinquant, quàm proprijs filijs
22 nullo modo posse dici † exorbitans à iure
communi, aut odiosum, *Cald.cons.20. de*
*constit.Rip.in rub.solut.matrim.num.72.cum*
*allegatis.*

Nec etiam obstat, quod in fine versiculi
huius statuti dicatur quod decedente mu-
liere sine filijs, medietas dotis reuertatur
ad dotantem, quod fieri non posset, cum
mulier se ipsam dotat, Responsum enim
fuit, statutum addere etiam hanc alterna-
tiuam (siue ad eius hæredes & proximio-
res) quod potest verificari dum mulier se
ipsam dotat, cum hæc verba indefinitè
prolata comprehendant etiam hæredes &
proximiores mulieris dotantis, licet enim
ad ipsam mulierem dotantem dos in illo
casu redire non possit, tamen potest redire
ad eius hæredes & proximiores, sufficitq;
quod verba suffragẽtur ex lata significatio-
23 ne, imò essent impropria ad euitanda
tot absurda superius deducta, fusè *Mantic.*
*de coniect.lib.3.tit.7.num.3.*

Deinde statutum his verbis conceptum
24 est propter † frequentiorem vsum, *l.nam*
*ad ea ff.de legib.* & sic non impedit quin
prædicta identitate rationis comprehen-
dantur mulieres, siue dotentur ab alijs si-
ue à se met ipsis, vt in simili statuto respõ-
det

det *Fanuc.de lucro dotis in verb. restituenda, num.6.& seq.*

Nec obstat denique hoc statutum in præcedenti Rubrica loqui de dote constituenda ab alijs de paragio nō enim potest inferri statuentes abstulisse facultatem mulieribus dotandi se ipsas, sed loquitur de dotibus datis, vel dandis ab alijs, cum tractaretur de exclusione fœminarum dotatarum stantibus masculis, nec valet argu-
25 mentum à contrario sensu circa dotes cō. stitutas ab ipsismet, *Menoch.cons.277.n.47. & seqq.*

Ad consilium vero *Anchar.* 380. *num.3.* placuit responsio data per D.Spadam, qui optimè respondet omnibus motiuis per informantes per D. Margharitam fusè deductis.

Ex quibus ita vtraque parte informante fuit decisum.

## OSCEN. PORTIONIS.

*Veneris 17. Nouembris 1617.*

### ARGVMENTVM.

Executio vt detur litteris Apostolicis requiritur verificatio.

### SVMMARIVM.

1 *Arbitrium regulatur prout de iure.*
2 *Breui non est danda exequutio dum reseruatio super qua breue fundatur non est clara & aperta, & n.9.*
3 *Mensis Augustus est reseruatus quando non est acceptata alternatiua ab Episcopo.*
4 *Beneficium quod non est liberæ collationis non cadit sub alternatiua.*
5 *Identitas beneficij probanda est per allegantem.*
6 *Præsentatio quandoque competit non ratione iurispatronatus, sed ex alio capite.*
7 *Ius collationis & præsentationis sæpissimè competit personis Ecclesiasticis absque iure patronatus.*
8 *Assertio Papæ emanata ad supplicationem partis non probat.*
10 *Arbitrium aliquid remittit de rigore iuris.*

### DECISIO CXLVII.

ROTA censuit intrare arbitrium ad effectum supersedendi in executione Breuis nomine Cameræ expeditij Cum
1 enim † arbitrium reguletur prout de iure *Bart.in extrauag.ad reprimendum vers.videbitur num.8.Cas.de Gras.decis.7.& 8. de iudic.* & fuit sæpissimè decisum, de iure ve-
2 ro est, † Breui non esse dandam executionem, dum reseruatio super qua Breue fundatur non est clara, & aperta, vt fuit dictū in *Salamantina Canonicatus 13.Maij 1572. coram Oradino & in Placentina beneficiorum 2.Maij 1603. coram bon. mem. Card. Pamphilio in Abulen. beneficij 18.Iunij 1610.corā bo.me. Penia, & in Elnen. beneficij Vener.19. Decembris 1614. coram me.*

Sed ex deductis in hac causa satis dubia, & turbida reseruatio Dominis visa fuit, licet enim portio vacasset de mense
3 Augusti, qui vigore reg.8. est reseruatus, tamen cum Episcopus Oscen acceptauerit alternatiuam, mensis Augustus fuit effectus Ordinarius, vt in ipsa regula legitur.

Et quamuis ad tollen. vim alternatiuæ pro parte prouisi Apostolici replicaretur hanc portionem non esse liberæ collatio-
4 nis † prout requiritur, vt sub alternatiua cadat, nihilominus probatio deducta ex Bulla Pauli Tertij vuionis cuiusdam Prioratus Regij Ordinis S.Benedicti, in qua asseritur ius conferendi nōnullas portiones, & præsentandi personas spectare ad Priorem dicti Prioratus, patitur plures difficultates.

Et prima difficultas oritur ex eo quod non dicitur omnes portiones spectare ad collationem seu præsentationem Prioris,
5 sed nonnullas, & † per consequens esset probandum hanc portionem esse de comprehensis in dicta Bulla, *Felin.in cap.audistis nu.27. vers.nec obstat de præscript. Crauett.cons.112.num.3.Alex.cons.119.num.3. lib.1.*

Secunda an præsentatio spectet ad di-
6 ctum Priorem tanquam de Iurepatronatus cum potuerit tale ius eidem competere, tanquam annexum & dependens à Prioratu, vel ex alio capite, vt per *gloss. magnam in cap.de Monachis de prabend.Roch.de iurepatr.in ver.competens nu.56.& 57.argumento cap.ad quod de officio Vicarij.*

Et hæc difficultas augetur ex eo quod in Bulla dicitur portiones spectare ad collationem, & præsentationem, quod vide-
7 tur excludere Iuspatronatus, †tale ius enim sæpissimè competit personis Ecclesiasticis absque Iurepatronatus, *Clement.prima de Iurepatr.*

Tertia difficultas, an sicut patronatus, Prio-

Prioratus esset de iure Regis, ita & dictæ portiones, ac beneficia pertinentia ad ipsum Prioratum, & sic sint eiusdem naturæ laicalis.

Quarta difficultas quatenus essent Ecclesiastica, an mutauerint naturā per concessionem Pauli Tettij, vt dicantur effecta laicalia.

Quinta, an dictum priuilegium Pauli III. subiaceat regulis Concilij. Quibus omnibus accedunt, quod dicta assertio Papæ
8 emanauit ad supplicationem partis, † ex qua non videtur probari iuspatronatus, de quo principaliter dubitatur, *Clem. fin. in fin. de sent. excom. Aret. conf. 23. num. 8. Paris. conf. 114. num. 22. lib. 4. Dec. conf. 602. n. 15. cum alijs relatis per Crauet. de antiquit. temp. par. 1. §. 1. num. 9. & tenuit Rota in causa Sorana Iurispatronatus 28. Aprilis 1603. coram bon. mem. Card. Pamphilio.*

Et licet adsit clausula sublata, & decretum irritans, tamen quia in dicta bulla videbantur contineri duæ dispositiones separatæ, vna circa applicationem Prioratus, & eius respectu reperiuntur appositæ dictæ clausulæ, altera circa dictam concessionem iurispatronatus, in qua non adsunt d. clausulæ, propterea non leuis videbatur difficultas super dicta assertione.

9 Cum igitur ex his appareat † non posse dici concludenter, & clarè probatam portionem non esse liberæ collationis Episcopi, non visum fuit esse locum executioni ad eijciendum possessorem prouisum ab Ordinario habente fundatam intentionem in alternatiua, sed supersedendum, donec melius per prouisum Apostolicum probetur portionem non esse liberæ collationis, idque tanto magis, quia adest clausula ar-
10 bitrio, † quæ aliquid remittit de rigore iuris, vt millies Rota in similibus causis resoluit.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## MACERATEN. FIDEICOMMISSI.

*Veneris 19. Ianuarij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Ex quibus dicatur non constare de purificatione fideicommissi, ex quo non purificata fuerit conditio si hæres institutus sine filijs decesserit.

### SVMMARIVM.

1 *Filiorum appellatione continentur filiæ in vltimis voluntatibus.*

2 *Masculinum continet femininum.*

3 *Conditionem illam expressam, vel tacitam, si sine filijs, faciunt deficere fœminæ æquè, ac masculi, & n. 4.*

5 *Substitutio facta sub conditione, si institutus sine filijs decesserit, expirat, illo cum filia, vel nepte decedente.*

*Limita concurrentibus contrarijs coniecturis.*

6 *Filiorum appellatione veniunt fœminæ in fideicommisso, quando agitur de ipso excludendo.*

7 *Agnationis ratio inspecta respectu certæ lineæ non includit, quod eadem ratio fuerit habita respectu descendentium testatoris.*

8 *Agnationis ratio non inducit fideicommissum vltra casus a testatore distinctos.*

9 *Testamenti vna pars aliam declarat nisi adsit diuersa ratio.*

10 *Testator magis præsumitur diligere fœminas ex se descendentes, quam masculos transuersales.*

11 *Agnationis ratio potest haberi in vno casu, in alio secus.*

12 *Substitutio prima si expirat non est amplius locus sequentibus substitutionibus.*

13 *Ceniecturæ quod testator processerit ad plures substitutionum gradus, & proprias filias excluserit, sunt restringendæ ad casum expressum, & sunt leues ad inducendum fideicommissum in præiudicium descendentium ad fauorem transuersalium.*

14 *Statutum quando non excludit filiam, vel neptem grauati non potest adduci pro coniectura ad inducendum fideicommissum in præiudicium earum.*

### DECISIO CXLVIII.

Existimarunt Domini pro resolutione huius causæ non esse opus immorari in hoc, vtrum testamentum Fracassi sit in forma probanti, aut Vespasianus probauerit descendentiam a testatore, quia etiam his duobus præsuppositis visum fuit non esse factum locum fideicommisso ad fauorem d. Vespasiani, & litis consortium.

Ex lectura enim testamenti apparet in substitutione passiua reperiri appositam conditionem negatiuam, si Bernardinus filius hæres institutus decesserit sine filijs legitimis, & naturalibus, vnde cum dictus Ber-

Bernardinus filia, vel saltem nepte superstite diem vltimum clauserit fœminæ faciunt deficere conditionem ad exclusionem substituti,filiorum enim appellatione
1 præsertim † in vltimis voluntatibus filias contineri indubitati iuris est, *l. si quis ita in princip. ff. de testam. tut. l. si ita scriptum, ff. de leg. 2. l. quisquis, & l. iusta, ff. de verb. signif.*

Hæc siquidem verba conditionalia si sine filijs debent referri ad intellectum iuris communis,itaut genus masculinum secun-
2 dum iuris † terminos contineat fœmininũ, *l. qui duos in fin. ff. de leg. 3. l. seruis legatis in princ. eod. tit.* & in his terminis adducitur, *lex 1. C. de condit. insert. & lex Lucius la 2. ff. de hæred. instit.* vbi I.C. æquiparat istam conditionem, ac si dictum fuisset si sine li-
3 beris, † quo casu certum est liberorum nomen commune esse vtriusque sexus, *l. liberorum, ff. de verb. significat. cum similibus.*

Quin imò in tacita conditione ex benignitate legis inducta in casu legis, *cum acus. ff. de condit. & demonstr. & in l. generaliter, §. cum autem, C. de instit. & substit. & in l. cum acutissimi, C. de fideic.* Fœminæ æquè, ac masculi faciunt cessare conditionem tacitam, vnde pari ratione, vel forsan maiori dicendum est conditione apposi-
4 ta à testatore si sine filijs, † filias grauati facere,vt deficiat conditio expressa, *Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 14. per totum, & præcipuè num. 4. Gabr. conf. 97. lib. 1. & conf. 100. lib. 2. Seraph. decis. 880. & DD. in cap. Rajnaldus de testam. cum infinitis cumulat per Mantic. loco citato, & Peregr. art. 25. n. 6.*

Qua iuris regula sic stante,cũ Bernardinus filius testatoris relicta filia, vel nepte
5 decesserit non purificata conditione expirauit tam prima substitutio, quam cæteræ dependentes ab ea secundum celeberrimum, & toties à Rota canonizatum cons. Oldrad. 21. à quo licet aliquando Rota esse recedendum ex coniecturis censuerit, has tamen debere esse necessarias, & concludentes, & quæ ex verbis ipsius testamenti claré eliciantur semper existimauit, *argum. l. cum proponebatur, ff. de leg. 2. & ibi communiter DD. cumulati in illa Viterbien. fideicommissi coram R.P.D. Manzanedo 10. Maij 1613.*

Quæ ratio præcipuè militat in hac facti specie,in qua transuersales agunt de lucro captando; & excludere conantur filiam,
6 aut neptem à paterna, † aut auita successione inducendo ex præsumptionibus fideicommissum contra descendentes, vt optimè distinguit *Cephal. conf. 167. num. 16. & 17. Rol. conf. 43. num. 27. lib. 4. Tiraq. de primog. quæst. 40. num. 55. & 56.* vbi multos cumulat, cum enim filia,vel neptis habeat regulas iuris pro se non eliduntur per dubias probationes,vt inquit *Bald. in l. 2. n. 5. C. de bonor. possess. secund. tab. Ias. in l. non hoc num. 15. C. vnde legit.*

Hoc posito non obstat maximum informantium pro Vespasiano fundamentum desumptum ex affectione testatoris ad conseruationem agnationis, & familiæ, quæ nullo modo potest induci, nisi dicta conditio si sine filijs intelligeretur de filijs masculis, per quos solos, & non per fœminas agnationem conseruari non potest reuocari in dubium.

Hanc autem coniecturam eliciunt ex verbis testamenti, quia testator postquam Marinum Angelum fratrem ad spem successionis vocauit eius filios masculos proximioresque de cippo in stirpes substituit, ex qua testamenti parte volunt fœminas non comprehendi sub conditione si sine filijs.

Huic obiectioni responderunt Domini, ex eo quod testator substituerit masculos in linea Marini Angeli fratris substituendo
7 proximiores de cippo; † non ideo sequi in propria linea descendentium ipsius testatoris habitam fuisse rationem conseruandæ agnationis,quod manifestè patet, quia quoad descendentes suos nullam prorsus fecit substitutionem, si enim Bernardinus cum filijs masculis decessisset, ipsi sine vlla difficultate potuissent omnia bona à testatore relicta impunè alienare,vnde sequitur descendentes non fuisse vllo onere conseruandi in familia grauatos, vt ex multis firmauit *Rota in illa Viterbien. fideicomm. 10. Maij coram R.P.D. Manzanedo.*

Ex quibus intrat receptissima conclusio rationem conseruationis in familia debere intelligi, & limitari ad casum expressum,
8 vt nõ inducat fideicommissum vltra casus à testatore distinctos, *Alex. conf. 202. col. 1. ad fin. lib. 2. Soc. iun. conf. 29. num. 24. & 25. lib. 4. Menoch. conf. 327. num. 82. & 83. fusè Peregr. art. 29. n. 39.*

Regula enim illa, quod vna pars testamenti aliam declarat, itaut qualitas in
9 vna † parte expressa censeatur in altera repetita,nunquam habet locum nisi eadem ratio

ratio locum habeat, verum cum diuersa potest assignari ratio voluntatis subintrat alia conclusio, quod si testator voluisset in prima substitutione suorum descendentiũ
9 se restringere ad masculos tantum, ita se restrixisset sicuti postea fecit in descẽdentia Marini Angeli, *argum. l. vnica*, §. *sin autem*, *C. de cad. tollend. vulgat. cap. ad audientiam de decim.*

In hac autem facti specie maxima, & considerabilis adest ratio diuersitatis, quia verisimile est testatorem iuxta commune parentum votum deficiẽtibus masculis de
10 sua descendentia † magis dilexisse fœminas ex se descendentes, quam masculos transuersales, & ideo probabilis elicitur coniectura, ipsum noluisse eas excludere, quibus nullas dotes reliquerat, quin potius apparet rationem agnationis restringendam ad gradum expressum, non autem extendendam ad omissum, *Paris. cons. 72. num. 36. lib. 3. Rub. Alex. cons. 120. numer. 9.* cum multis allegatis per *Mantic. de coniect. vltim. vol. lib. 6. tit. 15. num. 6. per tot. Seraph. decis. 1023. Put. decis. 175. lib. 2.*

11 Nec est nouum vt testator in vno casu habuerit rationem conseruandę agnationis in alio verò secus, *Honded. cons. 45. num. 36. lib. 2. Peregr. d. art. 29. num. 39.* Vltra quod etiam decedente d. Bernardino filio, & hærede cum filia, vel nepte non-
12 dum purificata conditione expirauit substitutio facta in fauorem Marini Angeli eiusque filiorum masculorum, & proximiorum de cippo, quia si deficit conditio quo ad primos, cum collateralibus in secundam spem vocatis non sit aperta via succedendi, non est locus sequentibus substitutionibus, *l. si mater*, §. 1. *& l. qui habebat*, *ff. de vulg. & pupill. l. qui fundum*, §. *qui filios*, *in fin. ad leg. falcid.* idque secundum supradictum *cons. Oldrad. 21. fusissimè Ruin. cons. 153. num. 6.*

Hac sublata coniectura facilis est responsio ad alias coniecturas ponderatas ab informantibus pro Vespasiano dum dicũt testatorem processisse ad plures substitutionum gradus, ipsumque proprias filias exclusisse quamuis dotatas.

13 Hæ enim † aut debent restringi ad suum casum, & dependent ab euentu præcedentis conditionis, aut visæ fuerunt satis leues ad inducendum fideicommissum in præiudicium descendentiũ ad fauorem transuersalium, vt in fortioribus terminis stantibus pluribus coniecturis respondit *Rota coram Seraph. decis. 880. & in vna Narnien. fideicommissi coram R. P. D. meo Verospio, & fusissimè in alia Ariminen. fideicommiss. 23. Martij 1615. coram me*; quarum decisionum rationes, & auctoritates DD. placuerunt.

Nec obstat coniectura, quam eliçere volunt ex statuti dispositione, quia statu-
14 tum Sancti Genesij † non excludit filiam, vel neptem grauati, nec agnato stantibus descendentibus tribuit successionem, vnde hæc præsumptio non est consideratione digna, & res iudicanda secundum terminos iuris communis, *Gabr. cons. 97. num. 9. d. Peregr. art. 25. num. 42.*

Nec obstat denique decisio Fulginateñ coram Illustrissimo Lancellotto, quia in ea agebatur de eadem testatoris descendentia vocata, hic autem de descendentia Marini Angeli transuersalis, quæ est multum diuersa ex supradictis vltra quod multæ aliæ diuersitates adducuntur per informantes pro fœminis cum quibus transierunt Domini.

Et ita decisum.

## BONONIEN. AFFRANCATIONIS BONORVM.

*Veneris 12. Ianuarij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Manutentio debetur possessori, & ex quibus possessio probetur.

### SVMMARIVM.

1 *Clausula*, constituti, *apposita in instrumento venditionis probat possessionem contra ipsum constituentem, & ab eo causam habentem.*
2 *Possessio probatur ex conductione.*
3 *Possessio probatur ex fructuum, seu pensionum solutione.*
4 *Vnica exactio ad effectum manutentionis exuberat.*
5 *Manutentio datur contra filios, & hæredes.*

## DECISIO CXLIX.

CVm D. Comes Maluaticus prætenderet manutentionem tam quo ad bona per ipsum empta, quàm quoad exactionem pensionum ipsi debitarum ex dictis bonis à filijs Aemiliæ conductricis eorundem bonorum. Et cum etiam prætenderet esse locum executioni duarum sententiarum ad sui fauorem Bononiæ latarũ, dato super his dubio DD. censuerunt esse dan-

dandum mandatum quoad exactionem pensionum de reliquis verò postea videndum in articulo executionis dictarum sententiarum.

Debetur autem Comiti manutentio, quia de illius quasi possessione exigendi
1 constat, non solum ex clausula, † *constituti*, apposita in instrumento venditionis contra ipsum constituentẽ, & habentem causam ab ipso, *Bart. in l. ab emptione, num. 6. ff. de pactis, Bero. cons. 91. nu. 12. & seq. lib. 3.*
2 Verum etiam constat† ex conductione facta per ipsam Aemiliam venditricem, *l. si quis ante conduxit, l. quamuis, §. si quis con-*
3 *ductor. ff. de acquir. possess.* Nec non ex solutione pensionum facta ab Aemilia vti conductrice horum bonorum, *§. retinendæ instit. de interdict. l. 1. §. interdictum, ff. vti possidetis cum similibus*; & fuit sæpissimè
4 decisum ad obtinendam manutentionem sufficere vnicam exactionem ex notat. per DD. *in cap. cum Ecclesia Sutrina, de caus. possess. & propriet.* & ita Rota in pluribus causis resoluit, & præsertim in vna *Romana annui redditus, Veneris 13. Ianuar. 1612. coram* R. P. D. *meo Pamphilio, & in Imolen. pensionis, Lunæ 8. February 1616. coram R. P. D. meo Caualerio.*
5 Et licet Aemilia decesserit tamen † manutentio datur contra eius filios, & hæredes iuxta *decis. Guidop. 629.* sæpissimè à Rota canonizatam, & præsertim in *Romana census 6. Nouemb. 1606. coram R. P. D. meo Decano, & in dictis Romana annui redditus, & Imolen. pensionis*. Idque maximè hoc casu quo dicti filij prætendunt remanere in possessione vigore conductionis, quam dicunt adhuc durare cum pacto affrancandi d. bona, vt ex multis comprobare nituntur informantes pro dictis filijs, quæ inspectio maturius examinabitur in dubio reseruato circa executionem dictarum sententiarum.

Nec obstat, quod Comes intentauerit iudicium immissionis, seu recuperationis, quasi confessus sit se amplius non possidere, placuit enim responsio, ipsum petiisse solam associationem pro continuatione suæ possessionis ad remouenda impedimenta præstita per D. Aemiliam conductricem finita locatione, vt patet ex instantiis factis coram Iudice per dictum Comitem in eius *Summ. b. num. 1.* per quas non censetur sibi præiudicasse quoad possessionem exigendi pensiones, & affictus istius possessionis conductæ à D. Aemilia.

Quæ dicuntur super nullitate, & suspicione contractus de pacto redimendi, nec non de pretio quod dicitur fuisse penes D. Comitem ea requirunt altiorem indaginem, & reiicienda ad petitorium.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA AFFICTVS.

*Lunæ 17. Februarij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Locator qui promisit manutenere conductorem in sua possessione, quæ impedimenta remouere teneatur, & non remouendo an sit obligatus ad damna, & interesse.

### *SVMMARIVM.*

1 *Exceptio non adimplementi obstat agenti non ex parte sua adimplenti promissa in contractu, & an talis exceptio possit opponi post executionem contractus re ab initio liberè tradita, n. 2.*
3 *Promissio quæ habet tractum successiuum debet durare toto tempore conuento alias promittens non dicitur satisfecisse promissioni.*
4 *Conductor potest retinere paghas quando locator non implet implenda ex sui parte.*
5 *Locator tenetur remouere omnia impedimenta conductori facta etiam sine culpa, & facto suo alias tenetur ad damna, & interesse.*
6 *Melioramenta in genere quando constat fuisse facta debent liquidari per illa prætendentem.*
7 *Exceptio non implementi non potest opponi ab eo, qui æqualiter, & eodem tẽpore adimplere tenebatur.*

### DECISIO CL.

Postquam sub die 28. Iunij proximè præteriti visum fuit Dominis Hieronymum Sauinum debere cedulam liberã scutorum 10. mil. dare D. Mario Farnesio, prosequendo disputationẽ dubitaui vtrum procedendum esset ad vlteriorem executionem stante obligatione Camerali præstandi cedulam pro toto affictus pretio, quo dubio proposito visum fuit Dominis dandam esse cedulam de soluendo ad omne mandatum Rotæ, idque ex rationibus fusè ponderatis in decisione in hac causa facta coram me sub die 5. Iunij præteriti.

Quibus non obstat exceptio non adimplementi, & inobseruantiæ ex eo desumpta, quia D. Marius promiserat liberam

fa-

facultatem extrahendi frumenta Conductoribus toto locationis tempore durante cum obligatione de manutenendo, & defendendo conductores, idq; cum iuramento, & obligatione Camerali, vnde cum post triennium superuenerit impedimentum procedens à Reuerenda Camera dictus D.Marius præcisè tenetur præstare, vt conductores possint vti re locata cum facultate liberæ extractionis grani alias contra ipsum agentem competit exceptio non
1 adimplementi vulgata *l.Iulianus, §. auferri, ff. de actio.empt. l. ediles, §. fin. ff. de edilit. edict. cum similibus*.

2 Quæ quidem exceptio licet regulariter non opponatur post executionem contractus re ab initio liberè tradita, tamen cum dictus D.Marius non solum cõcesserit dictam extractionem, sed promiserit manutenere, concessio quæ habet tractum successiuum debet durare toto tempore con-
3 uento alias non dicetur † satisfecisse promissioni, vt ex multis auctoritatibus firmat *Bec.cons.45.num.36.vers.2.* Ex quibus inferunt informantes pro Sauino condu-
4 ctore posse † retinere pagas, & cedulam excipiendo iuxta *reg. l.cum proponas, C. de transact.*

Huic obiectioni respondendo DD. non dubitarunt D. Marium stante supradicta
5 obligatione, † & impedimento præstito non culpa, aut facto ipsius, sed à supremo Principe teneri ad remouẽda impedimenta, aut cum non sit in potestate ipsius ad damna, & interesse ex traditis per *Becium d.cons. 45. in princ.* Verum non ideo sequitur conductorem liberatum esse à præstatione cedulæ pro cautela, & securitate D. Marij locatoris integri affictus, stante obligatione Camerali, & iuramento ex allegatis in 1. decisione coram me facta.

Non enim conqueri potest Sauinus si iuxta suæ obligationis formam cogitur præstare cedulam soluendam ad omne mandatũ Rotæ, quia huius vigore D. Marius exigere non poterit pensiones sine mandato Rotali, sed solum inseruiet cedula pro assecuratione pretij affictus quousq; dictus conductor damna, & interesse liquidauerit, quibus liquidatis tunc poterit retinere pensiones decursas super cedula præstanda, & sibi satisfacere liberando se, & mercatorẽ pro concurrenti summa, ad quam dicta damna, & interesse ascendent, sicque vtrique erit satisfactum, quia pretiũ cedulæ, quæ petitur ascendens ad scuta quinque millia, & vltra inseruiet pro assecuratione damnorum, & interesse conductoris, quæ verisimiliter dictam summam non excedent, itaut post liquidationem factam possit Sauinus summam liquidatam eodem iure retinere, ac hodie D. Marius agit pro præstatione cedulæ. Et ideo cum hodie satis constet de impedimentis præstitis à Camera in genere placeret DD. vt præfigeretur terminus Sauino ad liqui-
6 dandum interesse, prout fit † in melioramentis, quando de his constat in genere.

Placuit & alia responsio, quod exceptio non adimplementi non possit hodie op-
7 poni per Sauinum, qui æqualiter, & eodem tempore tenebatur adimplere præstando cedulam, quæ loco fideiussionis succedit, vnde videtur permissum D.Mario vtrumque facere, scilicet agere ad consequutionem suæ cedulæ ante remotionẽ impedimenti, etiam successiui, *glos. in l. si pradys, C. de euict. & fuit dictum in vna Romana domus 20. Iunij 1616. coram R. P. D. meo Pirouano*; poterit quidem Sauinus impedire ne pecuniæ contentæ in cedula petita soluantur D.Mario, cum hoc pendeat à successiua obseruantia, vt liquidatis damnis, & interesse ea possit retinere, sed non propterea poterit euitare conductor obligationem dandi cedulam, quæ æqualis est, & eodem tempore nata cum ipsa obligatione locationis fiendæ, quin imo iam tempus erat elapsum, quo tenebatur conductor cedulam præstitisse antequam detecta fuissent impedimenta à Reuerenda Camera præstita.

Nec obstat aliud caput non adimplementi deductum ex eo, quia D. Marius promisit responsiones Farnesij consistentes in vno rubro grani pro quolibet rubro terræ soluendas à subditis, placuerũt enim rationes deductæ in dicta decisione, in qua satis fuit probatum non posse dici D. Marium in hoc defecisse, prout non subsistit, quod D. Marius non adimpleuerit, in eo quod promisit administrationem iustitiæ contra subditos, nec non facultatem incettandi frumentum, quia tantum abest, vt hoc probetur quin potius ex epistolis dicti D.Marij datur fumus in contrarium.

Ex quibus & alijs per informantes deductis ita fuit conclusum vtraque parte informante.

ARIMINEN. PECVNIARIA.

*Veneris 24. Nouembris 1617.*

Argumentum ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Cessionarius succedit in ius cedentis, maximè si sit constitutus procurator in rem propriam, & n. 2.*

3 *Debitor non est conueniens, vt bis idem debitum soluat.*

DECISIO CLI.

Domini censuerũt D. Comitem Sempronium teneri pro terminis decursis vsque ad diem impugnationis transactionis, ratio DD. fuit, quia Andreas tanquam cessionarius q. Constantini creditoris d. Com. Sempronij ex causa d. transactionis terminos decursos petijt, & sicut Constantinus potuisset exigere ita & Andreæ id licere debet cum succedat† in ius
1 cedentis, *l. emptor. vbi Bald. not. C. de hæred. vel actio. vend. Tiraq. de retract. consangui. §. 26. glos. 3. num. 32. Bero cons. 187. num. 18. & seq. vol. 1. cum alijs cumulatis per Surd. cons. 22. n. 16. & seqq.*

Accedente maximè in eodem cessionis instrumento constitutione procuratoris in
2 rem propriam† per quam censentur translatæ omnes actiones in Aeneam, itaut penes ipsum Constantinum cedentem nullũ prorsus commodum remansisse videatur, *Bald. in l. 2. C. quand. fisc. vel priu. Aret. cons. 124. num. 1. & 2. Thesaur. decis. 201. num. 2.*

Concurrebat etiam magnus fumus executionis inhibitionis obtentæ ab Aenea contra Comitem ne alteri, quam sibi solueret stante prædicta cessione.

3 Verùm quia pro parte D. Com. allegabatur solutio, & conueniens non sit, vt bis idem debitum soluat, *l. bona fides, ff. de reg. iur.* Propterea DD. dixerunt illum quidem teneri pro terminis decursis vsque ad diem impugnationis transactionis nisi doceat de solutione.

Et ita vtraq; parte informante decisum.

CAESENATEN. SEPARAT. THORI.

*Lunæ 12. Februarij 1618.*

ARGVMENTVM.

Vxor seorsum à marito habitans, an viro teneatur restituere iocalia, quæ habet penes se.

*SVMMARIVM.*

1 *Maritus ex iusta causa potest reuocare vsum iocalium vxori à se datorum.*

2 *Vxor sine legitima causa non potest discedere à viro.*

3 *Iocalium vsus ex causa aufertur vxori à viro actione legis Aquiliæ, secus actione rerum amotarum vti probrosa.*

4 *Iocalia data à marito vxori manent sub dominio mariti relicto solo vsu vxori.*

5 *Marito interest accomodare vxori monilia, gemmas vt ipsa mundior, & ornatior incedat, & oculis mariti magis placeat.*

6 *Quæ causa si cesset veluti quia vxor sine ratione à marito discessit, iure potest iocalia repetere.*

7 *Vxor ex iusta causa discedens à marito habet ius non solum repetendi alimenta, sed etiam dotem, & donationem propter nuptias.*

8 *Vxor non est æquum vt retineat iocalia sibi tradita à marito si eum offenderit discedendo ab eo sine causa.*

9 *Vxor debet manere in obsequio mariti, & maritus debet propter illud obsequium alimenta, & beneficia ei conferre.*

10 *Qui non facit quod debet frustra conqueritur si non recipit quod oportet.*

11 *Vxor debet iustificare causam sui discessus à viro.*

12 *Sæuitia viri in vxorem tanquam sapiens delictum non præsumitur.*

13 *Testes domestici admittuntur ad probandum ea quæ fiunt inter priuatos parietes.*

DECISIO CLII.

Cvm iam fuerit sub die 28. Iunii præteriti in hac causa firmatum D. Mariam asportasse iocalia, & gemmas è domo Fabii viri, & illa spectare ad maritum proposito dubio in supradicta decisione reseruato, vtrum D. Maria seorsim à marito habitans dicta iocalia restituere teneatur DD. affirmatiuè responderunt.

1 Quidquid enim sit an maritus† constante matrimonio possit ad libitum mundi muliebris monilium scilicet, & iocalium vsum tanquam rem commodatam vxori reuocare, in qua quæstione discrepantes Iurisconsultorum opiniones adducuntur, hoc vnum est omnes conuenire tunc demum id licitum esse ad libitum mariti quotiescumq; iusta marito superuenit causa reuocandi dictum vsum, vt in hac facti
2 specie, cum vxor† sine legitima causa discessit à marito per textum expressum in *l. si seruus, §. si cum maritus, ff. ad leg. Aquil.* vbi ex longe leuiori causa vsus iocalium aufertur à marito vxori non actione rerum amo-

amotarum, quæ est probrosa, & competeret contra extraneum, sed mitiori actione,
3 scilicet † legis Aquiliæ, vt ibi glos. notat, quam limitationem adducit *Soc. iun. cons. 139. per tot. lib. 2. Hond. cons. 30. num. 29. lib. 2.*

Non enim reuocari potest in dubium
4 monilia, & iocalia † quæ ad vsum mundi muliebris à marito vxori conceduntur remanere sub proprietate mariti relicto solo vxori vsu, vt post *Bart. Salycet. Alex. fusissimè Surd. decis. 166. num. 4.* & maxima ra-
5 tione, quia interest marito † commodare vxori monilia, & gemmas, vt ipsa mundior, & ornatior incedat, & oculis ipsius mariti magis placeat, *l. sicut certo, §. interdum, ff. commodati, vbi Bart. num. 1. Angel. cons. 339. Tiraq. ad leges connub. glos. 1. p. 3.*
6 *num. 35.* quæ causa hodie cum cesset, quia ipsa seorsum sine iusta causa viuit à marito, iure meritoque porest commodata iocalia repetere, *Ang. d. concl. 339. Tiraq. in tract. cessante caus. part. 1. numer. 50. Surd. cons. 311. num. 4.*

Nam cum vxori quæ propter iustam causam, videlicet sæuitiam diuertit à viro
7 competit ius repetendi † non solum alimenta, sed etiam dotem, & donationem propter nuptias, *Bald. in l. fin. num. 12. C. de sent. quæ sine cert. quant. numer. 12. Alex. cons. 78. col. 1. vol. 5. Castr. cons. 65. numer. 3. vol. 1. cum allegatis per Surd. de alim. tit. 1. quæst. 32. num. 21.* Ita nulla existente causa separationis argumento à contrario sensu desumpto contrarium planè dicendum est, cum non sit æquum, vt inuito marito
8 gemmas retineat, quem discedendo sine causa offendit, *arg. l. consensu, C. de repudys, l. mœnia, §. fin. ff. de annis legat. fuse Surd. de alim. tit. 7. num. 1. & 12.* Hac ratione,
9 quia vxor † debet permanere in obsequio viri, & maritus ei alimenta, & beneficia propter illud obsequium conferre, *can. hæc imago, can. manifestissimi 33. quæst. 5. glos. in l. sicut patronus, ff. de ope lib.* Et qui non
10 facit † quod debet frustra conqueritur, si non recipit quod oportet, *l. si ea, Cod. de condit. insert. cum multis allegatis per Surd. loco præcitato num. 12. & 13.*

Quod autem D. Maria Felix discesserit à marito sine causa, & hodie seorsim ab eo in monasterio viuat patet, quia talis causa, quæ debet esse iusta tanquam accidentalis
11 & quid facti, † ideo debet ab allegante probari, tanto magis cum sæuitia mariti
12 in vxorem tanquam sapiens † delictum nunquam præsumatur ex regulis iuris vulgaribus.

Quin imo pro parte D. Fabij datur fumus in contrarium cum adsint testes complures formiter examinati, quorum alij de confessione extraiudiciali D. Mariæ, alij de certa scientia deponunt ipsam aufugisse à domo viri, non ob malam tractationem, sed propter zelotipiam leui de causa: ( per suo capriccio, e gelosia. )

Et licet aliqui ex dictis testibus ita deponentibus sint domestici familiares, aut consanguinei dicti Fabij mariti cum agatur de veritate eruenda rerum, quæ inter priuatos parietes solum fiunt testes do-
13 mestici tanquam † necessarij nunquam reijciuntur, fusè Gabriel qui multos cumulat *titul. de testibus concl. 10. num. 34. & 38. Grass. decis. 82. num. 2.* cum multis allegatis in *vna Ageren. pensionis 19. Decembris 1608. coram Illustriss. Lancellotto.*

Et ita decisum.

## MELITEN. BAIVLATVS.

*Lunæ 5. Martij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Transactio seruanda est gestaque contra eam sunt inualida, & irritanda.

### SVMMARIVM.

1 *Concursui ad baiulatum renunciari potest.*
2 *Concursui qui renunciauit prohibetur postea petere electionem ad illum.*
3 *Transactioni standum est, & contra illam gesta sunt irritanda.*
4 *Renuncians concursui ad baiulatum cum iuramento nec potest baiulatum sibi delatum sine culpa periurij acceptare.*
5 *Proœmium designat causam finalem dispositionis.*
6 *Emptio spei, seu aleæ quando facta dicatur, & de materia.*
7 *Singula singulis congruè sunt referenda.*
8 *Transactio debet sortiri suum effectum licet deficiat causa ex qua quis motus fuit ad contrahendum.*

### DECISIO CLIII.

Visum fuit DD. electionem factam in fauorem D. Cōmendatoris Herculis Vintimilij de Baiuliuatu, de quo agitur cum inde sequutis esse infirmandam, & ita

Q 3 stan-

standum esse in decisis sub die 27. Nouembris 1617. quia stante concordia iuramento ipsius D. Herculis, confirmatione Apostolica, ac Magni Magistri auctoritate roborata, in electione Baiuliuatus erat praeferendus D. Gulielmus de Vaqueras Commendator iuxta formam d. cõcordiae, in qua apparet in ipsius fauorem fuisse re-
1 nunciatum petitioni, & concursui † ad dictum Baiuliuatum per d. D. Herculem, qui
2 propterea † prohibebatur petere dictam electionem, *l. si quis iniurandum, C. de reb. cred. l. quaritur*, §. *si venditor. ff. de adilit. edict. l. 1. §. qui semel, ff. de success. edict. cap. quam periculosum, & ibi notatur 7. q. 1. cum similib.*

3 Vnde necessario sequitur electionem factam contra formam praecisam concordiae D. Guglielmo contradicente esse iniustam, & irritandam, *cap. quam sit, & cap. cupientes, de elect. in 6. Calder. cons. 7. nu. 3. eod. tit. Lap. allegat. 89. numer. 6. glos. in cap. si tibi absenti de prabend. in 6.* cum nec ipse-
4 met D. Hercules delatum † Baiuliuatum posset sine culpa periurij acceptare, *cap. fin. de iureiuran. in 6.* vt ex multis rationibus firmatum fuit in supradicta decisione sub die 27. Nouembris 1617. in hac causa coram me facta, quae rursus examinatae placuerunt DD. non obstantibus quae in contrarium magna verborum serie deducuntur.

Et primo non obstat, quod dicitur non euenisse casum concordiae, quae sola fuit facta in casu, quo alicuius prioratus, seu baiuliuatus vacatio eueniret postquam dictus D. Hercules, seu D. Castuel fuisset actualiter electus Magnus Commendator, & non in casu, qui accidit non comprehenso in d. concordia, vt fusius per informantes pro D. Hercule.

Quidquid enim sit, vtrum per adeptionem Locumtenentiae concordia suum sortita fuerit effectum, responsum fuit hunc sensum non posse ex verbis d. conuentionis, sed potius contrarium colligi, & primo si põderetur principium d. concordiae, apparebit in iram fuisse, ad euitandas lites, & conseruandã pacem inter ipsos Equites, eiusdẽ traiectus transigentes, ex quo proe-
5 mio causam finalẽ dignosci indubitati iuris est, *vulg. l. fin. ff. de hared. inst.* vnde dicendum partes voluisse per hanc conuentionem tollere omnem occasionem litigandi in quocumque casu, non autem in vno tantum particulari.

Deinde quanto accuratius DD. verba concordiae considerarunt, visa sunt eludere intentionem d. D. Herculis, quia ex his patet d. D. Guglielmum voluisse cedere dd. DD. Vintimilio, & Castuel, eorumq; cuilibet omne ius, quod poterat praetendere ad M. Commendam, & eius Locumtenentiam eueniente earum vacatione, & vice versa, DD. Vintimilium, & Castuel renunciasse in fauorem d. D. Guglielmi omni iuri, quod poterãt praetẽdere in vno ex duobus Prioratibus, seu Baiuliuatib. expressis in d. cõcordia, in qua leguntur haec verba; *Il Commendatore Vaqueras d'adesso per all'hora si dechiara di lasciar correre alli detti Sig. suoi dos passagi la dignità di gran Commendatore, e sua Locotenenza quando verranno à vacare in modo &c.* & ibi, *& per ricompensa di questa sua cessione li Sig. Vintimiglia, e Castuel, d'adesso per all'hora hanno ceduto, & cedono al Vaqueras l'antianità generale sopra l'altre dignità della lingua di Prouenza.*

Ex quibus verbis clarissimè demonstratur fuisse initam inter partes trãsactionem super futuro euentu, quasi esser emptio
6 spei, † seu aleae, vt dicitur in *l. nec emptio, ff. de contrah. empt. & in l. si iactum retis, ff. de actio. empt.* qui casus euentualis, seu alea in duobus consistebat, quorum primum est, si Magnae Commendae vacatio contigisset per mortem Magni Commendatoris ante vacationem Baiuliuatus. Alterum si euenisset per cessum ob adeptionem alicuius ex Prioratibus magni redditus, per quam ipsa Magna Commenda vacasset, in vtroque enim ex istis casibus D. Guglielmus penitus excludebatur, & ipsi DD. Vintimilius, & Castuel fructu concordiae soli gaudebant, & licet casus fortuitus cesserit in fauorem d. D. Guglielmi non possunt propterea resilire à contractu te-
7 nenturque ipsam aleam subire, *d. l. nec emptio, & ibi Bald. de contrah. empt. d. l. si iactũ, & ibi Bart. ff. de act. empt. idem Bart. in l. cotem ferro, §. qui maximos num. 6. vers. nunc ad quaestionem, ff. de publican. & vectigal.*

Huic interpretationi non obstant verba concordiae in contrarium ponderata, & primo illa verba, *in modo che li sudetti siano prima di lui eletti Gran Commendatori*, quia ista verba reperiuntur apposita in ea parte concordiae, dum agebatur de dispositione Magnae Commendae, ad quam per dictum D. Guglielmum cedebatur ius alijs, & ideo illa verba necessario debent intelligi respectu eius Magnae Commendae, vt ad eam d. D.

d. D. Guglielmus non posset prætendere ius, nisi postquam alij duo, seu vnus illorum essent prius electi Magni Commendatores, non autem leguntur apposita respectu prioratuum, ad quos cedebant contrahentes ius d.D.Guglielmo in alia parte concordiæ per dispositionẽ particularem. Quod clarius, & euidentius demonstratur ex eadem declaratione apposita in posteriori cessione facta ad fauorem d. D. Guglielmi, his verbis concepta; *E che auanti esso Vaqueras non domandaranno, nè pretenderanno cosa alcuna sopra quel prioraso, ò baliagio che vorrà accettare, in modo che resti pacificamente prouisto d'uno di essi auanti li sudetti Signori Castuel, & Vintimiglia.*

Ex quibus verbis visum fuit dictam prioritatem fuisse per partes consideratam ratione dignitatis, ad quam ficbat cessio
7 singula singulis + congruè referendo, vt scilicet respectu magnæ Commendæ prius prouiderentur Vintimilius, seu Castuel, quam Vaqueras, respectu verò aliorum prioratuum, seu baiuliuatus prius d.D.Vaqueras, quam prædicti alij prout forte contigisset vacatio.

Nec etiam obstant illa verba apposita in subsequenti cessione ad fauorem D.Guglielmi ibi, *d'adesso per all'hora*, & sic postquam alij obtinuissent magnam Commendam, quia ista verba æquè fuerunt apposita ex nunc, prout ex tunc quando vacauerint dignitates, vt tunc censeatur cessum ius, vt colligitur ex eo, quod eadem verba reperiuntur etiam scripta in prima cessione ad fauorem DD. Vintimilii, & Castuel facta, vt videre est ex lectura concordiæ, & ideo non potest dici apposita ad ostendendum prius DD. Vintimilium, & Castuel esse prouidendũ de magna Commenda, quam D.Vaqueras aliquem prioratum, seu hunc baiuliuatum assequi posset.

Nec placuit DD. quod obiicitur sumendum esse intellectum concordiæ præsupposito, quod Magnus Commendator deberet acceptare Baiuliuatum vigore litterarum expectatiuæ, prout maior pars Commendatorum prædecessorum facere solebat.

Placuit enim responsio litteras expectatiuæ, seu antianitatis concessę Magno Cõmendatori non continere necessitatem, sed meram facultatem, qui vtendo iure suo nulli inferre dicitur iniuriam, & ita si dicti DD. Hercules, & Castuel consentiendo concordiæ cogitarunt Magnum Commendatorem acceptaturum primum Prioratum vacaturum, seu Baiuliuatum debebant etiã prudenter cogitare dari posse casum, in quo Frater non acceptaret in præiudicium Fratris cum spem haberet consequendi Prioratum magni valoris, si supraiuueret qui ei elabi non potest, nec sequitur ex eo
8 concordiam non debere sortiri suum effectũ, quia nõ deficit causa obligationis, licèt forte fortuito causa ex qua motus fuit D. Vintimilius ad faciendam concordiam deficiat, *l. 1. & ibi Bald. C. de pact. fuse Ias. in l. si pecuniam, vers. quarto facit nu. 20. ff. de condit. caus. dat.*

Nec obstat denique iniustitia, seu inæqualitas allegata per Informantes pro Domino Hercule, quia tota facti serie perspecta visum fuit DD. concordiam vtiliorem fuisse dictis DD. Herculi, & Castuel, quàm D. Guglielmo, quia in duobus casibus ipsi fructu concordiæ potiebantur, nimirùm si præmoriebatur Magnus Commendator, aut si vacabat aliquis ex dictis Prioratibus magni honoris, & redditus, quos verisimiliter Magnus Commendator acceptasset, at D. Guglielmo nulla alia spes aderat, nisi casus, qui fortuito fauente votis fortuna aduenit.

Ex quibus, & alijs fusiùs ponderatis per Informantes ita fuit vtraque parte informante decisum.

## FLORENTINA PECVNIARIA.

*Mercurij 22. Maij 1617.*

### ARGVMENTVM.

Credito non existente non debet quis ad illud soluendum adstringi. Libri quando probent contra scribentem.

### *SVMMARIVM.*

1 *Cambia non debentur quando non constat de interpellatione, vel mora.*
2 *De cambiorum realitate vt constet requiritur litterarum transmissio ad nundinas.*
3 *Creditum, per star del credere, peti non test quando in mandato non est data facultas vendendi ad tempus habita fide de pretio.*
4 *Fraudis præsumptio intrat si minori pretio merces vendantur, potius sequendo fidem alterius quam recipiendo illico pretium.*

Credi-

5 *Creditum*, pet il discontro, *non potest peti nisi ratione lucri cessantis*.

6 *Libri non probant pro scribente nisi adsit statutum disponens, quod eis adhibeatur fides, & tamen in eo casu requiritur quod libri sint legaliter tenti, & num.*7. *&* 8.

9 *Statutum non ligat forenses nisi contrahant in loco statuti, & tunc ligantur etiam extra territorium, & num.*11. *&* 12.

10 *Contractus potest fieri per epistolas*.

13 *Reus pro virili tantum, & non insolidum debet condemnari si partitæ cantent sub nomine duorum*.

14 *Socij tenentur insolidum*.

## DECISIO CLIV.

IN sententia extra Rotam lata fuit con-
demnatus Ananelsfurnus ad solutionem
scutorum 592. Andreæ Pellio, sed in gra-
du appellationis coram me, dato dubio,
an dicta sententia esset confirmanda, vel
infirmanda DD. censuerunt esse refor-
mandam.

Inter partitas namque libri Pellij, ex
quibus suum creditum ipse iustificauerat,
aderat vna, in qua Sfurnus fuerat creatus
1 debitor pro cambijs, † quæ nullo iure de-
bebantur, cum nec constaret de aliqua in-
terpellatione, nec de mora Sfurni, *Bursatt. cons.*453. *num.*25. *vol.*4. *Rota diuers. decis.*
923. *sub num.* 2. *par.*3. & fuit sæpissime
2 decisum, † nec etiam constat de realitate
cambiorum per transmissionem litterarum
ad nundinas prout requiritur ex constitut.
san. mem. Pij V. vt fuit resolutum *in Mediolanen. Pecuniaria* 27. *Martij* 1602. *coram
Litta, & in alia Florentina pecuniaria Luna*
9. *Iunij* 1614. *coram me*.

Aderat alia partita in qua Pellius crea-
uerat se creditorem in duobus scutis pro
centenario, prout inter Mercatores dicitur
*per star del credere*, occasione ciambelloto-
rum venditorum habita fide de pretio, quę
tamen iure non videbantur peti posse, cum
non ostenderetur ordo, seu mandatum
Sfurni, ad vendendum habita fide de pre-
3 tio, † sine quo dicta facultas vendendi ad
tempus habita de pretio fide non venit in
mandato de vendendo iuribus vulgaribus
4 vltra quod † dicitur minori pretio vendi-
disse merces, sequendo fidem altetius quã
recepto illico pretio, vnde intrat præsum-
ptio fraudulentæ negotiationis.

Aderat quoque alia partita in qua Pel-
lius fecerat se creditorem ad rationem scu-
torum 9. pro centenario, quod vulgò in-
ter Mercatores dicitur, *per il discontro*,
5 quod † tamen minimè facere poterat sine
ordine Sfurni, & multo minus cum illa
non possint peti nisi ratione lucri cessantis,
& non adsint illa requisita, Castren. per-
petuo à Rota firmata.

Quo verò ad alias partitas quibus Pel-
lius ostenderat se creditorem opponebatur
6 pró parte Sfurni † libros non probare pro
scribente absque requisitis per *Guidopap. decis.*441. *Rolan. cons.*92. *num.*6. *vers. subdit lib.* 4. *Ioseph Ludouic. conclus.*29. *col.*2.
*in fine*.

Et licet huic obiecto videretur satisfa-
ctum ex limitatione data per *Rolan. dicto
cons.*92. *num.*5. *Ioseph Ludou. dicta concl.*29.
7 *col.*1. quod † non habet locum prædicta
conclusio vbi adest statutum, & in termi-
nis statuti Florentini *ex Fulgos. & Socc. Rota firmauit in dicta Romana, seu Florentina
Cambiorum Lunæ* 12. *Ianuarij* 1615. *coram
me*; tamen hoc casu difficultatem faciebat.

8 Primo quod etiam † in casu statuti Flo-
rentini requiritur quod libri sint realiter
tenti, eisque fides adhibenda sit in iudicio
& extra, vt fuit firmatum in dicta Floren-
tina Cambiorum ex prædictis autem tri-
bus partitis, quas Rota non esse admitten-
das censuit, non videtur posse firmiter dici
libros esse legaliter tentos, quicquid testes
in contrarium dicant.

Secundo quod Sfurnus non erat Floren-
9 tinus, & † statutum non ligat non subdi-
tos cum Iis Romæ agitetur *ex Alex. consil.*
138. *num.*5. *in fine lib.*1. *Felin. in cap.*2. *n.*8.
*vers. limita* 4. *de probat.* & videtur admit-
tere *Aym. de antiq. tempor.* §.4. *limitatur sub
num.*4. *vers. argumentum*, & fuit considera-
tum per aliquos ex Dominis *in vna Neapolitana pecuniaria Veneris* 16. *Maij* 1578.
*coram Bubalo*. Huic difficultati dum oc-
currere voluerunt Informantes pro Pellio,
10 quod † ex negociationibus per epistolas
per Sfurnum transmissas, & per Pellium
Florentiæ receptas censeatur Sfurnus ibi
contraxisse, vt per *Bald. in l. multum interest
sub num.*11. *C. si quis alteri, vel sibi*, & ita
11 cõtrahendo se subiecisse statuto Florentię
*ex Soccin. consil.*51. *num.*33. *lib.*4. *Crauett.*
12 *cons.*186. *num.*9. & ita ratione contractus
dicuntur subditi statuto, & illo ligantur
etiam extra territorium, *vt post Bald. in
l. exemplo, C. de probat. Alex. dicto cons.*138.
*num.*5. *vers. tamen secundum Bald. lib.*5.

Domini considerarunt hoc casu non

adesse

adesse litteras Sfurni, in quibus dicitur datus ordo pro transmittendis rasis, nec etiã adesse litteras responsiuas Sfurni, ex quibus constet de receptione dictorum rasorum, quæ tamen deberent penès ipsum extare iuxta solitum mercatorum in huiusmodi negotijs.

Nec visa fuit sufficiens epistola data in *Summ.num.3.* cum loquatur tantum de vna petia rasi, & ita non potest deseruire pro alijs, & quod plus est non fuit subscripta à Sfurno, qui tunc temporis erat absens, & quamuis in recognitione quarumdam litterarum facta ab ipso Sfurno dicatur epistola scripta de eius ordine, tamen nõ visum fuit clarè ostendi, quod de hac epistola Sfurnus loquutus sit.

Quæ autem opponebantur contra alias partitas visa fuerunt Dominis benè tolli per Informantes pro Pellio.

13 Demum dicebatur sententia iniusta ex eo quod Sfurnus fuerat condemnatus insolidum, cum tamen partitæ cantentAnaniel Sfurno, & Iuda Canez, & propterea pro virili tantum debebat condemnari, *l.reos* §. *cum in tabulis, & ibi DD. ff. de duob. reis, Mantic. de tacit. lib.15. tit.3. nu.8. & 9. vers. sed in dubio.* Sed pro parte Pellij hoc
14 obiectum dicebatur tolli ex eo quod prędicti erant socij, & per cõsequens potuisse insolidum condemnari *ex decis. Iannen.* 102 *num.8.* Verum DD. noluerunt aliquid super hoc firmare cum non fuerit probata concludenter societas.

Et ex his vtraque parte informante ita fuit decisum.

## RAVENNATEN. EMPHYTEVSIS.

*Veneris 21. Aprilis 1617.*

### ARGVMENTVM.

Emphyteusim si quis recipiat pro se filijs, & nepotibus, & vno successore, an hæres vniuersalis, licet à nepote nõ nominatus possit illam prætendere: Emphyteusis dum est concessa pro se, & vno successore parum interest an ille succedat titulo vniuersali, vel particulari: Bona existentia in Ciuitate comprehenduntur sub territorij denominatione.

### SVMMARIVM.

1 *Emphiteusim si quis obtineat pro se, filijs, nepotibus, & vno successore, an hæres vniuersalis, licet nõ sit nominatus à testatore possit illam prætendere.*
2 *Emphiteusis dum est concessa pro se, & vno successore parum interest, an ille succedat titulo vniuersali, vel particulari.*
3 *Bona emphiteutica Rauenna stante Bonifaciana possunt alienari tàm inter viuos, quàm in vltima volũtate.*
4 *Ciuis alicuius loci quod quis sit à parte non potest impugnari si iam illum tamquam talem approbauit.*
5 *Testes examinati ad perpetuam rei memoriam quando probent.*
6 *Statuti verba quando sunt clara non possunt tergiuersari.*
7 *Bona existentia in Ciuitate comprehenduntur sub territorio, & districtu.*
8 *Obseruantia subsequuta tollit omnem dubietatem.*
9 *Obseruantia interpretatiua non eget temporis cursu, sed sufficit aliquando ita fuisse obseruatum.*
10 *Aetas probatur ex fide baptismi.*
11 *Ad adimplendum aliquid quando quis non habet tempus præfixum sufficit esse in statu quo possit illud adimplere.*
12 *Intentionis suæ fundamentum etiam si consistat in negatiua vnusquisque probare tenetur.*
13 *Factum præcipuè vetitum non præsumitur.*
14 *Deuolutio ob non solutionem euitatur si constet de deposito ob recusationem Domini directi.*
15 *Deuolutio cessat stante concordia.*
16 *Nulla quæ sunt nullum præiudicium gerenti afferunt.*

### DECISIO CLV.

DOMINI censuerunt domum non esse deuolutam, ea præcipuè ratione, quia
1 facta fuit cõcessio Io. Francisco pro se, filijs, nepotibus, & vno successore, vnde dum Laurentius fuit à dicto Io. Francisco hæres vniuersalis institutus dicitur nominatus ad domum, cum simus in re alienabili nec agitur de tertij præiudicio, *Cald. de nominat. emphyt. lib.2. quæst.7. num.3.* & firmauit *Rota in Romana Domus in Monte Iordano 29. Aprilis 1579. coram Brano, in Camerinen. domus 4. Iunij 1593. coram Gyptio & in alijs causis.*

Licet hoc casu dum in inuestitura nõ fit mentio de nominatione, sed dicitur pro vno successore, nihil refert, an titulo par-
2 ticulari nominationis, an verò institutionis vniuer-

vniuersalis Laurentius successerit primo acquirenti, *l. quadam*, §. *nihil*, *ff. de eden. Bald. in l. emptorem num. 2. C. locat. Peregr. de fideicomm. art. 32. num. 84. Caldas. de nominat. emphyt. lib. 2. quaest. 24. in principio, & seqq.*

Fuit etiam allegata Bonifaciana, seù cōcordia inita inter Clerum, & populum Rauenatesi à Bonifacio confirmata, per quam
3 bona † emphyteutica possunt alienari tàm inter viuos, quàm in vltima voluntate, de qua *Anchar. cons. 125. num. 4. & cons. 393. num. 3. vers. item quo*, *Paris. cons. 108. n. 49. lib. 1.*

Quod autem Io: Franciscus esset Ciuis Rauennaten. prout requirit concordia satis constare visum fuit contra Monasteriū,
4 quod illum vti talem † approbauit in instrumento inuestituræ, ibi Io. Francisco ciui, & habitatori Rauennæ, *Angel. in l. cum proponas*, §. 1. *ff. de inoff. test. Mantic. de tac. & ambig. lib. 3. tit. 10. n. 18. vers. sed Angelus*, quæ ad probatio recipit adminiculum ex priuilegio ciuilitatis cōcesso Amadeo Ruggerio, à quo descendisse Ioannem Fran-
5 ciscum, & Laurentium probant † testes examinati ad perpetuam rei memoriam, cum essent octuagenarij, & producti in hac causa cum oblatione illos repetendi quatenus Monasterium voluisset.

Nec in dubium verti potest concordiam habere locum non solum in Ciuibus originarijs, sed etiam ex priuilegio, & habitatione longæua decem annorum, cum illius
6 verba † clara sint, vt firmauit *Paris. consil. 108. num. 49. lib. 1. Menoch. cons. 737. nu. 8. lib. 8.*

Non obstat concordiam loqui de bonis positis in territorio, & districtu Rauennæ, nam cum illa sit fauorabilis, vel saltem in-
7 differens comprehendit etiam bona † existentia in Ciuitate *Anchar. d. cons. 393. n. 1. vers. & præmitto*, & omnem dubietatem
8 tollit † obseruantia subsequuta, *l. si de interpretatione, ff. de legib. Rota diuers. decis. 503. num. 2. & decis. 574. num. 3. par. 1. Seraphin.*
9 *dec. 1410. n. 3. & 16.* quæ tamquam interpretatiua non indiget temporis cursu, sed sufficit aliquandò ita fuisse obseruatum, *Crauett. cons. 118. num. 2. & cons. 201. n. 12. Decian. respons. 51. nu. 58. & 84. lib. 2. Pat. decis. 283. num. 3. lib. 1.*

Nec visum fuit obstare Laurentij institutionem fuisse conceptam sub diuersis cōditionibus, quæ non ostenduntur adimpletæ, nam quoad susceptionem gradus Doctoratus conditio non reperitur adposita ad effectum, vt Laurentius ante doctoratum non sit hæres, cum & ante dicti gradus susceptionem Testator disposuerit, hæredem inhabitare debere domum, seù palatium ipsius testatoris; ac voluerit eum habere medietatem fructuum, sed fuit adposita ad effectum gaudendi fructibus totius hæreditatis, vt sunt verba clara testamenti, *E non si addottorando possa hauere dell'entrata della mia heredità la metà di essa, mà arriuando al dottorato possa godere interamente tutta l'heredità.*

Placuit etiam alia responsio Laurentium
10 vix ascendere ad ætatem 20. annorum, vt constat ex fide Parochi *Mandos. ad reg. 18. quæst. 10. Menoch. præsumpt. 51. nu. 56. lib. 2.* & fuit sæpe decisum; & quia Testator nō
11 adposuit certum tempus infra quod gradus doctoratus esset suscipiendus Laurentius dicitur adhuc esse in statu adimplendi dictam conditionem, & per consequens non potest dici expirasse, vt sit locus deuolutioni, *ad l. quamdiu 68. ff. de acquir. hær. Roman. cons. 134. num. 5. vers. sed interpretatio hæc. Paris. cons. 71. num. 27. lib. 4.*

Fuit etiam responsum, quod nec adimplementum dictæ conditionis, nec etiam illius, *se si smarchianerà*, debet probare Laurentius, sed Monasterio, quod prætendit deuolutionem ex causa non adimplementi dictarum conditionum incumbit onus probandi negatiuam non adimple-
12 menti, cum in illa consistat fundamentum deuolutionis, *Bart. & alij in l. in illa, ff. de verb. obligat. Hercul. de negatiu. in princ. Rot. decis. 775. n. 2. par. 1. Seraph. decis. 879. n. 1.*

Et quoad hanc secundam conditionem fuit etiam dictum illam satis adimpletam videri, dum non constat Laurentium redijsse ad habitandum in illa Prouincia, in qua domicilium contrahere hæredi scripto Testator prohibuerat, vnde non tenetur aliquid docere, sed illi sufficit negare se redijsse, & Monasterium si eum asserit
13 redijsse debet probare, cum factum præcipuè vetitum non præsumatur, *vulg. l. in bello, §. factæ, ff. de captiu. & postlim. reuers.*

Non obstat aliud caput deuolutionis ob
14 nō solutionem canonis nā vltra quod pro parte Laurentij dicebatur canones fuisse depositatos, quod sufficeret stāte recusatione Monasterij, & pēdentia litis, ex traditis per *Natt. cons. 3. nu. 4. Bero. cons. 126. n. 19. vol. 1. & alios per Corbul. de caus. priuat. ob non solut. canon. lim. 37. num. 2. & seqq.* deuolutio

15 uolutio cessat stante prædicta concordia, in qua expresse fuit consentum in tali casu non incurri caducitatem, sed canones duplicandos.

Non obstat denique, quod dicitur hæredem scriptum admisisse ad partem hæreditatis personas, quas Testator abhorruit, & sic contra voluntatem Testatoris, quia ex supradictis nunquam hoc factum præsumetur, ultra quod hæc admissio iuris quæsiti saperet donationem, quę tamquam gesta à minore contra prohibitionem legis nullum in eius præiudicium parere posset effectum, *vulg. l. non dubium, C. de legib.* aut saltem competeret minori beneficium restitutionis in integrum.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## BONONIEN. BONORVM DE MONTERENTIIS.

*Lunæ 29. Ianuarij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Venditio quando rescindatur.

### *SVMMARIVM.*

1 *Qui nihil habuit, nihil restituere tenetur.*
2 *Probatio ex scripturis prævalet depositionibus testium.*
3 *Summarum diuersitas & pluralitas non præsumitur.*
4 *Confessio iudicialis est præferenda confessioni extraiudiciali.*
5 *Iuramentum facit vt mulier sagax præsumatur sciuisse verum valorem rei, & certiorata de remedio dispositionis l. 2. C. de rescind. vendit.*
6 *Iuramentum non mutat naturam contractus super quo interponitur, nec auget obligationem, sed addit vinculum religionis.*
7 *Mulieris renunciatio enormissimæ læsioni non valet.*
8 *Ignorantia iuris præsumitur in muliere.*
9 *Sagaces non permittunt se lædi in contractibus vltra dimidiam iusti pretij.*
10 *Contractus etiam iurati rescissio non impeditur quando adest enormissima læsio vltra medietatem.*
11 *Iuramentum dicitur illicitum ex parte recipientis quando in venditione adest enormissima læsio.*

### DECISIO CLVI.

POST decisionem in hac causa 10. Aprilis 1617. coram me factam in qua firmatum fuit contractum emptionis locorum montium vigore *l. 2. C. de rescind. vend.* esse rescindendum. Informantes pro hæredibus Francisci de Comitibus dederunt in actis articulos, quibus sine veri præiudicio habitis pro probatis, iterum de ordine Rotæ proposui idem dubium, quo proposito DD. etiam data articulorum veritate censuerunt non esse recedendum à decisis, ex rationibus fusissimè deductis in dicta decisione quæ rursus ponderatæ placuerunt DD.

Quibus non obstant duo præcipuè fundamenta, quibus dicti Informantes pro dictis hæredibus Francisci volunt iustitiam & validitatem supradicti contractus stabilire; Et primo non obstat, quod dicitur nõ fuisse solutum aliquod pretium per Lucretiam pro annuo redditu empto, de quo agitur, prout continetur in articulis, qui præsupponuntur tamquam probati, & sic non posse hæredes Lucretiæ opponere aliquam læsionem, si nihil ipsa soluit, cum in omnem euentum teneretur solum Franciscus, vigore *d. l. 2. C. de rescind. vendit.* restituere solum id, quod habuisset vltra verum valorem, & ideo dum præsupponi-
1 tur præfatum † nihil habuisse, nihil tenetur restituere, sicut ex multis comprobatur per Informantes pro dictis hæredibus Francisci.

Huic obiectioni responderunt DD. pręsupposita etiam confessione Lucretiæ extraiudiciali probata non excludi probationem certiorem, quæ euidenter apparet ex
2 scripturis, † quæ in concursu cum depositionibus testium omninò est præferenda, *l. generaliter, C. de non numerat. pecun. vbi Castr. num. 1. cæterique scribentes*, in dictis enim articulis enunciatur in actu celebrationis instrumenti pretium aliquod non fuisse solutum, nec antea, nec postea prout ipsamet Lucretia fassa est, quæ probatio tollitur ex contraria probatione, de qua apparet in instrumento venditionis huius annui redditus, in quo procurator Iulij vigore mandati specialis confessus fuit cum iuramento, se recepisse pretium librarum 2000.

Et hæc quidem veritas huius confessionis visa fuit satis probata ex epistolis ipsius Iulij ex mandatis sub die 7. Aprilis, & 21

& 21. Martij. Bononiam ab eodem Iulio Romæ commorante transmissis, ex credito quod Lucretia habebat eiusdem summæ librarum 2000. cum DD. de Martachetis, & ex inuestitura dictæ summæ facta in vtilitatem dicti Francisci prout apparet ex partitis banchi DD. de Duliolis sub 5. Martij eiusdem anni, ex qua serie facti fusè, & satis clarè deducta visum fuit concurrere idem tempus, eandem causam, summã, & easdem personas, quibus simul iunctis necessario dicendum pretium fuisse verè solutum, & sic remanere firmum fundamētum decisionis circa enormissimam læsionem, intrant enim regulæ iuris non
3 præsumi diuersitatem summarum concurrentibus tot adminiculis, vt ex multis firmauit *Rota coram Seraphino decis. 1093.* & postea in eadem causa *coram me Veneris die 13. Martij 1613. in causa Romana pecuniaria de Spinolis.*

Placuit & DD. alia responsio non esse attendendam confessionem extraiudicialem Lucretiæ, cum constet de contrarijs confessionibus iuratis non solum in pluribus instrumentis, sed etiam in iudicio dum egit ad rescissionem supradicti contractus, pretiumque solutum repetijt, & sub quibus assertionibus etiam decessit, vnde augetur fides personæ, *Dec. in l.4. num.1. C. de eden. Surd. decis.103. num.5. & seqq.* &
4 certum est† confessionem iudicialem tamquam magis deliberatam, & affirmatiuam præualere confessioni extraiudiciali negatiuæ, *Cæs. de Graff. decis. 77. alias 8. de test. Tindar. de testib. cap. 11. numer. 1. & seqq. cum allegatis.*

Nec etiam obstare visum fuit argumentum desumptum ex præsupposita sagacitate Lucretiæ, qua stante dicendum videretur renunciationem enormissimæ læsionis cum iuramento appositam in instrumento impedire hæredes, quo minus vigore *d. l. 2.* possint rescissionem supradicti contractus
5 prætendere, † cum iuramentum faciat etiã vt mulier sagax præsumatur sciuisse verum valorem rei, & certiorata de remedio dispositionis *d. l. 2.* ex fusè allegatis per Informantes pro dictis hæredibus Francisci.

Placuit enim responsio quando apparet de enormissima læsione, prout in hac facti
6 specie satis firmatum fuit † iuramentum non mutare naturam contractus super quo interponitur, nec augere obligationem, sed addere vinculum religionis, *Franc. post alios decis. 181. num. 3.* nec est dubium se-
7 cundum naturam contractus non valere renunciationem mulieris enormissimæ læsioni, cum præsumatur per insidias inducta ad renunciandum, *Crauett. cons. 143. num. 22. Alex. Ias. Dec. Ruin. Curt. & alij allegati per Cephal. cons. 34. num. 25.* nec
8 sagacitas † in muliere potest inducere præsumptionem scientiæ remedij iuris ex dispositione *d. l. 2. C. de rescind. vend.* cum in
9 mulieribus potius detur præsumptio ignorantiæ iuris sibi competentis, *l. Diuus Claudius, §. idem in filio, vbi gloss. in verb. scripseris, ff. ad l. Corneliam de falsis, cum alijs allegatis in d. decisione.*

Nec videtur obstare articulus præsuppositus de dicta sagacitate, quia videtur contrarius facto præsupposito patentis manifestæ, ac enormissimæ læsionis, cum sagaces non permitrant se lædi in contractibus vltra dimidiam iusti pretij, neque remittunt de proprio valore, sed potius con uenit fatuis proijcere suum *vulgat. l. cum de indebito de probat.*

Secundo responsum fuit renunciationē etiam iuratam, quando adest enormissima
10 læsio vltra medietatem † non impedire rescissionem contractus, etiam ex remedio *d. l. 2.* quam opinionem vt æquiorem amplexa fuit *Rota apud Cassad. decis. 1. de empt. & vend. iuxta cons. Corn. 288. num. 26. lib. 3.* quam Rotæ opinionem sequitur, & comprobat *Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 4. num. 5. & in cap. quamuis pactum in 3. par. §. quartum num. 5. Molin. de primog. Hispan. lib. 2. cap. 3. num. 19.* imò idem iuris esse non solùm in muliere sagaci loquitur *Cassad. vbi supra num. 2.* sed etiam in maiore licet præcesserit assecueratio scientiæ iusti pretij, vt viderc est apud *Cassad. & Couar. vbi supra* idque cum maxima ratione, quia hoc casu iuramentum dicitur illicitum ex parte re-
11 cipientis, † quia vbi adest enormissima læsio sequitur interuenire dolum re ipsa, *Cassad. d. decis. vnica num. 1. & 3. Guttier. de iuram. par. 1. cap. 26. num. 7. Cagnol. in d. l. 2. num. 110. & num. 99. cum alleg.*

Verùm quia pro parte dictorum hæredum Francisci fuit articulata confessio Lucretiæ, vsumfructum relictum ipsi à Iulio fratre fuisse animo compensandi, quia hæc obiectio obiter solùm tacta fuerat in decisione, ideò DD. visum fuit standum esse in decisis nisi obest exceptio compensationis legati, quam particulari inspectione examinandam esse iudicarunt.

Et ita decisum. AM-

AMPVRIEN. CANONICATVS.

*Lunæ 19. Februarij 1618.*

ARGVMENTVM.

Executor Delegatus ab A. C. quando valeat contrà inobedientes procedere ad declarationem censurarum.

*SVMMARIVM.*

1 *Executor ab A.C. delegatus non potest excommunicare rebellem & inobedientem quando idem A.C. sibi reseruauit iurisdictionem procedendi ob non paritionem.*

2 *Gesta ab executore excedente fines sui mandati sunt reuocanda.*

3 *Clausula, cùm facultate procedendi contra rebelles & contradictores, intelligitur nisi adsit iusta causa non parendi.*

4 *Declaratoria contrà non obedientem non datur nisi seruatis terminis de stylo seruari solitis.*

5 *Declaratoria præcipitanter lata non est attendenda quia debet dari competens terminus ad parendum.*

DECISIO CLVII.

CVM Vicarius Ampurien. vti executor mandati de immittendo Franciscum Perazzonum in possessionem Canonicatus & præbendæ Ecclesiæ Ampurien. ab A. C. relaxati declarasset Bernardum Sardum possessorem incidisse tam in pœnas contentas in dicto mandato quàm in censuras contentas in Bulla in Cœna Domini ob non paritionem præcepto illi iniuncto de discedendo infra tres horas è loco præbendæ, Bernardus recursum habuit ad Rotam in qua causa pendet coram me & dato dubio, An dicta sententia declaratoria sit valida & iusta DD. ommisso capite iniustitiæ responderunt sententiam esse nullam, ex defectu Iurisdictionis.

1 Cum enim A.C. † solam executionem mandati demandasset sibique expresse reseruasset facultatē reuocandi quidquid per Bernardū in cōtrarium attentatū fuisset, ac etiam illū declarandi incidisse in pœnas cōtentas in dicto mandato, vt patet ex lectura litterarum delegationis, non poterat Vicarius delegatus deuenire ad d. declarationem, sed debebat ipse A. C. penes quem remanserat iurisdictio referre non paritionem Bernardi, *Can. & si non cognitio. cum glos. 25. quæst. 2. cap. de cætero, & ibi Felin. num. 2. de re iudic. Bald. in cap. super quæstionum num. 2. de offic. deleg. Rot. decis. 3. num. 2. de rescript. in nou.* Ex quibus rationibus

2 Rota consueuit reuocare gesta † ab huiusmodi executoribus excedentibus fines demandatæ Iurisdictionis, *Rota dicta decis. 3. num. 2. de rescript. vt fuit dictum in Viceren. Prioratus 19. Martij 1610. coram R. P. D. meo Damasceno.*

Nec potest extendi clausula procedendi contra rebelles, vel resistentes de facto ad Bernardum, qui erat contradictor de iure quippè qui obtinuerat causam committi in Rota & habuerat recursum ad Signaturam pro transferenda executione

3 Breuis, eo enim casu non dicitur † indebitus contradictor, vt ex multis firmat *Put. dec. 270. in fin. lib. 3. in nouiter impress. Achil. decis. 4. n. 11. de sent. excommun.*

Licet enim executoriales mandent denuntiari contradictorem excommunicatū, tamen subintelligitur semper illa clausula nisi adsit iusta causa non parendi, de qua prius constare non potest quam sit lata de-

4 claratoria, quæ † non datur nisi præmissis terminis de stylo Iudicis delegantis, seruari solitis, *Felin. in cap. ad probandum n. 6. de re iudic. Cassad. decis. 6. n. 10. de caus. possess. & propr. Lancell. de attent. lit. pend. in præfat. num. 306. & 312.* & fuit sæpissimè in Rota decisum.

Ex quibus patet quam præcipitanter

5 Iudex † subdelegatus non præfixo alio quàm trium horarum termino ad parendū Bernardo contra eum sententiam declaratoriam tulerit.

Nec potest substineri dicta sententia si dicatur ipsum potuisse procedere auctoritate ordinaria, quia vltra quod id facere non potuit sine vitio attentatorum pendēte lite seu coram A. C. siue in Rota ex lectura sententiæ apparet ipsum solummodo processisse tanquam delegatum ad effectū dandi immissionem Francisco Parazzono, vt sonant verba sententiæ.

Nec etiam obstat, quod dicitur forsan alia de causa fuisse Bernardum à Vicario excommunicatum, verbi gratia ob recursum ad laicos Iudices, quia contrarium apparet ex sententia lata contra d. Bernardum die 3. Septembris 1615. in qua Iudex reddit rationem cur Bernardum declarauerit excommunicatum, quia constat ipsū cum hominibus armatis præstitisse impedimentum quo minus possessionem præ-

R ben-

bendæ d. Francisco traderet, nec hodie reuocatur in dubium nullitas alterius sententię quam supradictæ, Et ita cessant quę dicuntur citandum esse Procuratorem Fiscalem, cum appareat ipsum nunquam fuisse in causa, nec sententiam de cuius validitate agitur ad eius instantiam latam fuisse nec hodie Bernardus prætendit absolutionem nisi excommunicationis quam incurrisse declarat d. sententia executoris sub die 3. Septembris 1615. lata

In quam sententiam eo lubentiùs DD. iuerunt, quia postea causa in Signatura proposita, translata fuit executio Breuis arbitrio Rotæ, in qua proposito alias per me dubio fuit super iure Francisci super meritis causæ multum dubitatum.

Et ita decisum.

## CAESENATEN. PECVNIARIA.

*Veneris 26. Ianuarij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Saluantur nonnullæ nullitates oppositæ contra quoddam mandatum; moræ purgationi quando non sit locus.

### SVMMARIVM.

1 *Iudex deputatus, in statu & terminis, potest relaxare mandatum iam decretum.*

2 *Iuramentum calumniæ ommissum non vitiat vbi constat de iustitia mandati.*

3 *Mora in repræsentando quando commissa censeatur.*

4 *Fideiussor de repræsentando si non repræsentet debitorem prout promisit tenetur ad pœnam in fideiussione expressam.*

5 *Decreti intimatio nō requiritur quando fuit intimatum præceptum.*

6 *Fdeiussor de repræsentando potest moram purgare, si in termino intimationis reum repræsentet, vel vbi ius creditoris non fuit factum deterius, & n. 7. & 8.*

9 *Mandati relaxatio contra fideiussores de repræsentando substinetur etiam si ante illam relaxationem principalis non fuerit declaratus debitor illius summæ.*

10 *Fideiussoris de repræsentando obligatio non dependet ab obligatione principalis.*

11 *Executiuè agitur quando adest obligatio cameralis.*

### DECISIO CLVIII.

Domini censuerunt mandatum relaxatum per R. P. D. Taurellum non esse reuocandum stante illius validitate & iustitia, de validitate constat, dum in actis adsunt citationes requisitæ, mandata procuræ & deputatio facta ab A. C. ita vt de iurisdictione dubitari non potest.

Non obstat quod D. Taurellus non decreuerit nouum mandatum, sed relaxauerit mandatum alias per D. Cellesium decretum quod tamen apparebat reuocatum de mense Augusti, & Octobris 1616. nam dum idem D. Cellesius de mense Nouembris decreuit aliud mandatum infra tres cum intimatione exequuta die 14. eiusdem
1 mensis, † ritè D. Taurellus deputatus in statu & terminis in quibus causa reperiebatur sub die 23. Ianuar. 1617. relaxauit mandatum iam decretum.

Nullitas ex defectu iuramenti calumniæ fuit sublata ex facto & quatenus non fuis-
2 set præstitum † nullitas cessaret stante iustitia mandati, vt fuit dictū in Romana Pecuniaria de Columna Veneris 21. Aprilis 1617. coram me in qua aliæ decisiones referuntur.

De Iustitia constat ex instrumento publico in quo Leonardellus, & Almericus promiserunt sub obligatione Camerali repręsentare Belletos debitores ad omne mandatum Domini sub pœna debiti librarum 2. mil. & cum de mense Decembris 1615. Illustriss. Legatus fecerit præceptū contra prædictos fideiussores de repręsentando debitores nisi infra tres cum intimatione, & fideiussor non repręsentauerint nisi de mense Martij 1616. fuit ex lap-
3 su † tanti temporis commissa mora in repręsentando, *l. magis C. de contrah. & committ. stipulat. Bald. in l. Sancimus sub num. 1. vers. & nota quod eam purgandam C. de fideiuss. Osasch. decis. 4. num. 6.* & per conse-
4 quens successit obligatio præcisa respectu debiti promissi librarum 2. mil. *Galles. de obligat. Camer. 3. par. de vi instrum. num. 15. Ruin. cons. 141. nu. 9. lib. 1.*

Non obstat non constare de intimatione
5 decreti quia † ipsum præceptum Legati fuit intimatum quod sufficit *Seraphin. decis. 1000. num. 7.*

6 Non obstat, † moram purgari posse de æquitate Canonica, quam perpetuo Rotā sequutam fuisse fuit dictum in *Anconitana fideiussionis Lunæ 8. Martij 1599. coram Illustriss.*

7 Illustriss. Lancellotto, nam † obiectum procedere posset si post intimatum præceptum in termino intimationis fuissent repræsentati debitores non autem post tres menses, vt habetur in dicta Anconitana fideiussio-
8 nis & † vbi ius creditoris non fuisset factum deterius, vt fuit dictum in *Viterbien. seu Romana fideiussionis de repræsentando 3. Iulij 1617. coram R.P.D. meo Decano*, quod autem fuerit factum deterius patet ex instrumētis alienationum factarum per principales debitores de quibus in actis apparet.

Demum non obstat Belletos non fuisse
9 declaratos debitores ad dictam summam librarum 2. mil. ante relaxationem mandati contra fideiussores de repræsentando, quia huiusmodi declaratio non fuit necessaria, vt fuit dictum sub die 17. Maij 1595. *coram Corduba apud Zacch. decis.* 44. in qua
10 fuit distinctum † aliam esse obligationem principalis, aliam assecurationis iudicij præstitam ad effectum excarcerationis cū cautione de repræsentando & hanc posteriorē non dependere ab obligatione principalis, sed à carceratione respectu interesse ipsius partis pro quo stat obligatio Cameralis liquidata ad libras 2. mil. per ipsorum met fideiussorum confessionem,
11 vnde pro illa potuit rectè agi executiuè ante dictam liquidationem ex rationibus in dicta decisione ponderatis cum quibus transierunt Domini.

Et ita decisum.

## BONONIEN. ADMINISTRATIONIS.

*Lunæ 2. Aprilis 1618.*

### ARGVMENTVM.

Præpositus seù administrator an sibi possit satisfacere de suo salario & quando dicatur sibi voluisse soluere.

### SVMMARIVM.

1 *Administrator potest sibi de suo salario satisfacere durante administratione, & quando præsumatur sibi satisfecisse vel non & num. 2.*

3 *Præsumptio habet locum in casu dubio.*

4 *Administrator non dicitur liberatus nisi reddita ratione, & approbata vel per partem, vel per Iudicem & subsequuta absolutione.*

5 *Iuramento decisorio amplius non est locus si pars illud recusauerit appellando.*

6 *Iuramentum litis decisorium non potest deferri à Procuratore sine speciali mandato.*

7 *Nec à tutore.*

8 *Assertioni administratoris aliquid fuisse solutum standum non est, nisi constet de solutione, & num. 9.*

## DECISIO CLIX.

PROPOSITO iterum dubio alias coram me sub die 20. Nouembris præteriti resoluto DD. quoad quatuor primas partitas steterunt in decisis quo ad quintā censuerunt recedendum, de damnis verò & interesse mandarunt vt particulariter videatur.

Quoad primam & quartam partes ipsæ acquieuerunt decisioni vnde super his nō est immorandum.

Quoad secundam pro parte Comitis di-
1 cebatur Ruggerium † potuisse sibi de suo salario satisfacere durante administratione, *Aretin. in §. actionum quæst. 27. instit. de actio.* & præsumi sibi satisfacere voluisse ex contrapositione partitarum de qua in libris suæ administrationis. Verum DD. dictum obiectum non visum fuit procedere hoc casu, dum ante redditam rationem Ruggerius in transactione obtinuit de dicto salario satisfieri, vt fuit in decisione
2 deductum, † Ex hoc enim remanet clarum antea noluisse Ruggerium sibi satisfieri,
3 vnde & cessat præsumptio † quæ habet locum super casu dubio, *gloss. in l. vnica §. accedit vers. præsumatur, C. de rei vxor. actio, Menoch. de præsumpt. lib. 1. q. 8. num. 2. & lib. 4. præsumpt. 89. num. 4. & 5. Surd. cons. 150. num. 91.*

Nec ex illa partitarum appositione fuit prohibitum Ruggerio ante redditam rationem obtinere aliam satisfactionem de cōsensu partis, nec in hoc versatur aliquod fideiussoris præiudicium, quia † ille non
4 dicitur liberatus nisi reddita ratione, & approbata vel per partem, vel per Iudicem & subsequuta absolutione.

Quoad tertiam partitam Comes prætendebat sibi deferri iuramentum decisorium in primo iudicio oblatum sed DD. existimarunt non esse amplius dicto iuramento
5 locum, dum † Comes se ipsum ab illo exclusit dum in primo iudicio impugnauit partitam sibi oblatam appellando, *Angel. in*

*in l. generaliter §. sed iuramentum 3. C. de reb. credit. Bald. in l. 2. in repetit. num. 77. ff. de iureiur.*

Consideratum etiam fuit non constare de mandato Procuratoris, qui huiusmodi
6 iuramentum D. Comiti detulit † & ità nil releuat, *l. nec filius, & ibi glos. C. de reb. credit.* & si constaret, de mandato sufficienti cum agatur de interesse pupillorum tutor
7 non † potest huic delationi acquiescere, sed tenetur Comes legitimè probare hanc partitam sibi esse debitam si eam vult à pupillis exigere.

Quo verò ad quintam DD. visum fuit recedendum à decisis quia licèt potuisset Ruggerius constituere & soluere salarium Factori, & Computistæ ex ratione in decisione deducta, tamen non poterat poni ad creditum Ruggerij, dum de tali solutione nullo probationis genere constat
8 prout requiritur *Socc. sen. conf. 24. num. 38. vers. vnde si administrator lib. 1. Rot. diuers. decis. 217. num. 2. & 3. vers. prout etiam p. 2.* Imò Factor ipse examinatus pro parte Comitis clarè deposuit sibi aliquod salarium minimè solutum fuisse prius igitur debuit Ruggerius administrator probare & iustificare se actualiter soluisse salaria Factori, & Computistæ antequam crearet hæredes
9 debitores eius partitæ, cum † non sit standum simplici assertioni administratoris, Doct. in *l. fin. in computatione vbi Bald. nu. 2. C. de iur. delib. Alciat. conf. 101. lib. 5. num. 6. & conf. 102. n. 1. & seq. lib. 6. Rota decis. 217. num. 17. par. 2. diuers. idque in praeiudicium pupillorum.*

Nec facit prædictos posse conuenire Ruggerium pro d. salario nam quando super hoc mouebitur iudiciū tunc ipsi DD. Lini tenebuntur indemnem reddere dictū Ruggerium & causam habentes ab ipso, sed ideo cogi non possunt ad soluendum Ruggerio nisi ea quæ ipse soluisse dictis Computistæ, & Factori legitimè probauerit.

Et ita decisum vtraque parte informante.

❧❧❧❧

MELITEN. BAIVLIVATVS.

*Veneris 4. Maij 1618.*

ARGVMENTVM.

Remissoria non datur ad proban: diuersum sensum quam importent verba clara scripturæ: Remissoria non datur ad proban. per testes quod constat per scripturas.

SVMMARIVM.

1 *Contractus vt interpretetur non sensus vel opinio partium, sed communis vsus loquendi secundum sapientium interpretationem spectandus est.*
2 *Verborum intellectus non est remittendus iudicio testium.*
3 *Spei cessio ad aliquam rem est valida.*
4 *Conditio nihil ponit in esse.*
5 *Promissio quæuis pura præsupponit obligationem quæ aliquid est.*
6 *Scripturæ maior fides, quam testibus est adhibenda.*
7 *Confirmationis natura est vt robur addatur confirmato, non vt factum alteret aut extendat.*
8 *Remissoria denegatur quando articuli sunt dati ad euacuanda decisionis fundamenta.*
9 *Maximè si sint in curia fabricati, & contineant contrarium eius quod fuit in partibus oppositum.*
10 *Remissoria non solet denegari ad interpretāda verba ambigua contractus, quæ possunt recipere varios intellectus.*
11 *Remissoriam dare ad probandam contrariam interpretationem eius, quam Rota dedit verbis concordiæ, est dare iurisdictionem testibus.*
12 *Eques Hierosolymitanus minus antianus & magis benemeritus præfertur Equiti magis antiano in Baiuliuatibus.*
13 *Remissoria conceditur ad proban. minus fuisse scriptum, quam inter partes conuentum.*
14 *Error nō præsumitur nec admittitur in actibus sæpè reiteratis.*

DECISIO CLX.

ITERVM instante D. Commendatore Hercule de Vintimilia proposito dubio aliàs coram me die 27. Nouembris resoluto DD. re maturè discussa omnibus votantibus denegandam esse remissoriam & sic standum esse in decisis responderunt

ex

ex rationibus in duabus decisionibus in hac causa fusè deductis.

Aut enim dictus Commendator Hercules contendit remissoriam ei concedendā ad effectum probandi verba concordiæ esse interpretāda secundum ipsius intentionem, ita vt casus qui euenit vacationis Bailliuatus non debeat intelligi comprehensus in d. concordia, & eo casu verba visa fuerunt satis clara DD. & esse aliter intelligenda, nec opus esse alia interpretatione ex rationibus deductis & ponderatis in decisione coram me facta die 5. Martij præteriti, quæ rursus examinatæ placuerunt DD.

Cum autem altera ex partibus asserit se pacti & conuentionis verba quædam non percepisse, aut longè aliter accepisse quā pars altera prætendat, dum de pactionis sensu controuersiam facit, & interpretatio-
1 ne verborum † non sensum vel opinionem partium, sed communem vsum loquendi secundum sapientum interpretationem spectandum esse in terminis dicitur, in *cap. 7. extra de sponsal. & ibi Giriac.* qui ita ait intelligendam esse *l. labeo de supell. legat & l. anniculus de verb. signif. Tiraquel. in l. si vnquam in verb. libertis num. 17. C. de reuo-*
2 *cand. donat.* nec verborum † intellectus remittendus est iudicio testium, quia alioquin officio Iudicum fungerentur vt considerauit *Rota in vna Toletana Canonicatus 13. Nouembris 1609. coram Illustriss. Lancellotto.*

Quod si sensus & intellectus prætensus per D. Herculem admitteretur non esset declaratio, sed totalis destructio conuentionis, cum in sexto articulo conatur probare esse concordiæ conditionem licet in verbis cessio pura legatur concepta per verba de præsenti (cessit) quæ vtrumque
3 tempus comprehendit, cum † cessio spei probabilis ad aliquā rem valida sit, *l. spem ff. de donat. inter vir. & vxor.* nihil autem tam inter se contrarium quam esse & non
4 esse, † cum conditio nihil ponat in esse, vt post Philosophorum scholam dicitur in *l. sub conditione ff. de condit. & demonstr.* pro-
5 missio autem quæuis pura † præsupponit obligationem quæ aliquid est, *glos. in l. 1. ff. de actio & oblig.*

Aut verò d. D. Hercules prętendit alterare substantiam concordiæ si admittitur ad probandum per testes contrarium eius, quod in ea legitur, & continetur, & eo casu intrat ratio prioris decisionis, in qua firmatum fuit nunquam remissoriam concedi, quotiescumque aliquid aliud articulatur de cuius contrario constat per scri-
6 pturas, cum scripturæ † maior fides quàm testibus sit adhibenda, *l. census. ff. de probat. glos. in cap. tertio loco eod. tit. Put. decis. 331. lib. 2. Seraph. dec. 1460.* cum alijs deductis in prima decisione in hac causa facta.

Consideratum etiam fuit conuentionem à partibus non super re aliqua prophana initam, de qua ad libitum paciscendi ius eis esset, sed super causa beneficiali inter religiosos, sicque concordia desumit vires ab auctoritate Magni Magistri, & confirmatione Sedis Apostolicæ, quæ accipienda est retentis iisdem terminis, qui legun-
7 tur in instrumento concordiæ, † quia natura confirmationis est vt robur addatur confirmato, sed non vt factum alteret, aut extendat, *l. Aurelius §. ex testamento delib. leg. Alex. conf. 122. n. 20. lib. 4. Seraphin decis. 981. numer. 5. & decis. 615. num. 8. cum similibus.*

In quam sententiā eo lubentius iuerunt quia agnouerūt magnam præsumptionem calumniæ desumptam ex eo, quod noui articuli de tractatu & cōclusione dati sunt ad euacuanda decisionis fundamenta, ex quo
8 capite † Rota denegat remissoriam, vt fuit dictum in *Maceraten. hereditatis 16. Nouembris 1594. coram Cardinale Pamphilio, & in Toletana Parochialis 2. Maij 1597. coram Litta, & in Vlixbonen. Iurisconferendi 7. February 1607. coram Illustriss. Lancellotto.*

Quæ præsumptio magis augetur, quia hæc prætensa interpratatio seu destructio concordiæ non fuit opposita in partibus imò potius contrarium, cum appareat D. Herculem dum petijt absolutionem à iuramento exposuisse solum se enormiter læsum in d. concordia, qua læsione stante petijt non obstante iureiurando admitti ad impugnandam dictam conuentionem, vn-
9 de † sequitur vt hodie post publicatas decisiones non debeant admitti similes articuli in Curia fabricati, *Put. decis. 155. lib. 1. in nou. Verall. decis. 99. in fin. par. 2. fuit dictum in vna Carthaginen. fructuum 26. Iuny & 20. Nouembr. 1615. coram Reuerendiss. Decano.*

His positis non obstat, quod dicitur
10 verba † ambigua posse etiam intellectum recipere prætensum à D. Hercule, vnde ad eorum interpretationem non solet denegari remissoria *Surd. decis. 291. num. 10. &* 288.

288.*num.*30. *cum allegatis*, quia necesse esset verba esse ita dubia, vt requirerent aliunde interpretationem, alias passim cōtra instrumenta publica admitterentur periculosæ probationes per testes. & hæc ratio non militat in hac facti specie cum iam Rota firmauerit per duas decisiones veram & germanam interpretationem, quæ danda est verbis concordiæ cui partes acquiescere debent, *d.cap. ex litteris il primo de sponsal.* fieri quidem posset, vt D.Hercules probaret per testes conuentionem aliter conclusam, sed quod verba habeant diuersum sensum non pertinet ad factum, sed ius, quod non subiacere debet decisioni, & arbitrio testium forsan imperitorum.

Nec releuat quod dicitur Magnum Magistrum & supremum Tribunal Religionis ita intellexisse dictam concordiam quia hæ sententiæ non possunt inseruire prosumo, dum hodie super eo lis agitur, quod D.Guglielmus de Vaqueras conquæritur de irrationabili iudicio Iudicum circa interpretationem verborum concordiæ, &
11 sic dare remissoriam ✝ nihil aliud esset quā dare iurisdictionem ipsismet testibus in partibus.

Nec etiam obstant verba illa toties de-
12 cantata & ponderata, *Et quello che di loro sarà gran Commendatore*, quia vltra respōsiones datas in decisionibus quod posita sunt fauore d. D.Guglielmi ad includendum casum magis dubitabilem, & repetita in pacto vicissim de non petendo facto per D. Herculem, placuit alia responsio pro adimplemento concordiæ non requiri, vt D.Hercules Magni Commēdatoris dignitatem assequeretur, quia ipse D. Castuel etiam poterat excludi non solum ab eo, qui non interuenerat in dicta conuentione, sed etiam à minus antianis, & magis benemeritis, qui concurrere poterant iuxta stabilimentum quintum *tit. de electio.* vel potuisset esse D. Hercules absens, & non petendo fuisset exclusus, vt in stabilimento 43. *sub tit. de Commend.* & tamen sufficiebat vt D.Guglielmus cederet & non peteret in fauorem D. Herculis ad hoc, vt concordiæ satisfecisse diceretur.

Nec obstat deniq; quod dicitur D.Her-
13 culem esse admittendum ad probandum minus fuisse scriptum quam inter partes conuentum fuerit, vt fuit dictum in vna *Turritana Bonorum coram R. P. D. meo Vbaldo 23. February 1615.* fuit enim respōsum articulum hunc continere magnam suspicionem calumniæ, cum concordia fuerit vulgari idiomate scripta, per Notarium extensa, à partibus subscripta & approbata medio iuramento, vnde mature considerata præsumitur, tum etiam quia fuit obtenta confirmatio à Magno Magistro & postea à SS. D. N. registrata denique in Cancellaria partibus præsentibus, & instantibus, ita vt non possit dubitari quin sæpius fuerit lecta & relecta, & tamen nemo vnquam oppofuit de tali defectu Notarij, & licet in partibus fuerit super concordia iudicatum ad fauorem D. Herculis tamen ideo lata fuit sententia, quia aliter primi Iudices verba conuentionis fuerunt interpretati, quam intelligentiam Rota sequi non tenetur, ex quibus
14 simul iunctis sequitur ✝ errorem in tot actis reiteratis non posse præsumi, & admitti, *glos. in cap. litteris in verb. admonita de diuort. Bald. in rubr. si quis aliquem testari prohibuerit column. antep. Alex. cons. 216. nu. 25. lib. 2. Dec. cons. 497. numer. 60. Aymon. consil. 106. Barbat. cons. 90. num. 23. & 25. lib. 4.*

Et ità manifestè apparet non applicari dictam decisionem Turritanam bonorum, quia nihil mirum si in causa merè prophana, in qua nihil parti deperibat, quæ possidebat dum daretur maximus fumus ex depositione ipsiusmet Notarij rogati facta in articulo mortis, Rota concesserit remissoriam sed in hoc casu non solum omnes hæ considerationes cessant, sed ex supradeductis magna suspicio calumniæ subest, nec esset interpretatio, sed destructio totalis concordiæ, quam Papa intelligitur confirmasse prout verba sonant quæ interpretationem recipere debent à Iudicibus peritis prout de Iure dari solet & debet.

Reliquis alijs obiectionibus, & præcipuè illi dum articulatur intentionem D. Herculis fuisse vt prius deberet esse Magnus Commendator, Respondet vltima decisio in hac causa facta & fusius informantes cum quibus DD. transierunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.



## ROMANA FRVCTVVM DOTIS.

*Lunæ 2. Aprilis 1618.*

### ARGVMENTVM.

Fructuum cursus quando impediatur ex causa sequestri vel inhibitionis.

### *SVMMARIVM.*

1 *Sequestrum præcedente mora non impedit cursum fructuum ex quo debitor non potest dici legitimè impeditus.*
2 *Impedimentum non excusat quando potest remoueri.*
3 *Hæres cum beneficio legis & inuentarij non potest dici morosus adhoc vt teneatur ad fructus decursos pendente sequestro.*
4 *Inuentarium minus legitimè confectum non habetur in consideratione ac si minimè confectum fuisset.*
5 *Inuentarium sine subscriptione hæredis non sustinetur.*
6 *Inuentarij pro validitate requiruntur testes qui viderint res descriptas vsque ad inuentarij perfectionem.*
7 *Inuentarij pro legitimitate requiruntur testes loco absentium creditorum.*
8 *Inuentarij prò legitimitate requiritur perfecta descriptio qualitatum & ponderis bonorum.*
9 *Inuentarium vt sit legitimum quæ requirantur.*
10 *Inuentarium ex decreto Iudicis quando non possit sustineri, & numer. 11. 12. 13. & 14.*
15 *Creditores de facili possent fraudari si inuentaria minus legitimè confecta admitterentur.*
16 *Consuetudo quando est contra ius plenè est probanda.*
17 *Inuentarium minus legitimè confectum non suffragatur minori donec restitutionem in integrum non obtinuerit.*
18 *Actus gestus à Procuratore sine mandato est ac si non esset gestus.*
19 *Hæreditatis aditio pendet ab animo adeuntis.*

### DECISIO CLXI.

SOLVTO matrimonio de anno 1593. per mortem Ioannis Guel, D. Magdalena Viperisca eius vxor præcedente interpellatione contra IoannemGuel scriptũ hæredem de restituendo dotem quartum dotale, ac donationem propter nuptias scut. 3. mil. obtinuit mandatum executiuum contra bona hæreditaria, quod mandatum de anno 1597. A.C. mandauit exequi, qui deinde sequestrum contra debitores hæreditarios ne soluerent Ioanni, inhibitionem verò contra eundem ne exigeret nisi data cautione de deponendo penes Montem Pietatis, de anno 1599. cõcessit. Cumque causa super residuo dotis & fructuum decursorum coram R. P. D. Signio penderet, adita Signatura Sanctiss. per d. Ioannem SS. D. N. mandauit vt disputaretur in Rota, An sequestrum, & inhibitio impediant cursum fructuum in casu & ad effectum quo dubio per me proposito sub die 28. Iunij 1617. ac sub die 12. Ianuarij præteriti non fuit capta resolutio.

1 Licet enim DD. firmasent † sequestrũ & inhibitionem præcedente mora non impedire cursum fructuum, quia debitor nõ potest dici legitimè impeditus, *Afflict. decis. 150. num. 11. Surd. decis. 263. num. 14. 15. & 16. Seraph. decis. 1280. Rota Ianuen. decis. 61. nu. 6. Caroc. de sequestr. par. 3. q. 10. nu. 2.*
2 maximè quando † prout hic potuit impedimentũ remoueri, *Bald. in l. sedet si per Prætorẽ §. 1. ff. ex quib. caus. maior. Dec. cons. 677. num. 3. Surd. cons. 8. nu. 25. & cons. 374. n. 23. Crauett. cons. 401. num. 7. lib. 3. Seraph. decis. 1206. num. 1. Honded. cons. 44. à num. 33. ad 36. lib. 1. & respondit Rota in vna Bononien. census Veneris 31. Ianuarij coram bon. mem. Penia.*

Quia tamen pro parte Ioannis multa allegabantur ad excusandum illum à mora, quæ vel visa fuerunt tolli ex deductis per informantes pro D. Magdalena vel non esse præsentis indaginis, sed reijcienda ad D. Iudicem prout quod D. Magdalena sit satisfacta, propterea DD. sub die 19. Februarij mandarunt vt strictè videretur super validitate Inuentarij quo stante
3 D. Ioannes asserebat se vti † hæredem cũ beneficio legis & inuentarij non fuisse in tali mora vt teneatur ad fructus decursos pendente sequestro, & vtraque parte informante die 2. Aprilis DD. censuerunt inuentarium non suffragari.

4 Est enim de iure indubitatum inuentarium minus legitimè confectum non haberi in consideratione ac si confectum minimè fuisset, *l. fin. §. si vero postquam in fin. C. de iur. deliber. §. si vero non fuerit auth. de hæred. & falcid. Natt. cons. 574. num. 6. & seq. lib. 3.*

*lib. 3. Honded. conf. 84. numer. 5. & seq. lib. 1. Menoch. conf. 89. num. 137. & conf. 472. n. 19. Cephal. conf. 293. num. 69. Seraph. decis. 1311. num. 2.*

Deficit autem in hoc inuentario ipsius
5 Ioannis subscriptio † cuius omissione inuentarium non substineri post alios firmat *Sebastian. Montic. in tract. diuers. de inuentar. quæst. 230. numer. 56. Phanuc. in eodem tract. quæst. 240. num. 66. Thesaur. in eodem tract. q. 277. numer. 5. & tenuit Rota decis. 72. num. 19. & seqq. p. 2.*

Deficiunt testes qui viderint res in inuentario descriptas vsque ad inuentarij
6 perfectionem † necessario requisiti, *Natt. post alios cons. 214. num. 15. & seqq. Phanuc. dicta quæst. 240. num. 7. & seqq. Thesaur. dicta quæst. 277. num. 10. & seqq. & fuit sæpè decisum.*

Deficit etiam præsentia aliorum testium
7 requisitorum loco absentium creditorum, *Phanuc. d. quæst. 240. num. 74. Thesaur. loc. alleg. n. 15. Rot. diuers. d. decis. 72. num. 33. vers. nec de præsentia par. 2.*

Deficit quoque perfecta descriptio qua-
8 litatum ac ponderis bonorum, *l. si quis extra C. de bon. præscript. Rol. cons. 73. num. 43. & seq. lib. 2. Natt. cons. 575. num. 4. & 5. Surd. cons. 391. num. 36. & seqq. lib. 3. Honded. cons. 34. num. 3. lib. 1. & dixit Rota in vna Romana census Vener. 1. Iulij 1611. coram R. P. D. meo Canalerio.*

Deficiunt etiam alia requisita de quibus
9 per *Phanuc. Thes. & alios loc. citat. & latius per informantes.*

10 Nec visum fuit † posse substineri ex decreto Iudicis interposito sub die 9. *Aprilis 1593. ex decisione in illa Romana census de Carauaschinis coram bon. mem. Penia*, nam
11 in casu illius decisionis † inuentarium fuit confectū in præsentia Iudicis, sed hic nec etiam constitit Iudici fuisse confectum inuentarium nisi ex assertione Notarij, vnde
12 cessat † illa præsumptio quæ stat pro Iudicis decreto, maximè quia tunc non erat confectum inuentarium, vt constat ex illius inspectione, & propterea decretum non videtur posse deseruire nisi pro simplici actu aditionis, vel quando si non omnes saltem
13 aliquæ solemnitates magis necessariæ adhibitæ fuissent prout præsumendum esset Iudicem sensisse, cum citatio contra creditores fuerit facta de mandato eiusdem Iudicis ad videndum inchoari solemne inuentarium ex deductis in dicta *decisione 72. n. 37. vers. tertio & vltimo, p. 2. diuers.*

Et eo minus visum fuit suffragari posse dictum decretum, quod fuit interpositum
14 in † termino citationis exequutæ contra creditores ad videndum inchoari solemne inuentarium, quod tamen fuerat cœptum sub die septima qua exequuta fuit citatio, & informātes pro Ioanne prætendunt fuisse inuentarium completum sub die 7. quo executa fuit citatio.

15 Considerarunt etiam DD. † facilè posse fraudari creditores si hæc inuentaria minus solemnia & legitimè facta admitterentur, vt in hoc casu cum coram Iudice Capitolino dictus Ioannes comparuit, & mentionem fecit inuentarij rogati coram eodem Notario eo tempore nondum descripta erat tertia pars bonorum hæreditariorum & reliqua postea maioris valoris vt erant nomina debitorum reperitur inuentariata sine vlla citatione partis sine subscriptione hæredis, notariorum & testium, vnde nullitas visibilis remanet probata ex supradictis.

Dum verò dicebatur ita de consuetudine seruari in Curia Capitolina, DD. re-
16 sponderunt hanc † consuetudinem contra ius esse plenè probandam iuxta requisita in *dicta decisione 72. à num. 21. & 31.*

Non obstat Ioannem esse minorem illique competere restitutionem in integrum,
17 nam † donec Ioannes restitutionem non obtineat inuentarium illi minimè suffragatur, licet & tunc videndum esset, an restitutio excuset illum à mora ad effectum vt fructus non debeantur, & an sit elapsum tempus restitutionis in integrum.

Quod verò D. Magdalena pluries approbauerit Ioannem vti hæredem cum beneficio legis & inuentarij DD. non habuerunt in consideratione, ne dum quia actus
18 fuerunt † gesti per Procuratorem, qui non habebat mandatum ad id, sed quia nō erat in facultate D. Magdalenæ facere Ioannem hæredem cum beneficio inuentarij, si verè
19 non est, quia † aditio hæreditatis dependet ab animo adeuntis vulgatis iuribus.

Et ex his DD. sæpius causa diligenter discussa firmarunt inuentarium non suffragari Ioanni, in casu & ad effectum, vt sequestrum & inhibitio impediant cursum fructuum.

Et ità &c.

BO-

## BONONIEN. INDEMNITATIS.

*Veneris 23. Martij 1618.*

## ARGVMENTVM.

Legi hac ædictali, C. de 2. nuptijs per statutum potest derogari, & quando intret huiusmodi derogatio quamuis non expressa: Statutum si mandet deferri lucrum dotale marito, tunc vxor testando non potest illi præiudicare, cum illud maritus non ex vxoris, sed ex statuti dispositione percipiat.

## SVMMARIVM.

1 *Statut. Bonon. in rubric. de dot. §. si vero quid dispenat, & num. 6. 13. & 18.*
2 *Statuta possunt derogare l. hac adictali, C. de 2. nuptijs.*
3 *Et ad hoc non requiritur expressa derogatio, sed sufficit tacita resultans ex incompatibilitate.*
4 *L. hac adictali, C. de 2. nuptijs mandat fieri diuisionem inter filios primi matrimonij, & secundum virum per capita.*
5 *Statutum, & lex communis, si simul stare nequeunt, sequitur vt statutum tollat legem communem.*
7 *Praseruans nihil de nouo concedit.*
8 *Statutum quando defert lucrum dotale marito, non potest vxor testando illud minuere, vel tollere.*
9 *Decis. 432. par. 1. recen. & alia coram Blanchetto, quo casu loquatur, & numer. 19. & 23.*
11 *Casus omissus à statuto remanet sub dispositione iuris communis.*
12 *Statutum si deferat marito lucrum dotale hoc lucrum ipse percipit nō ex iudicio vxoris, sed ex dispositione statuti.*
14 *Filij quando sunt purè hæredes instituti, legitimam prætendere nequeunt, retinendo partem hæreditatis pro ea.*
15 *Filius si succedat ab intestato, vel ex testamento legitimam nullo iure prætendere potest. & num. 19.*
16 *Legitima est portio successionis ab intestato.*
*Legitima debetur tàm iure filiationis, quàm hereditario.*
20 *Statuta de lucro dotis debent intelligi tàm condito, quàm non condito testamento.*
23 *Legatum factum de eo quod aliunde debetur legatario, si inutile, sit.*
24 *In statutis odiosis, & correctorijs iuris communis strictissima interpretatio est facienda.*
25 *Statutum si indistinctè loquitur indistinctè etiam intelligi debet.*

## DECISIO CLXII.

CVM D. Eques Sigismundus Malnes prædium quoddam tamquam suum vindicaret priùs D. Hier. Fabæ vigore sententiæ per arbitros latæ, transactionisq; indè sequutæ assignatum, dictus D. Hieronymus obtinuit causam super releuatione indemnitatis mihi in Rota committi, contra DD. de Linis ipsius auctores, qui multa contra dicti laudi validitatem, & iustitiam opposuerunt, vnde placuit DD. vt suspensis pro nunc nullitatibus examinaretur iustitia prædictæ sententiæ per arbitros latæ, quæ tota ex hac quæstione dependet, quænam pars doris Emiliæ ad Hieronymum secundum maritum spectaret, quo dubio proposito visum fuit DD. medietatem dicto Hieronymo esse adiudicandam,
1 idque vigore statuti † Bonon. *in rubric. de dotib. §. si verò*, vbi deciditur dotem æquis portionibus diuidi debere inter filios primi matrimonij in stirpes, & non in capita, & secundum maritum sine deductione legitimæ per quam portio mariti diminui posset.

Cum enim non controuertatur inter partes dictam Emiliam duo matrimonia solùm contraxisse, liberosque ex primo tantum suscepisse respondendum est vigore huius statuti dictam dotem inter secūdum virum filiosque æquo iure diuidendam, eū non possit reuocari in dubium iura muni-
2 cipalia, quæ vulgò statuta † dicuntur posse derogare constitutioni *l. hac adictali, C. de 2. nupt. vt per Rolan. in tract. de dote q. 24. in princ. Gabr. cons. 13. num. 10. col. 2.* sufficitque licet non sit expressa derogatio, vt
3 tacita pernecesse, seù per incompatibilitatem ex verbis, & sensu statuti eliciatur, *Bald. cons. 495. lib. 5. Rol. d. tract. quæst. 25. n. 1.* fuse *Bero. q. 119. num. 5.*

Quod autem incompatibilis sit dispositio statuti Bonon. *cum d. l. hac adictali*, duabus rationibus conuincitur, quia Impera-
4 tor in d. lege mandat diuisionem fieri inter filios primi matrimonij, & secundum virum per capita, statutum verò vult fieri per stirpes, deinde in dicta lege cauetur, vt prius filiorum legitima ante diuisionem detrahatur, statutum verò contrarium

pro

pro verbis clarissimis disponit,& sic cū non
5 possit stare simul vtraque dispositio legis,
& statuti necessario sequitur vt ipsum ius
municipale dictæ legi deroget, *Castr. in l.3. num.4. C. de inoff. testam. Soccin. iunior cons.93.num.7. in fine, & seqq. lib.1. Monterent. ad statutum in verbo legitima, Rot.decis. 432. num.3. lib.1.*

Hoc posito non obstat secunda pars statuti, in qua permittitur vxori; vt possit disponere per viam testamenti, quia semper statuentes expressè mandarunt, vt præseruetur legitima filijs, & merito priusquam
6 lucrari debet secundum formam dictorum statutorum; ex forma autem dicti statuti debet esse æqualis portio, & sic per istam partem vltimam non est immutatum lucrū
7 dotale ex parte mariti, cum qui præseruat nihil de nouo concedat, *Dec. consil.283. Paris.cons.13.num.12.lib.1.*

Idque tanto magis, quia ista præseruatio habet relationem claram ad dispositionem præcedentis statuti, quod sine dubio ex supradictis derogat dispositioni, *l. hac edictali*, stante præcipuè regula, quod
8 quando statutum defert lucrum dotis marito non potest vxor testando illud tollere aut minuere, *Castrens. in l. si cum dotem in princip.num.11. ff. solut.matrim. qui de communi testatur Rolan.in tract.de dote quæst.82. num.1.2.10.& 11. Becc.cons.76.num.8.vsq. ad finem, Osasch. decis.20.num.6.Thes.decis. 34. in princ.*

9 Nec obstare visa fuit *decis.432. part.1. in nouis*,& alia manuscripta quæ datur coram bon.mem. Cardinali Blanchetto. Responsum enim fuit multum discrepare casum supradictarum decisionum à proposita facti specie, in illo enim casu mulier non contenta marito lucrum dotale à statuto limitatum relinquere ipsum hæredem exhæredata filia scripserat, cum ipsa ex dote decem millium duo solùm vnicæ quam
10 ex primo mattimonio susceperat filiæ reliqua verò secundo marito testamento donauerat, vt videre est ex lectura supradictarum decisionum, qui quidem casus tam quam ommissus à statuentibus remanebat sub dispositione iuris communis, & ita nihil mirum si Rota tunc censuit non fuis-
11 se eo casu derogatum dispositioni *d. l.hac edictali*.

Secus autem dicendum est, quando marito nihil relinquitur, sed id solum præseruatur quod suum est, alias subuerteretur dispositio præcedentis §. ad quem subsequens relationem habet, cum secundus maritus hoc lucrum non percipiat ex iu-
12 dicio vxoris, sed ex dispositione statuti, *d. Castr.in l. si cum dotem in fin. ff. solut.matrim. cum supra alleg.*

Ex quibus euidenter patet maximam adesse differentiam inter illum casum, & istum in quo Emilia filios ipsos hæredes instituit cum de hac facti specie non possit
13 loqui statutum in dicto §. item dicimus vbi disponitur vt semper reseruari debeat legitima filijs,cum enim ipsi pure hæredes instituuntur legitimam prætendere non
14 possunt retinendo † partem hæreditatis pro legitima, & aliam repudiando, *argum. l.1. & 2. ff. de acquir. hæred. Bart. in l. pro hærede, §. seruo, ff. de acquir.hæred. & in leg. gerit num.22. & ibi Add. fusissimè Bald. Salicet. & Alex. post Cynum in l. hæres, C. de impub. & alijs subst. Bald. in l. vnica, in verbo quoad primam, C. quando non pet.part. Abb.in cap. Raynutius in fin. extra de testib.*
15 *& post eum Gugl. de Benedict.* vbi dicit filium succedentem ex testamento, seù ab intestato legitimam nullo iure petere posse
16 idque ea ratione, quia legitima cum sit portio successionis *vt in l. quã nuper, Cod. de inoff. testam. & in d. cap. Raynutius. in verbo partis*, quæ sibi debebatur ab in-
17 testato, ideo debetur filio tàm iure filiationis,quàm hæreditario, vt benè explicat *Tiraq.de primog. qu.35. num.10. qui multos cumulat Bero. q.87. num.10.*

18 Et ita cum dictum statutum *in d. §. item dicimus*, expresse mandat, vt legitima filijs præseruetur pernecesse sequitur non præsupponi casum, quo filij fuerunt scripti
19 hæredes, quia nullum hæredibus, seù ex testamento, seù ab intestato ius exigendæ legitimæ competit ex supradictis stante
20 maximè, quod similia statuta, quæ deferunt lucrum d. marito debēt æquè intelligi condito, seù non condito testamento, *Rolan. de lucro dotis quæst.82.num.3. Mantic. de tacit.& ambig. lib.12.tit.20. num.13.*

Nec placuit obiectio desumpta ex eo, quod D. Emilia legauerit dicto Hieronymo marito, id quod consequi debebat vigore statuti placuit enim responsio superiùs deducta dictum Hieronymum lucrum
21 istud vigore testamenti non prætendere, sed in vim iuris à statuto sibi quæsiti, vltra
22 quod hoc legatum tamquam factum de eo, quod aliunde debetur legatario inutile est, *l. si creditori de legat.1. Sex contrario instit. de leg. cum alleg. per Surd. cons. 113. num.21.*

*num. 21. & seqq.* & saltem maritus non fuit
23 hæres institutus, vt in casu decisionum
coram Card. Blanchetto.

Nec etiam obstare potest statutum debere intelligi de dotibus à parentibus, vel
alijs constitutis, non autem de dote ab
ipsamet Emilia sibi constituta, quia in
24 odiosis sicut est istud statutum correctoriũ
iuris communis strictissima interpretatio
est sumẽda vulgaris iuribus. Placuit enim
25 responsio statutum indistinctè loqui, &
debere intelligi de quacumque muliere
dotata à seipsa, seù alio cum bona mulieris non minùs ea sint, quæ ipsa sibi in dotem constituit, quàm ea quæ ab alijs accepit, vt in specie respondit *Fanuc. de lucro dotis in verbo restituenda num. 6. & seq. Menoch. cons. 277. num. 47. & seq.* cum alijs fusiùs adductis *in vna Beneuentana Dotis corã me Vener. 1. Decembris 1617.* in qua hæc quæstio in puncto deciditur.

Omnibus alijs obiectionibus plenissimè satisfaciunt Informantes pro D. Hieronymo cum quibus DD. transierunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CORNETANA PECVNIARIA.

*Mercurij 14. Maij 1618.*

### A R G V M E N T V M.

Substantia obligationis ex quibus non dicatur innouata.

### *S V M M A R I V M.*

1 *Dotis, & matrimonij fauore promissio facta sine stipulatione eius cuius interest sustinetur.*

2 *Dotis promissio in quantitate ex quibus nõ dicatur innouata etiam si simus re integra nulla interueniente stipulatione, & num. 3. 4. 5. & 6. in quibus ponitur differentia inter casum l. 5. ff. de tritic. & ol. leg. & l. si debitor. §. 2. ff. de contrah. empt.*

### D E C I S I O CLXIII.

Domini dixerunt sententias Rotales esse confirmandas contra enim earũ validitatẽ nihil opponitur, leguntur enim in actis commissiones tribuentes iurisdictionem, mandata hinc, & inde procuratorum, citationesque necessariæ cum omnibus requisitis pro validitate dictarum sententiarum.

De iustitia satis constat ex decisione in hac causa facta coram R. P. D. Pirouano primo Iudice 5. Aprilis 1616. in qua multis rationibus ostenditur fauore dotis, & matrimonij promissionem factã sine stipulatione huius cuius interest sustineri, *ex Bald. Nouell. tract. de dot. par. 6. priuil. 22. Gabr. Mant. & alijs allegatis in dicta decis.*
1 tis rationibus ostenditur fauore dotis, &
in qua etiam firmatur consignationem domus, & census factam à Cæsare auunculo pro dote Eleonoræ neptis non tollere promissionem scutorum 800. factam ab alio auunculo fauore dotis eiusdem Eleonoræ.

Nec obstare visum fuit, quod hodie deducitur ex duabus epistolis nouiter productis in quibus legitur d. Marium auunculum mandasse vt Eleonoræ dentur scuta mille radacta ex censu ipsi debito à DD. Vitelleschis, vnde infertur ipsum Marium
2 re integra nulla interueniente stipulatione ante dotem promissam potuisse pœni-
3 tere, & sic non potuisse Cæsarem hæredem Marij condemnari ad soluendum de suo scuta 800. sed solum ad præstandum censum pro rata secũdũm ordinem præscriptum in duabus vltimis epistolis, *arg. l. 5. ff. de tritico & oleo legato, l. si debitor, §. 1 ff. de contrah. empt.*

Huic obiectioni responderunt Domini primam epistolam continere substantiam obligationis de soluendis scutis 800. Eleonoræ quotiescumque nubet D. Grimaldo, duas verò subsequentes modum solutionis
4 siue exactionis dictorum scutorum † 520.
per quem non censetur alterata substantia obligationis, nec introducta nouatio nisi adesset incompatibilitas cum promissione, quæ facta legitur non de censu, sed de pecunia ex censu, iuxta doctrinam *Gomez. in l. inter stipulationem, §. Sacramenta num. 8. ff. de verb. obligat.* quam citat, & sequitur
5 *Laderch. cons. 159. num. 1.* Magna enim differentia adest inter casum *l. 5. ff. de tritico & oleo legato, & d. l. si debitor, §. 1. ff. de contrah. empt.* in quo legati erant fructus ad modum certum qui nascentur, & ita si tot non nascuntur, nec tot debentur, cum tacita insit conditio si fundus tot reddiderit, quasi velit, vt si minus reddiderit, id tantum præstetur legatario.

In hac vero facti specie non promissus est census pro concurrente quantitate scutorum mille, sed promissa sunt scuta 800. &

postea

positam mille recligendam dicti census Vitalep
6 scorum, qui est casus, *l. quidam testator, ff. de legat. 2. & l. firmio 2. [illegible] in princ. ff. quando dies legat. cedat.* in qua legata erat pecunia certa, cuius quantitas non se perit aut minuitur, sed semper debetur, cum nõ videatur conditionem addidisse, sed tempus soluendæ pecuniæ appositum, ac dissertissimè concordanda dictas leges inter se distinguit *Cuiac. lib. 9. resp. Papiniani ad dictam l. 26. ff. quando dies legat. ced. Lauarchio consil. 7. num. 21. & Fusari de cons. 159. per totum.*

Nec etiam obstat, quod dicitur D. Grimaldum non egisse coram A. C. nisi pro consignatione dicti census pro rata scutorum mille, & secundum quam petitionem sententiam fauorabilem obtinuit, placet responsio R. P. D. Pirouanum pronuntiasse in prima nulla habita ratione dictæ sententiæ A. C. nec hodie agitur de confirmatione sententiæ A. C. sed sententiarum Rotalium, quæ ex supradictis iustificantur.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## COLIMBRIEN. PRAEDII

*Lunæ 14. Maij 1618.*

### ARGVMENTVM.

In spolio probando quæ sint necessaria etiam ratione dominij directi.

### *SVMMARIVM.*

1 *In spolio primum extremum debet probari per manifestas, & concludentes probationes, & non præsumptiue.*

2 *Spolij actio aduersus Ecclesiam præscribitur spatio 40. annorum.*

3 *Domino directo ratione ciuilis possessionis competit remedium spolij ex remedio, vnde vi aduersus occupantem vtile dominium.*

4 *Dominium vtile emphyteusis quando finitur consolidatur cum proprietate.*

5 *Emphyteusis Ecclesiastica vltra tertiam generationem non extenditur sine beneplacito Apostolico.*

6 *Dominus directus non potest intentare remedia possessoria, quando dubium est, an linea sit nunc finita. & num. 7.*

8 *Canonum solutio non concludit dominium ad obtinendam deuolutionem.*

9 *Beneplacitum Apostolicum spatio 30. annorum [illegible] esse præsumitur.*

10 *Dominium per donationem non probatur nisi constito de dominio donantis.*

11 *Donari potest etiam res aliena.*

12 *Possessio ex quibus verbis probetur.*

13 *Singula singulis sunt congrue referenda.*

14 *Ius directi dominij si maneat penes personas priuatas præsumitur de iure emphiteusis perpetuæ, & non restrictæ ad tres vitas, ampliatur num. 15. sed secus est in concessa ab Ecclesia, num. 18.*

17 *Text. in § emphiteusim, auth. de non alien. declaratur.*

## DECISIO CLXIV.

ROTA vtraque parte informante censuit sententias in partibus latas esse reuocandas, quia de earum iniustitia satis superque constat ex eo quod mandarunt reintegrari Ecclesiam, seu Commendam in possessione prædij, de quo agitur, quam penes dictam Commendam fuisse nullibi
1 probatur, quod tamen primum extremum ad effectum spolij debuit per manifestas, & concludentes probationes, & non per præsumptiuas verificari, *Seraph. decis. 292. num. 1. Afflict. decis. 364. num. 4. Veral. decis. 328. num. 6. & seq. par. 2. Alex. cons. 10. cũ duobus seqq. lib. 4. & cons. 139. num. 14. lib. 6. Menoch. de recuper. remed. 15. q. 32. num. 908. cum similibus.*

Quinimò per plures testes in hoc iudicio examinatos probatum fuit Michaelem
4 Rangel eiusque auctores à longissimo nedicam immemorabili tempore possedisse pacificè istum fundum videntibus, & patientibus Commendatoribus, quæ probatio maximum adminiculum recipit ex antiquissimo priuilegio Petri Infantis Portugaliæ sub anno 1430. in quo eximendo Incolas Monte mentionem facit Laurentij Annes de Morais authoris dicti Michaelis vti possessoris dicti prædij litigiosi, quibus stantibus, præcipuè in actione spolij excluditur omnis prætensio D. Commenda-
2 toris, cum etiam præscribatur aduersus Ecclesiam spatio 50. annorum, *cap. illud, & cap. de quarta de præscript. fusè Seraphin. decis. 1360.*

Nec obstare visum fuit vnicum fundamentum Domini Commendatoris, dum
3 dicitur Commendæ vti Dominæ directæ ratione ciuilis possessionis competere reme-

lij remedium ex interdicto, vnde vi aduersus occupantem vtile dominium, vt post multos firmat *Valasch. de iure emphit. q. 18. num. 8. & Cald. de emphit. lib. 1. q. 78. nu. 2. fuit dictum in vna Ciuitatis Castelli bonorum coram bo: me: Cardinali Pamphilio 8. Nouembris* 1598. vt in hac facti specie in qua asseritur dominium directum Commendæ fuisse legitimè probatum tam per diploma donationis factæ à D. Garcia Mandez, & Eluira coniugibus, quàm per confessionem ipsius partis per tot solutiones canonum, dictaque testium, quibus simul iunctis iustificatum videtur dominium directum Ecclesiæ, vnde sequitur finita tertia
4 generatione vtile debere consolidari cum directo secundum naturam, & proprietatem emphyteusis Ecclesiasticæ, quam non extendi posse sine beneplacito Apostolico vltra tertiam generationem indubitati iuris est iuxta *text. in auth. de non alien. §. emphiteusim DD. in cap. in præsentia, vbi Abb. num. 29. Dec. n. 48. de probat. Anchar. cons. 134. n. 1. fusè Maut. de tac. & ambig. coniect. lib. 22. tit. 5. num. 15.*

His obiectionibus pluribus modis Domini responderunt, & primo actionem spolij penitus cessare, quia dominus dire-
6 ctus tunc potest intentare remedia possessoria quando clarum est, & indubitatum per lineam finitam, vel alio modo naturalem possessionem cum ciuili esse consolidatam, vt in casu dictæ Ciuitatis Castelli coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, sed quando deuolutio redditur aliquo mo-
7 do ita dubia, vt indigeat interpretatione tunc tenetur iudicio petitorio experiri, vt multoties Rota declarauit, & præcipuè in vna *Ariminen. deuolutionis 16. Februarij 1609. coram Reuerendissimo D. Archiepiscopo Damasceno, & in vna Regien. bonorum die* 20. *Decembris* 1613. *coram me*, in qua multæ auctoritates allegantur, & nouissimè in vna *Romana deuolutionis domus 18. Aprilis 1616. coram R. P. D. Andrea.*

Quod autem ista deuolutio sit admodũ turbida non dubitarunt DD. quinimmò si omnia fundamenta ex quibus elicere volunt probationem directi dominij Commendæ ad effectum deuolutionis perpendantur, & non posse subsistere facilè deprehendetur.

Et primo non obstat confessio Michaelis
8 vna cum solutione † canonis, seù recognitione, quia hæc probatio, quæ forsitan posset suffragari ad effectum cõtinuationis dictæ solutionis canonum non includit dominium ad obtinendam deuolutionem, *Caput. decis. 280. par. 1. & decis. 9. alias 91. lib. 2. in manuscrip. Couar. variar. resol. lib. 1. cap. 2. num. 2.* fuit dictum in terminis *in vna Romana domus S. Agnetis 2. May* 1588. & *19. Iunij* 1589. *coram Orano, & in Hispalen. Coadiutoria 15. Nouembris 1606. coram R. P. D. Pamphilio, & alias sæpissimè.*

Vltra quod non simpliciter Michael fassus fuit se possidere prædium litigiosum subiectum directo dominio Ecclesiæ, sed cũ qualitate emphyteusis perpetuæ, prout idem disertis verbis concludunt testes in hoc iudicio examinati, durumque esset diuidere dicta testium, & ipsiusmet rei, ad eliciendam probationem concludentem dominij directi cum qualitatibus deuolutionis cum concesso directo dominio Ecclesiæ non excludatur totaliter perpetua emphyteusis licet enim requiratur bene-
9 placitum † Ecclesiasticum illud per obseruantiam triginta annorum præsumitur, *Mohed. decis. 2. de transact. Put. decis. 365. num. 3. & 7. lib. 2. Rota decis. 179. par. 2. diuers.* multo magis per ducentorum ferè annorum.

Non obstat denique instrumentum donationis, & possessionis adeptæ in quo vim faciunt Informantes pro D. Commenda-
10 tore, quia vltra quod per donationem † nõ probatur satis dominium nisi constito de
11 dominio donantis cum res † aliena donari possit, *vt per gloss. & Doctores in l. cum res C. de probat. Alex. cons. 187. numer. 5. lib. 2. Boer. decis. 42. num. 25. Afflict. decis. 14. num. 8.*

Placuit etiam alia responsio ex lectura dictæ donationis, & possessionis sub die 17. Nouembris 1439. tolli prætensam deuolutionem, quia non apparet donatum fuisse hoc prædium in specie, siue hanc tenutam à donatoribus Ecclesiæ, sed iura habendi domum exigendi canones, & tributa in rebus donatis, vt clarissimè legitur in instrumento immissionis, quod declarat diploma donationis, vnde patet directum dominium solùm fuisse Ecclesiæ donatum, quod clariùs ostenditur coniungendo priuilegium Petri Infantis concessum nouem annis ante dictam donationem Laurentio de Morais datum anno 1430. quem fuisse auctorẽ Michaelis testes, & iura demonstrant, & inter partes nulla est controuersia. In eo enim legitur concedi exemptionem incolis loci Laurentij de Morais, ex quibus

12 bus verbis † colligitur dictum Laurentiū illum locum, seu prædium tunc possedisse, *l. 2. §. in locum, ff. de relig. & sumpt. funer. Doctores in rubr. de noui oper. nunciat. & præcipuè Bart. num. 5. Alex. cons. 49. nu. 7. & cons. 54. num. 2. lib. 5. Rota diuers. dec. 23. num. 1. par. 2.*

13 Et sic singula singulis congruè referendo confessio Michaelis dicta testium concurrunt cum instrumentis antiquis, vt ius exigendi canonem super hoc prædio possesso ab antecessoribus Michaelis fuerit donatum Commendæ, sed non ideo infertur post tertiam generationem istud prædium de quo agitur subiacere deuolutioni, quia istud directum dominium transiuit ad Ecclesiam cum suo onere, & qualitatibus emphyteusis concessæ à laycis in statu, & terminis, in quibus vtilis dominus tempore donationis possidebat, alias si natura directi dominij immutata esset ipsi eiusque successoribus contra iuris formā præiudicium inferretur.

14 Præiudicium patet euidenter, † quia si ius directi dominij penes priuatas personas permansisset præsumeretur de iure emphyteusis perpetua, & non restricta ad tres vitas, *Ias. in l. 2. C. de iur. emphyteut. Menoch. cons. 372. num. 3.* Vbi multos cumulat accedente præcipuè præscriptione,

15 & possessione † ducentorum solutione vniformis Canonis per tot annos, *Bald. in l. 2. num. 6. de iur. emphyt. Angel. in l. male agitur eod. tit.* cum multis quos citat, & sequitur *Mantic. de tacit. & ambig. conuent.*

16 *lib. 20. tit. 5. num. 14.* Secus † verò dicendum esset in fundo ab Ecclesia concesso in emphyteusim, vt distinguit *Couar. var. resol. lib. 3. cap. 16. numer. 4. & Mantic. loco præcitato.*

Quibus sic stantibus potest esse emphyteusis hodie Ecclesiastica, & nihilominus erit perpetua non subiecta deuolutioni ob non finitam lineam, nec applicabitur di-

17 spositio, † *text. in §. emphyteusim, auth. de non alien.* Cum Imperator non prohibeat in emphyteusim perpetuā dari nisi ea bona, quæ sunt actualiter Ecclesiæ, nec extendi potest hæc prohibitio ad ea cuius vtile dominium Ecclesia nullo tempore habuisse demonstratur.

Et ita conclusum pro infirmatione sententiarum.

MELITEN. BAIVLATVS.

*Veneris 18. Maij 1618.*

ARGVMENTVM.

Causæ expeditio quando non possit retardari ab habente rescriptum pro admissione ad causam.

SVMMARIVM.

1 *Immissus in possessionem non dicitur quis ritè, & rectè si sententia sit iniusta.*

2 *Tertius veniens ad causam principaliter per se, vt cæteros collitigantes excludat tunc non potest impedire, nec differre causa definitionem.*

*Amplia si possessio ab alijs sit occupata, & num. 3.*

4 *Malitijs, & fraudibus obuiandum est.*

DECISIO CLXV.

POst tres decisiones in hac causa factas tam super verò intellectu concordiæ, quam super reuocatione sententiæ cum inde subsequutis contra D. de Vaqueras in partibus latæ, cum res esset in calculo ferendæ sententiæ superuenit commissio vigore rescripti specialis in actis præsentata pro parte D. Antonij de Paula Baiulini petentis se admitti ad causam, & prætendentis in concursu se cum D. de Vaqueras esse præferendum in Baiuliuatu de Monoscha inter DD. Vintimilium, & de Vaqueras controuerso, vnde volui consulere DD. si deberem propter eius interuentum differre expeditionem causæ, propositoque memoriali loco causæ visum fuit causam esse omnino expediendam.

Quo enim ad D. Vintimilium, causa hæc satis superque videtur discussa omnibus etiam Dominis votantibus, & resoluta per tres decisiones in hac causa factas, in quibus omnes obiectiones pro parte Domini Vintimilij factæ refelluntur, vt videre est ex earum lectura, nec diutius visum fuit posse protrahi expeditionem causæ, cum agatur inter senes septuagenarios, & petatur dilatio ad confouendum in intru-


1 sione D. Vintimilium, † qui vigore sententiæ iniustæ non ritè, nec rectè fuit immissus in possessionem Baiuliuatus de quo agitur, *l. 4. §. condemnatum, ff. de re iud. cum similib.*

Quo

Quo verò ad dictum D. Antonium de Paula attinet conclusum fuit ipsum nullo modo posse impedire, aut differre expeditionem causæ prætextu commissionis ab ipso obtentæ, intrat enim regula iuris clarissima, & indubitabilis totiesque à Rota decisa, & canonizata, vt quotiescumque
2 tertius † venit ad causam principaliter per se, vt vtrumque excludat tunc non potest impedire, nec differre causæ diffinitionem, *l. id à quo, & l. seq. ff. de rei vind. l. pen. ff. de pet. hered. Couar. pract. quæst. cap. 14. nu. 4. Bisign. decis. 4. de iud. Vinc. Franc. decis. 260. num. 8.* cum multis alijs fusissime adductis in vna *Cesenaten. bonorum* 1. Iunij 1609. *coram Reuerendiss. Attrebaten.* & prius fuerat decisum in vna *Regien. feudi de Zobolis* 24. *Nouembris* 1586. *coram bon. mem. Cardinal. Pamphilio, & in vna Pacen. decimarum* 13. *Iunij* 1603. *coram R.P.D. meo Decano.*

Quod eo magis habet locum, quia possessio Baiuliuarus non est vacua, sed plena occupata scilicet à D. Vintimilio nullumque habet interesse dictus D. Antonius,
3 qui æquè poterit † auocare à D. de Vaqueras Baiuliuatum si iudicatũ fuerit ipsi fore adiudicandam possessionem, quam auocaret à Commendatore Vintimilio per notata in *cap. 1. de conceß. præbend. in 6. Bart. in l. à diuo pio, §. si super rebus num. 3. ff. de re iudic. & firmat Mohed. decis. 4. n. 3. de except.* Nullum siquidem ei infertur præiudicium si bonum ius fouere postea detectum fuerit in Rota, quia non ferretur sententia ipso citato, quæ illum afficiat, sed solummodo petitur expeditio causæ inter DD. de Vaqueras, & Vintimilium.
4 Et id suadet maxima æquitas, † vt malitijs, & fraudibus quæ quotidie oriri possunt obuiam eatur, alias quilibet tertius opponendo se impediret executionem sententiarum, & ita redderentur lites immortales, vt consideratum fuit in d. Cæsenaten. bonorum coram Reuerendiss. Attrebaten.

Et ita decisum omnibus partibus informantibus.



## CAMPANIEN. PRIORATUS.

*Veneris 18. Martij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Habens antianitatem, ac expectatiuam de primo vacatura, & habens benemerentiam quis sit præeligendus ad dignitates Religionis Hierosolymitanæ.

### SVMMARIVM.

1 *Expectatiua concessa in fauorem alicuius operatur, vt secuta vacatione ei adiudicandus sit prioratus.*
2 *Actor tenetur probare fundamentum suæ intentionis.*
3 *Tribunalia suprema non solent, nec debent præstare fidem indicibus inferioribus asserentibus aliquid coram ipsis fuisse probatum.*
4 *Attestationi officialis de respectante ad suũ officium standum est.*
5 *Morbus comitialis non inducit inhabilitatem, & irregularitatem in dignitatibus ecclesiasticis, quæ Ordines sacros annexos non habent, & multo minus in dignitatibus militaribus, quæ dantur equitibus Hierosolymitanis.*
6 *Benemerentia tanquam quid facti non præsumitur.*
7 *Benemerentia in equitibus Hierosolymitanis solum attenditur in electione conuentualiũ dignitatum.*
8 *Prior tempore est potior iure.*
9 *Equites Hierosolymitani baiuliui conuentuales habent expectatiuas de iure, & consuetudine delatas.*

### DECISIO CLXVI.

VAcante per obitum q. D. Philiberti de Foissy Magno Prioratu Campaniæ anno 1616. orta discordia inter duos Baiuliuos Conuentuales, quis eorum in adipiscenda huiusmodi dignitate esset præferendus, ex vna enim parte D. Frater Simon de Boismose hunc Prioratum iure antianitatis sibi debitum vindicabat ex altera verò D. Frater Iacobus de Gaillarboys propter incapacitatem D. Simonis sibi ratione benemerentiæ deferendum asserebat, tandemque hac controuersia in Congregatione Ven. linguæ Franciæ die 23. Aprilis 1616. proposita maiori suffragiorum numero D. Iacobus ad dictum Prio-

 ra-

ratum fuit electus, dictaque electio postea in Concilio ordinario, & cõpleto per sententias confirmata, à quibus D. Simon appellauit, causaque per speciale rescriptum manu Sanctissimi subscriptum mihi commissa post datum competentem terminum vtrique parti ad probandum, dubitaui vtrũ d. sententiæ essent iustæ, vel iniustæ, quo dubio proposito Rota vnanimi voto censuit sententias esse iniustas, quia adiudicant dictum magnum Prioratum D. Iacobo, qui tamen D. Simoni antiquiori vigo-
1 re iuris quæsiti, † & expectatiuæ erat adiudicandus, *argum. cap. cum cui. de elect. in 6. Sarnen. de iure quæsit. non tollend. quæst. 1. Rota apud Put. decis. 253. lib. 3. Cassad. dec. 8. num. 5. de præbend. & in causa Salamantina dimidiæ portionis coram Reuerendissimo Archiepiscopo Lugdunen. tunc Rotæ Auditore 27. Maij 1609.*

Nec potest controuerti iniustitia sententiarum, quæ non iustificantur ex actis, quin imo ex deductis, & probatis per D. Simonem vix, ac nec vix quidem possunt iustificari. Constat enim ex scripturis in actis productis D. Simonem per triennium scilicet ante D. Iacobum fuisse religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani sacris initiatum, & 30. post annos ad gradum magni Hospitalariatus in concursu magis antianorum ratione benemeritorum promotum 10. annis antequam ad eum D. Iacobus peruenire potuerit.

Constat etiam ex actis D. Simonem post promotionem ad dictam dignitatem obtinuisse antianitatem, & expectatiuam ad Prioratus Franciæ Campaniæ, & Aquitaniæ, & licet ipse D. Simon postea eandem dignitatem resignauerit cum cõsensu Magni Magistri, & Concilij tamen ea resignatio facta fuit, & admissa cum reseruatione expressa antianitatis, & iuris iam quæsiti, super dictis Prioratibus, idque vigore constitutionum, & concordiæ inter linguam Franciæ initæ per M. Magistrum, & Collegium 16. Capitularium approbatæ, quod clarius obseruantia docuit dum ipsemet D. Iacobus electus ad dictam magni Hospitalariatus dignitatem cum consensu D. Simonis eandem antianitatem, & reseruationem addita expressa clausula sine præiudicio iuris D. Simonis quæsiti obtinuit.

Quibus sic stantibus euidenter apparet, quàm iniustè contra formam stabilimentorum, & concordiæ per hanc electionem fuerit ablatum ius antiquiori, & benemerito quæsitum contra spectatiuam vtrique Baiuliuo concessam sine vlla rationabili causa cum D. Iacobus nullo modo probauerit incapacitatem Simonis concluden-
2 ter, vt tenebatur, † tanquam fundamentum suæ intentionis continens etiam materiam obiectiuam iuribus vulgaribus.

Quod autem nihil omnino probauerit patet ex reuolutione actorum, in quibus nihil tale legitur, & licet allegetur stylus religionis, in qua causæ oretenus more militari discuti solent, tamen hoc non obstante debuit Iacobus probare obiectam
3 incapacitatem, † quia suprema tribunalia non solent nec debent præstare fidem Iudicibus inferioribus asserentibus hoc coram ipsis fuisse probatum, *§. illud quoque Auth. de his qui ingrediuntur, ad appellat. in fine l. per hanc, C. de temporal. & repar. quem tex. allegat ad id, Abb. in cap. ad sedem de restit. spoliat. nu. 6. & in cap. afferte mihi gladium de præsumpt. numer. 5. & in terminis causæ Meliten. respondit Rota coram Card. Seraph. decis. 381. n. 1. & Senatus Pedemont. dec. 13. n. 14.*

Tantum autem abest, vt fuerit probata in actis hæc incapacitas, quia potius visa fuit improbabilis cum optimè in facto, & iure obiectiones incapacitatis tollantur, non enim verum est ipsum D. Simonem fuisse debitorem communis Erarij Reli-
4 gionis, vt illi fuit obiectum, † quia ex fide Thesaurarij d. Erarii apparet esse creditorem, vt in *Summ. num. 14.* Certumque est relationi d. Thesaurarii de re spectante ad officium standum esse, vt post *Bart. in extrauag. ad regimen in verbo pro nunc, n. 10. Menoch. de arbitr. lib. 2. cap. 99. num. 3. & 4. respondit Rota in causa Mediolanen. beneficij 15. Martij 1614. & in Hispalen. quintorum die 3. Octobris 1617. coram me.*

Idemque dicendum de secunda obiectione, quia ex relatione, & sententia Equitum Commisariorum, de qua in *Summ. num. 15.* tollitur obiectum, in qua pronunciatum fuit D. Simonem meliorationes, & libellos censuales suarum commendarum perfecisse secundum formam constitutionum.

Nec placuit Dominis, quod dicebatur D. Simonem Comitiali morbo detentum ideo esse incapacem huiusmodi Prioratus, cum indubitati iuris sit morbum istum non inducere inhabilitatem, & irregulari-
5 tatem † nisi quo ad ordines sacros, & præcipuè

cipuè presbyteratum propter scandalum, quod inde oriri posset; secus autem in aliis dignitatibus Ecclesiasticis, quæ ordinem presbyteralem annexum non habent, *canon. communiter 33. distinct. can. in litteris, & in can. nuper 7. q. 2. cap. 2. de cler. egrot. Abb. & Butr. in cap. pen. 1 r. & 13. de corpor. vitiat.* & in terminis respondit Rota *apud Caput. decis. 136. par. 2. & coram Reverendiss. Archiepiscopo Lugdunen. 23. Ianuarij 1609. & 27. Maij eiusdem anni in causa Salamantina dimidiæ portionis.*

Quæ ratio magis militat in his dignitatibus militaribus, quæ dantur tanquam præmia laborum Veteranis Equitibus, qui insenuerunt, morbumque hunc contraxerunt seruiendo Religioni, nec morbus Comitialis impedire potest, quin munia dictæ Religionis Equites obire possint, cum etiã eodem morbo aliquando Iulium Cæsarem Dictatorem correptum fuisse tradat Suetonius, & ipsemet D. Simon post detectam hanc infirmitatem Procuratoris generalis officium in Prouincia Aquitaniæ sibi ab Illustrissimo M. Magistro delatũ duodecim ab hinc annis laudabiliter exercuerit, & exerceat prout in *Summ. num. 8.*

Nec visum fuit obstare præcipuum D. Iacobi fundamentum dum asserit has sententias posse substineri etiam non probata incapacitate, quia ratione maioris benemerentiæ (vt aiunt) etiam iunior in concursu ad Prioratus potuit eligi vigore cõstitutionum, *tit. de elect. cap. 5.* vt factum colligitur ex verbis sententiarum, & electiones factæ de ipso tanquam de benemerito.

Huic obiectioni responderunt Domini nullum verbum in actis legi de prætensa
6 benemerentia, † quæ tanquam quid facti, & satis inuerisimilis non præsumitur. vulgata, *l. in bello, §. facta, ff. de capt. & postlim. reuers. cum simil.* Et quatenus probata esset ad adipiscendũ hunc Prioratum, mi-
7 nimè D. Iacobo suffragaretur; † quia benemerentia ex forma stabilimentorum attendi solum potest in electione conuentualium dignitatum, itaut concurrentibus Equitibus antianis, magis meritorum, quã antiquitatis ratio habeatur, vt disponitur in *d. cap. 5. de elect.*

Sed quando aliquis tanquam emeritus miles ad dignitatem vti Baiuliuus conuentualis benemeritus ascendit, tunc sola ratio antiquitatis, & non meritorum habetur, itaut prior tempore potior sit iure, vt deciditur in dd. stabilimentis, *tit. de Baiuliuatu c. 44.* vt optimè deponunt testes examinati tam in Curia formiter, quàm corã Iudice Remissoriali, quorum dicta dantur in *Summ. num. 17.* qui modum in similibus electionibus obseruari solitum distinctum, & manifestè declarant distinguendo casum quo concurrunt Equites ad petendam conuentualem dignitatem, & illum quo Baiuliui inter se prætendunt promotiones ad Prioratus iure antiquitatis debitos, quæ intelligentia comprobatur ex petitione ipsiusmet D. Iacobi, & lectura sententiarum ad eius fauorem latarum, in quibus nulla benemerentia proponitur, sed sola incapacitas D. Simonis consideratur.

Et licet prædictum statutum cap. 44. videatur disponere, quod potius attendantur merita, quàm antianitas, non potest nocere D. Simoni, quia semper ab hac regula excipiuntur Baiuliui Conuentuales,
9 qui habent expectatiuas à iure, † & consuetudine delatas, vt expressè sonant verba dicti statuti cap. 44. alias nihil ipsis Baiuliuis concederetur, si iterum periculum suæ benemerentiæ facere cogerentur prout inter alios Equites disponit *dict. cap. 5. de elect.*

Nec obstat denique testes non concludere requisita ad consuetudinem, quia non inducuntur ad probandam vllam consuetudinem, sed ad declarandam intelligentiam stabilimentorum, & modum seruari solitum inter Baiuliuos in electionibus ad Prioratus inter se.

Ex quibus conclusum fuit d. sententias contra D. Simonem latas tanquam iniustas esse reuocandas, & dictum Prioratum adiudicandum D. Simoni de Boismose.

Et ita vna tantum parte informante.

## ROMANA CENSVS.

*Lunæ 21. Maij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Quando dicatur liquido constare de attentatis.

### SVMMARIVM.

1 *Attentata pendente termino ad appellandum sunt reuocanda.*

2 *Sententia non potest executioni demandari post appellationem.*

3 *Iurisdictio Iudicis suspenditur per appellationem admissum.*
4 *Iudex procedens ad executionem sententiæ post admissam appellationem dicitur superiori iniuriam inferre.*
5 *Iudex sine iurisdictione procedens spoliat.*

## DECISIO CLXVII.

DOmini sine vlla penitus difficultate dixerunt constare de attentatis, quæ veniunt reuocanda cum enim Iudex ab A.C. deputatus pronunciasset super extinctione, & resolutione census ab eius sen-
1 tentia dabatur appellatio, † & pendente tempore nihil erat innouandum tot. *tit. vt lite pendente.*

Quinimò dictus Iudex admiserat appellationem interiectam pro parte D. Christophori de Dantigny, & litis consortium, & per consequens in executione sententiæ
2 non poterat † relaxare mandatum pro restitutione pecuniarum quæ erant penes Montem Pietatis depositatæ, nec aduersarij sine vitio attentatorum poterant pro his pecunijs instare easque recipere, *cap. non solum, & ibi Doct. de appell. Lancell. de attent. appell. pend. in præf. num.* 83. *& seq. & millies fuit in Rota decisum.*
3 Per appellationem † siquidem interpositam, & admissam non solum suspenditur sententia Iudicis eiusque iurisdictio, *c. ve-*
4 *nientes de iureiur.* Sed Iudex † postea ad executionem procedens dicitur superiori iniuriam inferre, *c. nomen 2. q. 1. Lancel. loc. cit. num.* 92.

Vnde necessario infertur dictum D. de Rantigny nulliter, & attentatè fuisse spoliatum possessione exigendi fructus census
5 in qua reperiebatur, quia † Iudex sine iurisdictione procedens dicitur spoliare, *l.* 3. *§. condemnatum, ff. de re iudic. cum similib.*

In quam sententiã eo libentius iuerunt Domini, quia hodie ex instrumento nouiter producto in actis detecta est d. sententiæ iniustitiã ex eo, quod per instrumẽtum publicum apparet DD. de Buffalinis, & hæredes Iulij senioris esse debitores dicti census quem fuisse extinctum, & resolutum fuerat pronunciatum.

Et ita decisum d. Christophoro informante altera parte sæpius citata, & expectata.

## CVSENTINA PRAECEDENTIAE.

*Mercurij 6. Iunij 1618.*

## ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum quando deneganda, & plura traduntur in materia præcedentiarum.

## SVMMARIVM.

1 *Restitutio in integrum aduersus rem iudicatam non conceditur vbi non constat de læsione, quã concludenter, & manifeste probari debet ab eo, qui petijt restitui.*
2 *Transactionis annullationem petens tenetur probare, vel falsitatem causæ, vel saltem iniustitiam, & læsionem.*
3 *Transactio super re purè ecclesiastica sine confirmatione Sedis Apostolicæ non substinetur ad hoc, vt liget successores.*
4 *Præeminentiarum materia censetur magni præiudicij.*
5 *Transactio super modo incedendi in processionibus non requirit confirmationem Papæ, vt ligentur successores.*
6 *Et præsumitur rationabilis nisi illam impugnans contrarium doceat.*
7 *Iudex in dubio debet pronunciare pro validitate actus.*
8 *Transactionis æquitas inter duas parochiales vt dignoscatur habenda est ratio status illarum tempore transactionis.*
9 *Sententia sine actis non probat.*
10 *Transactionis confirmatio vt obtineatur non est docendum de meritis causæ principalis prout requiritur in confirmatione sententiæ.*
11 *Testes non sunt attendendi in eo super quo non deposuerunt.*
12 *Nullitas turbida, & friuola non admittitur.*
13 *Nullitas prima sententiæ non potest opponi aduersus secundam quando ex integro causa fuit commissa, vel eam pars non opposuit.*
14 *Res iudicata paris exceptionem litis finitæ.*
15 *Nullitas non potest opponi aduersus rem iudicatam.*

DE-

DECISIO CLXVIII.

LIte mota iam ab anno 1550. & postea per sententias, & transactionem de anno 1576. & 1577. sopita inter Rectores, & Parochianos Ecclesiæ S. Petri ex vna, & Rectores, & Parochianos S. Georgij ex altera super præcedentia, & modo interueniendi in processionibus alijsque cæremonijs Ecclesiasticis, non acquiescentibus Rectoribus, & Parochianis S. Georgij prædictæ concordiæ litem iam extinctam de nouo in partibus suscitarunt, quæ cum postmodum in Curia deuoluta esset, latæ fuerunt in fauorem Rectoris, & Parochianorum Sancti Petri pro obseruantia concordiæ duæ sententiæ extra Rotam quæ cum ob non interpositam appellationem transitum fecissent in rem iudicatam, tandem causa ad Rotam in gradu restitutionis in integrum deuoluta, & mihi commissa proposito dubio vtrum constaret de causis restitutionis in integrum Domini re maturè discussa negatiuè responderunt.

Moti sunt ea maxime ratione, quia post tot sententias latas, & post rem iudicatam
1 non probata læsione † nunquam conceditur restitutio in integrum, *l. non postea, §. si maior. ff. de iureiurand. l. si ex causa iudicati ff. de minoribus*; quæ quidem læsio debet ab eo, qui petit restitui aduersus rem iudicatam tanquam ab actore probari, *cap. 1. vbi Abb. de restit. in integrum*: Licet enim Rota non requirat notoriam iniustitiam tamen requiritur probatio concludens, & manifesta, *Put. decis. 200. lib. 3. ex doctr. Abb. in d. cap. 1. num. 2. in 2. notab. per text. in d. cap. 1. de restit. & in l. fin. vbi glos. Cod. si ex falsa causa, & in l. vlt. C. si minor. se maiorem, & ibi Bald. num. 1.*

Quæ ratio magis militat in hoc casu dum non agitur solum de executione rei iudicatæ, sed etiam solemnis concordiæ inter partes initæ, & ita qui petit annulla-
2 tionem, † & reuocationem transactionis tenetur vel falsitatem causæ, vel saltem iniustitiam, & læsionem probare, *l. verum, ff. de minoribus, l. sub prætextu, Cod. de transact. Dec. cons. 436. num. 1.* idque per concludentes probationes, & euidentes, *Alex. in l. qui Romæ, §. duo fratres, num. 54. de verb. oblig. Fulgos. in l. si cum te, num. 4. & Castr. n. 3. ff. de pactis, Soccin. cons. 159. num. 22. lib. 2. cum alijs fusè allegat. coram Seraph. dec. 976. in princ.*

Hoc posito visum fuit Dominis Rectorem, & Parochianos S. Georgij non satis iustificasse iniustitiam concordiæ, aut læsionem, ex eo quod asserunt transactionem inter partes initam super re purè Ecclesia-
3 stica sine confirmatione Sedis Apostolicæ non sustineri † adhoc vt liget successiones, *cap. veniens de transact. Caputaq. decis. 165.*
4 *num. 1. par. 1.* Idque eo magis † quia hæc materia præheminentiarum censetur magni præiudicij, *Put. decis. 449. num. 4. lib. 2. & decis. 6. lib. 3.*

Responsum enim fuit non fuisse transactum super totali subiectione vnius Ecclesiæ alteri, sed super modo incedendi, &
5 conueniendi in processionibus † quo casu non requiritur superioris authoritas, vt ligentur successores per *text. expressum in cap. fin. de pactis in 6. & ibi Doct. & præcipuè Franc. num. 2. vers. vltimo nota*, vbi decisum fuit similes concordias etiam sine Sedis Apostolicæ, & Superiorum licentia factas inuiolabiliter esse seruandas dummodo sint licitæ, & honestæ, quia talia pacta non disponunt de alienatione iurium, aut subiectione Ecclesiæ, sed modum adhibent honestæ administrationi, *d. cap. fin.* vt in simili controuersia respondit *Rota coram Seraph. dec. 36. per tot.*

Quod autem pacta contenta in d. concordia fuerint licita, & honesta patet multis rationibus, & primo ex præsumptione iuris communis, in dubio enim transactio
6 censetur † rationabilis nisi illam impugnans contrarium doceat, *cap. fin. & ibi notatur de transact.* Præcipuè cum agatur inter personas Ecclesiasticas super modo incedendi in processionibus ad præscribendum ordinem certum † ne scandala inter laycos oriantur, *Dec. cons. 424. nu. 1.* & ita ille qui allegat, † conuentiones fuisse illicitas, & inhonestas tenetur fundamentū intentionis suæ concludenter pro-
7 bare iuribus vulgaribus cum † in dubio Iudex pro validitate actus, & præcipuè transactionis pronunciare debeat, *Contard. in l. vnica limit. 9. num. 10. Cod. si de moment. possess.*

Nec obstat, quod dicta concordia aliquid amplius Ecclesiæ Sancti Petri deferat quam Ecclesiæ S. Georgij, quæ duæ sunt Parochiales, & pari passu ambulare debe-
8 rent. Placuit enim responsio † ad dignoscendam æquitatem trāsactionis inter partes initæ habendā esse rationem illius status, in quo vtraque parochialis Ecclesia eo tempore quo concordia fuit facta reperie-

riebatur, aliter neutra pars iure conqueri potest se fuisse læsam.

De tempore autem concordiæ aderat decretum de consensu partium ab Ordinario factum de anno 1550. in quo semper primus locus fuit assignatus Ecclesiæ S. Petri in concursu cum Ecclesia S. Georgij, licet postea alternatiua ei fuerit concessa, aderat etiã sententia postea lata anno 1576 in qua declaratur Ecclesiam S. Petri esse antiquiorem eique præcedentia certis diebus exceptis assignatur à quã sententia nõ docetur fuisse appellatum, rebusque sic stantibus inita fuit cõcordia inter has duas Ecclesias parochiales, in qua parochialis Sancti Petri aliquid iuris remittit, quod ei per sententiam fuerat adiudicatum, vt scilicet quotiescumque efferentur cadauera defunctorum parochiæ S. Georgij præcederet d. parochialis S. Georgij, vnde sequitur non posse dici illicitas huiusmodi conuentiones, in quibus Ecclesia S. Petri nihil acquirit, sed potius relaxat de delata præeminentia certis casibus non expressis in d. sententia lata anno 1576.

9 Nec placuit, quod dicebatur † sententiam sine actis non probare nullumque fumum dari, ex quo æquitas prædictarum sententiarum iustificetur, fuit enim responsum non agi de canonizando sententijs, aut petenda illarum executione, sed de

10 confirmatione transactionis † ad quam obtinendam non est docendum de meritis causæ principalis, prout si ageretur de confirmatione, aut executione sententiæ, *l. 2. vbi Bald. in 1. notab. Cod. de transact. Ofasch. dec. 58. n. 15.*

Prout non obstat, quod dicitur per testes pro parte Ecclesiæ Sancti Petri examinatos probari prædictam concordiam non fuisse vsu receptam, si enim dicta testium examinentur apparebit eos non fuisse examinatos nisi super obseruantia decreti lati de anno 1550. super modo incedendi in processione quæ fit die festo solemnitatis

11 Sanctissimi corporis Christi, † non autem super obseruantia reliquorum capitũ quæ fuerunt decisa tam in d. sententia lata anno 1576. quam in prædicta concordia, in qua præcisè fuit conuentum, vt decretum factum de anno 1550. inuiolabiliter obseruetur, & de hac obseruantia præcisè deponunt testes.

Quo verò ad nullitates quæ contra sententias in Curia latas deducuntur placuerunt responsiones datæ per informantes

12 cum visæ † fint, aut multum turbidæ, aut satis friuolæ vltra quod cessat omnis scrupulus, ex eo quod nullitates obiectæ percutiunt primam sententiam latam à R. P. D. Ginetto, cui postea de integro causam cognoscendam Signatura commisit, & ita sufficit, quod vltima sententia quæ transiuit in indicatum reperiatur valida, nec po-

13 test dici † nullitates primæ sententiæ influere in secundam; tum quia ex integra causa fuit eidem Prælato commissa, tum quia pars non opposuit, & huiusmodi nullitates prætensas non deduxit ad speciem,

14 & hodie post rem iudicatam † quæ parit exceptionem litis finitæ, *cap. 1. de litis contest. in 6.* Non est admittendus etiam in gradu restitutionis in integrum quæ est commissa, prout de iure, vnde quatenus Ecclesia parochialis Sancti Georgij non doceat causam propter quam de iure veniat restituenda remanet res iudicata, & per consequentiam protestationes generales non posſunt deduci ad speciem cum sit

15 is rei iudicatæ effectus, † vt huiusmodi nullitatibus ob non interpositam appellationem censeatur renunciatum, vt in terminis firmauit *Rota coram Reuerendissimo D. meo Sacrato in vna Bracharen. parochialis 1. Martij 1602.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA SEV CASTREN. AFFICTVS.

*Mercurij 13. Iunij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Obligatio facta à Procuratore sine speciali mandato afficit Dominum qui successiuè ratificauit.

### SVMMARIVM.

1 *Obligatio Cameralis habet executionem paratam.*

2 *Obligatio cameralis apposita à Procuratore non habente in mandato facultatem specialem illam apponendi ratificata à principali sustinetur.*

3 *Cedula bancharia respicit tantum cautionem, non solutionem.*

4 *Exceptio administrationis tanquam illiquida & dubia non potest retardare executionem promissionis releuationis claræ.*

DE-

DECISIO CLXIX.

Domini dixerunt mandatum esse relaxandum contra Raynutium pro sua parte cedulæ, cum enim Hieronymus fuerit coactus dare cedulam, & Raynucius sit socius pro tertia parte ex natura contractus societatis inter eos initæ & præcipuè cum se obligauerit in forma Cameræ reddere consocium indemnem pro ea rata
1 absque dubio † pro tali reuelatione mandatum executiuum relaxandum venit, vt fuit sæpissimè decisum & signanter in *Romana consignationis sequestri Veneris 16. Ianuarij 1598. coram Illustrissimo D. Lancellotto*.

Non obstat promissionem fuisse factam à filio Raynuccij vti eius Procuratore, sine speciali mandato ad obligandum in forma
2 Cameræ, quia † hoc obiectum cessat ex ratificatione subsequuta, *Rota apud Mohed. decis. 288. alias 8. de procurat. & fuit dictũ in Romana pretij Vineæ prima Iulij 1611. coram Reuerendiss. D. Lugdunen. & in eadem 12. Decembris 1614. coram R. P. D. meo Pirouano*, fuerunt enim dati plures actus in Summario ex quibus clarè constat de ratificatione in specie *num. 7.* dum datur mandatũ procuræ eiusdem Raynucij in quo asserit se obligatum esse ad dandam cedulam banchariam Excellentiss. D. Mario Fernesio pro solutione affictuũ & ad obligandum seu renouandum dictam cedulam cum promissione indemnitatis cuiuscumque pro eo promittẽtis ideo pro rata eius portionis dictæ cedulæ nulla competit exceptio, quæ possit relaxationem mandati
3 impedire † cum respiciat tantum cautionem, & non solutionem, vt firmauit Rota coram me in hac causa cum ageretur inter D. Marium & Sauinum.

Non obstat exceptio administrationis, ac cuiusdam summæ solutæ per Raynuciũ ipsi Hieronymo, quia vltra quod pro affictu primi triennij fuit facta solutio Excellentissimo D. Mario ad notabilem summã prædicta exceptio non habet locum respectu cedulæ datæ pro paghis futuris prout fuit ab initio conuentum inter partes, quæ nihil commune habet cum administratio-
4 ne Affictus, licet & hæc exceptio administrationis tanquam illiquida & valde dubia non posset retardare executionem promissionis releuationis claræ, dum ex his quæ fuerunt data in Summario constet vtrumq; administrasse, & per consequens vtrumque teneri alteri reddere rationem de administratis.

Et ità vtraque parte informante decisum.

ROMANA SALVIANI.

*Lunæ 28. Maij 1618.*

ARGVMENTVM.

Immissio in Saluiano vt detur quæ requirantur, & an obstet quod census fuerit impositus super re Ecclesiastica prohibita alienari: Immissio non datur stante exceptione melioramentorum.

*SVMMARIVM.*

1 *Creditum cum hypotheca probatur ex instrumento.*
2 *Possessio debitoris de re hypothecata probatur ex subhastatione facta de illa re à creditore posteriore.*
3 *Possessio probatur ex sustentatione litis iunctis adminiculis.*
4 *Sententia difformis libello sustinetur ex clausulis omni meliori modo, & ius & iustitiam ministrari.*
5 *Identitas personæ quando probata dicatur.*
6 *Census aut hypotheca non potest imponi in emphyteusi ecclesiastica cum prohibitione alienationis latè sumpto vocabulo.*
7 *Saluianum non datur sine hypotheca,*
8 *Fructus nomine damnorum & interesse debentur ex censu imposito super fundo alienari, & hypothecari prohibito.*
9 *Melioramentorum exceptio impedit immissionem.*
10 *Pro melioramentis datur retentio, etiam in iudicio possessorio.*

DECISIO CLXX.

Domini dixerunt sententiam extra Rotam vltimo loco latam esse in parte confirmandam in alia reformandam.

Et quoad primam partem attinet visum fuit esse confirmandam in eo dum declaratur Siluium esse immittendum in realem & corporalem possessionem commoditatis percipiendi fructus horti siti iuxta Scalas sanctas donec de summa scutorum 57. bai. 61. debitis pro fructibus annui census fuerit satisfactus, quia ipse Siluius iustificauit

uit omnia requisita ad obtinendum in hoc iudicio Saluiani, & primo constat de anteriori credito cum hypotheca ex instrumento impositionis census n. 1.

Quod verò Marcus q. Ioannis Catanei de Bonconuento qui talem obligationem cum hypotheca cōtraxit ad fauorem Siluij possederit hunc hortū litigiosum apparet
1 ex tenuta ab ipso liberatore obtenta, † qui tanquam creditor cum hypotheca posteriori occasione societatis officij contractæ obtinuit fieri executionem super eodem horto, illumque subhastari tanquam de bonis Marci debitoris, *Card. in cap. cum venissent in quinta quæstione de restit. in integr.* & *tenuit Rota in causa Romana Spoly 17. Februarij 1617. coram R. P. D. meo Pamphilio.*

Secundum verò extremum non potest
2 controuerti, cum † probetur ex substentatione litis, & adminiculetur ex prædicta executione iuxta *decis. Caputq. 369. par. 2.* & *fuit firmatum in eadem Romana spoly corā eodem D. meo Pamphilio.*

His positis non obstat nullitas prætensa ex eo quod sententia sit difformis libello dum Siluius in monitorio petijt scuta 51. sententia vero condemnat ad scuta 57.
3 quia talis † sententia substinetur ex solitis clausulis præseruatiuis (omni meliori modo) & ius & iustitiam ministrari, *Capic. decis. 86. num. 16.*

Nec obstat, quod dicitur non probari identitatem personæ Marci, qui imposuit censum, cum ille in instrumento impositionis census denominetur Marcus q. Io. Catanei de Bonconuento status senarum, & ille Marcus, cui hortus fuit concessus in emphyteusim nuncupauit Marcus q. Vincentij de Cataneis Romandioli, Placuit enim responsio, quod identitas personæ istius Marci nuncupati q. Io. Catanei de Bonconuento qui imposuit censum esset etiam possessor huius horti probatur ex instrumento societatis ipsiusmet liberati, & alijs ab eo gestis pro cōsecutione illius, ex quibus omnibus simul iunctis satis probatur identitas personæ quidquid fuerit enunciatum in illo instrumēto acquisitionis alias ipsiusmet liberati creditum subhastatio & possessio corrueret.

Nec etiam visum fuit obstare hortum
6 super quo data fuit immissio esse subiectū emphyteusi Ecclesiasticæ, cum pacto expresso prohibitionis alienationis etiam lata sumpto vocabulo, & per consequens
6 non † potuisse substineri impositionē census, aut hypothecam, *glos. in l. fin. vers. ad hypothecam C. de reb. Eccl. non alien. Bart. in l. codicillis §. institutio num. 5. de leg. 2. Gabr. de reg. iur. conf. 12. num. 12. cum alijs allegatis in vna Romana domorum 3. Iunij 1577. coram Card. Lancellotto seniore*, & alias sæpissimè fuit decisum, idque tanto magis quia stante prohibitione præcisa non po-
7 tuit substineri hypotheca, † sine qua nunquam dari Saluianum omnia iura clamant.

Responsum enim fuit etiam concesso, quod census imponi non potuerit, tamen
8 ratione damnorum & interesse sortem principalem vna cum fructibus debitam fuisse, ne ille qui falsò super fundo alienari & hypothecari prohibito censum imposuit cum aliena iactura ex dolo suo locupletetur, iuxta *text. in l. contractus C. de fid. instrum.* & in simili de venditione rei prohibitæ alienari, respondit *Rota coram bo: m. Card. Pamphilio 10. Maij 1602. in vna Romana Pecuniaria, & postea in vna Ciuitatis Castelli coram bon. me. Iusto de anno 1603.*

Et licet possit reuocari in dubium si nō subsistente hypotheca esset locus immissioni super commoditate percipiendi fructus, tamen nō potest hæc obiectio suffragari liberato, qui agnouit hypothecam, & obtinuit vigore sui crediti ad iudicationem cum exceptione doli mali sit repellendus.

Quo vero ad secundam partem resolutionis conclusum fuit reformandam esse sententiam, quia non poterat dari immissio stante exceptione melioramētorum de quibus constat saltem in genere, vt in
9 *Summ. num. 2.* pro quibus danda erat retentio, *l. in area ff. de condit. indeb. l. paulus, ff. de doli except.* etiam in iudicio possessorio *Bart. & Alex. in l. in fundo in fin. ff. de rei vindic.* & nondum esset liquidata, *Caput. decis. 17. Put. decis. 471. in fin. lib. 1. cum allegatis in vna Romana de Thesauris coram Reuerendiss. Domino meo Sacrato 11. Ianuarij 1613.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

PAM-

PAMPILONEN. BENEFICIORVM.

*Lunæ 21. Maij 1618.*

ARGVMENTVM.

Remissoria ex quibus denegetur vniuersitati ad proban. se esse constitutam in quasi possessione immemorabili alicuius iurispatronatus.

SVMMARIVM.

1 *Remissoria denegatur ad proban. id quando de contrario per scripturas authenticas apparet.*
2 *Immemorabilis non potest probari per scripturas.*
3 *Extare & non extare hoc nihil magis inter se repugnat.*
5 *Episcopus non potest Ecclesiam ante liberam seruituti sine causa subijcere.*
6 *Verbum, Postquam, denotat tempus futurū, & excludit omne tempus anterius.*
7 *Remissoria denegatur quando per productionem iurium & depositiones testium productorum contrarium fuit plenè articulatum & probatum.*
8 *Immemorabilis quando fuit probata allegari potest melior titulus de mundo.*
9 *Priuilegia ad vnum effectum producta non inde excludunt quin per instrumēta possint probari omnia quæ in illis directè vel indirectè continentur.*
10 *Testium dicta possunt diuidi.*
11 *Scriptura non potest pro parte acceptari & pro parte reprobari ab illo qui eam produxit.*
12 *Productio scripturarum licet facta in alio iudicio si sit inter easdem personas adhuc præiudicat.*
13 *Productio facta à Procuratore habente mandatum generale ad lites est valida ad effectum præiudicandi principali.*
14 *Ex tituli productione oritur confessio producentis.*
15 *Titulus quando producitur ab aliquo ex hoc non infertur carentia alterius melioris tituli.*
16 *Scriptura requiritur et non testes ad proban. immemorabilem in iurepatronatus potentum.*
17 *Layci nullum ius super decimis habent.*
18 *Iuspatronatus non acquiritur ex augmento dotis.*
19 *Ordinarius non potest impedire executionem litterarum Apostolicarum.*
20 *Remissoria sine fumo non datur stante probatione contraria.*
21 *Prouisio Ordinarij si sit facta postquam Papa manum apposuit non tenet cum manus Ordinarij sint ligatæ.*

DECISIO CLXXI.

Disputatio alias sub die 6. Nouembris 1617. dubio vtrum constaret de causis restitutionis in integrum aduersus rem iudicatam & sententiam Rotalem in fauorem libertatis Ecclesię & prouisorum Apostolicorum, Alcadus iurati & Vicarij Vniuersitatis, qui se fuisse indefensos asserebant, ad docendum de bono iure quod in eo consistit, vtrum Iuspatronatus beneficiorum de quibus agitur ipsis competeret, petierunt remissoriam ad probandum se esse constitutos in quasi possessione ab immemorabili tempore dicti Iurispatronatus, quæ sola stante dispositione Sacri Cōcilij Vniuersitati potest suffragari, ideo prouisis Apostolicis denegandam remissoriam contendentibus dubitaui, vtrum dictæ Vniuersitati danda esset remissoria, nec ne quo dubio proposito Domini negatiuè responderunt.

Ratio præcipua & maxima decisionis hæc est, quod articulus primus datus pro parte Vniuersitatis ad probandam immemorabilē hodie redditur improbabilis, &
1 ita denegatur remissoria ✝ ad probandum id quando de contrario per scripturas authenticas apparet, *l. census, ff. de probat. gloss. in cap. 1. §. posteaquam de censib. in 6. in verb. scriptis Rot. decis. 10. num. 2. de offic. deleg. in nou. cum multis allegatis in illa Meliten. Bailinatus 27. Nouembris 1617. & 4. Maij 1618. coram me.*
2 Licet enim immemorabilis ✝ non possit probari per scripturas, potest tamen totaliter excludi quando per productionem alicuius tituli constat de initio cum nihil magis repugnet inter se, quam extare, &
3 non ✝ extare *Put. decis. 456. num. 2. lib. 2. Seraph. decis. 458. num. 4. Couar. in reg. possessor. 2. par. §. 3. ad finem Molin. de primog. Hispan. lib. 2. cap. 6. num. 45. 61. & 63. & in hac causa fuit firmatum coram R. P. D. meo Pirouano, & fusissimè in vna Conchen. Decimarum del Infantado 11. Martij 1616. coram R. P. D. meo Andrea & alias sæpissime.*

Quod autem constet de initio Iurispatronatus apparet ex eo quod ad iustificandum Iurispatronatus Vniuersitati competere,

tere, Procurator dictæ Vniuersitatis produxit coram primo Iudice non solum Bullam Alexandri confirmatoriam, sed concessionem ipsam factam ab Ordinario de consensu Archidiaconi collatoris inferioris prout in registro processus à fol. 63. vsque ad 80. in qua hæc verba leguntur,
4 quibus † Alcaido iuratis & Vicario Iuspatronatus 16. portionũ de consensu Archidiaconi rectoris tenore presentium concedimus) ex quibus verbis necessario sequitur ius nouum antea non inductum fuisse concessum *Felin. in cap. decernimus num.9. de iudic. fuit dictum in vna Ratisbonen. Canonicatus 23. Iunij 1617. coram R.P.D. meo Pirouano*.

Quod obseruantia optima interpres docuit dum omnes præsentationes & collationes factæ fuerunt secundum formam prædictæ concessionis, & cum relatione expressa ad ipsam quæ minimè suffragari potest huic Vniuersitati ad acquirendum
5 Iuspatronatus cum Episcopus † nõ potuerit istud priuilegium concedere, & Ecclesiam antea liberam subijcere seruituti sine causa, nec confirmatio Apostolica vltra narrata possit effectum sortiri, prout firmauit Rota in hac causa coram R. P.D. Pirouano, & clarè dicta verba concessionis id demonstrant, quia istud Iuspatronatus tunc demum ab Ordinario Vniuersitati conceditur postquam numerus Beneficiatorum erit reductus de 24. ad 16. verbum siqui-
6 dem † postquam denotat tempus futurum, & excludit omne tempus anterius *l, Aemilius ff. de minor. 25. annis Menoch. cons. 31. numer. 83. lib. 1.*

Nec displicuit Dominis alia ratio denegandæ remissoriæ desumptã ex eo, quod Vniuersitas in toto processu, prætendit & articulauit se habere Iuspatronatus vigore priuilegij confirmati per Alex. VI. & id non solum probauit, sed etiam producta fuerunt dicta testium in alio processu super hoc iure examinatorum, qui coarctant negatiuam, & deponunt Vniuersitatem nullum aliud ius habere, quàm pretensum
7 priuilegium, & ita denegatur † remissoria quando per productionem iurium & depositiones testium productorum contrarium fuit plenè articulatum & probatum vt ex multis cumulatis firmauit *Rota in vna Gienen. permutationis 10. Arilis 1617. corim me*.

Nec visum fuit obstare quod contra primum decisionis fundamẽtum dicitur Procuratorem Vniuersitatis ad alium finem, in alia causa, sine mandato speciali prædicta iura produxisse, & ita non potuisse tollere ius dictæ Vniuersitati, quæ probata imme-
8 moriali † posset allegare meliorem titulũ de mundo, & probatis continuis præsentationibus secundum formam à Sacro Cõcilio præscriptam victoriam causæ obtinere.

Hæ enim obiectiones facilè tolluntur, & primo in facto constat Gabrielem de Oteyca Procuratorem Vniuersitatis die 4. Septembris 2614. comparuisse coram Iudice & petijsse reuocationem inhibitionis, quę emanauerat ex eo quod non erat productũ Iuspatronatus nec sententiæ, & concludit se iura illa exhibere pro obtinenda moderatione inhibitionis, quia non est æquum, vt stante patronatu principales sua possessione priuentur, vt in processu fol. 67. exhibito Dominis.

Et licet ad alium effectum hę concessiones & priuilegia fuissent producta, non ideo sequeretur non probari, per instru-
9 menta † omnia, quæ in his directè seu indirectè continentur, *cap. cum olim 19. de censibus, & ibi clare Innoc. num. 5.* quem ad id allegat, & laudat *Abb. numer. 10. & 11. Mohed. decis. 1. de regular.* dicta siquidem
10 testium possunt diuidi, secus autem dicendum de scripturis quæ pro parte acceptari, & pro parte reprobari, qui eas produxit non potest. vt fuit consideratum *in vna Vlixbonen. Prioratus 11. Martij 1611. coram Reuerendiss. Sacrato*.

11 Nec visum fuit subsistere hæc iura fuisse producta in alia causa licet prius intentata fuerit lis super abusu presentãdi nã in limine huius causę articulatum fuit Iuspatronatus probatum & canonizatum per sententias in partibus Vniuersitate instan-
12 te latas, † & ab ipsa acceptatas, & quamuis in alio Iudicio productio facta fuisset cum sit inter easdem partes semper productio præiudicaret, *Bald. in l. 2. C. de edendo, & ibi scribentes Abb. in clerici n. 14. & ibi Felin. num. 17 de iudic. Caput dec. 190. lib. 1. par. 2.*

Prout non placuit Dominis quod dicitur productionem fuisse minus legitimè
13 factam per Procuratorem † sine mandato speciali, sufficit enim ad productionem validam mandatum generale ad lites, vt principali præiudicet, *Aym. cons. 40. num. 6. Roman. cons. 433. num. 10. Verall. decis. 193. n. 3. par. 1.* Tolliturque omnis scrupulus ex eo quod

qu od dicti Aleadus iurati & Vicarius sequenti die comparuerunt coram Iudice petendo restitutionem scripturarum dicto præcedenti productarum, vt in processu
14 fol.223.& in *Summ. num.*11. ex quo † actu videtur Vniuersitas approbasse productionem factam à Procuratore *l.vlt.Cod.de aliment.pupil.præstan.Tiraq.de præscript.glos.*4 *num.*59.*Seraph. decis.*700.*in princ. post Verall.decis.*133.*num.*3.*&* 4.*p.*1.

Nec etiam obstat, quod dicitur etiam si Iuspatronatus non spectaret ad Vniuersitatem propterea Ecclesiam non remanere liberam, quia vltra Alcardum & iuratos interuenit in præsentatione Cantor aliæq; personæ Ecclesiasticæ, & sic videretur dicendum non esse locum dispositioni Sacri Concilij, dum formam præscribit personis in quibus præsumitur vsurpatio ad probandum Iuspatronatus.

Responsum enim fuit ipsammet concessionem & Bullam Alexandri VI. apparere Ecclesiasticas, vna cum laicis insimul ius illud obtinuisse, & sic ipsi tanquam facientes numerum in Vniuersitate præsentant vt Vniuersitas, quo casu non excluditur præsumptio vsurpationis, nec posset hodie Cantor vna cum alijs Ecclesiasticis dictæ Vniuersitatis probare immemorabilē possessionem Iurispatronatus ipsis separatiuè competere, quia hoc esset incompatibile cum narratiua & dispositiua concessionis & priuilegijs, & in omnem euentū si Ecclesiasticis solis hoc ius competeret non excluderentur prouisi Apostolici stante regula reseruatoria.

15 Nec etiam obstat, quod ex † productione tituli oriatur confessio illius, sed non carentia alterius melioris, vt in *Constantien. Iurisdictionis coram Reuerendiss. Attrebaten.* ex supradictis enim tollitur obiectū & præcipuè ex verbis tituli producti vna cum obseruātia plusquam centenaria probata per testes & perscripturas vt fusius per informantes.

Quoad secundum articulum, in quo Vniuersitas articulat fundationem & constitutionem Ecclesię cum præsupposito, quod probari nō possit immemorabilis, vt superius firmatum est, facilis est responsio non posse stante dispositione Sacri Conc.Trid. cap.9. sess.25. admitti hanc probationem
16 per † testes sed requiri scripturas, *Seraph. decis.*1971. *num.*1. *fuit dictam in vna Auximana Iurispatronatus* 28. *May* 1593. *coram Illustriss. Millino*, alias quotidie fieret fraus dispositioni Sacri Concilij vt fuit cōsideratum in vna *Calaguritana de Viena* 1. *Iulij* 1615. *coram me*.

Quoad tertium articulum minus releuans videtur, dum probare vult Vniuersitas nouum Iuspatronatus ex dotis augmento, quia vnde hoc augmentum creuerit colligitur ex lectura concessionum, nec dicitur auctum de bonis prætensorum patronorum, si constat auctos fuisse redditus Beneficiatorum ex diminutione numeri, portionum vltra quod præsupponitur maiorem partem fructuum consistere
17 in decimis quas laici, qui nullum ius in his habere possunt nunquam præsumuntur donasse, *Rota apud Seraph. decis.*1387. *num.*2.*& decis.*1424.*num.*1. & si esset probatum augmentum dotis, non ideo Iuspa-
18 tronatus dictæ Vniuersitati esset quæsitum *glos.in cap. pia mentis in verb. patronum* 16. *quæst.Abb.cons.*59.*lib.*2.*Bero.cons.*4.*num.*26. *lib.*1.*Rota decis.*258.*par.*1.*diuers.cum multis allegatis, in vna Cæsaraugustana Parochialis coram R.P.D. meo Decano die* 6. *Nouembris* 1617.

Quo verò ad quartum articulum in quo articulatur vnum de beneficijs litigiosis non vacasse in mense Maij, vt concludenter probauit Guglielmus, sed in mense Iunij nullum fieri posse fundamentum ad obtinendam remissoriam, visum fuit, nam Vniuersitatis ratio habetur cum de inualiditate prætensi Iurispatronatus non dubitetur quoad eam nihil interest quocunque mense vacauerit, quoad Ordinarium
19 ipse † non potest impedire executionem litterarum Apostolicarum & adhunc effectum non potest esse legitimus contradictor, & petere remissoriam, vt fuit dictum *in vna Verdunen. Canonicatus coram Illustriss. Mellino die* 8. *Decembris* 1614. *& in Toletana Canonicatus coram Illustriss. Lancellotto* 11.*Ianuar.*1610.

Quo vero ad prouisum ab ipso Ordinario, quoad ipsum causa remanet merè beneficialis, & intrant omnes regulæ à Rota toties approbatæ, quod non detur remis-
20 soria † sine fumo stante probatione contraria facta per Guglielmum à Rota canonizata, vltra quod iste prouisus obtinuit collationem & institutionem lite in Rota pendente post inhibitionem intimatam in partibus, & reproductam in Curia, quo casu ipse non dicitur legitimus contradictor ad impediendam executionem litterarum Apostolicarum, idque tanto magis

quia prouisio † Ordinarij fuit facta postquam Papa quinque mensibus antea manum apposuerat, & ita ligatæ erant manus collatoris Ordinarij, vt fusius per informantes cum quibus transiuerunt Domini.

Et ita decisum.

PERVSINA EXPENSARVM.

*Veneris 2. Maij 1617.*

ARGVMENTVM.

Quæ expensa victori veniant reficiendæ.

SVMMARIVM.

1 *Expensæ litis debentur quando sententia transiuit in rem iudicatam.*

2 *Sententia in expensis condemnans recipit interpretationem passiuam à iure communi.*

3 *Expensæ litis sine diminutione debentur, quando pars iustam habuit causam litigandi.*

4 *In lite succumbens iure condemnatur ad expensas, & num. 5.*

6 *Litis expensæ quomodo taxentur.*

7 *Expensæ pro extractione instrumentorum non debentur nisi doceatur de solutione.*

DECISIO CLXXII.

Domini non dubitarunt debitas esse expensas à Colonello stante senten-
1 tia quæ transitum fecit in rem iudicatam, per quam reperitur condemnatus ad dictas expensas. Verum quia prædicta sen-
2 tentia † recipere debet interpretationem, passiuam à Iure communi ideo has expensas taxandas esse cum moderamine infra dicendo censuerunt.

Et primo distinguendo tempora visum fuit expensas factas tam in Sacra Consulta quam coram Illustrissimo Legato non esse taxandas, sed eas tantum quæ factæ repeRiuntur à die introducti Iudicij coram Gubernatore Perusiæ vsque ad diem solutionis actualis factæ per dictum Colonellum Gratianum vigore decreti Rotalis quæ integrè sine vlla penitus diminutione debē-
3 tur quia D. Hieronyma † iustam habuit causam litigandi, & petendi restitutionem dotis in numerata pecunia & non in tot bonis prout fuit in hac causa decisum *coram bon. mem. Penia 22. Iunij 1611.*

Nec obstat per sententiam Gubernatoris fuisse Colonellum absolutum ab expēsis, quia ab hac sententia merito D. Hieronyma appellauit, & causa commissa in Rota Gratianus Colonellus succubuit & ita
4 iure † condemnatus fuit ad expensas, *l. properandum §. fin. C. de iudicijs.*

Quo vero ad expensas factas in Rota, post solutionem actualem, quia D. Hieronyma petijt alimenta quæ non obtinuit & Balthasar interuenit in causa; ideo hæ ex-
5 pensæ sunt defalcandæ secundum relationem faciendam à perito Notario.

In taxatione autem facienda visum fuit
6 DD. standum esse notulæ Notarij Rotalis & Gubernatoris Perusiæ in re spectante ad officium quoad productionem actorum & instrumentorum; & expensis in primo iudicio factis, sed quoad instrumenta producta quæ sunt extracta ab Archiuio, seu Notarijs si velit Hieronyma Salaria per ip-
7 sam soluta repetere † tenetur de solutione docere, quod non fecit prout testatur Notarius dicti Gubernatoris.

Et ita decisum vtraque parte informante.

ROMANA RETRACTVS, SEV PRAELATIONIS.

*Lunæ 2. Aprilis 1618.*

ARGVMENTVM.

Censuario licet ante Bullam sanct. mem. Pij Quinti receptum esset non competere retractum, tamen hodie secus est: Bulla fel. rec. Gregorij XIII. super retractu, vt habeat locum quæ requirantur, vicino vt competat retractus, quid nam probare teneatur.

SVMMARIVM.

1 *Censuario si competit ius prælationis in emptione rei censuatæ, intrat multo magis retentio.*

2 *Census emptus post litem motam an suffragetur ad effectum prælationis.*

3 *Censum antiquiorem habens in re est præferendus alijs in emptione eiusdem rei.*

4 *Censum nec aliam seruitutem quis habere nequit in re propria limita, nu. 5. & 6.*

7 *Hypotheca non extinguitur per acquisitionem domi-*

*dominij rei factam reuocabiliter* ...
8 *Census quando reuiuiscat.*
9 *Census nullitas à quo sit allegandа.*
10 *Ius prælationis inter censuarios an competat illi qui habet censum maioris quantitatis, & num. 17.*
11 *Prælatio in materia census in quo sit fundata.*
12 *Retractus si competat consortibus an ille sit præferendus, qui habet maiorem partem, & num. 13. & 14.*
15 *Anchar. cons. 370. in quo casu loquatur.*
16 *Statutum si simpliciter loquatur, non est trahendum ad casum mixtum.*
17 *Inter priuilegiatos magis priuilegiatus præferendus venit.*
19 *Prælatio in concursu debetur ei qui agit de damno vitando.*
20 *Item illi cuius assistit ius commune sublato priuilegio.*
21 *Vincula duo magis ligant, & quomodo regula procedat, num. 22.*
23 *Vicino de iure communi non competit retractus.*
24 *Bulla Gregorij XIII. super retractu loquitur abrogatiuè ad constitutiones præcedentes.*
25 *Bulla Gregorij XIII. super retractu, vt sit locus probandæ sunt eius qualitates.*
26 *Vicinus si non probet omnia requisita ad formam Bullæ super retractu, nullum ius prætendere potest ex quo d. Bulla dicitur exorbitans à iure communi.*
27 *Iudicio illius Tribunalis in quo aliquis articulus sæpissimè ventilari solet multum deferendum est.*
38 *Lex trahitur ad futura.*
29 *Bulla sa: me: Pij V. super prælatione concessa censuarij, quatenus dicatur habere oculos retro.*
30 *Censuarius in re censuata non potest dici verè condominus, & ideo ante Bullam Pij V. non competebat ius retractus.*
31 *Census Dominus quod alij sit præferendus est valdè consonum iustitiæ, ac equitati.*
32 *Lex si procedat per viam declarationis comprehendit etiam præterita.*
33 *Census non potest dici qood sit validè creatus, licet adsit aliquod pactum, quod non repugnet eius substantiæ.*
34 *Census substantia in quo consistat.*
35 *In census constitutione quatenus adessent aliqua pacta contra eius naturam, tunc non contractus, sed ipsum pactum annullatur.*

## DECISIO CLXXIII.

DOMINI censuerunt sororibus obstare censum emptũ per Iosephum quia sicuti ex priuilegio prælationis vigo-
1 re Bullæ san: mem: Pij V. domino † census competit actio, ita & multo magis retentio *l. per intentionem, C. de vsur. Surd. dec. 253. num. 1. & decis. 277. num. 13.* & in terminis tenuit *Rota in causa Romana Vineæ 26. Iunij 1609. coram Illustrissimo D. Cardinali Ludouisio.*

2 Non obstat censum fuisse emptum post litem motam, quia hoc obiectum fuit sublatum in alia decisione facta ad fauorem sororum *ex Oldrad. cons. 299. num. 3. Gabr. de iudic. concl. 4. num. 40. & alijs ibi allegatis.*

Non obstat mulieres peruenisse in emptione alterius census, & in illius oppositione per litis contestationem, quia placuit responsio talem preoccupationem non debere attendi cõtra Iosephum reum, & possessorem, qui ratione dicti census anterioris dicitur habere ius antiquius, & propte-
3 rea † præferendus, *Bart. in l. si pluribus n. 1 vers. si vero non, ff. de legat. 1.* & post alios in his terminis *Rota decis. 475. num. 14. & seq. par. 1. diuers. & fuit dictum in Neapolitana Monasterij Lunæ 29. Aprilis 1602. coram Illustriss. D. Card. Lancellotto.*

Non obstat Iosephum de tempore emptionis huius census fuisse dominum huius vineæ, & sic non potuisse acquirere censum nisi extinctiuè, cum nõ possit quis
4 habere † censum, nec aliam seruitutem in re propria, *Seraph. decis. 872. num. 3. & fuit dictum in Romana domus Mercurij 22. Iunij cora Illustriss. D. Card. Lancellotto.* Quia placuit respõsio obiectum non procedere
5 quoad ius † retentionis, & conseruationis rei possessæ ad quem effectum Iosephus dictum censum emit ne alias efficiatur deterioris conditionis, *l. 1. C. si antiq. credit. & ibi gloss. in verbo obtuleris, & in l. qui à debitore, ff. qui potior. in pign. habe. Capic. decis. 43. num. 4. & seq.* & in terminis post alios *Franc. decis. 550. à num. 4. ad 8.* Ma-
6 ximè quia census fuit † emptus pendente lite super reuocatione dominij ex parte sororum quo casu sicut nec de iure hypo-
7 theca † extinguitur, quia acquisitio dominij vineæ dicitur facta reuocabiliter, *l. ex sextante, §. latinus, & ibi Bart. ff. de except. rei iudic. late Negus. de pignor. 5 par. 1. mem. num. 55. Afflict. decis. 277. num. 5. & ibi Vrsil. num. 2.*

*fil.8.nu.2.* ita nec cenfus ad effectum prælationis,cum & in cafu quo forores effent præferendæ in emptione huius vineæ cen-
8 fus ifte reuiuifceret ad fauorem Iofephi ad effectum agendi, quia extinctio tunc prouenit folum ratione incompatibilitatis, vt tenuit *Rota coram Seraphino dicta dec.*872. *fub num.3.in Romana cenfus* 29.*Febr.*1612. *coram R.P.D.meo Pamphilio, in Romana refciffionis inftrumenti Vener.*18.*Martij* 1616. *coram R. P. D. meo Vbaldo, & in Veliterna cenfus Lunæ* 20. *Iunij* 1616. *coram R. P. D. meo Decano.*

Non obftant emptionem vineæ fuiffe nullam ob non feruatam formam Bullæ Pij Quinti, quia hoc fundamento admiffo magis compatibile redditur priuilegium prælationis cum tunc cefferet fundamentum fupradictum, quod Iofephus fit dominus, & cenfuarius, fed nihil officit,quia
9 fimilis nullitas poterat allegari à domino cenfus venditi Iofepho,& ficut ille potuiffet vigore d. Bullæ agere, ita & Iofephus ex deductis in alia decifione.

Nec obftat cenfum fororum effe maio-
10 ris quantitatis,& ideo præferendas *ex Anchar.conf.*370. & alijs allegatis; nam vltra quod fimile non vifum fuit benè propor-
11 tionari, cum prælatio refpectu cenfus fundata in præexiftenti vinculo, & iure quod acquifiuit cenfuarius fuper re cenfuata, quo cafu eft locus regulæ, *l.2. qui potior.in pignor.hab. Magon. decif. Floren.* 9. *num.*1. *Seraph. decif.*187.*num.*1. & in terminis retractus *Ruin.conf.*26.*num.*12. *verf.ideo contra tertium lib.*4. *Rota diuerf.decif.*475.*n.*14 *par.*1. *& in d.Neapolitana coram Illuftriffimo Lancellotto.*

Placuit, & Dominis refponfio non effe
12 attendendam maiorem partem, quia & in retractu competente confortibus, ita firmauit per illum tex. *Bald.in l.*1.*nu.*5.*verf. non obftat quod fi alius, C.de comm. feru.manum. Ruin.conf.*27.*num.*5. *&* 12.*lib.*4. vbi optimam affignat rationem, quod cum
13 vnus ab altero non differat, nifi per plus, & minus, & fic non fpecie *l. fin. ff. de fund. inftuct.* non poteft tunc dici priuilegium
14 vnius potentius altero, quia in fubftantia inter fe non differunt,alios refert *Tiraq.de retract. lign.* §.11.*glof.*6. *num.*11.*& nu.*17. optimè obferuauit *Flor. de S. Petr. inter conf. Anchar.* 371. *& ipfum Anchar. dicto*
15 *conf.*370. † loqui in ftatuto difponente, quod in alienatione rei præferatur confors confanguineus patrimonialis, & eo cafu firmarunt eum præferendum, qui habebat has duas qualitates, & infimul maiorem partem alteri conforti, qui non habebat illam qualitatem confanguinei patri-
16 monialis, vnde non pofsunt trahi ad difpofitionem ftatuti fimpliciter præferentis confortem, quia tunc vt fenfit *idem Floria. fub num.*3.*verf. nam fecunda ratio*, non eft
17 ratio præferendi eum,qui habet maiorem partem, & hanc opinionem veriorem, dicit *Decian. refp.* 15. *num.*5 1.*verf.non obftat quartum lib.*4.

Et hoc cafu multo minus cenfuerunt Domini pofse habere locum obiectum prædictum, quo & Iofephus vltra maiorem antiquitatem cenfus eft in pofseffione vineæ ob quam in paritate priuilegijs ef-
18 fet præferendus,*cap.in pari de reg.iur.in* 6. *l.fi ferui,* §.*de illo, ff.de verb.fignif. l.fi minor. la* 2.*ff. de minor. Anchar. d.confil.*370. *num.*1. *verf.& videtur quod non. Ruin.dicto conf.* 27. *num.* 12. *latè Franc. decif.* 550. *à*
19 *num.*12. *ad fin.* & agit de damno vitando *Alex.conf.*85.*num.*18.*lib.*5. *Couar. in regul. poffeff.* 2.*part. relat.* §.2. *num.*4. *de reg. iur. in* 6. *Menoch.conf.*447.*num.*37.*lib.*5. *Rota*
20 *diuerf.decif.*557.*num.*1. *par.*1. & illi adfiftit ius commune fublato priuilegio,*Luc. de Penn. in l.*4. *C.de filent. lib.*12. *Decian. d. refponf.*15. *num.*1. *verf. primo quia abfoluendo, Rota diuerfor. decif.*557.*n.*2. *part.* 1. Vnde pro ipfo optimè intrat *reg. textus in auth. de confanguin. & vterin. fratr.* §. 1.
21 quod duo vincula magis ligant, quam regulam in his terminis deducunt, *Floria. d.conf.*371.*num.*3. *verf.fed magis, Dec conf.* 619. *num.*7. *Decia. refp.*15. *num.*26. *verfic. nam duo vincula, Rota diuerf. dec.*475.*n.*14. *verf. ius enim, & num.*15.

Nec vifum fuit forores pofse eadem regula iuuari dum vltra priuilegium cenfus dicunt fe habere priuilegium vicinita-
22 tis, nam regula procedit quando alterũ vinculum, eft paris potentiæ, & effectus, alias enim ftrictius ligare non poteft,*Bald. in l.*1. *fub num.*3. *C. de legit. hæred. Ruin. conf.*32. *num.*6. *lib.* 3. *Bero. conf.*96. *num.*8. *& feqq. vol.*2. *Surd. conf.*31.*num.*35. *lib.*1.
23 De iure verò communi ratione vicinitatis non competit retractus *l. dudum, C.de contrah. empt. Anchar. d. conf.* 370. *&* 371. *in princ. Dec.conf.*222.*fub num.* 1. *Decia.loco alleg. Rota d. decif.*475.*ante num.*1. *verf. mouebat dominos*, & fuit fæpiffimè decifum & fignanter *in Romana iuris congrui* 5. *Iunij* 1600.*coram R.P.D.meo Decano.*

Vigore

Vigore autem constitutionum non competit nisi ratione constitutionis Gregorij
24 Decimitertij, quæ loquitur abrogatiuè ad constitutiones præcedentes Summ. Pontif. & ad ius commune, sed vt sit locus dictæ
25 constitutioni requiruntur qualitates expressæ in §. *rusticis quoque prædijs*, nempe quod vinea retrahentis sit maioris precij, & quantitatis, ac ædificiorum structuris magis conspicua, hisque omnibus vineam retrahendam tantoperè superare vt magna inter vtramque adsit inæqualitas. Has autem omnes qualitates dum non probarunt
26 sorores cessat priuilegium ratione vicinitatis cum simus in constitutione exhorbitante à iure communi, *gloss. fin. in Clemen. fin. de rescript. Corn. cons. 165. num. 2. vers. & qui se fundat lib. 3. Granett. in resp. pro genero num. 31.* in his terminis *Dec. cons. 221. num. 1. vers. & ad hoc*, vt habeat locum est alijs cumulatis per *Tiraq. de retract. lign. §. 8. gloss. 7. num. 1. & seq.* Quæ omnia facilius procedunt ex rationibus deductis in decisione facta in Camera coram R. P. D. Biscia die Lunæ 22. Iunij 1615. cui iudi-
27 cio ✝ Cameræ in decidenda quæstione quæ sæpissimè ventilari solet in illo Tribunali multum deferendum esse Rota censuit.

Non obstat Bullam Pij V. non facere nisi Dominis censuum creatorum post Bullam
28 ex regula vulgari, quod lex trahitur ✝ ad futura, quia Domini dixerunt hoc esse verum respectu venditionum, vt illę debeant fieri post Bullam, sed respectu Dominorũ censuum, quibus hoc priuilegium fuit cõcessum, sufficit quod sint domini censuum de tempore retractus faciendi, nec debet
29 attendi ✝ de quo tempore fuerint effecti tales Domini, cum Bulla ad hoc non respiciat, quia non est maior ratio quare Papa voluerit date ius prælationis Dominis censuum creatorum post Bullam, quam ante Bullam, vbi fuit seruata forma dictæ Bullæ, *Roman. cons. 333. num. 2. & 3. Soccin. iun. cons. 21. num. 1. vers. siue etiam consideremus mentem & rationem, & num. sequen. lib. 1.*

Deducebatur etiam, quod cum ante Bullam controuerteretur an domino censfus competeret ius retractus, & receptam
30 esset non competere, quia dominus ✝ census nõ potest dici verè condominus, sed solum habens ius separatum, *Seraph. dec. 794. num. 7. Rota apud Pacif. decis. 187. numer. 2.* Dum Pius V. in d. Bulla contrarium statuit cum iustitiæ, & æquitati valdè consonum
31 num videretur, vt dominus ✝ census esset præferendus ex rationibus latè deductis per *Francis. Leon. in thesaur. Fr. Eccl. par. 2. cap. 15. num. 33. & seqq.* talis constitutio in
32 hoc tamquam declaratoria comprehendit census antea creatos *Felin. & Dec. in cap. fin. de constit. Menoch. cons. 792. num. 8.*

Non obstat hunc censum emptum à Iosepho non fuisse creatum iuxta formam
33 Bullæ, stante pacto anticipatæ solutionis; nam dictum pactum, non repugnat sub-
34 stantiæ contractus, ✝ quæ consistit in his vt census sit impositus super re immobili in pecunia numerata iusto pretio, & cum pacto redimendi quandocumque pro eodem pretio, *Surd. cons. 318 num. 27. vers. sic. in censu autem substantiale est*, quæ omnia concurrunt in hoc censu, & propterea in
35 omnem euentum dictum ✝ pactum annullaretur, *Couar. variar. resolut. lib. 3. cap. 8. num. 7. vers. verum ex eo, Rota diuers. decis. 500. num. 2. vers. si vero pacta*, & fuit sæpissime decisum, & signanter in terminis anticipatæ solutionis fuit dictum *in Bonon. Census 26. Iunij 1600. coram bo: me: Card. Pamphilio.*

Vnde ex hoc Iosephus non potest dici exclusus à priuilegio retractus, quod fuit concessum censuarijs propter ius, quod habent in re censuata et præferantur extraneis, non autem ex mero priuilegio in fauorem eorum qui crearent census iuxta formam Bullæ.

Et ita post plures propositiones causa discussa vtraque parte informante Domini resoluerunt sororibus obstare censum.

## ROMANA CANONVM.

*Veneris 25. Maij 1618.*

## ARGVMENTVM.

Domus si expresse sit vendita cum onere soluendi canones tunc emptor tenetur ad illarum solutionem: Dominium quando deducitur incidenter qualiter probetur: obligatio cameralis quæ comprehendat.

## SVMMARIVM.

1 *Confessio probat tam contra confitentem, quam illius heredes, & successores.*
2 *Emptor domus tenetur ad solutionem canonis si expresse fuit vendita cum tali onere.*
3 *Dominium quando deducitur incidenter ad effectum*

*effectum solutionis canonis probatur leuioribus probationibus.*

3 *Creditum debetur via executiua quando est obligatione camerali vallatum.*

5 *Obligatio cameralis extenditur ad omnia in instrumento enunciata, & promissa.*

6 *Hares si pratendat, quod creditum defuncti ad eum spectet debet iustificare quod aduenerit hareditatem.*

## DECISIO CLXXIV.

Domini censuerunt deberi canones hæredibus Annæ à Dominis de Benedictis, quia instrumento acquisitionis domus factæ per Equitem Ioannem Baptistam illorum auctorem non solum ipse asseruit domum esse grauatam onere canonis
1 sc.18. ad fauorem d. Annæ quæ † confessio probaret debitum tàm contra ipsum confitentem, quàm illius hæredes, & successores, *Socc. cons.13. col.2. circa medium, & cons.82. col. 2. ante med. lib. 3. Crauett. cons.217.num.7. & 8.* sed etiam domus ex-
2 presse vendita fuit, cum † onere soluendi dictum canonem Annæ, *Roman. cons.311. num.1. vers. hoc tamen, & seq. latè post alios Surd.decis.10. num.14. vers. pratera.*

Et confessioni prædictæ accedunt deducta coram bon. mem. Penia in hac causa Veneris 13.Octobris 1595. quæ licet tunc maiori parte visa fuerint Dominis non sufficere ad probationem dominij principaliter ad effectum deuolutionis tamen bene possunt deseruire incidenter ad effectum solutionis canonis, quo casu sufficiunt leuiores probationes, *DD. in l.iudicia. C.de rei vindicat. Caputaq. decis. 280. & 298. part.1. fuit dictum in Romana proprietatis vinea 18.Iunij 1601. & 9. Decembris 1602. coram bon. mem. Card. Pamphilio*, & aliàs sæpissime.

4 Deberi etiam dictos canones via executiua firmarunt Domini ex eo quia in dicto instrumento adest obligatio cameralis,
5 quæ extenditur † ad omnia in instrumento enunciata, & promissa, & sic ad solutionem huius census, cuius onus expressè acceptauit ipse emptor, *Rota diuers. decis. 246.num.2. decis.741. & 797. nu.11.par.1. & apud Zacch. decis.61. num.2. & 3. & decis.69.num.3. & 4.*

Dixerunt autem DD. deberi canones hæredibus Annæ non autem D. Antonio Francisco, qui illos prætendit vti hæres
6 hæredis Annæ, † quia ex iuribus per ipsum datis non visum fuit benè iustificatum aut ipsum, aut eius patrem hæreditatem Annæ aduenisse, & sic non deficit ius, sed probatio.

Verum quia pro parte DD. de Benedictis opponebatur exceptio præscriptionis propterea resolutio fuit facta canones deberi hæredibus Annæ via executiua nisi obstet præscriptio de qua particulariter erit videndum.

Et ita conclusum vtraque parte informante.

## VALVEN. PARROCHIALIS.

*Lunæ 25. Iunij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Manutentio debetur possessori, & quando possessio probetur per instrumentum locationum iuncta fructuum perceptione.

### SVMMARIVM.

1 *Manutentio datur ei de cuius possessione constat de tempore mota litis.*

2 *Possessio instrumentalis sufficit alio non existente in possessione ad effectum manutentionis.*

3 *Possessio prasumitur continuata vsque ad diem mota litis, nisi de contrario doceatur.*

4 *Locationum instrumenta non probant possessionem nisi alia adminicula concurrant.*

## DECISIO CLXXV.

Domini dixerunt dandum esse manu datum de manutenendo Thomę Fan-
1 tuccio † de cuius possessione constat de tempore motæ litis, *S.retinenda instit de interdict. l. 1. & 2. ff. vti possidetis cum similibus.*

Et licet constet solum de possessione instrumentali Thomæ capta die 25. Februa-
2 rij 1602. ea tamen † sufficit alio non existente in possessione ad effectum manutentionis, *Menoch. remed.3. retinenda nu. 575. Rota diuers. decis.506. num.1. par.1.* & fuit millies decisum.

3 Et hæc quidem † possessio præsumitur continuata ab illo tempore vsque ad diem motæ litis nisi de contrario doceatur, *glos. & DD. in l. fine possidetis, C. de probat. Abb. in cap. accedentibus circa fin. de priuileg. Cenar.de reg. possessoria par.2. §. 1. in princip. Rota apud Seraph.decis.983. & 1154.num.4.*

Et

Et quod omnem difficultatem tollere, visum fuit illud est ipse Thomas de nouo paulò ante litem motam exhibet instrumentum possessionis captæ die vltima Septembris 1614. cum locationibus factis de anno 1616. vna cum perceptione fructuum & recognitione colonorum, vnde intrat
4 regula, quod † instrumenta locationum, quæ sola non probant possessionem, *cap. inter dilectos de fide instrum.* cum sint adminiculata, vt in hoc casu satis probant, *Bart. in l. ad probationem, C. locati, Soccin. cons. 11. num. 4. lib. 3. cum alys fuse allegatis in decis. Seraph. 896. num. 2.*

Et ita decisum vna parte informante in maximam contumaciam Pomponij Sabbatini sæpiùs citati.

## BONONIEN. INDEMNITATIS.

*Mercury 6. Iuny 1618.*

### ARGVMENTVM.

Solemnitates statutariæ an sint necessariæ in compromisso facto per minorem. Statutum Bonon. de arbitr. lib. 2. in quibus casibus loquatur: minor an teneatur seruare solemnitates statutarias in actu necessario.

### SVMMARIVM.

1 *Solemnitates statutaria non requiruntur in compromisso, & alys actibus necessarys factis à minoribus.*
2 *In compromissis minorum non requiruntur solemnitates statutaria.*
3 *Statutum Bonon. de arbitr. lib. 2. disponit vt impuberes minores 14. annorum non possint compromittere.*
4 *Statutum Bonon. de arbitr. lib. 2. loquitur in arbitratoribus, non in compromisso, prout de iure.*
5 *Minor in compromisso an ladi possit.*
6 *Compromittere est species alienationis.*
7 *Minor quando facit actum necessarium non requiruntur solemnitates statutaria, prout in alys contractibus.*
8 *Amplia quando accessisset decretum Iudicis.*

### DECISIO CLXXVI.

DVÆ nullitates fuerunt oppositæ contra laudum de cuius executione agitur, quarum prima est, quod Antonius auus paternus compromiserit, & acceptauit laudum absque interuentu Georgij, & fratrum minorum, secunda quod dicta acceptatio cum consignatione possessionis seù prædij, de quo agitur fuerit facta sine decreto Antianorum iuxta statuta Bononiæ.

Sed prima fuit sublata, ex eo quod istæ
1 solemnitates † statutariæ non requiruntur in compromisso, & alijs actibus necessarijs *Benint. decis. 21. num. 11. & seq. Put. decis. 105. num. 3. & 4. lib. 1. Rota diuers. dec. 867. num. 5. par. 3.*

Non obstat statutum Bonon. de arbitr. lib. 2. in fin. vers. saluo, in quo cauetur,
2 quod impuberes minores 14. annis non possunt compromittere, quia statutum loquitur in arbitratoribus, non autem in cō-
3 promisso, prout de iure, in hoc enim posteriori casu intrat necessitas solutionis, quatenus de iure, in primo verò minor
4 potest lædi, & ideo à statuto iure meritò fuerunt exclusi tales minores cum esset
5 hæc quædam † species alienationis, vt etiam benè distinguit *Benintend. dicta decis. 21.*

Secunda nullitas cessat ex prædictis, quia huiusmodi decretum non erat neces-
6 sarium cum ista assignatio non esset voluntaria, vt per *Benint. dicta decis. 21. num. 8. Lamberteng. de contran. mulier. glos. 1. nu. 2.* maximè quia loco talis decreti interuenit
7 decretum Auditoris Illustrissimi Legati ad id specialiter deputati ab eodem Legato cum derogatione expressa dicti statuti.

Et ex his ita decisum.

## CASTREN. AFFICTVS.

*Mercury 4. Aprilis 1618.*

### ARGVMENTVM.

Obligatio facta à filio nomine patris quando censeatur ratificata à patre.

### SVMMARIVM.

1 *Obligatio facta à filio nomine patris non est exequenda contra patrem, nisi constiterit de eius ratificatione.*
2 *Ratificatio ad hoc vt inducatur, requiritur specialis, & indiuidua scientia, & notitia ratificantis, qua non sit aquiuoca.*
3 *Ratificatio obligationis facta à filio nomine patris, desumitur si pater det cedulam bancharia pro solutione quando de alia obligatione non constat, & non sunt diuersi actus*

*actus ex quibus colligatur d. ratihabitio.*

4 *Obligatio cameralis non admittit exceptionem requirentem altiorem indaginem.*

5 *Mandatum non relaxatur nisi constet procuratorem citatum habere sufficientem mandatum procuræ, & sufficit quod illud habeat ad vniuersitatem causarum.*

6 *Mandati procuræ acceptatio limitata quando est procurata, non potest suffragari principali.*

## DECISIO CLXXVII.

DOMINI steterunt in decisis ex iisdemmet rationibus contentis in decisione coram me in hac causa facta die 13. Iunij proximè præteriti non obstantibus obiectionibus pro parte Domini Marij factis.

1 Et primo non obstat, quod dicitur obligationem factam à filio nomine patris, non esse exequendam contra patrem, nisi prius constiterit patrem ratam habuisse dictam obligationem, de quo expressè non constat, quia non exhibetur vllum instrumentum ratificationis, nec etiam tacite, quia non docetur de speciali, & indiuidua scientia, & notitia patris, quæ non 2 sit æquiuoca, prout requiritur ad inducendam ratificationem, *Paris. cons. 197. nu. 14. Natt. cons. 162. n. 33. Dec. cons. 5. n. 26. Surd. cons. 128. num. 28.*

Placuit enim responsio obiectum cessare ex ratificatione subsecuta quæ colligitur ex diuersis actibus, & signanter ex mandato procuræ eiusdem Raynutij in quo fatetur se teneri præstare, seu renouare cedulam bancariam pro solutione affictuum, 3 quæ verba eum importent obligationem, propterea ex titulo præcedenti vigore obligationis filij videtur desumenda ratihabitio, ex quo de alia obligatione non constat, *l. quædam mulier in fui ratione, ff. de rei vindicat. cum alijs allegat. per Becc. cons. 6. num. 6.* accedente præterea natura societatis contractus, & immixtione eiusdem Raynutij, quæ omnia simul iuncta possunt substinere actum in vim secutæ ratificationis.

Consideratum etiam fuit instrumentum huius declarationis participationum, & releuationis fuisse initum successiuè, & incontinenti coram eodem Notario, & iisdem testibus eadem die, & hora, & momento, quo fuit celebratum instrumentum affictus per eumdemmet filium, nec vlla ratio subest cur Pater scientiam habuisse dicatur de dicto instrumento affictus, & non de alio illico celebrato, quæ scientia satis inducitur ex instrumento releuationis banchi pro cedula primi triennij à D. Sauino præstita, & à D. Raynutio expressè ratificata vbi dicit se notitiam habere de omnibus gestis à filio, quibus omnibus et alijs per Informantes pro Sauino in facto congestis visum fuit DD. scientiam ad inducendam ratificationem sufficienter esse probatam stante maxima æquitate quæ pro Sauino militat.

Neque obstat secunda obiectio quam Informantes contra decisionem faciunt dum dicunt Sauinum administrasse per quinquennium omnes pecunias redactas ex affictu ex quibus potuit satisfacere non solum paghis affictus maturatis, sed maturandis, placuit enim responsio hoc iudicium pendere ex calculo dando pro parte Sauini, & requirere altiorem indaginem, & sic 3 non esse retardandam executionem obligationis cameralis.

5 Nec obstat denique non posse relaxari mandatum, quia non constat de mandato procuræ sufficienti pro parte Raynutij, vi- 6 sum enim fuit sufficiens mandatum factum à D. Raynutio in personam Cardini ad vniuersitatem causarum, quod est in actis quod fuit ab ipso Cardino simpliciter ac- 7 ceptatum, nec hodie procurata recusatio acceptationis limitata Raynutio potest suffragari ad effectum de quo agitur argumento, *cap. licet de procurat. in 6.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CASTREN AFFICTVS, SEV RESIDVI CEDVLAE.

*Mercurij 4. Iulij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Quando non liceat ad vlteriora procedere in executione, seu relaxatione mandati pro solutionibus maturatis attenta exceptione damnorum & interesse passorum per Conductorem.

### SVMMARIVM.

1 *Executioni non est locus in summa relicta in suspenso, durante eadem causa suspensionis.*

2 *Probatio ex quibus datur fumus damnorum & interesse sufficit ad effectum retardandæ relaxationis mandati executiui.*
3 *Causa suspensionis durante durat & effectus suspensiuus.*
4 *Executio obligationis cameralis non retardatur pro damnis & interesse non liquidatis.*

## DECISIO CLXXVIII.

VISUM fuit Dominis non esse procedendum ad vlteriorem executionem pro residuo cedulæ ascendente ad sc. 666. ea maximè ratione quia A. C. dum relaxauit mandatum contra Sauinum pro pagha maturata mense Martij 1617. reliquit in suspenso dicta scuta 666. propter exceptionem damnorum & interesse prætensorum per Sauinum, & hodie eadem causa suspensionis militat qua stante nō est
1 locus † vlteriorj executioni, sed debet remanere in suspensa dicta summa scutorum 666.

Non enim constat D. Marium adhuc pro parte sua adimpleuisse remouendo impedimenta præstita per Reu. Cam. Apost. liberæ extractionis grani prout ipse præcise tenebatur & vlterius Sauinus multa cōgessit ad instificanda damna & interesse ad quæ præstanda teneri D. Marium iam Rota iudicauit, quæ licet non sufficiant pro re-
2 quisita liquidatione, † sufficiunt tamen pro fumo ad effectum retardandæ relaxationis mandati executiui petiri.

Neque obstat susceptio termini per Sauinum pro traditione cedulæ, quia pro decursis non fuit data cedula, nec est danda, sed pro decurrendis, & hæc scuta 666. fuerunt suspensa licet debita pro pagha iam maturata de mense Martij 1617. & quous-
3 que Sauinus liquidauerit damna & interesse vel per eum steterit quo minus ea debito tempore legitimè liquidauerit durante eadem causa suspēsionis debet etiam durare effectus suspensiuus.

4 Nec denique obstat † pro damnis & interesse non liquidatis nunquam retardari obligationis Cameralis executionem fuit enim responsum eodem vinculo obligationis Cameralis astringi D. Marium ad præstandam liberam grani extractionem, vel in casum non adimplementi teneri ad damna & interesse ad fauorem Sauini quo ipse Sauinus tenetur soluere pretium aftus & dare cedulam pro paghis decurrendis.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA MANVTENTIONIS.

*Mercur. 4. Iulij 1618.*

### ARGVMENTVM.

Manutentio quando debeatur contra sententiam Iudicis notoriè nullam, & iniustam.

### SVMMARIVM.

1 *Manutentio datur ei de cuius possessione constat de tempore motæ litis.*
2 *Confessio in libello emissa præiudicat ad effectum manutentionis.*
3 *Manutentio frustra petitur contra possidentem authore prætore nisi constet de nullitate sententiæ, & n. 5. 6.*
4 *Iudex nulliter & iniustè procedens non priuat detentorem sua possessione.*
7 *Citandi sunt filij licet repudiauerint hæreditatem quando sunt vocati vti filij, non vti hæredes in emphyteusi.*
8 *Vxor pro suis dotibus potest prætendere hypothecam super re emphyteutica ex statuto.*

## DECISIO CLXXIX.

CONCLVSVM fuit pro Lucia informante, ipsi videlicet & filijs dandū esse mandatum de manutenendo in posses-
1 sione domus de qua agitur, quia † de eius possessione constat de tempore motæ litis, §. *retinendæ instit. de interd. l. 1. & toto ff. vti possidetis.*

Possessio autem Luciæ & filiorum satis iustificatur ex confessione creditorum Nicolai mariti contenta in libello in quo petierūt immitti in possessionem medietatis d. domus spectantis ad dictum Nicolaum debitorem possesse per dictam Luciam seu eius
2 filios, quæ † confessio ipsis creditoribus ad hunc effectum præiudicat, *l. cum precum C. de lib. causa cum vulgaribus, & multoties fuit Rota firmatum.*

Nec obstare visum fuit maximum creditorum fundamentum dum dicunt Luciā & filios fuisse priuatos tam ciuili quam naturali possessione per sententiam Iudicis, & man-

& mandatum in vim Saluiani relaxatum & executioni demandatum, vnde frustra
3 petitur † manutentio contra creditores, qui authore prętore possident, *l. iustè possidet, ff. de acquir. possess. cum vulgaribus*.

Responsum enim fuit hanc regulam nō procedere quotiescumq; apparet Iudicem nulliter & iniustè processisse quo casu non
4 priuauit detentores sua possessione, *l. fin. C. si per vim l. 4. §. condemnatū ff. de re iudic. l. fin. C. comminatione epistol. Abb. in cap. conquerente n. 8. de restit. spol. & fuit millies decisum*.

5 Et licet † Rota non temerè admittat petentes manutentionem contra immissos authoritate Iudicis ex rationibus fusè deductis in *Romana de Bocabellis coram Reuerendiss. D. meo Sacrato*, toties à Rota canoni-
6 zata limitatur tamen hæc † regula quando vt in hoc casu constat de notoria nullitate sententiæ, cum Lucia non fuerit legitimè citata de cuius interesse ratione dotis apparet ex protestationibus & petitionibus coram Iudice factis ab ipsa Lucia, nec etiā filij vt constat ex reuolutione actorū quos maiores fuisse annis viginti probatur per fidem Parochi.

Nec potest inseruire citatio facta contra curatorem hæreditatis iacentis licet enim filij repudiarint hæreditatem paternam
7 erant † citandi quia de eorum interesse notabili constat cum sint vocati vti filij nō vti hæredes in Inuestitura emphyteutica domus de qua agitur.

Multa etiam deducuntur ab informantibus pro Lucia, quæ percutiunt iniustitiā immissionis, quæ multum videntur stringere, non subsistere scilicet impositionem census super domo emphyteusi Ecclesiasticæ & competere retentionem Luciæ pro
8 suis dotibus, † quæ stante statuto potest prætendere hypothecam super re emphyteutica.

Quæ dicuntur de clausula apposita in commissione à Signatura sine præiudicio legitimæ executionis visa sunt tolli ex facto.

Et ita decisum.



ROMANA CENSVS.

*Mercurij 4. Iulij 1618.*

ARGVMENTVM.

Census vt validè dicatur constitutus quæ requirantur & ad effectum illius extinctionis qualis actus sit necessarius.

*SVMMARIVM.*

1 *Census extinctio requirit vel actualem pretij numerationem.*
2 *Vel actum similem numerationis pecuniæ.*
3 *Pactum resolutiuum etiam cum clausula ipso iure non operatur nisi volente eo ad cuius fauorem fuit appositum.*
4 *Census non extinguitur in totum per receptionem partis pretij quando constat de cōtraria voluntate contrahentium, & n. 6.*
5 *Pactum quod si venditor census non præstet fideiussores possit repeti sors non repugnat naturæ contractus censualis.*

DECISIO CLXXX.

POSTQVAM in hac causa sub die 21. Maij proximè præteriti fuit resolutū, nulliter & attentate Iudicem processisse, dum nō obstante appellatione per D. Christophorum de Rantigny interposita mandauit consignari fructus census depositatos D. Iulio Buffallino, antequam procederem ad reuocationem attentatorum pro maiori dilucidatione totius negotij principalis proposui dubium super meritis causæ vtrum sententia extra Rotam lata esset iusta vel iniusta, quo proposito Domini vnanimiter pro iniustitia & renocatione sententiæ responderunt in eo dum Iudex declarat censum alias à Lucida Mācina legitimè constitutum fuisse extinctum.

Ratio præcipua decisionis fuit, quia constat de valida census impositione pro sorte principali scutorum duorum millum ad fauorem dictæ Lucidæ cum omnibus requisitis secundum formam Bullæ fel. rec. Pij V. idque per instrumentum publicum rogatum de anno 1562. 3. Iulij, quod facit probationem probatam. Nec non constat de quasi possessione dictæ Lucidæ exigendi fructus eiusque creditorum, & inter eos dicti D. Christophori, qui vt creditor D. Maximiliani Caffarelli hæredis dictæ Lucidæ obtinuit authore prætore manda-

da-

datum de deponendo dictos fructus penes Montem Pietatis, qui semper soluti & depositi fuerunt, tam à Iulio Buffalino seniore quam à Iulio iuniore eius filio & hærede, vnde ipsi prætendenti extinctionem census incũbebat onus probandi aut illius census impositionem fuisse ab initio inualidam, aut docendi de actuali, aut sufficienti solutione sortis principalis, per quã omnis obligatio similis soluitur, quod in hac facti specie tantum abest vt fuerit factum quin omnia fundamenta super quibus innitebatur dictus Iulius Buffalinus ad inducendam extinctionem census, aut visa sunt in facto non subsistere aut in iure facitè diluuntur.

Non enim obstat, quod dicitur ideo cẽsum fuisse extinctum, quia Lucida egit & obtinuit mandatum pro restitutione sortis de anno 1577. illudque exequi curauit super bonis Albizini obligati pro parte sortis principalis quæ reperiuntur subhastata & postea concessa ab Aemilia Muta hærede dicti Albizini debitoris d. Iulio Buffalino cum onere soluendi scuta 1100. oblata pro extinctione census, & promissione interim soluendi fructus vt in instrumento cuius copia datur num. 2. ex quibus prętenditur censum fuisse extinctum ex rationibus deductis in causa *Romana census 19. Nouembris 1593. coram bon. mem. Illustriss. Pamphilio*.

Huic obiectioni responsum fuit ex serie facti apparere nunquam fuisse processum ad deliberationem bonorum, sed facta sub hastatione de concessu omnium interesse habentium bona subhastata fuisse consignata dicto Iulio Buffalino cum supradicto onere soluendi pretium pro extinctione census & interim soluendi fructus, Ex quibus apparet nunquam istas pecunias fuisse numeratas & restitutas Lucidæ, & ita

1 censum non fuisse extinctum, † quia ad inducendum hanc extinctionem, aut requiritur actualis pretij restitutio, aut de-

2 bet concurrere † alius actus ratio similis numerationis pecuniæ, *l. 1. C. quando liceat ab empt. disced.* cum alijs rationibus & auctoritatibus fusissimè allegatis in vna *Romana Saluiani die prima Iunij 1601. coram bon. mem. Litta, & in alia Romana anterioritatis coram Iusto 4. Febr. 1608.* quæ rursus examinatæ placuerunt Dominis, & optimè respõdetur dictæ decisioni coram Cardinali Pamphilio factæ in qua Dominus census partem sortis principalis census à debitore exegerat, & pernecesse recedere voluerat à contractu, & sibi præiudicarat in substantia contractus, *l. illud ff. de acquir. hared. l. ad rem mobilem & l. ad legem ff. de procurat. Crauett. cons. 280. per totum*.

Nec visum fuit talem extinctionem posse induci ex pacto resolutiuo apposito in casu quo fideiussores non darentur intra quinquẽnium prout erat stipulatum, quia

3 istud pactum resolutiuum † habet tantum locum volente illo ad cuius fauorem fuit appositum licet etiam adesset clausula ipso iure, quæ hic non adest *l. 2. ff. de lege commiss. l. si sponsus §. si quis rogatus ff. de donat. inter vir. & vxor. l. 1. §. vnde quaritur ff. de oper. non. enuntia, Tiraq. in l. si vnquam in verb. reuertatur n. 10. & seq. C. de reuoc. donat. Mant. de tacit. & ambig. lib. 4. tit. 19.* quasi per totum, & fuit in fortioribus terminis decisum in causa *Romana fructuum census 3. Martij 1617. coram me* in qua apparet Rotam recessisse à decisione allegata ab informantibus pro Buffalino facta die 19. Nouembris 1614. in eadem causa.

Et quamuis videatur satis constare de voluntate dictæ Lucidæ vtendi eo pacto dum egit ad restitutionem sortis tamen apparet ipsam de communi consensu omniũ interesse habentium recessisse ab ista volũtate, cum non processerit ad vlteriorem & finalem deliberationem, sed consensit, quod ista bona darentur Iulio cum onere soluendi pecunias pro extinctione census, & obligatione soluendi interim fructus, & & ita hæc declaratio debitum non fuit sortita effectum, cum nunquam fuerit Lucidæ aliquid pro sorte principali numeratum & solutum.

4 Et quod omnem difficultatem † tollere visum fuit DD. illud est quod concurrunt solutiones istius census factæ per D. Buffalinum censuarium vltra 30. annos vnde colligitur declaratio euidens tam creditoris quam debitoris, quod noluerunt recedere à prædicto contractu census, & excluditur omnis præsumptio contrarij consensus, imò apparet ipsas partes voluisse durare dictum censum, & sic intrat iuris vulgaris regula quod actus agentium non debent operari vltra eorum intentionem, vt in indiuiduo considerauit, *Rota in d. Romana Saluiani coram bo. mem. Litta & postea in d. Romana census coram me*.

Nec placuit Dominis quæ deducuntur pro inducenda nullitate census ob pactum appositum ab initio præstandi illos fideiusso-

iussores, quasi esset impossibile & appositũ ad fraudandam Bullam ex decis.Seraphini 1006. Responsum enim fuit talem impossibilitatem & fraudem non probari & non applicari huic casui dictam decisionem

5 Seraphini, † quia recuperatio sortis non est simpliciter collata in arbitrio emptoris, sed dependet à voluntate eius, qui vendidit qui potest satisfacere prout expressè cautum erat dando fideiussores æquè idoneos vsque ad summam sortis principalis licet non fuissent ita locupletes vt nominati fideiussores dummodo essent soluendo pro dicta summa, quod dependebat à Iudicis arbitrio, & regulariter talia pacta non improbare censum censuit multoties *Rota & præcipuè in vna Meleuitana Census coram Reuerendiss.D.meo Damasceno*.

Considerata denique fuit alia euidentior, iniustitia sententiæ dum pronunciauit Iudex totaliter censum esse extinctum, licet ex actis constaret emptricem census

6 solum egisse † pro recuperatione partis census intacta parte pro qua specialiter bonam fidem agnouerat dictus Iulius Buffalinus.

Et ita decisum vtraque parte informantes.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE AGHVCCHIIS.

*Veneris 8. Iunij 1618.*

## ARGVMENTVM.

Donatio facta extraneo contemplatione alimentorum cum conditione ipso moriente sine filijs ipsa donatio reuertatur ad donãtes, vel eorum hæredes, an cadere possit sub generali fideicommisso Donatarij in casu ipsi filij, vel ipse Donatarius decederet sine filijs.

## SVMMARIVM.

1 *Bona donata restitutioni subiecta non comprehenduntur sub generali fideicommisso donatarij.*

2 *Donatio facta pro se eiusque descendentibus legitimis & naturalibus, quo casu sit, vel non, intelligenda de filijs, & descendentibus cum qualitate hereditaria.*

3 *Filiæ comprehenduntur sub nomine descendentium.*

4 *Bona hæredum adhoc vt dicantur comprehensa in fideicommisso vniuersali, requiritur vt fiat de illis expressa mentio.*

5 *Bona debita hæredi ex alia causa non comprehenduntur in Testatoris fideicommisso vniuersali.*

6 *Ius Tertij ab eo cuius interest semper allegari potest.*

7 *Substitutio facta in testamento, confirmata, & approbata in codicillis debet intelligi quoad bona comprehensa in fideicommisso facto in testamento non autem quoad bona libera disposita in codicillis.*

8 *Ad Diuisionis acceptationem inducendam requiritur actus incompatibilis per necesse, non autem æquiuocus.*

9 *Diuisio per Testatorẽ facta, nec non acceptata per hæredes non potest maiorem effectum sortiri quam dispositio Testatoris.*

10 *Donatio facta hæredi, & eius descendentibus legitimis contemplatione alimentorum quomodo sit intelligenda.*

## DECISIO CLXXXI.

DOMINI censuerunt esse locum detractioni prædij de quo agitur cum

1 enim † illud reperiatur donatum Francisco pro se eiusque descendentibus legitimis, & naturalibus cum conditione, quod quandocumque Francisco decendente sine liberis, vel cum liberis, qui postea decederent sine liberis ipso iure & facto reuertatur ad ipsos donatores, vel eorum hæredes; vtique in generali fideicommisso dicti Francisci facto ad fauorem Patrũ S.Georgij non venit, *Alex.consi.20.num.9. & 10.lib.3.Rol.cons.71.num.26.lib.2. Surd. cons.93.nu.17.Petra de prohibit.alienat.qu.8. num.276.Peregr.de fideicom. art.6. num.13. Mantic.de coniect.lib.2.tit.2. num.1. Seraph. decis.963.num.6.& decis.969.num.8.Rot.diuers.dec.748. num.3.p.1.*

Nec obstat donationem factam Francisco intelligendum esse de filijs, & descendentibus vti hæredibus per *glos. in l. si tibi §. si pactus vbi Bart.num.8.ff. de pactis Menoch.lib.3.præsumpt.48.num.1.* & ita Ioannem Baptistam filium Lucretiæ quæ non fuit hæres Francisci; non esse in dicta donatione comprehensum quia obiectio fortasse procederet, si examinarentur solæ coniecturæ ad inducendum fideicommissum, sed hic clarè vocati sunt descenden-

3 tes, † sub quo nomine, filiæ comprehenduntur omnesque descendentes in infinitum nullo sexus discrimine habito *§. 1.auth. de hered.ab intest.l.fin.C.de suis & legitimis*

*mis l. liberorum l. cognoscere §. liberorum l. nõ est sine liberis ff. de verb. signific.* cum alijs allegatis per *Alex. cons. 160. numer. 2. & 3. lib. 2.*

Quidquid vero sit de hoc cum etiam &
4 eo casu ad hoc vt bona † hæredum dicantur comprehensa, requiritur vt fiat illorũ expressa mentio, & talis quod clarè & euidenter appareat testatorem voluisse disponere tanquam de bonis hæredum non autem prout hic, dum testator disposuit de bonis suis *Paris. cons. 44. num. 10. lib. 2. Surd. dicta decis. 93. numer. 19. Peregr. dicto art. 6. num. 6.*

Responsum etiam fuit quod stante dicto onere seu conditione deuolutionis prædij ad fauorem donatorum eorumque hæredũ in casu obitus Francisci sine liberis &c. nõ
5 potest dici tale prædium † comprehensum sub generali dispositione ex DD. supra allegatis.

Nec obstat hanc exceptionem esse de iure tertij quia Ioannes Baptista vti reus
6 & † possessor bene potest hoc opponere ad excludendos patres, vt prædium non dicatur comprehensum in fideicommisso ad eorum fauorem facto, *Roman. cons. 347. Crauett. cons. 87. nu. 17. ad fin. Thesaur. dec. 4. num. 7.* & fuit dictum *in Anconitana bonorum 4. Iulij 1614. coram R. P. D. meo Manzanedo.*

Non etiam obstat Franciscum in Codicillis diuisisse bona inter eius filios, & in dicta diuisione apposuisse hoc prædium confirmando & approbando tacitè substitutiones & fideicommissa facta per ipsum
7 in testamento, † quia confirmatio & approbatio debet intelligi quoad alia bona cõprehensa in fideicommisso facto in testamento, *ff. de liber. legat. cap. inter dilectos §. porro de fid. instrum. Oldrad. cons. 257. num. 4.* Nec inde infertur ad necessitatem oneris acceptati, stant enim simul quod bona inter filios diuidantur, & nihilominus respectu eorum, quæ sunt libera remaneant sub libera dispositione, hoc enim respicit tantummodo interesse diuidentium, non autem necessitatem acceptationis fideicom-
8 missi † ad quam inducendam requireretur actus incompatibilis per necesse, & non æquiuocus *Butr. in cap. ad accedentibus n. 8. vers. per prædicta de priuil. Crauet. cons. 749. n. 17. Decian. cons. 52. n. 23. lib. 1. Rot. dec. 96. n. 3. par. 1. diuers.*

Et ex his remanet sublatum præcipuum fundamentum desumptum ex acceptatione filiorum Francisci dictæ diuisionis bo-
9 norum & hæreditatis cum † non possit maiorem effectum sortiri dicta acceptatio, quã dispositio testatoris facta tamen in instrumento quàm in codicillis. Vltra quod nec constat dictos filios habuisse specificã & certam scientiam omnium contentorum in testamento prout videbatur requiri, ex *Bart. & alijs comuniter, in l. qui Romæ §. duo fratres* vbi post alios. *Ias. num. 59. Rip. numer. 78. & 79. ff. de verb. obligat. Roman. cons. 403. num. 14. & seqq. Ruiz. cons. 107. numer. 4. & seqq. lib. 1. Soccin. Iun. cons. 98. n. 12. lib. 2. Crauet. cons. 193. num. 8. vers. illud tamen Bero. cons. 115. nu. 24. & 34. lib. 1. Surd. cons. 70. num. 35. & cons. 395. num. 23. Paris. cons. 24. num. 21. lib. 1. & cons. 11. nu. 30. lib. 2. Osasch. decis. 112. num. 6. Peregr. de fideicom. artic. 52. numer. 11. Seraphin. decis. 969.* & fuit dictum *in Romana de Marescottis 20. Martij 1615. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno, & in Romana de Longhis 30. Iunij 1616. coram R. P. D. meo Pamphilio.*

Non obstat, denique quod Franciscus fuerit primus acquirens propter renunciationem eius quod in hæreditate testatoris ratione alimentorum poterat prætendere, & ideo potuit disponere, & disponendo cedere debet sub fideicommisso, quia ex contextu huiusmodi donationis apparet, quod solus pater non fuit primus acquirens, causa siquidem alimentorum nedum erat Francisci, sed etiam descendentium qui poterant agere contra Hieronymum
10 & Iacobum, † ideo donatio facta Francisco & eius descendentibus legitimis contemplatione alimentorum non est intelligenda ordine successiuo, sed cumulatiuè tanquam facta tam pro filijs, quã pro ipso, stante præsertim Notarij acceptatione pro omnibus quorum intererat, *Rolan. cons. 19. num. 22. lib. 1. Paris. cons. 269. num. 35. & seq. lib. 3. Cephal. cons. 33. lib. 1. Surd. decis. 206. Rot. decis. 489. n. 1. par. 1. diuers.*

Ex quibus & alijs fusius deductis per informantes pro detractione prædij fuit conclusum vtraque parte informante.



V IMO-

IMOLEN. PECVNIARIA.

*Veneris 25. Maij 1618.*

ARGVMENTVM.

Procurator potest obligare in forma Cameræ suũ principalem etiam si non habeat speciale mandatum procuræ ad id obligandum quando principalis est in alio obligatus in forma Cameræ.

*SVMMARIVM.*

1 *Instrumentum publicum facit indubitatam probationem.*
2 *Debitor potest conueniri via executiua non obligatus in forma Cameræ, dummodo in alio debito reperitur obligatus in forma Cameræ.*
3 *Pluralitas non præsumitur.*
4 *Ratificatio actorum gestorum per Procuratorem, superueniens operatur effectum quem operatur mandatum à principio factum.*

DECISIO CLXXXII.

DOmini dixerunt mandatum A.C. fuisse ritè & rectè relaxatum de credito namque Hipolyti aduersus Annibalem in scut. 800. ratione societatis officij constat ex instrumento, cui accessit Procurator Francisci & Odoardi obligans se in forma Cameræ & pariter constat ex instrumento
1 publico, † quod facit indubitatam probationem, *Bart. in l. 1. num. 8. ff. de oper. nou. nunciat. cum alijs per Surd. cons. 192. n. 13.*

Non obstat Procuratorem non habuisse mandatum in specie ad obligandum in forma Cameræ in societate officij quia difficultas visa fuit cessare ex instrumẽto diuisionis factæ inter dictos Annibalem, Franciscum & Odoardum, quia viceuersa in locum tot bonorum quæ penes se retinuerunt promiserunt soluere dicto Hipolyto lib. 4. mil. vltra aliam similem summam
3 pro censu,† & cum se obligauerint in forma Cameræ ritè, & rectè fuit processum contra ipsos via executiua ad relaxationem mandati, *Rot. apud Modern. de obligat. Camer. dec. 10. num. 1. decis. 44. num. 5.* & fuit sæpissimè decisum.

Non obstat in dicto instrumento diuisionis non fuisse expressam causam promissionis soluendi dictam summam lib. 4. mil. quia dum non constat de alio debito præ-
3 sumitur ex dicta causa † cum pluralitas nõ præsumatur ex latè cumulatis per *Menoch. præsumpt. 15. lib. 6. Seraph. decis. 1093.*

Non obstat in dicto instrumento diuisionis mentionem fieri de debitis communibus, quia satis erant communia postquã etiam ipsi Franciscus & Odoardus in societate erant obligati, & hæc veritas visa fuit comprobari ex litteris & ex tota facti serie, ex quibus apparet omnia gesta per Procuratorem de eorum scientia, & sic nõ solum adest dicta accolatio sed etiam rati-
4 ficatio, † cuius vigore potuit agi via executiua contra ipsos *Mohed. decis. 288. alias 8. de procurat.* & fuit dictũ *in Romana Pretij zineæ 1. Iulij 1611. coram Reuerendissimo D. Lugdunen. & in eadem 12. Decembr. 1614. coram R.P.D. meo Pirouano.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

CAESENATEN. PECVNIARIA.

*Mercur. 13. Iunij 1618.*

ARGVMENTVM.

Ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Protestatio nihil fieri nisi constito de legitimo mandato procuræ operatur quod debet constare in actis de illo ante relaxationem mandati.*
2 *Obligatio fideiussorum quando est noua & diuersa non dependet ab obligatione principalis.*
3 *Purgatio moræ in fideiussorum fauorem de æquitate canonica præcipuè admittitur.*

DECISIO CLXXXIII.

DOMINI steterunt in decisis ex rationibus deductis in decis. sub die 26. Ianuar. proximè præteriti, nihil enim in effectu de nouo fuit deductum tam quoad nullitatem prætensam, quàm quoad iniustitiam mandati, quod in alia positione nõ fuerit deductum, & sublatum in decisione nam & iuramentum calumniæ apparet in actis præstitum ante relaxationem & expeditionem mandati.

1 Mandatum verò procuræ † de quo debet constare in actis ante relaxationem mandati dum fuit oppositum nihil fieri nisi constito de legitimo mandato, & fuit sæpè dec. & signãter *in vna Tiburtina admini-*

*miniftrationis Tutelæ 19. Martij 1611. coram R. P. D. meo Manzanedo*, reperitur productum vfque de anno 1613. 25. Ianuarij.

Aliæ nullitates quæ deducuntur contra relaxationem mandati, aut tolluntur ex facto, & ftylo ftante extenfione obligationis Cameralis legitimè facta, aut fuerunt fublata ex deductis in præcedenti decifione, aut ex refponfionibus datis per informantes cũ quibus Domini tranfierunt.

Idque tanto magis ftante fententiæ iuftitia quæ fatis clara vifa fuit cum de quãtitate debiti conftet tam ex confeffione fideiufforum, vt liquet ex fententia canonizatoria eiufdem fummæ pro qua fideiuffores fe obligarunt, potuerunt enim fideiuffores fe obligare aliter quam prin-
2 cipalis & † obligatio fideiufforum vti noua & diuerfa non dependet à principalis obligatione vt declarauit, *Rota in illa Romana fideiuffionis de repræfentando 17. Maij 1595. coram Corduba*, in alia caufa huius decifione allegata.

3 Non obftat denique † dari maximè de æquitate Canonica purgationem moræ præcipuè in fauorem fideiufforum, quia poffet fubfiftere refponfio re integra, fed non applicatur huic facto ftante deteriotione principalium debitorum, quæ verificatur ex alienationibus factis quæ dantur in fummario pro parte Citadini prout plenius per informantes.

Et ex his vtraque parte informante Domini dixerunt ftandum effe in decifis.

## ROMANA PECVNIARIA SEV CEDVLAE BANCHARIAE.

*Lunæ 12. Nouembris 1618.*

### ARGVMENVVM.

Cedula Bancharia de ftylo Curiæ habet paratam executionem ficuti obligatio Cameralis. Locationis contractum non venit refcindendum fi aliquid in eo conuentum non adimpleatur quando id non pendet à voluntate locatoris, fed eft in arbitrio Principis.

### SVMMARIVM.

1 *Cedula Bancharia ex ftylo Curiæ ad inftar obligationis Cameralis habet exequutionem paratam.*

2 *Soluere promittens non obftantibus quibuflibet exceptionibus, & eas opponat non eft audiendus.*

3 *Executio parata cedulæ banchariæ non eft amplius differenda quando diù obligatio fuit deducta in iudicium, & nihil in actis contra eam fuit deductum.*

4 *Contractus refciffioni nõ eft locus fi aliquid in eo conuentum non pendeat à voluntate contrahentis fed ex facto Principis, nam fi illud non adimpleatur agitur ad damna, & intereffe.*

5 *Creditum non liquidum non poteft impedire executionem obligationis Cameralis.*

6 *Iudicium exequutiuum non impeditur propter admiffionem articulorũ pofitionum &c. ftante claufula fine præiudicio proceffus executiui, & paratæ executionis.*

### DECISIO CLXXXIV.

CONCLVSVM fuit pro relaxatione mandati contra D. Robertum Primũ de cuius obligatione conftat in actis per
1 apocham feu cedulam banchariam † quæ ex ftylo Curiæ ad inftar oblig. Cameralis habet executionem paratam, *Bald. confil. 348. num. 3. lib. 1. Zabarell. conf. 153. num. 1. Rota Genuen. decif. 2. num. 9. Seraphin. decif. 2. num. 9. & dec. 1139. num. 5. & multoties fuit in Rota decifum.*

Nec obftare vifæ funt exceptiones allegatæ per D. Robertum ad effectum retardandi executionem dictæ cedulæ tum quia
2 ipfe † promifit fe foluturum pagas affictus liberè non obftantibus quibuflibet exceptionibus, & ita non eft audiendus, *l. fi quis domum ff. locati Boer. decif. 273.*

Tum etiam quia à quatuor ab hinc mẽfibus quibus hæc obligatio deducta fuit in iudicium tam coram R. P. D. meo Andrea fubrogato quam coram me dictus Robertus Primus nihil in actis deduxit, aut pro-
3 bauit, vnde † non eft æquum, vt maior ei hodie detur dilatio ad impediendam executionem paratam cedulæ.

Nec etiam pro parte Sauini poteft impediri dicta executio fiue ex rationibus & exceptionibus alias deductis, fiue ex his quæ hodie de nouo proponuntur in memoriali per ipfum porrecto.

Non enim obftat, quod dicitur eodem modo obligatum effe Excellentifs. D. Marium ad præftandam liberam extractionem grani, vti erat Sauinus ad foluendas pagas dicti affictus, vt alias fuit fufius longa ferie deductum. Placuit enim refponfio data in decifionibus in hac caufa factis non ideo locum effe refciffioni contractus, quia

 non

non dependet à voluntate ipsius D. Marij sed ex facto Principis extractio grani, vnde teneri D. Marium ad remissionem mercedis seu ad omnia damna & interesse fuit
5 iam decisum,† quæ eum non fuerint liquidata non impediunt executionem obligationis Cameralis contra Sauinum.

Et reuera talis fuit intentio Rotæ dum mandauit, quod cedula libera daretur pro scutis 10. mil. & pro alijs 5. mil. daretur alia de soluendo ad omne mandatum Rotæ non ad alium finem nisi vt vtrique parti consuleretur, & præcipuè Sauino qui deberet liquidare dicta damna & interesse, & tunc facta liquidatione concederetur ei retentio super dictis scu. 5. mil.

Neq; etiam obstant articuli nuper dati in actis, ex quibus D. Sauinus intendit probare facto D. Marij ipsum fuisse impeditũ quo minus re locata vti possit, quin imò omnes redditus & fructus d. affectus fuisse per ipsummet D. Marium perceptos ad quos articulos probandum iam induxit testes qui iurarunt. Responsum enim fuit
6 factam admissionem positionum articulorum & iuramentum datum fuisse sine præiudicio processus executiui & paratæ executionis, vnde sufficit quod hodie nihil in actis adhùc fuerit probatum, quin imò datur magnus fumus dictos fructus & redditus fuisse perceptos per Pazzagliam socium Sauini in dicto affectu &c.

Et ita decisum.

## HERITONEN. HABITVS.

*Veneris 16. Nouembris 1618.*

## ARGVMENTVM.

Nobilitas quomodo dicatur probata vt quis Religionis Hierosolymitanæ habitum suscipere valeat.

## SVMMARIVM.

1 *Iustitia sententia comprobatur ex decis. causa.*
2 *Nobilitas in Equitibus Hierosolymitanis requiritur probata ex quatuor Lateribus.*
3 *Nobilitatis probatio quando per testes dicatur sufficienter probata.*
4 *Nobilitatis probatio postquam per Religionem Hierosolymitanam fuit commissa, etiã post sententiam non potest ab illa talis nobilitas in dubium reuocari.*
5 *Instrumentorum pars faciens ad causam sufficit in processu quod fuerit inserta etiam de iure.*
6 *Iudici nedum sed etiam Notario in his quæ spectant ad officium fides adhiberi solet.*

## DECISIO CLXXXV.

Domini dixerunt sententiam Rotalem esse confirmandam nihil enim contra eius validitatem opponitur cum adsint requisita ad validitatem sententiæ iurisdictio, mandata procuræ, & citationes requisitæ.

1 Iustitia enim † satis remanet iustificata ex decisione in hac causa facta *coram R. P. D. meo Verospio sub die Luna 26. Iunij 1617.* vbi accuratè ponderantur dicta testium, ex quibus probatur nobilitas D. Scipionis ex
2 quatuor lateribus † iuxta stabilimenta Religionis, examinatis enim depositionibus testium quidquid dicant informantes pro sacra Religione apparet eos deponere non solum de auditu & publica voce & fama, sed etiam de certa scientia reddantq; sufficientem rationem, quia illi à quibus descendit D. Scipio habuerunt omnes dignitates, quas non solent nec possunt adipisci
3 ignobiles, † quæ probatio visa fuit sufficiens secundum opinionem, *Bart. in l. prima num. 101. C. de dignitat. lib. 12. Siluan. consf. 30. num. 42. cum alijs allegatis in dicta decisione,* quæ rursus ponderata placuerunt Dominis.

Quibus stantibus non potest reuocari in
4 dubium† constare de iniustitia denegationis habitus post admissas probationes cũ non dependeat amplius à voluntate S. Religionis vt ex multis firmauit, *Rota coram R. P. D. Decano 2. Decembris 1604. in vna Burgen. admissionis adhibitum.*

Nec obstat, quod dicitur integra instrumenta quibus vsus est D. Scipio ad confirmationem probationis suæ nobilitatis non fuisse integrè inserta in processu per Commissarios S. Religionis sed solùmodo partem dictorum instrumentorũ, constat enim ipsa fuisse exhibita integra, vt constat ex sententia Commissariorum ex quibus apparet dicta instrumenta fuisse legitimè recognita & tanquam legalia, & authentica visa, & acceptata, vnde non est imputandum D. Scipioni si nõ instrumenta per extensum nõ fuerint inserta in processu cum
5 secundum solitum Commissarij facta debita recognitione non inserant nisi partes facientes ad causam quod etiam de iure fieri

fieri potest, *cap. cum personæ §. 1. in fine*, vbi Canonist. *de priuileg. in 6.* Quæ responsio eo magis est attendenda tum quia vt supra dictum fuit nobilitas d. Scipionis fuit plenè & concludenter probata per testes, tum quia Commissarijs asserentibus se accessisse ad loca vnde extracta sunt dicta iura, eaque esse authentica & in publica forma vti deputatis à Religione ad huiusmodi ministerium videtur multum defferendum stante vulgata iuris regula quod non solū
6 Iudici † executori, sed etiam Notario in his quæ spectant ad officium fides adhiberi soleat vt millies fuit decisum.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA CEDVLAE BANCHARIAE

*Lunæ 17. Decembris 1618.*

### ARGVMENTVM.

Executio cedulę bancharię quando non possit impediri per conductores sub prætextu quod non potuerint vti re locata ex facto locatoris.

### *SVMMARIVM.*

1 *Executio cedulæ bancharia non possit impediri per conductores quando concludenter non iustificant ex facto locatoris non potuisse vti re locata.*

2 *Faciens cedulam contemplatione duorum cōductorum tenetur suæ obligationi satisfacere eueniente tempore non obstante lite orta inter conductores.*

3 *Damna & interesse nō debentur per eum qui non probatur præstitisse impedimentum super exactione grani conductoribus.*

4 *Exceptiones turbidæ, reyciuntur in iudicijs executiuis.*

## DECISIO CLXXXVI.

Domini inhærentes decisioni in hac causa factæ sub die 12. Nouembris præteriti censuerunt relaxandum esse mādatum contra D. Robertum Primum ex rationibus fusè deductis tam in dicta decisione quàm in alijs duabus præcedentibus in hac causa factis, à quibus nullo modo recedere voluerunt non obstantibus, quæ in contrarium hodie deducuntur ex testibus examinatis & probationibus nuper de ordine Rotæ factis.

Non enim probatum fuit satis conclu-
1 dudenter † (vt requirebatur ad impediendam executionem cedulæ bancharìæ) nec per testes nec per scripturas quod Excellentissimus D. Marius impediuerit conductores quo minus re locata vti & frui possent, quin imò constat Pazzagliam vnum ex conductoribus hodie exigere omnes fructus & redditus dicti affictus, & primo per confessionem ipsiusmet Sauini qui sub die 27. Iunij proximi præteriti id ipsum articulauit prout patet in positionibus datis in actis, quæ confessio est adminiculata, quia sæpius citauit dictum Pazzagliam Sauinus ad effectum deputandi administratorem in perceptione fructuum d. affictus communis.

Secundo id probatur ex confessione ipsiusmet Pazzagliæ data in actis & legitimè recognita vbi agnoscit fructus ab ipso & non à D. Mario percipi, & patet ex instrumento publico vbi legitur dictum Pazzagliam exegisse à Communitate Lateræ scuta 1040. pro pretio grani à dictis conductoribus venditi.

Quibus positis duo resultabant alterum quod impedimenta de quibus deponunt testes dati in Summar. pro parte Sauini fuerunt præstita à socio in conductione & non à D. Mario locatore. Alterum verò quod dum Pazzaglia vnus ex conductoribus percipit fructus interim D. Robertus Primus qui fecit cedulam pro paghis affictus non solum intuitu Sauini, sed etiam
2 Pazzagliæ † tenetur suæ obligationi satisfacere euenience tempore non obstante lite inter vtrumque conductorem superueniente.

Nec etiam visum fuit damna & interesse (ad quæ D. Marium teneri iam Rota
3 firmauit, † cum non præstet conductoribus liberam grani extractionem) esse sufficienter probata vt pro his possit dari aliqua retentio super paghis maturandis, nam maxima pars eorum quæ dicuntur à D. Mario recepta fuerunt à Pazzaglia percepta, aut non satis clarè probatur, prout debe-
4 rent in hoc iudicio † in quo reijciuntur exceptiones requirentes altiorem indaginem prout fuit dictum in supradicta decisione.

Verum quia multa pro parte D. Roberti Primi & Sauini allegabantur, ex quibus inferebant adesse collusionem inter dictū D. Marium, & Pazzagliam contra quem vt forensem difficilè esset executionem facere,

cere, ideo DD. iustis de causis placuit antequam relaxetur mandatum, vt secundū oblationem ab ipso Pazzaglia factam (quatenus eam Sauinus velit acceptare) tam à Pazzaglia quam à Sauino detur idonea fideiussio in Vrbe de stando iuri & iudicatum soluendo inter ipsos socios cum hoc enim temperamento omnis suspicio collusionis tolletur & vtriusque partis securitati consuletur.

Et ita decisum.

## ROMANA PRAELATIONIS.

*Lunæ 10. Decembris 1618.*

### ARGVMENTVM.

Census estinctus licet anterior non præbet prælationem in fundo vendito Domino dicti census anterioris.

### SVMMARIVM.

1 *Retrouenditio importat dissolutionem prioris venditionis.*

2 *Actus præsumitur factus in executionem præcedentis obligationis*

3 *Nemo potest esse debitor sui ipsius.*

4 *Actio extinguitur eo ipso quod succedit creditori.*

5 *Lite pendente quilibet potest acquirere nouum ius intellige si illud non sit deductum in iudicium nec afferat præiudicium iuribus collitigantis. ibid.*

### DECISIO CLXXXVII.

CVM nuper sub die 2. Aprilis proxime præteriti fuisset decisum in retractu vineæ de qua agitur Iosephum Lusscianum ratione census antiquioris esse præferendum sororibus de Rubeis quæ censum maioris summæ posteriorem tamen acquisiuerant. Postea dictæ sorores produxerunt in actis instrumentum vigore cuius asserebant propter extinctionem supradicti anterioris census nullum ius dicto Iosepho competere, vnde dato super hoc particulari dubio Domini censum fuisse extinctum, & ita recedendum à decisis responderunt ea potissimum ratione, quia cum constet Marinum Fontanellam non translatiue, sed extinctiuè iura dicti census acquisiuisse, sequitur illum non potuisse illa iura semel extincta cedere dicto Iosepho, nec ipse Iosephus vigore dictorum iurium vllam prælationem, aut ius aliquod in præiudicium dictarum sororum acquirere, cum non entis nullæ sint qualitates, & semel extincta obligatio sine nouo cōsensu, aut obligatione reuiuiscere non possit vulgatis iuribus.

Quod autem dictus census fuerit extinctus visum fuit clarè colligi ex lectura & tenore instrumenti, fuit enim inchoatum à retrouenditione, vel simul à cessione & retrouenditione æque principaliter, vnde
1 cum † iste titulus retrouenditionis effectiuè importet dissolutionem primæ venditionis, quia concurrit actus retrosimilis tam ex parte habentis facultatem retinendi per accolationem prius factam, quàm ex parte retrouendentis vigore cessionis habitæ ab eis qui censum emerunt, inde sequitur resolutio totalis & extinctio census, *l. 1. & tot. tit. C. quando liceat à vendit. discedere* fuit dictum in vna *Auximana fideiussionis prima Iuny* 1598. *coram bo. mem. Litta.*

Nec obstant alia verba & clausulæ prædicti instrumenti in contrarium ponderatæ, ex quibus informantes pro Iosepho inferre volunt ratione solius cessionis substineri cōtractum potius translatiuè quam extinctiuè ex deductis in vna *Romana Saluiani coram R. P. D. meo Rembolдо die 12. Nouembris præteriti.*

Placuit enim responsio quod sicuti in venditione & constitutione census apponuntur omnes istæ clausulæ in fauorem emptoris ita potuerant apponi in retrouēditione ad fauorem venditoris, vt verè dicatur interuenire in omnibus actum retrosimilem qui requiritur in extinctione census, & nihil amplius iuris dicatur remanere penes emptorem.

Quin imò si esset dubium vter titulus aut cessionis aut extinctionis esset attendendus in hac facti specie visum fuit potius verba
2 dirigenda ad retrouenditionem, & extinctionem propter præcedentem obligationem de extinguendo censum susceptum per Marinum, *Bart. in l. si patruus numer. 5. versi. item præsumitur. C. commun. vtriusque iudicij Surd. post alios consil.* 431. *numer. 4. lib. 3.*

Consideratum etiam fuit per accolationem iam Marinum effectū fuisse seu ipsius
3 debitorem † & ita non potuit simul retinere censum & non habere alium à quo fructus census posset exigere propter promissio-

missionem extinctionis stipulatam à principali debitore quo casu census penes ipsum Marinum inutilis remanebat cum non potuerit in se ipsum transferre substantiã census, *glos. in l. 1. C. de his, qui in prior. cred. loco success. Ruin. cons. 88. num. 6. lib. 5. Peregr. de fide art. 52. num. 34. Seraph. decis. 1415. numer. 5.* fuit dictum in vna *Romana Casalis 1. Iulij 1602. coram Cardinale Ludouisio*; idque maxima ratione, quia regula iuris est clarissima neminem posse esse cre-
4 ditorem, & debitorem sui ipsius, † & statim atque debitor succedit creditori extinguuntur actiones, *l. 1. §. si debitor creditori, ff. ad leg. falc. l. debitori suo, C. de pactis, l. si creditoris, C. de fideic.*

Ex quibus patet responsio ad decisionẽ *Rom. Saluiani*, quæ loquitur in longe diuerso casu, quia in illo nullum verbum legebatur quod sonare posset in extinctione census, sed omnia importabãt veram, & expressam iurium, & dominij census translationem, & acquisitionem, vt apparet ex principio d. decisionis, quæ id affirmatiuè præsupponit, in isto verò bis verba retrouenditionis fuerunt repetita in principio, & calce d. instrumenti, deinde multa specialia concurrebant, quia ille, qui mandarat, vt pars census extingueretur erat fideiussor, & non principalis debitor, & ita eius intererat, vt census iura translatiuè cederẽtur ad hoc, vt posset contra fideiussores experiri, & id ipsum expresse fuerat stipulatus, vltra quod ipsemet qui mandatum dederat ad extinguendum interuenit in instrumento, in quo recessum fuit à dicto mandato, vt ex serie facti decisionum *in d. Romana Saluiani coram D. meo Remboldo* factarum fusius apparet.

Nec etiam visum fuit obstare, quod alias dicebatur ius illud non posse mulieribus suffragari, quia fuit acquisitum iam lite pendente, & contestata super prælatione ex alio capite vicinitatis. Placuit enim responsio alias data in decisione in hac causa facta sub die 26. Iunij 1617. non subiacere huiusmodi acquisitionem vitio
5 litigiosi, † quia potest quilibet etiam pendente lite ius nouum acquirere dummodo illud non fuerit in iudicium deductum, & nullum collitigantis iuri præiudicium adferat, *cap. Abbas de re iudic. in 6.* vt in fortioribus terminis in materia beneficiali, quod liceat nouum ius, & nouam gratiam super quo non pendet lis à Papa impetrare respondit in specie, *Oldrad. cons. 299. per tot. Belamer. de rescript. decis. 748. numer. 2.* cum allegatis in dicta decisione.

Ex quibus dictis sororibus prælationis ius vigore Bullæ fel. rec. Pii Quinti competere in retractu vineæ controuersæ ratione census per ipsas acquisiti fuit vtraq; parte informante decisum.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Lunæ 17. Decembris 1618.*

### ARGVMENTVM.

Sententiæ validæ, & iustæ sunt confirmandæ.

### *SVMMARIVM.*

1 *Validitas ex quibus resultet.*
2 *Iustitia sententiæ probatur ex decisionibus in causa factis.*
3 *Compensatio de liquido ad liquidum etiam post rem iudicatam admittitur.*

## DECISIO CLXXXVIII.

Dixerunt Domini sententias Rotales esse confirmandas vti iustas, & validas, quo ad validitatem nihil opponitur, nec potest opponi, cum adsit omnia requi-
1 sita, † & constet in actis de iurisdictione de mandatis procuratorum vtriusque partis, nec non de citationibus tam de iure, quàm de stylo requisitis.

2 De iustitia † etiam satis euidenter patet ex quatuor decisionibus Rotæ in hac causa tam corã R.P.D. meo Pamphilio, quam coram R.P.D. meo Buratto factis, in quibus omnia fundamenta Dominorum de Guicciardinis fuerunt sublata causa huiusmodi in Rota maturè, & sæpiùs ventilata.

Nec visum fuit differendam esse resolutionẽ huius dubij ex eo, quod pro parte Dominorum de Guicciardinis fuerũt dati articuli ad probandum se esse creditores Dominorum de Sacchettis, & Altouitis alicuius pecuniarum summæ, de qua calculatores nullam rationem habuerunt.

Non enim agitur nisi de confirmatione sententiarum Rotalium, quæ canonizant creditum dictorum de Sacchettis, & Altouitis, quod si incontinenti doceatur de credito liquido Dominorum de Guicciardinis quandocumque etiam post rem iu-
3 dicatam fiet compensatio † de liquido ad liqui-

liquidum, & quoad credita prætensa nondum liquida d. Domini de Guicciardinis poterunt iura sua coram competenti Iudice deducere, sed cum supradicta credita liquida, seu liquidanda nihil habeāt commune cum debito ipsorum canonizato per sententias Rotales nihil mirum si calculatores electi nullam de his rationem habuerint.

Et ita decisum vna tantum parte informante altera sæpius citata, & expectata.

BONONIEN. INDEMNITATIS.

*Luna 17. Decembris 1618.*

ARGVMENTVM.

Statutum Bononiēsi sub Rubs. de dotibus, §. item dicimus quid disponat, & declaratur statutum relatiuum ad quid debeat referri: Statuti interpretatio est vitanda si sit contraria expressè menti statuentium: statutum loquens ab intestato, cessat condito testamento.

SVMMARIVM.

1 *Statutum Bononien. sub rub. de dotib. §. item dicimus qualiter disponat, & num. 4. 10. 11. & 23.*

2 *Statutum relatiuum debet referri ad eam partem, in qua non sit correctio iuris communis.*

*Statutum recipit interpretationem passiuam à iure communi, ibid.*

3 *L. Hac edictali, C. de secund. nupt. potest derogari per statutum.*

5 *Exceptio ita intelligi debet, vt sit de regula.*

6 *Statuti relatio non potest fieri ad eam partem, in qua disponitur diuersum eius, quod quæritur.*

7 *Statutum Bonon. de lucro dotali principaliter emanauit ad fauorem maritorum.*

8 *Statuti ea interpretatio est euitanda, quæ esset contraria expressæ menti statuentium.*

9 *Relatio potius est facienda ad proxima, quā ad remota.*

13 *Alex. conf. 101. num. 9. lib. 6. quo casu loquatur.*

14 *Thesaurus decis. 84. declaratur, & n. 15.*

16 *Decis. 61. Rot. Bonon. in quibus terminis veniat intelligenda.*

17 *Casus à statuto non decisus remanet sub dispositione iuris communis.*

18 *Statutum loquens ab intestato non debet intelligi condito testamento.*

18 *Statutum deferendo lucrum dotale marito intelligi debet tam ab intestato, quam condito testamento.*

20 *Statuti verba indefinitè loquentia, generaliter veniunt intelligenda.*

21 *Præseruans nihil de nouo disponit.*

22 *Legitimæ detractionem filij prætendere nequeunt, quando succedunt ab intestato.*

DECISIO CLXXXIX.

CVM nuper sub die 23. Martij præteriti fuisset in hac causa decisum medietatem dotis Aemiliæ ad Hieronymum secundum maritum, alteram ad Dominos de Linis filios d. Aemiliæ spectare non acquiescentibus dictis Dominis de Linis iterum proposui idem dubium, quo proposito Domini nullo modo recedendum à decisis responderunt ex iisdem rationibus, quibus in supradicta decisione satis fusè
1 probatum fuit † statutum Bononiense in §. Item dicimus dum concedit facultatem testandi mulieri de rebus dotalibus, præseruat mariti lucrum medietatis dotis secūdum dispositionem præcedentis statuti, & filijs prioris matrimonij legitimam, vt sonant verba dicti statuti quæ referri debent ad præcedentem dispositionem, in qua etiam extantibus filijs prioris matrimonij semper medietas lucri secundo viro conceditur.

Nec visum fuit obstare quod dicitur dicta verba statuti referenda esse non ad secundam, sed ad primam partem statuti, in qua statuentes decernunt medietatem lucri dotis marito filijs non extantibus, ea
2 ratione, † quia relatio potius debet fieri ad eam partem, in qua nulla sit correctio iuris communis; cum statuta percipiant interpretationem passiuam à iure communi, *Bald. conf. 367. num. 4. Aretin. conf. 116. num. 3.* In hoc autem casu certum est in dicta prima parte statuti nullam fieri derogationem, sed solummodo in secunda, in
3 qua expressè derogatur dispositioni † *legis, hac edictali, C. de secund. nupt.* & hanc intelligentiam statuti videtur sequi, *Alex. conf. 101. n. 7. & 9. lib. 3.*

Placuit enim responsio data in d. decisione verba ipsius statuti *in §. item dicimus*
4 repugnare penitus huic intelligentiæ consideratur enim casus, in quo non solum marito, sed etiam filijs aliquid relinquendum sit, dum facultas conceditur testan-

standi mulieri, etiam filios habēti ex quocunque matrimonio reseruato lucro marito, & legitima filijs, vnde concluditur statutum limitare facultatem illam testandi retentis terminis primæ regulæ, nempe quando adest secundus maritus,& filii pri-
5 mi matrimonii, regulariter enim † exceptio ita intelligi debet, vt sit regula, *l. Et non vltra, §.1. vers. sed istam sententiam, ff. de neg. gest. Bart. in l. 1. & ibidem Dec. n. 20. ff. de reg. iuris cum cumulatis per Surd. cons. 152. num. 43. & cons. 262. num. 7.*

Nec possunt verba istius statuti loquentia de filiis referri ad aliam partem, in
6 qua disponitur de casu † quo extant filii ex secundo matrimonio, quia in illo nullum deberi marito lucrum deciditur.

Consideratum etiam fuit statutum emanasse principaliter ad fauorem maritorum, quod necessario colligitur, quia in duabus
7 primis partibus conceditur † marito plusquam illi competeret de iure communi,& clarius in secunda parte dū in ea derogatur *d. l. hac edictali*,& si relatio fieret huius partis ad primam sequeretur pernecesse, quod non solum lucrum secundo marito non præseruaretur, sed totum ei auferre-
8 tur, quod esset directè contra † mentem expressam statuentium, & ita magis placuit Dominis faciendam esse relationem ad secundam partem statuti, quæ disponit extantibus filiis primi matrimonii stante iuris axiomate,vt relatio fiat potius ad pro-
9 ximiora, † quàm ad remota, *glos. in l. 1. ff. de leg. præst. Bart. Castr. & alij in l. hæredes palam, §. sed & palam, ff. de testam. cum allegatis per Surd. cons. 462. n. 17.*

Nec etiam obstant differentiæ consideratæ inter secundam, & tertiam partem statuti, dum dicitur quod in secunda prohibetur filiis detractio legitimæ, & in tertia conceditur, quia placet responsio, quod in secunda parte prohibetur detractio legitimæ filiis prioris matrimonii ad ostendendam statuentium mentem fuisse, vt integra medietas spectaret ad secūdum maritum sublata omni difficultate ne filii alterius matrimonii possent prætendere, quod in primis esset detrahenda legitima, & postea inter eos dos esset diuidenda, & sic illa declaratio non tendit ad præiudicandum filiis in legitima,quam semper habent integram in medietate eis delata à statuto (cum eo casu non posset esse maior semisse hæreditatis) sed ad fauendum marito, vt haberet integram medietatem
11 sine diuisione sub prætextu † legitimæ, vnde sequitur vt dum postea in §. item dicimus, concedit mulieri testandi facultatem cum præseruatione lucri mariti, & legitimæ filiorū non posse dici diuerso modo disposuisse, sed solum limitasse portionem filiorum, quibus ex secunda parte statuti debebatur medietas dotis,& ex tertia parte solum legitima, nec potest inferri, quod statutum vno casu concedat legitimam, & in alio auferat.
12 His positis non obstat *cons. Alex. 101. num. 9. lib. 6.* quia in eo casu, in quo consuluit Alex. aderant superstites filii illius secundi mariti,cum quo de tempore mortis vxor erat copulata,qui non est casus de quo controuertitur, sed longè diuersus, quia ex vltimo matrimonio nulli extant liberi, & licet videatur *sub num. 9.* innuere relationem fieri debere ad priorem statuti
13 partem, † id obiter dicit, & extra casum, in quo consulebat,& nihil penitus allegat, eodemque modo respondetur decisioni
14 *Thesaur. 184.* quia ibi quærebatur vtrum stante statuto deberet prius detrahi legitima, quam diuidi inter filios primi matrimonii, & secundum maritum res dotales,
15 & licet ibi † *Thesaur.* dicat prius debere detrahi legitimam non potest hæc decisio applicari huic casui, in quo vt superius dictum fuit hæc quæstio in contrarium à statuentibus definitur.
16 Idemque dicendum † de decisione 61. *Rota Bononien. in nouissimis*, quæ loquitur dum vxor omnia bona donauit marito, vel
17 eundem hæredem instituit, † is enim casus non est decisus à statuto, sed remanet sub dispositione iuris communis, vt fusius deductū fuit in dicta decisione in hac causa coram me facta, in qua respondetur decisionibus coram bon. mem. Blanchetto factis, quæ responsiones rursus ponderatæ Dominis placuerunt.

Non obstat etiam quod magna verborū serie deducitur statutum quod loquitur ab
18 intestato † non debere intelligi condito testamento, responsum enim fuit regulam esse in contrarium, quotiescumque enim
19 statutum † defert marito lucrum dotis debet habere locum tam ab intestato, quàm condito testamento, *Rol. quæst. 80. num. 3. Mantic. de diuid. & indiuid. lib. 12. tit. 20. num. 15. vers. Et hoc lucrum*. Deinde verba
29 statuti loquuntur † indistinctè,& indefinitè defert enim generaliter lucrum marito, & cum sit de natura indefiniti, debet vniuer-

uersaliter, & indistinctè intelligi siue ab intestato, siue cum testamento vxor decedat, & licet postea in tertia parte faciat men-
21 tionem de testamento, † id fit limitatiuè, & cum præseruatione lucri dotalis, de quo nihil disponit, illudque deberi indistinctè iam probatum fuit ex *Rol. & Mantic. supra allegatis*.

Placuit etiam responsio data in supradicta decisione statuentes considerasse etiā casum, in quo facienda esset detractio le-
22 gitimæ, quæ regulariter fieri non potest, nisi facto testamento, cum ab intestato filii succedant in totum, nec possunt prætendere vllam legitimæ deductionem, aut detractionem, *Bald. & Salyc. & Alex. in l. haredes*, C. *de impub. Bart. & Ang. in l. quia poterat, ff. ad Trebell.* cum allegatis in supradicta decisione.

Nec visum fuit denique obstare, quod dicitur D. Hieronymum non potuisse lucrari nisi medietatem dotis primi matrimonii, & non illam quæ fuit assignata pro dote post matrimonium iam consummatū, vltra quod dicitur hoc in facto non subsi-
23 stere tollitur obiectum, quia statuti verba, quæ loquuntur de lucro dotali, in §. primo etiam extenduntur ad medietatem augmenti dotis, vt patet ex verbis statuti; Ex quibus, & alijs accuratè per D. Zambecarium deductis Domini steterunt in decisis vtraque parte acerrimè informante.

BONONIEN. AFFRANCATIONIS BONORVM.

*Lunæ 18. Iunij 1618.*

Argumentum patet in Summario.

*SVMMMARIVM.*

1 *Tertius possessor non citatus non potest sua possessione priuari, & n. 2.*

DECISIO CXC.

POST latas duas sententias in fauorem D. Equitis Maluasij contra Dominos de Linis filios, & hæredes quondam Aemiliæ Tussignanæ super restitutione bonorum cum pacto affrancandi à d. Equite ipsis Dominis de Linis locatorum. Dubitaui vtrum locus esset executioni dictarū sententiarum stante statuto Bononieñ de duabus conformibus tam contra dictos de Linis, quàm contra Hieronymum Fabam pro suo interesse in hoc iudicio in Rota facto citatum, quo dubio per me proposito propter varias difficultates super iustitia sententiarum excitatas non potuit capi resolutio super negocio principali, in hoc solum concordes fuerunt Domini, non esse locum executioni dictarum sententiarum contra d. Fabam.

Ratio decisionis ea fuit, quia constat ex actis (& id partes fatentur) dictum Fabam
1 esse tertium possessorem, qui hæc eadem bona à Dominis de Linis insolutum pro credito suo dotali accepit, vnde contra ipsum nōn citatum in prima, nec in secunda instantia contra omnes regulas iuris non potest incipi ab executione, sed debet iudicium nouum fieri, ad hoc vt ipsum affi-
2 ciat, † & possit legitimè sua possessione priuari, *l. à Diuo Pio*, §. *si super rebus*, *& ibi Bart. & omnes Doctores, ff. de re iudicata*, *Rota dec. 24. de re iudic. in nouis, fuit dictum in vna Montis Regalis Iurisdictionis 26. Nouembris 1601. coram Illustrissimo Lancellotto*, & postea *in vna Lucana terrarum 1. Februarij 1608. coram bon. mem. Iusto.*

Et ita decisum omnibus partibus informantibus.

ROMANA DONATIONIS.

*Veneris 11. Ianuarij 1619.*

ARGVMENTVM.

Donatio quando non præsumatur nulla ex sola senectute, ac præsumpta dementia donantis.

*SVMMARIVM.*

1 *Donatarius dicitur habere intentionem fundatā in publico instrumento donationis: ita quod qui illam nullam dicit tenetur probare.*
2 *Senectus sola non impedit quominus qui possit sua bona donare.*
3 *Præsumptio naturæ, & iuris stat pro sanitate mentis.*
4 *Senex etiam 100. annorum non præsumitur delirare.*
5 *Prælatio extranei in donatione non inducit præsumptionem parum sanæ mentis.*
6 *Dementia, an probetur per testes deponentes senem aliquando passum fuisse deliquia mentis.*

7 De-

7 *Dementia, seu deliquia mentis procedunt ab humore malenconico.*

8 *Imaginatio, memoria, & ratiocinatio fieri potest, vt aliqua ex dd. facultatibus in homine reperiatur malè affecta, & læsa alys sanis, & integris manentibus, & n.9.*

10 *Facultatem contrahendi, seu testandi non omnes actus imbecillitatem ingeny arguentes ex defectu memoriæ, aut imaginatiuæ tollunt.*

11 *Dementia non præsumitur, sed potius testiũ dicta super illa sunt referenda ad imbecillitatem ingeny, seu imaginationis læsæ.*

12 *Dementia debet probari tempore contractus, vt iste hoc prætextu non sanæ mentis corruat, & n.15.*

13 *Notario creditur quoad assertionẽ sanæ mentis donantis.*

14 *Per productionem quis censetur approbare contenta in scriptura producta.*

16 *Restitutio in integrum aduersus donationem æsiuam datur seni decrepito ad instar minoris.*

17 *Læsio non consideratur in donatione mera, & gratuita.*

17 *Donans nihil aliud agit nisi quod beneficy debitorem acquirit cum donare sit perdere.*

19 *Rei donatæ de iure ciuili nulla competit conditio.*

20 *Donationes mutuæ, & reciprocæ, & sic ob causam non dicuntur propriè donationes, & ideo non subiacent legibus donationum inter viuos.*

21 *Mandatum datum procuratoribus ad petendam insinuationem donationibus omni iure sustinetur.*

## DECISIO CXCI.

ROta censuit donationem factam à Ioanne Toiar in fauorem Petri Marini esse validam, & nullo modo rescindendam, & quoad primam partem decisionis ratio ea fuit, quia Petrus Marinus reperitur in possessione rerum donatarum vigore instrumenti publici donationis rectè, & ritè factæ seruatis omnibus quæ tam de iure ciuili, quam municipali secundum formam statuti vrbis requiruntur. Cum
1 igitur † habeat probationem probatam incumbit impugnanti donationem onus probandi illius nullitatem, non per æquiuocas, sed per concludentes probationes. Nec potest nullitas induci ex eo, quod dicitur donationem hanc fuisse factam à decrepito sene delirante, qui extraneum, ac penitus ignotum ex sorore nepoti prætu-
2 lerit, † non enim sola senectus impedire potuit, quo minus bona sua donatione largiretur, *l. senectus, C. de donat.* dummodo senectus vsum rationis non auferat, vt ibidem notat *glos. in verb. sola senectus,*
3 regulariter † autem talis dementia non præsumitur, omnis siquidem naturæ, ac iuris præsumptio pro sanitate mentis militat, *l. nec codicillos, C. de codicill. l. fin. C. de hered. instit. cap. fin. de success. ab intest.* quæ regula habet etiam locum in sene, *Bald. & Salyc. in l. senium nu. 1. C. qui test. facer. poss. & ibi Castr. num. 2. Cardin. Mantic. de coniect. lib. 2 tit. 5. nu. 3.* vbi quod non præ-
4 sumitur † quis delirare etiam si fuerit centum annorum cum multis alijs cumulatis in vna *Perusina hæreditatis 12. Iuny 1617. coram R.P.D. meo Buratto.*

Nec prælatio extranei inducere potest præsumptionem parum sanæ mentis, cum
5 liceat † vnicuique non solum extraneo, sed etiam penitus ignoto donare, vt reprobata Constantini lege rescripsit Theodos. in *l. 29. C. de donat. vt notat Ciriac. super dicto tit. de donat.* licet in facto iustificetur dictũ Petrum Marinum non fuisse ignotum testatori.

Nec obstant testes examinati pro parte d. nepotis hæredis ex testamento Ioannis donantis, qui deponunt istum senem aliquando passũ fuisse deliquia mentis vsumque fuisse sermonibus fatuis, & stolidis dicendo nocte se videre feles syluestres alia-
6 que spectra, † & illusiones forsan ridiculas, ex quibus prætenditur talem fuisse probatam dementiam, vt ipsi bonorum suorum administratio, & dispositio de iure fuerit interdicta ad text. in *l. nec ignorans, C. de donat. l. furiosum, C. qui testam. fac. poss.*

Placuit enim responsio ex Physicorum, Medicorum schola deprompta, qui (licet
7 omnes † isti morbi cerebrum percutientes procedant ab humore melancolico peccante tanquam à fonte) nihilominus constituunt diuersos gradus quasi riuulos huiusmodi delirij, cum enim sint tres principalium animæ iurium affectus, seu facultates quarum sedem in cerebro Philosophi constituunt, scilicet imaginatio, memoria,
8 & ratiocinatio † fieri potest, vt aliqua ex dictis facultatibus in homine reperiatur malè affecta, & læsa alijs sanis, & integris manentibus, vt distinguit *Galen. lib. 3. de*

*locis*

*locis affectis cap.5. & 6.* Alij enim totalem
9 memoriæ † vsum propter aliquem morbũ, vel senium perdiderunt, alijs imaginatio taliter offuscata existit, vt quædam falsa, & ridicula obiecta, vt vera sibi illudenter panicis terroribus sæpius agitati concipiant, ijsque ita mordicus adhæret imaginatio læsa vi humoris melancolici prædominantis, vt inde nusquam, aut saltem non nisi epotheleboro diduci possint circa hoc solum obiectum delirantes retento tamen totali vsu rationis, aliosque mania, seu frinesis occupat omnemque vsum rationis adimit reliquis animæ facultatibus vtentes, vt rationibus, & exemplis comprobat *Gal.d.cap.6. sub fin.* & post eum ex recentioribus Medicis *Andreas Laurentius de morbis melancolicis cap.1.& fusius cap.7.* vbi multas historias causasque naturales ex Arabum Græcorum, & Latinorum scriptis
10 depromptas cumulat, † quam distinctionem non abhorruerunt I.C. dum tradunt non omnes actus imbecillitatem ingenij arguentes ex defectu memoriæ, aut imaginatiuæ, licet parum sanæ mentis hominibus competant tollere facultatem contrahendi, aut testandi, sed eos solum qui iudicij rationisque vsum excludunt, *Iason.in l. furiosum, num.2. Dec. in l. humanitatis, num. 1. C. de impub. & alijs substit. Decian. conf.51. numer.82. cum seq. lib. 4. fusissimè Menoch. conf. 683. num.14.* vbi distinctionem illam Galeni, & exempla adducit hancque distinctionem probauit *Rota in d. decisione Perusina coram R.P.D. meo Buratto*; & nuper in vna *Romana hæreditatis de Grachis die 5. Decembris præteriti coram R.P.D. meo Remboldo*, quæ est in fortioribus terminis.

11 His sic stantibus visum fuit † Dominis omnia gesta dictaque per Ioannem de quibus deponunt testes debere referri ad imbecillitatem ingenij, seu imaginationis læsæ potius, quàm ad exilium mentis rationisque, quod satis iustificatur ex dicto vnius testis, qui deponens de facto proprio asserit ipsum donatem alioquin contractus celebrasse bona sua administrasse,
12 & in omnem euentum † dicta testium non censentur attendenda, quia nemo illorum percutit tempus factæ donationis, quod erat pernecesse probandum, cum actus in eo etiam qui patitur dilucida interualla præsumatur factus de tempore habili, & non tempore dementiæ, vt notatur in *l. furiosum, vbi Ang.num.1. Castr.num.3. Mant. de coniect. lib.2.tit.5.num.6. Hond. conf.78. num.61.* & censuit Rota in vna *Meliten. testamenti 17. Febr. 1612. coram R.P.D. meo Manzanedo*, cum multis quæ cumulantur in dicta *Perusina hæreditatis*.

Et quod omnem dubitationem Dominis sustulit, illud est, quod omnis probatio videtur sublata ex testamento per ipsum Ioannem per annum post dictam donationem celebrato, in quo sanus mente, vt as-
13 serit Notarius † ( cuius dicto creditur ex cumulatis in d. decisione *Perusina* ) hæredem scripsit Petrum ex sorore nepotem vigore cuius iste adiuit hæreditatem. Nam Ioannes hoc iudicium contra donatarium
14 introduxit, † qui cum produxerit in actis dictum testamentum eiusque vigore hæreditatem adiuerit censetur testamentum, & in eo contenta approbasse iuribus vulgaribus, vnde infertur, quod si senior con-
15 diderit † testamentum sanus mente, & intellectu nisi probetur præcisum tempus dementiæ de tempore donationis factæ probationes æquiuocæ hæredi ex testamento non possunt suffragari.

Quoad secundum decisionis caput duplici ratione prætendebatur esse locum rescissioni, & primo propter inobseruantiam donatarij ex remedio *l.fin.C.de reuoc.donat.* Sed hæc obiectio tollitur ex facto, nam cum partes conuenissent, vt pro assecuratione donantis donatarius loco pignoris, aut fideiussionis cedulam bãchariam bancho Sancti Spiritus præstaret prout re ipsa fuit data pro summa scutor.82. conuenta potuit quandocunq; adueniente solutionis tempore illam à bancho exigere, vt exegisse conuincitur ex quietantijs ipsius, quæ dantur in summario.

Quoad beneficium restitutionis in inte-
16 grum, quod † prætenditur debere dari seni decrepito, quando constat, vt in hoc casu de læsione manifesta ex capite *edicti Prætoris si qua mihi iusta causa videbitur* ad instar minoris. Placuit responsio, quod licet donatarius promiserit soluere dicta scuta 82. annua, & ista promissio fuerit correspectiua ad donationem, tamen donatio non fuit facta eo solum intuitu, sed propter amorem, & ex eius mera liberalitate donantis, vt sonant verba instrumenti, & ideo cum ipse donauerit in specie tot loca montium, & societates officiorum specificatas in instrumento, quarum valo-
17 rem non ignorabat, † non potest obijci læsio in donatione mera, & gratuita ex cu-

mu-

mulatis per *Gabr. de empt. & vendit. concl.* 1. *num.* 52. ea ratione quia † qui donat nihil aliud agit nisi quod beneficijs debitorem acquirit, cum donare sit perdere *l. filius fa-*
16 *milias, ff. de donat.* & de iure ciuili rei donatæ nulla competat conditio, vt notat *Ciriac. super tit. C. de donat. in fin.*

20 Quinimo donationes illæ mutuæ, & reciprocæ quæ dicuntur ob causam impropriè dicuntur donationes, sed potius assumunt naturam contractus innominati, do vt des, facio vt facias, & ideo non subiacere legibus donationum inter viuos probat multis auctoritatibus, & rationibus, *Tiraq. in l. si vnquam, in verb. donatione largitus num.* 11. 12. *& seq. C. de reuocat. donat.*

Ad ea quæ deducuntur contra validita-
21 tem insinuationis, responsum fuit † nullo iure ciuili, aut municipali cautum, aut à Doctoribus scriptum reperiri necessarium esse vt mandata data procuratoribus donātium ad effectum petendæ insinuationis nō sustineatur, si eadem die qua donatio stipulatur rogetur Notarius de dicto mandato, quinimò stylus inualuit in contrarium cum ex fide Notariorum quæ datur, & clarius ex instrumentorum donationum in Vrbe factarum appareat vnico contextu coram eodem Notario, & testibus solitum esse donantem constituere procuratorem ad petendam insinuationem coram Iudice quam postea dictus procurator quandocumque facere potest nisi medio tempore pœnituerit donans, aut dictam donationem reuocauerit, vt in hoc casu facta fuit donatio die 24. Februarij, & die 26. insinuata.

Et ita decisum vtraque parte informante &c.

## LVCANA PRAEPOSITVRAE.

*Lunæ 15. Ianuarij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Episcopus in Ecclesijs suæ Diœcesis habet assistentiam iuris, & ex qua sola sibi debetur manutentio in actibus iurisdictionalibus.

### *SVMMARIVM.*

1 *Episcopo existenti in quasi possessione conferendi debetur manutentio.*
2 *Ecclesiam esse intra limites alicuius Diœcesis, probatur ex confessione partis aduersæ.*
3 *Episcopus de iure habet fundatam intentionem quoad omnes Ecclesias suæ Diœcesis.*
4 *Episcopo ex sola iuris assistentia debetur manutentio absque alia possessione.*
5 *Manutentio quoad ius præsentandi non debetur illi qui non docet de sua quasi possessione, immo si constaret nec minus deberetur non docto de iurepatronatus, & num.* 6.
7 *S. Concil. Trid. sess. 25. cap. 9. habet locum in personis, in quibus cadit præsumptio vsurpationis.*
8 *Vniuersitas habetur pro persona in qua cadit præsumptio vsurpationis.*

## DECISIO CXCII.

DOMINI dixerunt dandum esse mandatum de manutenendo D. Episcopo Lucano ad effectum conferendi Præposituram Io. Stephano approbato in concursu, cum de illius quasi possessione constet ex pluribus collationibus effectum sortitis tàm antiquis iam ab anno 1464. 1495. quàm modernis de anno scili-
1 cet 1594. licet vnica sufficeret, *Ripa in cap. cum Ecclesia Sutrina num.* 91. *de caus. possess. & propr.* & fuit sæpissimè decisum, & signanter *in Papien. Iurispatronatus Ven.* 18. *Martij* 1613. *coram R. P. D. meo Manzanedo, & in Callien. Iurisconferendi Lunæ* 6. *Martij* 1617. *coram R. P. D. meo Verospio.*

Inquam sententiam eo libentiùs ierunt Domini, quia vna cum possessione con-
2 currit iuris assistentia cum ex confessione partis in commissione appellationis constet Ecclesiam, de qua agitur esse intra limites Diœcesis Episcopi Lucan, *vulgat.*
3 *l. cum precum*, C. *de liber. caus.* de iure autem Episcopus habet fundatam intentionem quoad omnes Ecclesias suæ Diœcesis *cap. omnes basilicæ* 16. *quæst.* 7. *Abb. in cap. cum Ecclesia Vulterrana num.* 8. *in fine de elect.* fuit dictum in vna *Eluen. Beneficij* 1. *Iulij* 1615. *coram me*, & alias sæpe vnde
4 absque alia probatione possessionis alterius debetur manutentio, *Capic. decis.* 189. *num.* 7.

5 Communitati verò Terræ Capannori, quæ prætendebat ius præsentandi nullam deberi manutentionem iuris præsentandi dixerunt Domini, quia non constat de quasi possessione illius, *§. retinendæ instit. de interd. l.* 1. *§. huius autem interdicti, vbi Bart. in princ. ff. uti possic.*

6 Imò etiam si cōstaret de quasi possessione

tamen nec deberetur manutentio non docto de Iurepatronatus iuxta formam S. C.
7 *Trid. seß. 25. cap. 9.* † quod habere locum in personis, in quibus cadit præsumptio
8 vsurpationis qualis est † Vniuersitas tàm in petitorio, quàm in possessorio fuit sæpissimè decisum, & signanter in vna *Pampilonen. de Sansi Veneris 1. Iulij 1605. coram R.P.D. meo Decano, & in Calaguritana Iurisprouidendi de Viana Veneris 15. Maij 1609. coram bo: me: Penia*, de quo tamen Iurepatronatus nullo probationis genere fuit in actis doctum, & ita Episcopus venit manutenendus in quasi possessione liberæ Iurisconferendi istam Ecclesiam sitam in finibus suæ Diœcesis, tàm vigore plurium collationum in actis exhibitarum, quàm assistentiæ iuris communis ex supradictis.

Et ita decisum vnica tantum parte informante alias sæpiùs citata, & expectata.

## ROMANA CVRAE.

*Lunæ 14. Ianuarij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Ratio semel reddita ab administratore, ista liberat à noua redditione rationis, licet hoc non procedat, docto de errore, de quo tamen debet concludenter constare. Purgationis iuramentum an admittatur ad liberandum aliquem ab exhibitione scripturarum, qui eas custodire tenebatur.

### SVMMARIVM.

1 *In scripturarum exhibitione Rota inuiolabiliter seruat æquitatem canonicam.*

2 *Ratio quando semel est reddita, aut saltem facta solemni liberatione, non potest iterum peti vt noua ratio reddatur.*

3 *Ratio semel reddita non est amplius reddenda, nisi doceatur de errore, vel læsione, quæ probanda sunt ab eo, qui petit de nouo rationem reddere, & num. 4.*

5 *Purgationis iuramentum quando adest circa non existentiam scripturarum apud aliquem non debet ille cogi ad vlteriorem exhibitionem.*

6 *Iuramentum purgationis non facilè admititur ad liberandum eum ab exhibitione scripturarum qui eas custodire tenebatur.*

7 *Actor nisi probauerit suam intentionem, reus est absoluendus.*

8 *Negligentia alicui suffragari non debet.*

## DECISIO CXCIII.

VISUM fuit Dominis D. Octauium Donum teneri exhibere libros, & scripturas ipsi assignatas in instrumento inter partes celebrato de mense Aprilis anni 1605.
1 non solùm ex æquitate canonica † quam Rota semper in materia exhibitionis inuiolabiliter obseruat, sed etiam ex dispositione iuris communis.

Cum enim appareat ex dicto instrumento publico Marium Donum, & Pyrrhum Albericum curatores testamentarios pro reuisione computorum totalis administrationis bonorum ipsius Doni illi maiori facto consignasse omnes libros, & scripturas confectas tam occasione rationis bancariæ, quàm aliorum bonorum stabilium pacto inito, vt ipse Octauius examinatis dictis libris, & scripturis per annum integrum prætensiones suas deduceret, & quo elapso propositis quibusdam prætensionibus ipsemet Octauius dictos Curatores, & Administratores ab vlteriori redditione rationis absoluit, & quietauit vt patet ex instrumento publico de anno 1606. de eodem mense Aprilis confecto.

Quo posito libris per annum examina-
2 tis per Octauium ipsi assignatis † reddita semel ratione non potest iterum petere, vt ipsi reddatur noua ratio nisi prius dictos libros, & scripturas, de quibus instrumenta faciunt mentionem exhibeat, *Nenizan. cons. 97. in fine, Paris. cons. 89. num. 27. lib. 1.*
3 Clara siquidem est iuris regula † rationem semel redditam non esse amplius reddendam nisi doceatur de errore, aut læsione, quam qui allegat, illam tenetur probare, *Paul. de Castr. cons. 36.* quem allegat, & sequitur *Soccin. sen. cons. 190. col. 2. vol. 4. Dec. cons. 100. in fine, Rol. cons. 49. num. 50.*
4 *lib. 1.* † fieri autem non potest vt doceatur de dicto errore nisi prius exhibeantur scripturæ super quibus fuit facta prædicta liberatio à redditione rationis, & ita per consequens qui vult agere, tenetur illas exhibere, *Neuiz. d. cons. 97. Socc. sen. dicto cons. 190. num. 7. Seraph. decis. 230. num. 4.*

Nec placuit Dominis, quod dicebatur omnes libros remansisse in bancho, cuius administrationem Pyrrhus postea suscepit non enim controuertitur existentia librorũ rationis bancariæ, sed quorumdam librorum qui respiciunt administrationem bonorum stabilium, vt Casalium, aliorumq; in hæreditate q. Alexandri repertorum, quæ

quæ tunc temporis fuerunt destinata ab ipsa ratione bancharia, vt ex verbis primi instrumenti colligitur, in quo fit mentio distincta, & separata librorum dictæ rationis existentium in bancho, aliorumque bonorum hæreditariorum, qui in domo existebant; vnde ex eo quod dictus Pyrrhus continuauerit in administratione rationis banchariæ, non potest referri ad retentionem aliorum librorum confectorum super bonis stabilibus d. hæreditatis.

Nec etiam visum fuit obstare, quod pro parte Octauij dicebatur libros aliquos Casalia concernentes fuisse amissos sine culpa ipsius, seque paratum esse id iureiuran-
5 do præstito coram Iudice affirmare † quo iuramento purgationis stante non debet cogi ad vlteriorem exhibitionem, *Bart. in l. si quis ex argentarys, §. an hæc hæreditas num. 2. ff. de edendo*, cum similibus.
6 Placuit enim responsio, hoc † iuramentum purgationis non facilè admitti ad liberãdum eũ ab exhibitione, qui libros custodire tenetur, *Soc. conf. 190. n. 7. Bero. conf. 1591. n. 24. lib. 1. Rot. coram bo: me: Orano in vna Romana Merciũ die 30. May 1588. & in alia Romana Computorum 11. Febr. 1593.* deinde dictus Octauius est actor qui iterũ petit sibi rationem nõ obstante liberatione per ipsum facta in fauorem Pyrrhi qui est
7 reus, & debet absolui nisi suam intentionẽ probauerit actor iuribus vulgaribus quam aliter nonnisi exhibitis libris, & scripturis
8 supradictis poterit probare, nec esset æquũ vt negligentia in custodiendis libris Dono suffragetur contra omnes iuris regulas.

Verùm quia principalis difficultas videbatur consistere super exhibitione. Speciali certorum librorum respicientium Casale de Campolofico quos nunquã sibi fuisse assignatos dictus Octauius constanter asserit. Ideo DD. id esse particulari dubio examinandum censuerunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CALAGVRITANA BENEFICII.

*Veneris 11. Ianuary 1619.*

Argumentum ex Summario.

### *SVMMARIVM.*

1 *Attentata sunt gesta post appellationem quando fuit processum iudicialiter.*

2 *Constitutio fel. rec. Clem. 8. super beneficiis Calaguritanis præcipit vocandos esse filios patrimoniales, & sic inducit telam iudiciariam omnino seruandam.*

3 *Iudex sine vitio nullitatis, & attentatorum non potest non deferre appellationi quando fuit iudicialiter processum.*

4 *Grauamen eo ipso dicitur illatum filijs patrimonialibus Calaguritanis quo non fuerunt idonei declarati ad beneficium curatum.*

5 *Appellationi quando non dicatur renunciatum ex quo non approbatus idoneus ad beneficium curatum fecit actus aliquos in vim approbationis ad beneficia simplicia.*

## DECISIO CXCIV.

1 VISUM fuit Dominis omnia gesta post appellationem interiectam à Ioanne de Ayla, & Martino Aquillar esse nulla, attentata, & reuocanda ea maxime ratione quia fuit processum iudicialiter per citationes, & alios actus iudiciales quibus oppositores iustificarunt suas oppositiones,
2 quinimò stante constitutione fel. rec. Clementis Octaui statuente vt filij patrimoniales vocentur per edicta, non poterat procedi nisi seruata tela iudiciaria, vt fuit decisum coram Illustrissimo Lancellotto in vna *Calaguritana de Maestr. 16. Februarij 1614.* & alias sæpissimè.
3 Cum igitur fuerit processum iudicialiter prouisor tenebatur defferre appellatione, nec poterat vlterius procedere sine vitio nullitatis, & attentatorum, *cap. non solum de appellat.* cum similibus, poteratque Martinus, aut alij interesse habentes in causa petere reuocationem omnium quæ fuerunt gesta.
4 De eorum interesse satis constat, qui fuerunt declarati idonei, & capaces ad beneficium simplex, & non ad beneficium cui cura animarum imminet, in eo enim constat grauamen irreparabile, & in eo præcipue fundata est constitutio fel. rec. Clementis Octaui, vt multoties Rota decidit. & nouissime in vna *Calaguritana Beneficij Lunæ 3. February 1618. coram Reuerendissimo D. meo Decano*, in qua multæ conformes decisiones Rotæ adducuntur.

Et licet dictus Martinus fecisset aliquos actus postea in vim prædictæ approbationis ad beneficium simplex non inde dicendum esset ipsum appellationi renunciasse,
5 quia ipse non impeditur petere, & obtinere beneficium simplex, & postea prose-

qui appellationem ad reuocandum grauamen ipsi factum, in eo quod non fuit declaratus idoneus ad beneficium etiam curatum, vt fuit in terminis resolutum corā Illustrissimo Lancellotto in supradicta decis. Calagurritana de Maestra,

Quoad gesta post appellationem interiectam à Ioanne de la Cuesta DD. substiterunt ea solum ratione, quia ipse non comperet, & habuit non solum appellationem, sed etiam causam pro deserta, quod si compareret ipso conquerente possent omnes alij oppositores adhærere ipsius appellationi, & petere reuocationem omnium gestorum à die quo ipse Ioannes de la Cuesta appellauit,

Et ita decisum.

## SALERNITANA PAROCHIALIS.

*Lunæ 18. Februarij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Gesta post inhibitionem Rotalem tamquam attentata reuocantur, & quando ad hunc effectum non excuset res iudicata. Inhibitio Rotalis impunè non potest sperni, & siue iusta, siue iniusta semper est timenda.

### *SVMMARIVM.*

1 *Gesta post inhibitionem Rotalem sunt attentata, & sic reuocanda.*
2 *Attentata excusantur stante reiudicata.*
3 *Res iudicata tollit inhibitionem legalem, & facit expirare vires inhibitionis Rotalis.*
4 *Sententia, & res iudicata non prosunt nisi doceatur de earum executione.*
5 *Res iudicata quādo adest ad fauorem rei, trahit secum virtualiter executionem.*
6 *Lis non poterit dici finita si adhuc pendeat super executione sententia.*
7 *Inhibitio Rotalis quando est intimata alicui tunc ab eo non potest, nec debet impunè sperni, sed debet ad Rotam ipsam, vel ad Signaturam recurrere.*
8 *Inhibitio Rotalis siue iniusta, siue iusta semper est timenda.*
9 *Sententia notoriè iniusta non transit in rem iudicatam.*
10 *Diuisio Titulorum, & beneficiorum bene probatur ex visitatione Ordinariorum, & enunciatiuis antiquis.*
11 *Status quadragenarius in beneficijs vt possit constitui, quid requiratur.*

## DECISIO CXCV.

CVM sub die 23. Ianuarij 1617. fuisset in hac causa decisum omnia gesta per Thomam Baracanum post inhibitionem Rotalem tamquam nulla, & attentata esse reuocanda non acquiescente huic resolutioni Io. Martino Sabatino moderno Capellano Thomę subrogato ad eius instātiam iterum proposito dubio DD. fine vlla difficultate steterunt in decisis moti ex rationibus fusè deductis in dicta decisione coram me facta, ex quibus apparet dictum Thomam non obstante pendentia litis in Rota post inhibitionem ipsi personaliter intimatam indebitè fructus vtriusque beneficij separati, & non vniti exegisse in
1 spretum inhibitionis Rotalis, vnde † omnia corruant, & tamquam attentata reuocentur necesse est.

Nec visum fuit posse excusari attentata ex eo quod hodie exhibentur acta iudicialia super quibus lata fuit sententia Rotalis,
2 quam transitum fecisse in rem † iudicatam tàm ob lapsum fatalium, quam ob non interiectam debito tempore appellationem
3 vtraque pars fatetur, vnde infertur † tolli per rem iudicatam inhibitionem legalem, & expirare vires inhibitionis Rotalis.

Huic obiectioni pluribus modis responderunt Domini, & primo placuit responsio
4 data in decisione † non sufficere allegare sententias, & rem iudicatam nisi doceatur de eorum executione, *Mohed. decis. 1. vt lite pendente, Sarn. de ann. quæst. 44. cum alleg. in d. decisione.*

Nec subsistere visum fuit in facto, quod pro exclusione attentatorum replicatur ad esse rem iudicatam ad fauorem rei, & pos-
5 sessoris, † quæ trahit virtualiter secum executionem, quia licet sit verum sententiam transijsse in rem iudicatam nullibi iustificatur, quod D. Thomas esset reus, & possessor, quinimo constat concessum fuisse mandatum de manutenendo Rectori colli-
6 tiganti, & per consequens † non potest concludi litem fuisse finitam cùm adhuc penderet super executione ex alleg. in dicta decisione, vltra quod cum esset commissa causa appellationis, & restitutionis in integrum in Rota, & vigore eius ema-
7 nasset inhibitio ipsi Thomæ intimata † non potuit, nec debuit ab ipso impunè sperni, sed debebat ad Rotam ipsam, vel Signaturam recurrere, vt firmauit dicta decisio, &
8 millies fuit in Rota decisum cum † inhibitio

tio Rotalis iusta, seu iniusta sit timenda, vt tritum est in Curia.

Tertiò responsum fuit sententia huiusmodi † nunquam transijsse in rem iudicatam stante eius notoria iniustitia, quæ hodie ex actis pro parte Io. Martini productis, clarius iustificatur, ex eorum enim te-
9 solutione apparet hæc beneficia, de quibus agitur, esse diuersa, vnum sine cura, alterum cum cura animarum à diuersis personis, & tutelaribus possessa, vnde tenebatur Thomas probare aliquam dismembrationem, aut vnionem.

Quod autem in dicta Ecclesia S. Marci adessent duo distincta beneficia patet ex pluribus visitationibus Ordinariorum factis ab anno 1492. vsque ad annum 1602. in quibus enunciatur, & asseritur prædictam Ecclesiam in titulum Capellaniæ, & Rectoriam diuisam esse à centum, & am-
10 plius ab hinc annis ex † quibus visitationibus Ordinariorum, enunciationibusque antiquis probatur diuisio dictorum titulorum, & beneficiorum, *Verall. decis. 160. par. 2.* & fuit in simili causa resolutum *coram R.P.D. meo Verospio 15. Martij 1614. in vna Salernitana Parochialis.*

Comprobatur clarissimè hæc separatio beneficiorum ex continuis prouisionibus, & collationibus istorum beneficiorum distinctè, & diuersis personis ab anno 1563. vsque ad hunc diem quæ effectum fuerunt
11 sortitæ, quibus stantibus † posset constitui status separationis beneficiorum quadragenarius, qui sufficeret ad inducendam præscriptionem iuribus vulgaribus, vnde iure meritoque coram Illustrissimo Ludouisio Lunæ 5. Iulij 1611. fuit decisum hęc beneficia non esse vnita, sed penitus distincta ex qua resolutione elicitur sententiæ iniustitia, quæ adiudicat Thomæ in præiudicium possessoris vtriusque beneficij fructus tamquam non distincti, & separati.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## BENEVENTANA DOTIS.

*Die 28. Ianuarij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Declaratur statutum Beneuentanum super prohibitione mulieribus disponendi vltra decimam partem de dote extantibus liberis.

### SVMMARIVM.

1 *Statutum generaliter loquens, generaliter debet intelligi.*

2 *Verbum, suis, restringitur ad bona potius ipsius disponentis.*

3 *Statutum prohibens alienationem mulieribus vltra certam portionem de dote dicitur conditum fauore filiorum.*

4 *Clausula aduersatiua, quod si, de sui natura repetit omnes praecedentes qualitates.*

5 *Statutum exorbitans a iure debet strictissimè interpretari.*

6 *Statutum consulens indemnitati filiorum, & fragilitati mulierum non dicitur exorbitans à iure, sed fauorabile.*

7 *Statutum disponens quod mulier possit dispònere in præiudicium filiorum vltra quartã, censetur augere legitimam filiorum vsque ad tres quartas.*

8 *Statutum quoties non agitur de extensione, sed de comprehensione stante identitate rationis, & verbis claris à statuto prolatis, quamuis odiosum adhuc debet intelligi secundum latitudinem, & generalitatem verborum.*

9 *Statutum quando in vna parte est clarum, non eget alia interpretatione elicienda ex altera parte eiusdem statuti.*

10 *Statuti tot sunt dispositiones quot capita separata statuti.*

11 *Rationis diuersitas operatur, vt non sit arguendum de casu ad casum ad effectum decisionis illorum.*

12 *Neopod in consuetud. Neapol. §. si quam oriens, & Socc. sen. consil. 110. volum. 3. in quibus terminis procedant.*

13 *Testamentum mulieris prohibitæ disponere vltra certam portionem suæ dotis, dicitur habere effectum quoad eam partem de qua disponere potest.*

### DECISIO CXCVI.

Postquam sub die 1. Decembris 1617. decisum fuit non fuisse licitum. Dianæ, stante statuto Beneuentano disponere liberis extantibus vltra decimam partem de dote etiam ab ipsamet sibi constituta, non acquiescentibus informantibus pro Margarita, iterum proposui idem dubium, quo multoties proposito causa maturè discussa Domini noluerunt à decisis recedere; existimarunt enim nullam faciendam esse differentiam (habita ratione filiorum) dotis tam ab alio, quàm ab ipsamet consti-

tutæ, si verba statuti, & mens, ratioque statuentium accuratè perpendantur.

1 Et quoad verba consideratum fuit statutum generaliter de dotibus loqui, sicque generaliter intelligi debere, *l. 1. §. generaliter autem, ff. de leg. præst. l. Iulianus, ff. de leg. 3. cap. solitæ in fin. de maior. & obed.* cum alijs adductis in supradicta decisione,

2 deinde si proprietas verbi, *suis*, ponderetur apparebit magis propriè applicari posse dotibus datis ab ipsamet muliere, quæ procedebant à proprio ipsius patrimonio ante matrimonium, quam dotibus profectitijs, & aduentitijs, vt multis comprobat *Gabr. cons. 132. num. 6. lib. 1.*

3 Quo verò attinet ad rationem statuti visum fuit mentem statuentium fuisse principaliter vt fauori filiorum, sexusque muliebris fragilitati sucurrerent, ex traditis per *Socc. cons. 84. col. fin. num. 9. lib. 1.* nec vlla verisimilis ratio potest adduci cur deterioris conditionis filij existere debeant, quando mater seipsam dotauit, quam dum ab alijs fuit dotata semper enim filios lex naturæ, votumque commune parentum ad successionem bonorum maternorum vocat vigetque eadem suspicio ne illecebris mariti, aut consanguineorum delinita muliebris imbecillitas extraneos propriæ soboli præferat.

Hanc autem fuisse rationis identitatem, statututumque indistinctè loqui de omnibus dotibus comprobatur ex duobus versiculis statuti subsequentibus, in quibus statuentes præscribunt legem lucro dotis, eo modo vt mulier decedens superstitibus filijs non possit disponere nisi de decima parte, & sine filijs de medietate, & si matrimoniū morte viri soluatur, mulier lucretur quartam partem suarum dotium, si verò dissoluitur per obitum vxoris, maritus lucretur quartam partem si sine filijs decesserit. Vnde sicut non potest verisimiliter in his posterioribus casibus constitui aliqua differentia, inter dotem constitutam ab ipsa muliere, vel in constituta ab alio, quia vtroque casu, vterque coniux debet lucrari dictam quartam partem, ita dicendum est respectu alterius partis statuti loquentis per eadem verba, *de suis*, dotibus

4 cum † clausula aduersatiua, *quod si*, quæ de sui natura repetit omnes præcedentes qualitates, *Ias. in l. Marcellus num. 2. ff. ad Trebell. Menoch. cons. 76. num. 6. Aym. cons. 208. num. 5.* idque maxime quia nulla assignari potest ratio, cur coniuges, lucrari debeant quartam dotalem in vno casu potius, quam in alio.

Nec obstare visum fuit maximum, & præcipuum fundamentum informantium pro Margarita, qui multis probare nituntur,

5 statutum † de quo agitur, dum tollit mulieribus liberum testandi arbitrium de rebus proprijs, contra eiusdem, & naturalem æquitatem, & exorbitans à iure communi debere strictè intelligi, imo restringi vt lædat minùs ius commune, quam fieri potest, *l. quod vero, ff. de l. 2. C. de nox. act. cap. cum dilectus ext. de consuet.* cum similibus, vnde inferunt statutum non esse ita genericè intelligendum, vt non recipiat interpretationem passiuam, à præcedenti parte statuti cum sit pars, & sequela statuti in rubrica proxime præcedenti positi in in quo statuentes solum loquuntur de dote profectitia considerantes personam dotantis, tamquam diuersam à dotata, alias si non intelligeretur secunda pars statuti, secundum terminos statuti præcedentis, fieret potius extensio, quam restrictio contra regulas iuris.

Huic obiectioni pluribus modis fuit responsū, & primoplacuit respōsio aliàs data

6 in suprad. decis. statutū istud consulens indemnitati filiorū, muliebriq; fragilitati nō esse exorbitans à iure cōmuni, aut odiosū, sed potius fauorabile, vt in terminis tradit, & comprobat *Menoch. cons. 11. num. 9. & seq. & præcipue nu. 15. & Aym. cons. 118. num. 7. 9. & seq. Rota decis. 117. par. 1. diu.* principalis enim intentio statuentium, non fuit nocendi directè mulieribus, sed impediendi, ne à maritis, alijsque decipiantur

7 ad subuertendas naturæ leges † nihil enim agunt quod augetur legitima filiorum alias ipsis de iure naturæ debita, vt in specie tradit *Socc. d. cons. 84. lib. 1. Castr. cons. 441. num. 3. vol. 2.* cum alijs allegatis in supradicta decisione.

Deinde non agitur de extensione, sed de comprehensione stante identitate rationis, & verbis claris, & indistinctè à statu-

8 to prolatis, † quo casu etiamsi statutum tamquam odiosum; alioquin esset restringendum nihilominus debet latè, & generaliter intelligi, secundum latitudinem, & generalitatem verborum, & rationis, quicquid sit si ageretur de illius extensione ad alios casus non expressos, *Dec. in cap. at si Clerici, §. de adult. col. penult. vers. 4. & vltimo de iudic. & in l. semper in obscuris num. 11. vbi etiam Cagnol. num. 21. de regul. iur.*

*iur. Cald. conf.1. in princ. de consang. & aff. Aym. conf.118. num.12. & 14.*

His positis facili est respõsio ad primam partem statuti in vers. filijs verò non extantibus, vbi non existentibus filijs superstitibus potest vxor libere testari de medietate dotis, dummodo altera ad dotantem reuertatur, seu eius hæredes, non enim hodie quæritur quid esset statuendum eo casu quo non extarent liberi, quia mortua est Diana relicta filia, vnde cum in casu superexistentiæ filiorum, verba sint clara, eademque militet ratio in quacumque dote, frustra pro interpretatione rei clarissimè
9 recurritur ad aliam partem statuti, † quæ satis est dubia, & perplexa ex allegatis in præcedenti decisione, & fusiùs per informantes, *l. comparatione*, *& ibi scribentes*, *cap. de fide instrum.* cum non agatur hodie de danda interpretatione totius statuti Beneuentani, sed solum de ea, quando adsunt filii superstites, idemque respondetur statuto præcedenti, quod expresse loquitur de exclusione fœminarum propter masculos, dummodo dotentur de paragio, quod nihil habet commune cum quæstione controuersa.
10 Placuit, & alia responsio, cum tot sint dispositiones, quot capita separata statuti, *l. scire debemus, & ibi scribentes, & in specie Iaf. nu.4. de verb. oblig. Put. decis.323. lib.1.* non posse inferri à parte statuti, quando filij non supersunt, ad aliam partem quando superextant, militat enim diuersa ratio quia diuersa est dispositio, dum in vna parte sola habetur ratio filiorum superuiuentium, & hic est casus, de quo agitur, in alia vero parte, respicitur fauor agnatorũ, qui casus non controuertitur, & quamuis verisimiliter substineri posset restringi statutum, dum agitur de successione agnato-
11 rum, † tamen non est arguendum ad decisionem primi casus propter diuersam rationem, *Gabr. cons.94. num.24. lib.1.*

Nec etiam obstat auctoritas *Neopod. in consuetudine Neapolitana §. si quam oriens num.49. & 50. & Socc. sen. cons.110. nu.2. vol.3.* cum modernis alleg. per informan. pro Margarita, quia (vltra quod non sumus in casu, & verbis statutorum, in quibus consuluerunt dicti DD. sed in penitus diuerso) ipsi non constituunt differentiam inter dotes ab ipsamet muliere, vel ab eius agnatis, aut cognatis cõstitutas, sed solum iuxta mentem, & verba cõsuetudinis Neapolitanæ, & Bononieñ, distingunt inter bona peruenientia ab agnatis, & inter alia extra dotalia, quę aliunde obuenerunt mulieribus, itaut possint testari de decima parte, seu alia, si cum filijs decedent, in alijs verò, aliunde partis, & quæsitis non prohibentur testari reseruata filiorum legi-
12 tima, vnde apparet eas auctoritates casui nostri non applicari, in quo mulier bona hæreditaria à parentibus accepta in dotem marito dederat, & ita in specie respondit *Maluasia conf.39. num.14. & seq.*

Nec placuit, quod dicitur sequi absurdum, quod mulier pro parte intestata decederet, sicut enim pater, vel mater, si extraneis hæredibus institutis relinquunt filijs titulo institutionis legitimam, vel minus legitima non dicuntur decedere partim testati, partim intestati, si filij detrahunt legitimam tamquam æs alienum, de qua parentes disponere non poterant reliqua remanente penes hæredes, sic in hoc
13 casu aucta legitima † per statutum, filij iure proprio detrahent 9. partes iure legitimæ, decima remanente, in qua testamentum suum sortiretur effectum. Reliquis obiectionibus responsum fuit per informãtes, cum quibus DD. transierunt.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

## INTERAMNEN. LEGATI.

*Mercurij 20. Februarij 1619.*

## ARGVMENTVM.

Compensatione de credito ad creditum quando sit locus.

## SVMMARIVM.

1 *Rota non solèt executioni demandare sententias aliorum Tribunalium, nisi gustata de illorum iustitia.*
2 *Testamentum publicum plenè probat, & habet executionem paratam.*
3 *Compensatio tantum admittitur de liquido ad liquidum.*
4 *Creditum per illius remissionem remanet extinctum.*
5 *Creditum dotale maritus potest remittere in sui praiudicium remanente actione mulier contra bona ipsius mariti.*
6 *Maritus cessante fraude, potest dotem sibi promissam ipsi promittenti largiri.*
7 *Confessio receptionis dotis facta à marito si pro-*

*præcedat promissio, probat veram solutionem in præiudicium tertij.*

8 *Debitor per depositum summa debita cum decreto Iudicis remanet liberatus.*

9 *Creditum vt cum alio credito possit compensari requiritur quod sit probatum, & iudicatum.*

## DECISIO CXCVII.

LATA sententia quæ vt asseritur transiuerat in rem iudicatam in fauorem Petri Laurentij Lilij in prima instantia à Gubernatore Ciuitatis Interamn. contra Gliceriam filiam, & hæredem Iscatadiæ pro consecutione legatorum tam ipsi Petro, quàm Aureliæ eius matri factorum causa, in gradu appellationis, seu restitutionis in integrum A. C. commissa dictam sententiã primi Iudicis reuocauit, quæ quidem vltima sententia transitum etiam fecerat in rem iudicatam, vnde pro parte, Gliceriæ eius executio petebatur. Verum quia ex laudabili, & inueterato Tribunalis stylo
1 Rota non solet sententias aliorum Iudicum executioni demandare, nisi cognita, aut saltem degustata earum iustitia, ideo Domini examinantes iustitiam vltimæ sententiæ reuocatoriæ primæ quoad extensionem compensationis allegatæ per Gliceriam canonizatam ab A. C. eam non obstante Petro agenti responderunt.

Moti sunt ea præcipuè ratione, quia creditum Petri Laurentij videtur indebitatũ habita ratione legati sc. 100. eidem relicti à dicta Iscitadia, seu alterius legati relicti Aureliæ eius matri, cuius est hæres, vt ap-
2 paret ex testamento publico, † quod plenè probat, & habet executionem paratam, *gloss. in §. illud, in verbo decreto, in auth. de hæred. & falc. Bald. in auth. hoc amplius. num.* 3. *C. de fideic.* cum alijs fuse deductis per *Bec. conf.* 17. *num.* 6. & 7. vnde constito de credito claro cum compensatio sit debiti, & crediti inter se inuicem contributio clarè debebat constare de credito Gliceriæ ad effectum vt Iudex posset iuridice compensare illud cum credito d. Pe-
3 tri Laurentij, quia † solum de liquido ad liquidum fit compensatio, & non quando aliquid venit liquidandum, *l. fin. C. de compen. vbi Bart. & aly scribentes, Bero. consil.* 255. *num.* 2. *lib.* 1. *Rolan. cons.* 17. *num.* 18. *lib.* 1.

Quod autem creditum ratione residui dotis sc. 300. debitæ dictæ Iscatadiæ hodie à Gliceria prætensæ non esset liquidum, duplici modo colligitur, & primo ex eo, quod per instrumentum publicum patet illud fuisse remissum per Ioannem Andreã maritum etiam titulo donationis, vnde
4 istud † debitum fuit extinctum mediante remissione, & acceptilatione facta per ipsum *l. si ex pluribus, ff. de acceptil. Alex. in l. si de fideiussoribus in fin. ff. de leg.* 2. *Surd.*
5 *decis.* 29. *num.* 22. quod † fieri potuit per ipsum maritum in sui ipsius præiudicium, salua remanente actione mulieri contra bona ipsius mariti donantis, *Alex. in l. si socer, §. Lucius. num.* 2. *ff. sol. matr. DD. in l. quoties, ff. solut. matr. & in l. cum dos, ff. de part. dot. cum alijs fuse deductis per Bald. Nouell. de priuileg. dotis par.* 7. *priuileg.* 11. *limit.* 10. *& priuil.* 30. *in fine*, nullo siqui-
5 dem iure prohibetur † maritus fratri vxoris, seu matri à quibus dos fuit promissa, donatione dictam dotem largiri, dummodo cesset suspicio fraudis, *Ruin. cons.* 183. *num.* 4. *lib.* 1. *Rolan. cons.* 53. *num.* 26. *lib.* 1. *Ioseph Ludou. decis. Perus.* 66. *num.* 21.

Quoad alia scuta 1200. pro dote promissa amplius peti non possunt, stante in-
7 strumento quietantiæ, quod licet contineret simplicem confessionem de recepto factam à marito tamen cum præcedat promissio probat veram solutionem etiam in tertij præiudicium, *Castr. in l.* 1. *num.* 8. *ff. sol. matr. Afflict. decis.* 402. *num.* 2. *& seq. Aym. cons.* 4. *num.* 1. *vers.* 2. fuit dictum in vna *Rauennaten. Saluiani* 28. *Iuny* 1602. *coram Illustriss. Ludouisio, & alias sæpe.*

Secundo visum fuit non esse locum cõpensationi ratione sc. 300. prætensorum pro residuo dotis, quia Petrus Laurentius non erat obligatus nisi pro sc. 100. & pro alijs sc. 200. Ioannes Cittadinus contra cuius hæredes Gliceria debebat dirigere actionem, vt patet *in Summario num.* 5. &
8 ita stante † deposito facto in Monte Pietatis sc. 100. cum decreto Iudicis, Petrus Laurentius remansit liberatus, *Rol. cons.* 63. *num.* 29. & 32. *lib.* 1. *cum alleg.* vnde pro hac rata Iudex non debebat admittere cõpensationem præcipuè post latam sententiam à primo Iudice coram quo non fuerat petita compensatio, quicquid esset an in executione esset admittenda.

Nec obstare visum fuit, quod dicitur Ioannem Andream, qui vltro remisit dicto Laurentio creditum dotale sc. 300. fuisse prodigum, vt constat ex assertione ipsiusmet Laurentij placuit enim responsio per senten

sententiam constare de contrario, & in omnem euentum remanet maxima dubietas vtrum dictus Andreas esset taliter prodigus vt ei bonorum suorum administratio fuerit interdicta quo dubio stante quousq;
9 id † non sit probatum, & iudicatum non potest dici creditum istud esse liquidum ad effectum compensationis ex supradictis.

Quo vero ad caput retentionis ob non redditam rationem canonizatę per sententiam A.C. particulari dubio discutiendum reseruarunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CALAGVRITANA IVRISPVLSANDI CAMPANAS.

*Lunæ 11. Martij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Ceremoniale Pontificale quoad ceremonias Ecclesiæ tanquam lex seruandum.

### SVMMARIVM.

1 *Ceremoniale Pontificale vti lex scripta, & ius commune inuiolabile obseruandum in ceremonijs Ecclesiasticis.*

2 *Campanæ in die Sabbati sancti non possunt pulsari nisi audito signo Campanæ Cathedralis.*

3 *Ceremonialis dispositio aut Constitutio Clementis 8. non tollit immemorabilem.*

4 *Immemorabilis quando non dicatur probata.*

5 *Consuetudo contraria alicui dispositioni non potest dari nisi data possessione præcisa.*

6 *Scripturis magis quam testibus deferendum.*

6 *Constitutio Clem. 8. super ceremonijs Ecclesiæ derogauit omnibus consuetudinibus contrarijs sola immemorabili excepta.*

### DECISIO CXCVIII.

Domini sine vlla difficultate dixerunt sententiam extra Rotam vti iniustam esse reuocādam, manifesta enim ex eo elicitur iniustitia quod Iudex declarauit licitum esse Abbatibus, & Beneficiatis, Parochialium Ecclesiarum S. Iacobi & Andreę in Ciuitate Calaguritana sitarum pulsare ad libitum Campanas in die solemni Sabati sancti, nec teneri expectare pulsum campanarum Ecclesiæ Cathedralis contra verba directa & expressa ceremonialis Romani Auct. fel. record. Clem.
1 VIII. publicati † quod sicut & Pontificale, in Ceremonijs ecclesiasticis habetur vt lex scripta & ius commune inuiolabiliter seruandum *Mohed. decis. 5. de fid. instr. Rot. in Fleboren. exemptionis 3. Martij 1600. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno.*

2 In Ceremoniali lib. 2. cap. 27. de Sabato sancto hæc verba leguntur cantatur gloria in Excelsis pulsaturq; campanæ & organum debentque moneri Ecclesiæ Ciuitatis ne pulsent Campanas nisi audito signo Campanarum Ecclesiæ Cathedralis, & in Bulla confirmationis Ceremonialis idem Pontifex illud in vniuersali Ecclesia ab omnibus & singulis personis ad quas spectat & in futurum spectabit perpetuo obseruari mandat, & quod in totum vel in partem non possit addi, vel diminui cum clausulis derogatorijs nō obstantibus cōstitutionibus & ordinationibus Apostolicis prouincialibus & Synodalibus Cōcilijs editis generalibus, vel specialibus nec nō quarumuis Ecclesiarum etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alias roboratis statutis & consuetudinibus cæteris contrarijs quibuscumque.

3 Et † quamuis sola dispositio Ceremonialis aut Constitutio Clem. VIII. non abstulerit immemorabilem cōsuetudinem, *Bald. in l. omnes nu. 10. & ibi Ang. in fin. C. de præscript. 30. ann. fel. in rubr. de præscript. num. 18. Afflict. decis. 254. numer. 5. Couar. var. lib. 3. cap. 13. num. 5.* vt etiam id declarauit Sacra Congregatio Rituum nihilominus dictæ Parochiales non possunt ius prætensum tueri, quia nō sufficienter probarunt dictam immemorabilem cum requisitis à iure de quibus per *glos. in cap. 1. de præscript. in 6.* quam Rota inuiolabiliter seruat & millies fuit decisum.

Quod autem non adsint requisita gl. patet ex lectura depositionum testium quę dantur in Summario pro parte dictarū Parochialium Primus enim testis non deponit de auditu à maioribus, neque publica voce & fama, Tertius non deponit de publica voce & fama, Quartus patitur eosdem defectus quos, Primus testis plura etiam congeruntur contra dictum, Secundi testis ab informantibus in facto pro Capitulo Ecclesiæ Cathedralis quod non deponat de quadragenaria de visu sufficitque quod

4 quod sit vnicus ex reg. † quod vox vnius, vox nullius.

Deinde nec etiam testes concludunt intentionem Ecclesiarum Parochialium cum non sufficiat, quod nõ expectauerint pulsum Campanarum Cathedralis Eccl. Sed deberent probare quod prius Parochiales pulsauerint cum posit esse quod non expectauerint, & tamen non prius, sed postea pulsauerint, & quod ita semper fuerir
5 seruatum † alias non posset induci consuetudo in contrarium non data possessione præcisa, *l.2. C. de seruit.& aqua Seraph. decis.1463.num.8.*

Quin imò vnus ex Dominis existimabat probari nullo modo posse consuetudinem immemorabilem quia cõstat de initio prohibitus ex Constitutione Leonis X. de anno 1516. edita intra centum annos cum decreto irritante conformi dicto Ceremoniali nõ possunt enim deponere testes nihil fuisse dictum & auditum in contrariũ quia constat de contrario per scripturas
6 quibus magis fides est adhibenda quam testibus, *l. census ff. de probat. cum similibus.*

Nec placuit Dominis, quod dicebatur huiusmodi consuetudinem esse rationabilem & laudabilem, stante legitima excusatione Parochialium probata per testes quæ sonum campanarum stante Aquilone
7 non possunt audire quia † visum fuit per clausulas derogatorias amplissimas derogatum fuisse per constitutionẽ Clementis Octaui omnibus contrarijs consuetudinibus sola immemorabili excepta, *Couar. var. lib.3.cap.17.num.5.cum alys per Modern. in reg.8.glos.33.num.8. 9. & seq.* vltra quod hæc ratio visa fuit nimis friuola ad effectum eximendi Ecclesias Parochiales ab obsequio debiro Cathedralibus cum facilè posit adhiberi remedium inconuenienti prætenso cuius allegationem non soluit argumentum.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA SEV VITERBIEN. FIDEIVSSIONIS.

*Veneris 15. Martij 1619.*

## ARGVMENTVM.

Fideiussio de repræsentando aliquem ad omne mandatũ Domini est conditionalis, & ideo talis fideiussor non constituitur in mora nisi præcedente requisitione Iudicis vel saltem die.

## SVMMARIVM.

1 *Restitutio in integrum non denegatur læso stante iniustitia sententiæ.*
2 *Fideiussio de repræsentando aliquem ad omne mandatum Domini est cõditionalis cum non habeat aliquam certam diem.*
3 *Et si non constat de requisitione facta per Iudicem nunquam potest dici quod venerit dies obligationis. & num.6.*
4 *Obligatio conditionalis operari nõ potest nisi obligationem faciendi die & conditione eueniente.*
5 *Fideiussio de repræsentando aliquem expirat ob impotentiam conditionis scilicet si repræsentandus moriatur, & num.14. & 16.*
7 *Dies interpellat pro homine.*
8 *Mora frustra obycitur si non sit adiecta dies obligationi.*
9 *Debitum dicitur quis agnouisse per voluntariam termini susceptionem.*
10 *Termini suspectio debet regulari à natura obligationis.*
11 *Termini susceptio sub conditione cessat non eueniente conditione.*
12 *Mandatum coactiuum de redeundo ad carceres, prouenire debet à Iudice.*
13 *Mora cessante cessat pœna.*
15 *Sententia quæ non iustificatur ex actis dicitur notoriè iniusta & inde non transit in iudicatum.*

## DECISIO CXCIX.

Domini vnanimiter & sine vlla difficultate responderunt constare de causis restitutionis in integrum quia constat de iniustitia vltimæ sententiæ extra
1 Rotam latæ † qua stante beneficium restitutionis in integrum læso non denegatur, *Rota decis.1. in primo de restit. in integr. in nouis Mohed.decis.2.de appell.Cæsar de Gras. decis.15.num.12.de sentent.& reiur.& similibus.*

Iniustitia sententiæ ex eo patet, quod carcerationem factam in persona Francischini fuisse legitimam Iudex pronunciauit cum tamen apparet eum iniustè fuisse & indebitè carceratum ex serie facti cum enim Iacobus carceratus esset instante Baldassare ipsemet promisit se repræsentare in carceribus sub pœna debiti & ad omne mandatum Domini liberè, & vlterius pro-

promisit facere, vt huic obligationi mater & auia accederent, alias teneti voluit ad id præcisè & ad omnia damna, & prædictis omnibus sponte D. Francischinus vti principalis, & insolidum accessit, promisit & fideiussit, ex quibus verbis vi-
2 sum fuit istam promissionem de repræsentando ad omne mandatum Domini fuisse conditionalem quatenus à Iudice requireretur cum non habeat diem certũ, *Castr. cons.* 100.*col.fin.vol.*2.*Gabr. cons.* 173. *nu.*6. *vol.*2.*Rol.cons.*58.*num.*14.*lib.*1.*Rota diuers. decis.*91. *num.*4. *& sequ. par.*2. & ita quo
3 vsque ✝ non constat de requisitione facta per Iudicem contra principalem debitorem, nunquam dici potest venisse diem obligationis conditionatæ, *Dec. cons.* 145. *circa fin.vol.*5.*Osasc.decis.Pedem.*45.*num.*8. *vers.*3. *quia Ripa in l.*4. *§.hoc autem nu.*10.
4 *ff.de damn.infect.* nec ✝ aliud obligatio insolidum operari potest, nisi obligationem faciendi die & conditione eueniente.

Vnde sequitur necessario Francischinũ
5 per ✝ mortem Iacobi principalis debitoris fuisse liberatum à fideiussione eum repræsentandi ob impotentiam conditionis & ita ad nihil tenebatur, *l. si decesserit, ff. qui satisd.cogan.& ibi Bart.& aly Scrib. l.si mandatum* 19.*§.penult.ff.mãdat.Rol.cons.*58. *num.*5.*lib.*1.*cum alleg.*

Neque obsta t, quod ante obitum Iacobi Francischinus, dicatur constitutus in
6 mora quia ✝ illa non contrahitur nisi præcedente requisitione, aut saltem die, quæ
7 pro ✝ homine interpellet ex iuribus vulgaribus de requisitione iudicis non apparet, nec dies certa obligationi fuit adserta, &
8 ita ✝ frustra mora obijcitur, nec videtur ipsum Francischinum tacitè determinasse,
9 diem ✝ per susceptionem voluntariam termini, nec parte, nec iudice instante per quem consensit in mandatum sine alia citatione relaxandum, vt respondit *Rot. corã Reuerendiss. Domasceno in vna Romana Vineæ* 28. *Nouembris* 1611.*&* 17. *Febr.*1612. quia pura non fuit obligatio Francischini de repræsentando sub pœna debiti, sed fuit adiecta illa clausula *ad omne mandatum*
10 *Domini*, & ita ✝ susceptio termini debet regulari à natura dictę obligationis, vt scilicet suscipiens confiteatur se obligatum ad repræsentandum & velle repræsentare statim elapso mense quatenus tamen Iudex id mandet & eo casu consensit relaxationi
11 mandati ✝ quo non eueniente susceptio termini fortiori vinculo cum non obstringit, vt post *Roman.Butr.Abb. & alios* quam plurimos dixit *Farin. in practica crimin. quæst.*34. *numer.*34. vbi testatur de communi.

Quin imò si aliter iste consensus mandati executiuè intelligeretur esset in facultate fideiussoris carcerari facere principalem contra formam eius obligationis
12 cui accessit fideiussor ✝ cum mandatum coactiuum de redeundo ad carceres prouenire debeat à iudice nõ ab ipso fideiussore, vt per *Castr.& Gabr. locis præcitatis*,
13 vnde infertur ✝ cessante mora ante obitũ ipsius amplius pęnæ locum non esse & obligationem factam sub pœna debiti morte principalis expirasse, *l.*2.*§.si quis caut.Gabr. d.cons.*173.*num.*26.

Non obstat, quod idem Francischinus fuerit in mora in faciendo quod mater, & auia Francisca carcerati accederet obligationi Francisci, quia hoc admisso pro vero in hoc casu intrat obligatio ad damna, & interesse, vt patet ex forma obligationis, (ibi alias teneri voluit ad damna & interesse) non videtur autem quod in hoc casu Baldassar ex dicta non accessione patiatur aliquid damnum vel interesse, quia etiã si illæ mulieres accessissent cum nunquam fuerint constitutæ in mora viuente prin-
14 cipali debitore, ✝ modo expirasset illa obligatio per mortem dicti Iacobi iuxta dictam *l. si decesserit*, propterea non posset Baldassar contra illas se reualere.

Nec obstat denique, quod hic adsit res iudicata, quæ traxit secum executionem cum sit lata super non excarceratione Frã-
15 cisci quia Rota sequitur opinionem ✝ quod sententia quæ non iustificatur ex actis, notoriè dicatur iniusta, & inde non transeat in iudicatum, *Cæsar.de Grass. decis.*2.*& decis.*16.*num.*15.*de solut.& tenuit Rota in Burgen. quindemiorum Lunæ* 16. *Martij* 1615. *coram D. Andrea relata in recentioribus decis.*659.*à num.*16.*p.*2.*tom.*2.

His sic stantibus Domini iudicarunt nõ opus esse ingredi quæstionem si obligatio minoris ex dispositione statuti Viterbien. esset irritanda cum seu valida, seu
16 inualida per mortem ✝ principalis debitoris propter impossibilitatem actus euanuerit ex supradictis.

Et ita decisum vtraque parte informante.

CA-

CAMERINEN. PECVNIARIA.

*Lunæ 28. Martij 1619.*

## ARGVMENTVM.

Fratres vterini non veniunt sub dispositione apta ipsos comprehendere quando contraria mens testatoris elicitur ex aliqua alia circumstantia puta conseruationis familiæ &c.

## SVMMARIVM.

1 *Fratres vterini adinuicem fratres dicuntur.*
2 *Mens potius quam verba inspici debet.*
3 *Fratres vterini non veniunt sub dispositione alicuius statuti prospicientis cōseruationem agnationis.*
4 *Frater vterinus non est de familia & agnatione sororis à statuto exclusæ.*
5 *Agnatio non conseruatur per vterinos.*
6 *Dispositio cessat cessante ratione dispositionis.*
7 Gabr. conf. 15. & Honded. conf. 1. *in quibus terminis procedant declarantur.*
8 *Ratio tacita conseruationis agnationis non resultat quando dispositio potuit moueri ex alijs rationibus.*
9 *De agnatione in dispositionibus ex quibus verbis dicatur fuisse habita ratio.*
10 *Vna constitutio clara declarat aliam dubiam.*
11 *Agnationis conseruatio quando dicatur non habere locum in hæreditate materna.*

## DECISIO CC.

Domini steterunt in decisis coram me sub die 26. Iunij 1617. ex rationibus tunc deductis quæ iterum examinatæ Dominis placuerunt.

Et licet verba constitutionis sint apta comprehendere fratres vterinos cum de
1 iure ipsi ad inuicem fratres dicantur, *l. iure consultus* §. 2. *gradu ff. de gradibus affin. Angel. Aretin. in* §. 1. *in fine instit. de legit. agnat. successione. Ias. in l. tres fratres num.* 18. *ff. de pactis. Crot. conf.* 263. *num.* 20. *vers. sed ad hoc lib.* 2. *& hac ratione Gabr. conf.* 15. *sub nu.* 40. *lib.* 1. *& latius Honded. conf.* 1. *num.* 18. 19. *& sequ. lib.* 2. responderint dictam constitutionem habere locum etiam in fratribus vterinis.

2 Tamen quia† magis mens quam verba inspici & attendi debet, *l. benignus, ff. de legi. l. non dubium C. eod.* & respondit super hac constitutione *Thob. Non. conf.* 12. *n.* 10. Domini censuerunt illam non comprehēdere fratres vterinos, quia mens & voluntas fuit prospicere conseruationi agnatio-
3 nis † quo casu ex recepta DD. opinione non venire fratres vterinos sub huiusmodi statutis firmauit Rota in illa *Firmana pecuniaria coram R.P.D. meo Verospio*, relata in alia decisione huius causæ quæ extat *inter rec. diuers. decis.* 461. *p.* 2.

4 Frater enim † vterinus non est de familia & agnatione sororis à statuto exclusæ, *Bald. conf.* 30. *lib.* 1. *& conf.* 61. *lib.* 4. *Alex. in l. maximum vitium nu.* 3. *C. de liber. & posth. Albert. Brun. de statut. quod stantibus masculis act.* 12. *nu.* 252. *Thob. Non. dicto conf.* 12. *n.* 5. nec in eo militat ratio conseruandæ agna-
5 tionis † quæ per vterinos non conseruatur, vt post *Castr. Paul. de Monte Pic. conf.* 85. *nu-*
6 *mer.* 36. *&* 71. Vnde † cessante ratione cessat etiam dispositio, *l. quod dicitur ff. de pactis, l. adigere* §. *quamuis ff. de iure patr. Tob. Non. dicto conf.* 12. *num.* 10.

7 Nec Gabr. & Hond. † contrarium voluerunt vbi adest expressa ratio conseruandæ agnationis, imò id expressè admittunt, vt per *Gabr. dicto conf.* 15. *numer.* 38. *& seq. Hond. dicto conf.* 1. *num.* 37. *& seq.* Sed existimarunt in hac constitutione non adesse expressam rationem conseruandæ agna-
8 tionis, & † à tacita non posse argui, quia dux potuit moueri alijs rationibus, iuxta doctr. *Bart. in l. liberorum num.* 12. *in fin. ff. de verb. signif. Bald. in l. illam num.* 3. *C. de collat. Salicet. in l. si serui vestri C. de nox.*

Verum Dominis visa fuerunt clara illa
9 verba proemij in familias masculinas opes & diuitias per quas hominum dignitates manutenentur & conseruantur ex quibus constat non de masculis tantum, vt existimarunt *Gabr. & Honded.* Sed etiam de familijs & agnatione habitam fuisse rationē vt respondit, *Tob. Non. dicto conf.* 12. *num.* 6. imò quatenus essent dubia benè remanent declarata tam ex rationibus deductis ex alijs verbis constitutionis) per *Tob. dicto conf.* 12. *num.* 7. *vers. & ideo, & nu.* 11. *vers. præterea, & vers. accedit,* quibus osten-
10 dit non † aliam fuisse mentem statuentis nisi agnationis conseruandæ, quam etiā ex alijs cōstitutionibus in quibus expressè fit mentio de agnatione, vt ex *Surd. conf.* 568. *num.* 9. *& seq. lib.* 4. fuit dictum in alia decisione nec visum fuit obstare, quod in
11 hæreditate materna non habeat locum con-

conseruatio agnationis, quia DD. allegati in alia decis. nempe *Socc. cons. 84. lib. 1. & cons. 241. lib. 2. Brun. de statu, quod stant. masculi art. 12. q. 5. in fin. Non. dicto cons. 12. n. 9.* & alij loquuntur in specie in casu de quo agitur firmantes masculos non excludere sorores vterinas.

Ex quibus & alijs deductis in supradicta decisione vnanimiter Domini perstiterunt in decisis.

## ROMANA SEV CASTREN. AFFICTVS.

*Veneris 1. Martij 1619.*

Argumentum non eget.

*SVMMARIVM.*

1 *Expensas qui succubuit liti tenetur reficere victori.*

2 *Iudex qui in sententia non fecit mentionem de decimis ex post functus suo officio ad illas condemnare non potest.*

3 *Quod limita stante obligatione Camerali cum eo casu quandocumque peti possint.*

## DECISIO CCI.

CONCLVSVM fuit pro informante videlicet Sauinum condemnandum esse ad expensas omnium mandatorum Rotalium pro præstatione cedulæ banchariæ contra ipsum relaxatorum, quia cum ipse obligatus esset obligatione Camerali præstare dictam cedulam, quod adimplere renuebat, aut differebat ad id coactus à iudice fuit, intratque regula generalis eum
1 qui succubuit liti † ad expensas in ea lite factas teneri, *cap. finem litibus de dolo, & contum. l. cum quæ temerè l. properandum §. si autem ff. de iudic. cum similibus.*

Et licet regulariter lata sententia nullaque facta mentione condemnationis expē-
2 sarum, Iudex † qui semel officio suo functus est non possit amplius ad eas condemnare, *l. terminati C. de fructibus & lit. expen.* fallit tamen hæc regula, vt in hac facti specie quando actum fuit vigore obligationis Cameralis in qua adest specifica obligatio
3 expensarum damnorum, & † interesse eo enim casu non debentur solo Iudicis officio, sed iure actionis & ideo quandocumque peti possunt, *Ias. in l. 1. num. 4. C. de iudic. & in §. actionum instit. de act.* & in terminis id fuit decisum in vna *Romana expensarum 26. Martij 1614. coram R. P. D. meo Manzanedo,* multis ex rationibus cum quibus Domini transierunt.

Et ita decisum.

## HISPALEN. FRVCTVVM.

*Lunæ 15. Aprilis 1619.*

Argumento non eget.

*SVMMARIVM.*

1 *Beneficium cap. Odoardus de solut. non suffragatur Clerico qui dolosè se agit in litigando.*

2 *Litigator dolosus dicitur qui litem differt vsque ad tres conformes & executionem litterarum executorialium.*

3 *Beneficium cap. Odoardus de solut. est personalissimum.*

## DECISIO CCII.

CONCLVSVM fuit pro informante procedendum scilicet ad vlteriorem executionem mandati Rotalis à bon. mem. Penia relaxati in vim trium sententiarum, & rei iudicatæ Rotalis, idque non obstante beneficio exceptionis, *cap. Odoardus de solut.* ad quod recurrit Ludouicus Emanuel frater Francisci quem Rota intrusum esse iudicauit, & contra eum mandatum pro restitutione fructuum indebitè perceptorum in fauorem Hieronymi Mirandæ relaxauit.

Moti sunt Domini duplici ratione qua-
1 rum prima ex eo desumitur, † quod istud beneficium ei suffragari non debet qui dolosè se egit in litigando pro vt reputatur
2 Franciscus † qui litem tamdiù distulit vsque ad tres sententias Rotales conformes, & executionem litterarum executorialium, *Mohed. decis. 17. num. 2. Gomes. in compendio vtriusque signat. in fin. Sarnen. decis. 22. lib. 1.* vbi refert Rota ita iudicatum in vna *Arboren. Parochialis de Alsario coram M. Antonio 20. Nouembris 1540.* & in Signatura Iustitiæ in vna *Asten. plebania,* & nouissimè ita respondit *Rota coram bo. me. Illustrissimo Card. Pamphilio in vna Mediolanen. fructuum 7. Iunij 1596.*

Secunda ratio quæ omnem scrupulum tollit ea est, quod non ipse Franciscus debitor qui ad Indias profectus ibidem commora-

moratur. Sed Ludouicus eius frater hoc beneficio vti prætendit ad impediendam executionem mandati Rotalis super bonis, & censibus ad dictum Franciscum condem
3 natum spectantibus illud enim beneficium est personalissimum, quod ipsi soli Clerico debitori competit, qui tenetur fatere declarationem bonorum, aliaque requisita iuxta formam *d. c. Odoardus, vt ibi Imola num.* 14. docendo iustam habuisse causam litigandi, quod tantum abest, vt faciat quin potius contra ipsum vti contumacem omnia iura clamant.

Et ita decisum.

## ASTEN. CAPPELLAE.

*Luna* 18. *Martij* 1618.

Argumentum non eget.

### *SVMMARIVM.*

1 *Institutio non debetur præsentato ab eo de cuius quasi possessione præsentandi non constat.*

2 *Institutio vt sit debita requiritur existentia Iurispatronatus.*

3 *Iuspatronatus non acquiritur ex augmento dotis.*

4 *Scriptura confecta à non habente legitimum mandatum quis iuuari non potest.*

5 *Incompatibile est vnum beneficium residentiam habens possit aliud consimile retinere.*

## DECISIO CCIII.

CONTRA informantem nempe Gambam præsentatum à Secundo Nattam non esse instituendum Domini responderunt.

Ratio Dominorum fuit, quia nullo probationis genere constat dictum Nattam præsentantem esse in quasi posione præ-
1 sentandi, † vt poisit esse locus *cap. consultationibus de iurepatr.* & imò, & quatenus de illa constaret tamen non suffragaretur,
2 quia non constat de existentia † iurispatronatus, prout constare debet ex dispositione *Sac. Concil. Trid.* vt fuit sæpissime decisum.

Nec visum fuit posse fieri fundamentum in augmento dotis de anno 1609. quia
3 ex tali augmento non acquiritur Iuspatronatus, *Abb. cons.* 206. *num.* 2. *vers. sed ex quo cappellæ sunt fundatæ, Rocch. de Curt. de iurepatr. in vers. & dotauit.*

Et minus visum fuit posse fieri fundamentum in scriptura dotationis facta de anno 1593. per Henricum Nattam, quia
4 cum per informantes pro Gamba † talis scriptura impugnetur vti facta à non habente tunc mandatum non potest Gamba illa iuuari, *cap. ex eo de reg. iur. in* 6. *Gabr. de regul. iuris conclus.* 1. *numer.* 1. *& seq.* prout nec potest illa iuuari, quia non constat de descendentia præsentantis à
5 dicto Henrico, vltra quod Domini † dubitabant, an Gamba posset dictam Cappellā obtinere, dum in dicta scriptura dicitur præsentandum teneri in Ecclesia interuenire diuinis officijs, & Gamba obtinet Canonicatum requirentem residentiam, ex traditis per *Gonzal. ad reg.* 8. *gloss.* 15. *nu.* 9. 17. 18. 19. *& seq.* & stante dispositione S. Concilij Tridentini.

Et ita decisum.

## MELEVITANA HAEREDITATIS.

*Luna* 15. *Aprilis* 1619.

### ARGVMENTVM.

Remissoria aduersus publicum instrumētum ex capite calumniæ concedi non solet.

### *SVMMARIVM.*

1 *Instrumentum vt conuincatur de falso probationes requiruntur concludentes.*

2 *Pacta dotalia sicuti vt plurimum præcedere debent matrimonium, ita pari ratione post illorum celebrationem in certo loco non contradicit, quia matrimonium in alio diuerso loco potuerit celebrari.*

3 *Negatiua vt releuet debet coarctari loco, tempore, & personis.*

4 *Instrumentum subsequens receptionis dotis magnum adminiculum inducit legalitatis procedentis instrumenti dotalis.*

5 *De instrumento licet possit dubitari ob defectum appositionis loci in quo fuit celebratum, attamen sufficit si in margine illius appositio fuerit adiecta.*

6 *Probatio non est expectanda super eo, quod ex euidentia facti, & inspectione scripturæ apparet.*

7 *Testis officio Iudicis fungi non debet.*

8 *Calumnia ex eo resultat quod fuerit oppositum, quod in partibus aliquo modo non fuit in controuersiam deductum.*

DE-

## DECISIO CCIV.

POstquam visum fuit Dominis instrumentum dotale vigore cuius Lucretia prætendit se vocatam ad fideicommissum esse in forma probanti ex rationibus deductis in decisione facta in hac causa *die 28. Ianuarij proximè præteriti coram R.P.D. meo Verospio*, informantes pro Pasquale Testafera ad subuertenda præcipua dictæ decisionis fundamenta deferunt articulos in actis, pro quibus probandis petierunt remissoriam in partibus, vnde proposito memoriali loco causæ visum fuit petitam remissoriam esse denegandam.

1. Et quoad quatuor primos articulos attinet vltra quod non contrauertuntur à dicta Lucretia, & dantur pro probatis non sunt releuantes ad tollendam fidem instrumenti, licet enim contrahentes habitarent in locis diuersis non ideo sequitur, quod non potuerunt eadem die, vel eodem tempore quo celebratus fuit contractus assi-
1 stere celebrationi instrumenti, ✝ quod esset nō per præsumptiones, sed per concludentissimas probationes probandū ad conuincendum de falso instrumentum 40. ab hinc annis, vel circiter celebratum.

Minus releuare visum fuit quintus articulus in quo prætenditur matrimoniū fuisse cōtractum, & celebratū in Ciuit. Victorio-
2 sa ad effectum, de quo agitur, cum enim pacta dotalia precedere vt plurimum soleant matrimonium fieri facile potest vt post instrumentum celebratum in Casali Tarsen. postea celebratum fuerit matrimonium in Ciuitate Victoriosa, idemque dicendum videtur de sexto articulo cum minuta instrumenti potuerit fieri ex dicta Ciuitate, & postea stipulatum esse in d. Casali.

Quoad septimum, octauum, & nonum in quibus articulatur instrumentum nullo modo fuisse stipulatum stante partium discordia non fuisse repertum inter scripturas Notarij rogati, sed esse folium volans minus authenticum, & quod patitur multos defectus specificatos, visum fuit dictos articulos non esse admittendos, quia con-
3 tinent negatiuam, quæ ✝ debuit coarctari loco, tempore, & personis, quod requiritur ad diminuendam fidem instrumenti legalis, de cuius obseruantia constat ex pluribus coniecturis.

Adest enim ratificatio eiusdem instrumenti facta coram testibus scripta manu eiusdem Notarij stipulantis, & recognita quod fuit repertum inter scripturas dicti Notarij de mandato Iudicis partibus præsentibus extractum, vt ex Summ. primæ positionis num. 3. apparet.

Concurrunt etiam instrumentum de anno 1576. celebratum coram eodem Notario, in quo maritus fatetur se recepisse partem dotis promissæ in d. instrumento dotali controuerso cum relatione expressa ad dictum instrumentum, de quo idem met
4 Notarius fuerat rogatus, ✝ ex quo maximum argumentum veritatis, & legalitatis instrumenti dotalis, DD. desumpserunt iunctis alijs adminiculis, & coniecturis fusius expressis in dicta decisione in hac causa coram D. meo Verospio facta, quibus stantibus defectus rogitus sanatur, *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 8. num. 7.* quin imò cōcurrentibus his vehementibus præsumptionibus, & adminiculis, fides etiam informi scripturæ solet adhiberi, *Caputaq. decis. 234. lib. 1. Put. decis. 210. lib. 2. & 186. in fine lib. 3.*

5 Nec obstat, quod non adsit locus loci, vnde nullitatem instrumenti colligunt informantes pro dicto Pasquale, quia vltra quod hæc quæstio in puncto iuris maximā pati potest difficultatem tollitur obiectio ex facto cum sit in margine appositus locus Casalis Tarsen. qui sufficit ex alleg. in dicta decisione stante maximè stylo ordinario Notariorum illarum partium.

Consideratum etiam fuit istos articulos continentes qualitatem, & prætensos defectus dicti instrumenti nullo modo admitti posse, quia qualis sit illa minuta apparet ex illius inspectione subiecta oculis iudi-
5 cum, vnde ✝ non esse expectanda probatio super eo quoad apparet ex euidentia
7 facti, & inspectione scripturæ aliter ✝ testes qui examinarētur super istis prætensis defectibus officio Iudicis non testis fungerentur, quod non est ferendum, vt pluries fuit in Rota decisum, & nuper in vna *Treueren. Decimarum Veneris 5. Decembris 1617. & postea in vna Meliten. Baiulinatus Vener. 4. Maij 1618. coram me.*

Visum fuit in hac facti specie adesse magnam suspicionem calumniæ, quia de hoc non fuit in partibus oppositum, &
8 probatio contra veritatem instrumenti antiqui ratificati, & obseruati videtur suspecta, & varijs artibus protrahitur istius causæ progressus.

Et ita decisum.

ROMANA PRAELATIONIS.

*Veneris 10. Maij 1619.*

Argumentum sume ex Summario.

## SVMMARIVM.

1 *Retrahens non acquirit fructus à die mota litis, sed à die solutionis, vel effectualis depositionis pretij.*

2 *Emptor volens emptionem effectuare non constituit venditorem in mora nisi post factam realem pretij oblationem.*

3 *Actor qui in libello dicit se paratum soluere debet facere quod obtulit antequam Iudex veniat ad condemnationem.*

4 *Sententia quæ non iustificatur ex actis non potest sustineri.*

5 *Fructus à die mota litis veniunt in quocumque iudicio quando agitur de re fructifera.*

6 *Fructus facit suos bonæ fidei possessor.*

7 *Fructus pendentes tempore venditionis prædij faciunt partem pretij, & illud augent.*

## DECISIO CCV.

CVM in sententia lata extra Rotam super iure retractus vigore dispositionis bullæ Pij V. super censibus fuerit condemnatus D. Liscianus ad restitutionem fructuum perceptorum à die emptionis, dedi dubium an dicta sententia quoad condemnationẽ fructuum esset confirmanda, vel reuocanda.

Et Domini quoad fructus qui non extabant de tempore venditionis responderũt esse reuocandam. Ratio Dominorum fuit
1 quia in iudicio retractus fructus non debentur à die motæ litis nisi facta oblatione, consignatione, & deposito, sine quibus actio ad lucrandos fructus non quæritur, *Tiraq. de retract. lign. §. 15. glos. 2. num. 16. per text. in l. 2. iuncta glos. in verbo oblatum & ibi DD. C. de pact. is inter empt. & vendit. & de retract. conuent. §. 4. glos. 6. n. 4. Imp. de vsuris comm. 2. § 4. nu. 107. vers. sed quantum ad lucrandos fructus, Rol. cons. 27. nu. 4. lib. 2. Milan. decis. Sicil. 4. num. 102. Rota Bonon. decis. 43. num. 61.*

2 Et regulariter est in emptore qui vult effectuare emptionem, & constituere venditorem in mora quod non sufficiat verbalis oblatio, sed requiratur realis, *l. qui decem, vers. idem respondet in fine, ff. de solut. Bart. in l. prætor, §. si quis priuatus, ff. de oper. nou. nunt. cum alijs per Ioseph Lud. decis. Perus. 105. num. 1. par. 2.*

Licet igitur sorores de Rubeis vigore cessionis census acquisiuissent ius retractus tamen cũ de tempore moti iudicij Liscianus soluisset pluries pecuniarum summas iuxta formam suæ obligationis diuersis creditoribus venditoris vineæ, nedum non deposuerunt tunc, sed nec etiam aliqua oblatio realis facta fuerit, multo minus dicta sententia sustineri potest, ex notat. per *Anchar. in cap. constitutus num. 5. vers. 11. not. de integr. restit. Tiraq. de retract. lign. §. 1. glos. 17. num. 8. vers. post Anchar.* qui
3 voluerunt † actorem postquam in libello dixit se paratum soluere tamen antequam Iudex deueniat ad condemnationem teneri facere quod obtulit.

Neque visum fuit posse iuuari istas sorores deposito sc. 70. facto coram Magistris Viarum, quia omisso quod illud non contineret integrum pretium solutum per Liscianum ante motum iudicium coram A. C. placuit responsio, quod illud fuit factum in alio iudicio, & ex alia causa, & non fuit reproductum in hoc vnde intrat
4 conclusio in Rota receptissima, quod † sententia ex actis non iustificata sustineri non potest.

Et ideo non obstat, quod ex stylo Rotæ
5 in omni iudicio fieri soleat condemnatio in fructibus à die litis motæ pro re fructifera petita, *l. 2. C. de fruct. & lis. expens. Caputaq. decis. 27. par. 2.* quia non potuit Iosephus dici constitutus in mala fide quosque sorores, prout tenebantur fecissent in iudicio actuale depositum, quod debuit precedere sententiam ante autem factum legitimè dictum depositum dictus Iosephus
6 tamquam bonę fidei possessor fructus suos fecit ex vulgatissimis iuris reg.

Et ita conclusum pro iniustitia sententiæ quoad condemnationem fructuum exceptis tamen pendentibus, qui debentur sororibus quibus ius retractus competere
7 firmatum fuit, quia † partem pretij fecerunt, pretiumque auctum illarum contemplatione, *l. Iulianus, §. si fructibus, ff. de act. empt. Seraph. decis. 177. Thes. decis. 85. per totum.*

BO-

## BONONIEN. PROCESSVS.

*Veneris 19. Maij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Ad scripturarum exhibitionem quando quis possit compelli, & præsertim quando sumus in notario. Hæreditatis status nequaquam firmari nequit nisi exhibitis scripturis hæreditarijs.

### *SVMMARIVM.*

1 *Ad scripturas exhibendas quis cogi potest stante interesse partis exhibitionem petentis, ac existentia scripturarum penes tertias personas, & num. 4.*

2 *Filius quando prætendit legitimam super bonis paternis, dicitur iustum habere interesse ad petendas scripturas hæreditarias.*

3 *Hæreditatis status non potest firmari nisi exhibitis scripturis hæreditarijs.*

5 *Notarius tenetur exhibere scripturas probata illarum existentia penes eum.*

6 *Notarius ratione officij tenetur fideliter scripturas custodire, Iudicique instante parte exhibere.*

7 *Scripturarum existentia penes Notarium, & Archiuistam, sufficit probari etiam ante motam litam, vt illas exhibere teneatur.*

8 *Notarius non liberatur ab exhibitione scripturarum ex quo illas accommodauerit alteri personæ.*

### DECISIO CCVI.

Conclusum fuit pro informante scilicet Antonium Drusum Notarium teneri exhibere processus originales, de quibus agitur, quia duo requisita ad hoc, vt possit cogi aliquis ad exhibendum, con-
1 cludenter probata sunt † interesse, scilicet partis petentis exhibitionem scripturæ existentiaque ipsius scripturæ penes ipsum, contra quem petitur exhibitio. Et quoad interesse partiū satis probatur ex eo, quod Reuerendissimus D. Franciscus, & D. Isotta eius auia obtinuerunt admitti ad causam, & fuerunt admissi iam à Rota vltra quod non potest, dubitari de interesse D.
2 Francisci, qui vt filius prætendit legitimam super bonis paternis, & auitis, iamque Rota coram R.P.D. meo Andrea mandauit firmari statum hæreditatis paternæ ad hoc
3 vt facilius eius legitima detrahi possit, qui status firmati non potest, nisi exhibitis scripturis hæreditatis, † quo interesse probato dictas scripturas exhibere Notarius tenetur, *Bartol. l. fin. C. de edend.*

Quo verò ad existentiam scripturæ probatur ex iuribus deductis, & primo ex ipso inuentario ab ipsomet Notario producto in iudicio facto in partibus, deinde ex apocha receptionis eiusdē processus manu ipsius Notarij subscripta, de nouo in actis producta, quæ datur in Summ. nu. 3.
5 vnde sequitur † ipsum teneri eosdem processus exhibere, *l. 3. in princip. vbi gloss. in verbo summatim, ff. ad exhibendum*; maximè cum agatur de scripturis penes ipsum
6 existentibus, † qui ratione officij sui tenetur illas fideliter custodire Iudiciq; parte
7 instante exibere, eo enim casu sufficit probasse existentiam scripturarum etiam ante litem motam, quod est speciale in Notario, & Archiuista, *Castr. in l. 2. nu. 7. Cornu. num. 5. C. de testam. ordin.* fuit dictum in vna *Romana computorum 7. Februarij 1590. coram bo: me: Orano*, & postea in vna *Redditionis computorum 21. Martij 1602. coram Reuerendiss. D. meo Decano 3.*

Ex eo sequitur dictum Drusum Nota-
8 rium, † ideo non esse liberatum; quod constet in actis ipsum accomodasse dictos processus procuratori cuidam partium in causa interesse habentium debet enim ipse procurare, vt ei restituantur ad effectum exhibitionis, & vt possit diligentias suas debitas facere Rota censuit ex benignitate tempus vnius mensis ei concedendum, quo elapso cogendus erit exhibere dictos processus.

Et ita decisum vna tantum parte informante, altera sæpissimè citata, & non comparente.

## BONONIEN. MOLENDINI.

*Mercurij 2. Maij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Remissoria passim denegatur, vel ob irreleuantiam, vel ob præsumptam calumniam articulorum.

### *SVMMARIVM.*

1 *Remissoria denegatur si articuli sint irreleuantes, vel præseferant calumniam.*

2 *Secundum examen non admittitur quando fuit publicatus processus.*

3 *Secundum examen denegatur quando viget timor subornationis testium.*
4 *Remissoria iam concessa si non fuit expedita debet imputari parti, qui potens illam noluit expedire.*
5 *Remissoria non conceditur ad probandum id, quod probatum non releuat.*
6 *Articuli si concurrat suspicio calumniæ non sunt admittendi.*
7 *Medium præsumitur de natura suorum extremorum.*
8 *Testibus duobus affirmantibus multo magis creditur, quam mille negantibus.*
9 *Remissoria non datur ad probandum id, quod probatur ex oculari inspectione.*

## DECISIO CCVII.

CONCLVSVM fuit pro denegatione remissoriæ ea ratione, quia consideratis omnibus articulis datis pro parte Domini Francisci Paratæ tam in genere,
1 quam in specie visum fuit, † aut non esse releuantes, aut saltem propter vehementem suspicionem calumniæ non esse admittendos.

Consideratum siquidem fuit in partibus coram Iudice primæ instantiæ datos fuisse articulos qui in substantia idem cōtinebant licet aliis verbis essent expressi super quibus examinati sunt testes ab vtraque parte publicatusque processus, &
2 ita secundum † dispositionem iuris communis non potest procedi ad nouum examen, *cap. fraternitatis de testib. cum alijs alleg. in vna Ianuen. iurisdict. 28. Febr. 1611. coram Illustriss. Ludouisio.*

Quin imo intrat maxima suspicio calumniæ, quia contrarium eius quod nunc articulatur reperitur probatum à testibus hinc inde examinatis in prima instantia;
3 vnde ob † timorem subornationis nouum examen est denegandum, *Clem. 2. de testib. auth. atqui semel, C. de probat. Seraph. decis. 690. Vestr. in prax. lib. 6. cap. fin. numer. 6.* quæ præsumptio calumniæ augetur ex eo, quod iidem articuli in substantia fuerunt iam à duobus annis dati in curia decretaque
4 remissoria sicq; imputari † debet Paratæ si distulit vsque ad hunc diem expeditionem remissoriæ, *Veral. decis. 65. p. 3. Vestr. in prax. d. lib. 6. cap. fin. n. 3.*

Quatenus verò considerati fuerunt in specie articuli dati pro parte Domini Paratæ visi sunt, aut irreleuantes, aut inadmissibiles; primi enim 7. articuli continent auum patremque ipsius emisse aquam cuius vsus controuertitur curasseque expurgari canale vsque ad flumen, & hi nullo modo petcutiunt decisionē præsentis controuersiæ, quia non controuertitur inter partes de eo tempore, quo auus paterque dicti Paratæ viuebant canale ingressum fuisse flumen iuxta confines bonorum dicti Paratæ intacto fundo Domini Bomfioli, vel eius auctorum, vt in duabus vltimis decisionibus in hac causa factis fuit præsuppositum, & firmatum, vnde apparet datis articulis pro verificatis ex hac expurgatione restricta intra proprios limites nō posse argui idem forè dicendum quando aqua ingressa fuit fundum alienum, & ita
5 frustra datur remissoria ad probandum id, quod probatum non releuaret, *l. ad probationem, C. de proba. Seraph. decis. 1164.*

Quo verò ad articulos 8. 9. & 10. continentes dictum Paratam solum expurgasse canale etiam postquam aqua per alluuionem ingressa fuit fundum D. Bomfiolii cum aliis actibus, ex quibus ius dominii acquisiuisse in d. aqua, & nouo alueo dictus Parata prætēdit visum fuit stante præ-
6 sumpta suspicione † calumniæ nullo modo esse admittendos, tum quia vt superius dictum est, & firmatum fuit in prædictis decisionibus apparet contrariū fuisse probatum in partibus per testes, qui asserunt Bonfiolum esse in quasi possessione ducendi aquam ad effectum macerationis, quod & ipse Parata ingenuè fassus est dum in iudicio possessorio cessit liti, ex qua confessione partis dicta testium redduntur satis verisimilia iuncta etiam forma situs, cum ex planta appareat canale controuersum situm esse in medio terrarum ipsius Bon-
7 fioli, intratque iuris † regula medium præsumi de natura suorum extremorum.

Quin etiam quatenus negatiua articulata, probaretur per testes nullum alium scilicet præter Paratam expurgasse canale, talis probatio remaneret exclusa ex depositionibus testium deponentium Bonfiolum eiusque auctores eosdem actus possessorios inferentes ad dominium fecisse sciente, & patiente d. Parata intraretque
8 iuris dispositio † maiorem fidem esse adhibendam duobus testibus concludentibus affirmatiuam, quam mille negatiuam probantibus, *l. diem proferre, §. si plures, vbi glos. in verb. consenserunt, ff. de arbitr. Bald.*

in

*in l. actor num. 11. vers. item ex dicto col. penult. C. de probat.*

9 Quoad omnes alios articulos sequentes visi sunt parum releuare, & ab ipso Domino Bonfiolo non controuertuntur, aut saltem non est opus remissoria ad probandum id, quod dependet ab oculari inspectione, scilicet à mensura, quæ fieri poterit dum fiet nouum experimentum registrumque apponetur secundum ordinem præscriptum à Rota.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## TREVIREN. DECIMARVM.

*Veneris 24. Maij 1619.*

## ARGVMENTVM.

Assignantur requisita ex quibus dicatur instrumenta esse in forma probanti.

## SVMMARIVM.

1 *Transumpto extracto seruatis requisitis cap. fin. de fid. instrum. fides adhibenda est.*

2 *Instrumenta propter illorum vetustatem seruatis dd. solemnitatibus cap. fin. de fid. instrum. possunt validè exemplari.*

3 *Sola vetustas instrumenti originalis est causa legitima exemplandi illud, & assignantur requisita d. cap. fin. de fid. instrum.*

4 *Transumptum scripturarum, vt quis legitimè dicat petere sufficit existentia belli in loco ex quo intra exemplari petitur.*

5 *Testes deponentes de iudicio proprio, & si non probent faciunt saltem adminiculum.*

6 *Instrumentum antiquissimum vltra 200. annos, vt possit exemplari non requiritur recognitio.*

7 *Instrumenti vetustitas licet non probetur ex sola data attamen si concurrat antiquitas ex aspectu scripturæ tunc statur sine alia recognitione decreto Ordinarij.*

8 *Recognitio in antiquis cum sit impossibilis ideò adhibetur authoritas Ordinarij ad euitandas falsitates.*

9 *Transumpto si pars non interfuit potest petere vt illud denuo exhibeatur.*

## DECISIO CCVIII.

POST multas propositiones super legalitate instrumenti Ecclesiæ Condeñ in hac causa factas tandem hodierna die Domini responderunt dictum instrumentum donationis esse in forma probanti, & sic recedendum à decisis sub die 13. Martij 1617.

1 Moti sunt ea maxime ratione, † quia istud transumptum fuit extractum seruatis omnibus requisitis secundum dispositionem, *cap. fin. de fid. instr.* Vnde ei fides in iudicio videtur adhibenda apparet enim ex processu compulsoriali de anno 1571. de mandato officialis I eodeñ decretas, & executas literas citatorias per publicas proclamationes contra omnes interesse habentes, quibus factis iuribusque, & illorum forma, & vetustate consideratis, & perspectis, iudex ordinarius suum interposuit decretum pro legalitate d. instrumenti, vt patet ex iuribus datis pro parte monasterij stabulensis, nec reuocari potest in

2 dubium † instrumenta propter vetustatem posse seruatis dictis solemnitatibus exemplari, *d. cap. fin. & ibi Abb. num. 1. & in cap. Albericus de testib. num. 1. Barth. in auth. si quis in aliquo in 3. oppos. num. 4. & ibi Decian. num. 9. C. de eden. & Bald. num. 18. Alex. cons. 112. n. 1. vol 4.*

Quod autem adsint omnes solemnitates requisitæ in *d. cap. fin.* ex eo constat legitima scilicet causa exemplandi auctoritas Iudicis ordinarij ocularis inspectio, & quod transumptum fiat per Notarium publicum, quæ omnia concurrunt prout patet ex lectura processus compulsorialis, nec

3 potest † controuerti causa cum sufficiat sola vetustas originalis, *glos. in d. c. fin. in verb. vetustate, Abb. in d. cap. Albericus de testib. num. 8.* Vt in hoc casu dicta donatio facta reperitur quadringentis ab hinc annis vltra quod de eodem anno 1571. notorium est adfuisse bella incursionesque hostiles

4 in illis prouincijs † ex quibus iustam habuit causam monasteriū petendi fieri transumptum scripturarum authenticarum pro conseruatione iurium monasterii.

Considerata etiam fuerunt adminicula pro legalitate d. transumpti, & præcipuè Bulla vetustissima Innocentij II. quæ confirmat dictam Ecclesiam de Conda alias concessam monasterio Stabulorum adsunt, & testes deponentes Monachos Stabulenses esse veros decimatores Eccle- 5

siæ

siæ de Conda, concurrunt denique dicta testium à dicto officiali Leodien. de tem-
5 pore transumpti facti examinatorum,† qui licet loquentes de iudicio proprio non probent concludenter, vt fuit in hac causa decisum, possunt tamen inseruire pro adminiculo ad corroborandum Iudicis decretum super legalitate.

His positis non obstat primum motiuũ decisionis recognitionem non fuisse per testes legitimè factam, quia testes super ea examinati potius iudicis quam testis officio funguntur loquentes de Iudicio proprio cum non reddant sufficientem rationem, placuit enim responsio cum simus in instrumento vetustissimo vltra 100. annos
6 secundum formam *d. cap. fin.* non † fuisse requisitam recognitionem, & quamuis sola
7 la data non probet † antiquitatem tamen cum concurrit antiquitas ex aspectu scripturæ subiectæ oculis Iudicis tunc eius religioni defertur staturque eius decreto sine vlla alia recognitione, vt tradit *Bald. in d. cap. fin. nu.* 10. vbi dicit ita tenere *Innoc. Bologn. in auth. si quis in aliquo num.* 2. *C. de eden. Granat. in add. ad Vestrium in praxi lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 29. *Seraph. decis.* 1481. *fusè Minsig. singularium obseruationum, cent.* 61. *obseruantia* 73. *à num.* 13. *vsque ad finem*, vbi specificè deducit omnia requisita in exemplatione instrumenti antiqui nulla facta mentione de recognitione per testes
8 cũ in† antiquis recognitionibus sit impossibilis ideo adhibetur auctoritas Ordinarij ad euitandas falsitates, vnde Pontifex confidit in hoc religioni Ordinarij coram quo originale exhibetur, *d. cap. fin. de fid. instrumen.*

Quoad secundum motiuum decisionis, in quo dicitur hoc esse transumptum de transumpto, nec originale fuisse vnquam exhibitum ordinario illud in facto tollitur quia apparet ex processu compulsorialis fol. 5. originale donationis fuisse exemplatum, & productum coram Iudice de anno 1571. quæ quidem donatio reperitur de verbo ad verbũ registratata ex quibus tolluntur omnia contra legalitatem d. scripturæ deducta.

Placuit tamen Dominis quod Capitulũ
9 quod non interfuit transumpto alias licet legitimè facto possit petere, vt istud denuo exhibeatur secundum Doctrinam *Abb. in dicto cap. fin. num.* 8. quem sequitur *Felin. ibidem num.* 13. *limit.* 3. eo enim casu Monasterium stabulense tenebitur exhibere originale nisi iuret se non habere facultatem illud exhibendi, idque euenisse sine fraude, & dolo dicti Monasterij supradictis iuribus.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## MELEVITANA HAEREDITATIS.

*Lunæ 27. Maij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Filij in conditione positi, ex quibus dicantur vocati.

### SVMMARIVM.

1 *Filij in conditione positi regulariter non sunt vocati.*
2 *Limitatur quando concurrit mens testatoris illos vocans tacitè ex coniecturis.*
3 *Filij in conditione positi censentur vocati eo facilius quando agitur de descendentibus positis in conditione ab ascendentibus.*
4 *Altera coniectura est pro filiorum vocatione quando fuerunt positi in conditione cum qualitate expressa filiorum legitimorum ex corpore eorum legitimè descendentium.*
5 *Coniectura pariter, est digressus ad plures substitutionum gradus.*
6 *Item coniectura deducitur ex illo verbo, in perpetuum.*
7 *Pariter coniectura desumitur ex facultate testandi de quadam portione data hæredibus.*
8 *Inclusio vnius præsupponit inclusionem alterius.*
9 *Positi in conditione respectu duorum si quo ad vnum sunt vocati, ita quoad alium, & vocati censeri debent ne diuerso iure censeri debeant.*
10 *Grauatus qui non est non grauatur.*
11 *Filij positi in conditione eo facilius censentur vocati ad portionem patris, quam patrui.*
12 *Consuetudo patrisfamilias summam coniecturam facit quoad consuetudinem familiæ.*
13 *Coniectura pro vocatione filiorum positorum in conditione, & si singula de per se non iuuant attamen simul vnita ad dictum effectum suffragantur.*
14 *Iudex licet vnica, aut altera coniectura nisi sit prægnans moueri non debeat tamen si concurrunt plures, iudicium suum interponere debet.*

Qua

15 *Quæ non præſunt ſingula, multa iuuant.*
16 *Filij poſiti in conditione, & ſi non ſint regulariter vocati attamen pluribus coniecturis concurrentibus ſecus eſt.*
17 *Fideicommiſſum facilius in contractu matrimonij cenſetur inductum.*
18 *Filiorum vocatio ex coniecturis concludentibus poteſt deſumi nedum in vltimis voluntatibus, ſed etiam in contractibus.*

## DECISIO CCIX.

POST varias diſputationes ſuper legalitates Inſtrumenti dotalis factas propoſui dubium in negotio principali vtrũ
conſtaret de fideicommiſſo ad fauorem Lucretiæ, quo propoſito Domini affirmatiuam ſunt amplexi, licet enim regulariter
1 filij † in conditione poſiti non cenſeantur vocati ſecundum communem opinionem, quam Rota ſemper amplexa eſt. Fallit tamen hæc regula, quoties concurrunt coniecturæ ſufficientes ex quibus elicitur vo-
2 luntas Teſtatoris. Tunc enim † filij poſiti in conditione cenſentur in diſpoſitione, & ſunt ſubſtituti etiamſi verba ad vocationẽ expreſſam non ſufficiant, *arg. l. cum proponebatur, ff. de leg. 2.*

In hac autem facti ſpecie plurimæ adſunt præſumptiones, ex quibus mens Teſtatoris prouidendi filijs quos in conditione poſuit colligi poteſt. Et primo conſideratum fuit in hoc caſu agi de deſcendentibus poſitis in conditione ab aſcen-
3 dente, † quo caſu certum eſt leuiores coniecturas requiri ad admittendam vocationem cum non agatur de alicuius excluſione, ſed de incluſione filiorum, quos alioquin lex, & commune parentum votum ad ſucceſſionem ab inteſtato vocat, quam coniecturam, vti grauiſſimũ conſiderauit Rota in pluribus deciſionibus, quæ allegantur. *Put. deciſ. 215. par. 3. Seraph. deciſ. 956. & 1329. & in vna Firmana bonorum 20. Iunij 1563. coram Gyptio poſt Alex. conſ. 65. n. 1. lib. 5. Socc. iun. conſ. 110. num. 28. lib. 3. Caph. conſ. 419. n. 56. Gabr. de fideicommiſſ. concl. 4. num. 31. Clar. in §. teſtamentum quæſt. 77. Ruſtic. in tract. an, & quando liberi in conditione poſiti lib. 2. cap. 5. n. 11. & 12. Graſſ. lib. receptarum ſententiarum §. fideicommiſſum q. 14. in fin.*

Secunda coniectura deducitur ex eo, quod non ſolum deſcendentes ab aſcendente fuerunt in conditione poſiti, ſed cũ
4 qualitate † expreſſa filiorum legitimorum ex corpore eorum legitimè deſcendentiũ inde enim colligitur argumentum cuiuſdam affectionis præcipuè, & enixè patris erga ſobolem legitimam, quam videtur voluiſſe inuitare, ſeu potius vocare ad ſuã ſucceſſionem per fideicommiſſum, vt in ſpecie conſiderarunt *Socc. conſ. 110. n. 25. & conſ. 145. num. 49. lib. 3. Decian. conſ. 33. num. 19. & conſ. 41. num. 30. lib. 1. Menoch. de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 76. numer. 48. & conſ. 325. num. 10. Peregr. conſ. 91. num. 36. lib. 1. Mantic. de coniect. lib. 11. tit. 3. num. 7. cum alijs per Ruſtic. in d. tract. lib. 3. cap. 3. num. 1. in fine.*

Tertio conſideratum fuit contrahentes proceſſiſſe ad plures ſubſtitutionum gra-
5 dus, quia non ſolum filij, ſed etiam † deſcendentes nati, & naſcituri ex filijs filiabuſque quatenus decederent in minori, vel maiori ætate ſunt poſiti in conditione, vnde maximum argumentum elicitur præſumptæ vocationis, *Aym. conſ. 663. num. 6. verſ. tertia coniectura, Tob. Non. conſ. 31. num. 15. Menoch. conſ. 325. num. 13. Graſſ. in §. fideicommiſſum q. 14.* quam coniecturam alijs præcipuè concurrentibus Rota ſemper ponderauit, vt in vna *Ciuitatis Caſtelli fideicommiſſi 14. Martij 1607. & in vna Ariminen. fideicomm. 26. Martij 1612. coram Illuſtriſſ. Card. Ludouiſio.*

6 Quartam coniecturam deſumpſerunt ex illo verbo, *in perpetuum*, quod proxime ſubſequitur dictos ſubſtitutionum gradus, quod in fideicommiſſis accipitur pro, ſemper, & ſine temporis præfinitione, vt plures gradus vocatorum, & imo omnes quo vſque durat deſcendentia complectatur, vnde inter eos cenſetur inductum fideicommiſſum, *Socc. ſen. conſ. 84. num. 5. lib. 3. Ruin. conſ. 108. num. 13. lib. 2. Pariſ. conſ. 37. num. 29. lib. 2. Crauet. conſ. 136. num. 10. Petra de fideicomm. q. 6. num. 215. Surd. conſ. 96. num. 17. Menoch. de præſumpt. præſumpt. 76. num. 70. & ſeq. cum alleg. per d. Ruſtic. lib. 5. cap. 5. num. 12. & in d. Ciuit. Caſtelli fideic. coram Ludouiſio.*

Placuit, & quinta coniectura deſumpta à reſeruatione facultatis teſtandi de vnciis 40. non ſolum Imperiæ, ſed etiam eius fi-
7 lijs, quia † eo ipſo quod facta fuerit ſimilis reſeruatio videtur neceſſario ſupponi, vt ille qui debet poſſe teſtari de prædictis vncijs ſit fideicommiſſo grauatus; per neceſſarium antecedens, & ita parentes tacitè

eitè voluerunt dictos filios vocare: prohibentes facultatem testãdi in reliquis cum
8 inclusio † vnius præsupponat inclusionem alterius, *l. inter socerum* 55. *cum inter ff. de pact. dotal. cap. nonnè de præsumpt.*

Et sicuti in portione Imperiæ filij positi in conditione supradicta censentur vocati ad bona ipsius Imperiæ, ita quoque debent censeri vocati in bonis Petri cum
9 isti filij vtrisque eorum parentibus † pariformiter, & vnico contextu positi in conditione, & ideo diuerso iure censeri non debent, *l. nam hoc iure de vulg. & pup.* cum
10 concordanter † nec verisimiliter grauatur, qui non est grauatus, *l. ab eo C. de fideicomm. vbi communiter Doctores.*

Sextum argumentum depromitur ex eo, quod in testamento Marini patris Petri, ad quod habetur relatio in pactis dotalibus alteri ex eius filijs decedentis sine filijs substituit alterum fratrem superstitem, vel eius filios, seu nepotes superstites. Vnde si voluit quod filij, & nepotes ex fratre
11 succederent † in portione patrui decedentis sine filijs multo magis videtur dicendum, quod in eadem portione patrui Testator voluerit, quod succederent, eius proprij filij in conditione positi, *Aym. cons. 62. num. 10.* vbi dicit hanc esse fortissimam coniecturam, *& cons. 326. prop. fin. vers. 3. concurrit Ruin. cons. 104. num. 9. & cons. 142. num. 11. cum multis cumul. per Menoch. de præsumpt. lib. 4. d. præsumpt. 76. n. 56.* quæ coniectura fuit approbata in Rota in dicta *Ciuitatis Castelli fideicommissi coram Ludouisio, & in Recanaten. hæreditatis coram bon. mem. Penia 25. Ianuarij 1608.*

Si ergo in testamento Mariani filij in conditione positi fuerunt vocati idem videtur dicendum de istis capitulis matrimonialibus Petri filij eiusdem Mariani, qui se expressè refert ad testamentum pa-
12 ternum: consuetudo † siquidem patrisfamil. summam coniecturam facit consuetudinem familiæ, ac tenorem perseuerare in eadem domo, *l. Dominus, §. testamento, ff. de pecul. legat.* ad quam præsumptionem approbandam inducit hunc text. *Cuiac. consult. 35.*

Et quamuis forsitan aliquæ ex supradictis coniecturis fuerint à DD. & aliquando à Rota iudicatæ minus sufficientes ad inducendam vocationem filiorum in conditione positorum. Simul tamen iunctæ visæ sunt satis superque ad hunc effectum
13 sufficere cum † coniecturæ huiusmodi voluntatis quasi quæstio pacti dependeant ab æstimatione, & arbitrio Iudicis, *l. voluntatis, C. de fideicomm. l. ex verbis, C. de donat.*
14 *int. vir. & vx.* Et licet † Iudex vnica solum, aut altera coniectura, nisi sit prægnans, moueri non debeat tamen cum concurrunt plures iudicium suum interponere potest, vt in casu, *l. librorum, §. quod tamen ff. de leg. 3. & l. prædijs, §. balneas, ff. eodem,* responsum fuit ex tribus coniecturis concurrentibus, quæ non adeo vt in hac facti specie striugebant inductum fuisse fideicommissum, & notat *Cuiac. d. consult. 35.* Nam in hac quæstione decidenda intrat
15 regula, † quæ non prosunt singula multa iuuant, *Gabr. de fideicomm. conclus. 4. nu. 49. Rustic. d. tract. lib. 4. cap. 4. num. 14. Seraph. decis. 1329. num. 17.*

Nec obstare visum, *l. inter socerum, §. cum inter ff. de pact. dotal.* cum alijs pro Pasquali allegatis, quia licet verum sit, quod ex hoc solum, quod filij sint positi in conditione non censeantur vocati. Secus
16 autem † est concurrentibus pluribus coniecturis, & adminiculis, *Hond. cons. 65. n. 3. lib. 1. Surd. decis. 162. num. 6.* cum alijs supra allegatis.

Nec obstat denique quod dicitur maiores requiri probationes, quando non in testamento, sed in tabulis nuptialibus prætenditur filios in conditione positos esse vocatos, quia quicquid sit de hac quæstione, (in qua plurimi, hique grauissimi DD. contrariam opinionem sunt amplexi vide-
17 licet † facilius in contractu præcipuè matrimonii præsumi inductum fideicommis-
18 sum) certum est ex † coniecturis colligi posse vocationem filiorum dummodo sint concludentes non solum in vltimis voluntatibus, sed etiam in contractibus, *Peregr. de fideicomm. art. 28. num. 29. Socc. iun. cons. 108. num. 7. lib. 2. Gabr. de fideicom. concl. 4. num. 50. Rustic. d. tract. lib. 1. cap. 3. num. 7. Aym. cons. 280. num. 3. Molin. de ritu nupt. lib. 3. q. 24. num. 260.* qui loquitur in terminis pacti dotalis, *Menoch. cons. 325. num. 9. lib. 4.* quales visæ sunt Dominis etiam ad hunc effectum sufficere.

Ad id quod dicitur potuisse patrem reuocare fideicommissum, quia in dicto instrumento dotali non adest stipulatio pro filijs deficitque iuramẽtum quod alioquin redderet contractum irreuocabilem, respondetur hanc obiectionem tolli penitus

ex

ex facto cum detur instrumentum extensum à Notario de mandato Iudicis, cum iuramento, & stipulatione, vnde non opus est ingredi quæstionem iuris.

Et ita decisum.

## ROMANA EMPHYTEVSIS DOMORVM.

*Lunæ 10. Iunij 1619.*

Argumentum, & Summarium aliud non continent nisi quod sententia valida, & iusta transit in iudicatum, quando appellatio non fuit prosequuta intra legitima tempora, & per consequens sit exequenda.

## DECISIO CCX.

DOMINI sine vlla difficultate dixerunt cõstare de re iudicata quæ debet executioni demandari, quia sententia Rotalis cuius executio petitur est valida, 
1 & iusta, & quoad validitatem attinet † ea probatur ex reuolutione processus, in quo legitur, specialis causæ commissio, citatio ad sententiam mandata hinc, & inde procuræ, cum omnibus solemnitatibus à iure requisitis, *Caputaq. decis. 263. part. 2.* & millies fuit in Rota decisum.

Nec controuerti potest iustitia d. sententiæ, stante decisione in hac causa facta coram R. P. D. meo Buratto Veneris 11. Martij 1616. in qua multis auctoritatibus, & rationibus comprobatur Fabritio Mormorario nullum ius competere super domibus ab eo prætensis vigore nominationis factæ à Ioanne, qui potestatem non habebat illam faciendi.

Stante igitur validitate, & iustitia prædictæ sententiæ Rotalis; à qua licet fuerit pro parte dicti Mormorarij appellatum nihilominus cum non debito tempore pro-
2 secutus fuerit appellationem † lapsaque sint fatalia, nec vnquam prorogata sine difficultate transiuit in rem iudicatam, *auth. ei qui, & l. fin. C. de temp. appell.* Vnde non potest retardari executio petita, *c. cum sit Romana, cap. consuluit, il primo in fin. de appell. cum concordant.* Et ideo meritò obtenta fuerit commissio executorialis, præfixusque terminus ad docendum de appellatione, & de causis restitutionis in integrum, quo pendente nihil fuit pro parte d. Mormorarii iustificatum, sieque sententia quæ transit in iudicatũ venit exequen-
3 da † parum enim refert obtinere sententias nisi illæ debitæ executioni demandarentur iuribus vulgaribus.

Et ita vtraque &c.

## LVCANA PRAETENSI IVRISPATRONATVS.

*Mercurij 27. Iunij 1619.*

## ARGVMENTVM.

Iuspatronatus ex quibus probetur late examinatur.

## SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus priuatorum probatur, vel ex centenaria, vel ex quadragenaria concurrentibus adminiculis.*

2 *Iurispatronatus probatio quæ excludat præsumptam Ecclesiæ libertatem.*

3 *Iuspatronatus existere probatur per instrumentum secutæ institutionis,*

4 *Præsentationis effectuatio quando probetur ex possessione longeua, & num. 8.*

5 *Iuspatronatus quoad possessionem quomodo probetur ex actis visitationum.*

6 *Institutio quando probata dicatur.*

7 *Institutio præsumitur data beneficij possessione.*

9 *Prouisio Apostolica non mutat statum beneficij, & quando.*

10 *Clausula, dummodo ad nos hac vice, stante derogatione Iurispatronatus, seu mentione excludit statum libertatis Ecclesiæ.*

11 *Scriptura non supplet probationem alterius scripturæ.*

12 *Visitationes Episcoporum quando probent Iuspatronatus.*

13 *Iuspatronatus quando probetur per testes de publica voce & fama.*

14 *Enunciatiua antiqua quando probent Iuspatronatus.*

15 *Iuspatronatus quando probetur ex insignis, & stemmatibus appositis in Ecclesia.*

16 *Insignia sua quis non solet apponere super re aliena.*

17 *Denominatio multum iuuat ad proban. iuspatronatus.*

18 *Probationes imperfectæ simul iunctæ concludenter probant.*

19 *Probatio per coniecturas & inditia quando sufficiat.*

20 *Notarij attentatio de actu præterito quando probet.*

21 *Epi-*

21 *Episcopi instituentis attestatio quando sufficiat.*
22 *Præsentatio ex quibus processerit ex obseruantia colligitur.*
23 *Iurispatronatus data existētia, facillimè probatio competentia admittitur.*
24 *Dictio, Prædictum, denotat identitatem personæ.*
25 *Verbum instituo, ac verbum, confirmo, largo modo idem significant, & n.26.*
27 *Prouisio intermedia licet non exhibeatur præsumitur facta, ab eisdem patronis.*
28 *Iurispatronatus usurpatio non intrat in familia potenti si etiam non concurrat iurisdictio.*
29 *Sententia lata non super statu beneficij non praiudicat.*
30 *Verbo, maximè si Iudex utatur, efficit ut non inde dicatur deprompta causa finalis.*
31 *Sententia continens non fuisse probatum iuspatronatus non impedit quominus illud postea possit probari.*
32 *Sententia lata contra præsentatos non nocet patronis.*
23 *Descendentia quando non sit probanda.*

## DECISIO CCXI.

INTRODVCTA nuper lite coram Episcopo Lucano & postmodum deuoluta ad Rotam mihique commissa interDD. Podios asserentes præsenrationem & iuspatronatus Ecclesiæ S.Laurentij de Podio ad ipsos spectare præsentatumque ab ipsis esse instituendum stante nullitate & inualiditate vnionis. Et Collegium Beneficiatorum Ecclesiæ Cathedralis Lucanæ prætendens dictam Ecclesiā de tempore vnionis fuisse liberam cum totum fundamentū actionis Podiorum consisteret in probando iurepatronatus, quod esse familiare, & gentilitium contendebant. Ideo de ordine Rotæ dubitaui vtrum probaretur dictā Ecclesiam fuisse ab antiquo, iurispatronatus seruituti obnoxiam cum alias de iure præsumitur libera, quo dubio proposito Domini vnanimiter responderunt constare de iurepatronatus vsq; ad annum 1514. reseruando vt particulariter videretur vtrū postea murauerit statum vel per vnionem vel alio modo.

Præcipuum decisionis fundamentum illud fuit quod tam Illustrissimi Interpretes Sacri Concilij quam decisiones Rotales ad probandum Iuspatronatus in personis priuatis vnum ex duobus requirunt,
1 videlicet aut possessionem præsentandi in patronis continuatam per 100. annos vel per 40. cum concurrit cum quadragenaria possessione publica vox & fama, vel aliæ præsumptiones quæ vim habeant famæ, vt patet ex pluribus declarationibus *Sacri Concilij* & decisionibus Rotæ relatis in vna *Fanen. Capellaniæ coram bon. me. Penia 27. Iunij 1608.* quæ sequitur opinionem *Baldi in l.cum super C.de rei vend. Cassad. decis.2. num.4.& seq.de probat. Ach.dec.6. de probat. Put.decis.60.in fine*, cum multis alijs decisionibus cumulatis in vna *Lucana Iurispatronatus 7. Maij 1604. coram R. P. D. Decano.*

In hac autem facti specie visum fuit nō solum adesse vnum ex supradictis requisitis quod sufficeret ad probādam intentionem Podiorum. Sed omnia requisita simul concurrere, videlicet possessionem plusquam centenariam præsentandi, publicam vocem & famam probatam, enunciatiuas antiquissimas vna cum alijs coniecturis vehementissimis de quibus infra.
2 quæ omnes simul iunctæ indubitanter probant in antiquis iuspatronatus excludunt que totaliter præsumptam Ecclesiæ libertatem cum probatio pœnitus præsumptionem tollat.
3 Et primò considerarunt Domini † existētiam iurispatronatus probari per instrumentum de anno 1358. in quo apparet Presbyterum Ioannem Cellinum vti electum à Patronis Ecclesiæ S. Laurentij de Podio præuia edictorum appositione fuisse à Vicario Episcopi in possessionem immissum qui quidem Ioānes vti Rector postea locauit bona dictæ Ecclesiæ ex quibus de eo tempore constat eum fuisse institutum possedisseq; dictum beneficium, *Cald. cons.12.de iurepat.Rot.decis.148. num.1.p.1. diuers.* quod sine dubio eo tempore constitutum erat in statu seruitutis cuius continuatio probatur ex eo quod de anno 1382. constat Episcopum visitasse dictam Ecclesiam, & ibi inuenisse Presbyterum Colum Rectorem & D. Podios Patronos, quibus Episcopus mandauit vt conficerent inuentarium bonorum Ecclesiæ, vnde resultat magnus fumus seruitutis Ecclesiæ concurrente alio instrumento in quo dictus Colus Rector vna cum Stephano Podio operario locauit certas terras quę erāt communis inter Rectorem & operarios dictæ Ecclesiæ.

Se-

Secundo ponderarunt Domini præsentationem factam de anno 1390. prima Octobris vacante enim dicta Ecclesia per obitũ dicti Coli patroni Podij simul congregati, præsentarunt Presbyterum Leonardum q. Guaduccij de Podio absentem, qui præsentationem de se factam acceptauit die
4 sequenti & ✝ licet non doceatur de institutione tamen effectuario præsentationis satis probari videtur ex multis actibus subsequentibus, primo ex possessione longæua 36. annorum cum de dicta Ecclesia d. Leonardus fuerit prouisus anno 1390. eamque per assequutionem alterius beneficij dimiserit anno 1426.

5 Secundo ex visitationibus medio tempore factis anno 1399. & 1424. in prima enim legitur Vicarium requisiuisse D. Leonardum Rectoré eique præscripsisse vt doceret de legitima institutione in secunda vero post 25. annos interroganti Episcopo dictus Leonardus respondit se esse electũ à patronis & confirmatũ ab Episc. Ioanne, quem ex scripturis publicis cõstat tunc temporis videlicet de anno 1390. fuisse Episcopum Lucanum, quæ visitationes satis comprobantur per instrumentum celebratum anno 1401. in quo idem Leonardus Rector vna cũ Dominis de Podijs admissus fuit ad vendendum certum Casalenum spectantem ad dictam Ecclesiam in qua venditione interuenit decretum Vicarij qui biennio ante in actu visitationis eidem Rectori præscripserat vt infra mensẽ exhiberet suam institutionem vt supra dictum est, quod nunquam factum fuisset nisi Patroni dictum Leonardum præsentassent eumque Episcopus instituisset, ex quibus omnibus stante maximè quod in Synodo generali vti Rector comparuit eandemque Ecclesiam de anno 1426. dimiserit, visum fuit institutionem satis sufficienter probari licet de expressa non doceatur ex vulgari
6 iuris regula ✝ probatis extremis media præsumi quam in hac materia iurispatronatus admisit *Rota decis. 11. num. 2. de iurepatron. & Felin. in cap. post cessionem num. 13. vers. quod autem alias de probat.* vt in simili data
7 possessione beneficij præsumi institutionẽ tradit, *Dec. cons. 409. num. 10. Bald. in l. siuè possidetis in 4. oppos. C. de probat. Rot. in vna Auriacen. iuris nominandi coram R. P. D. meo Buratto, quæ est decisio 694. par. 2. in rec. num. 3.*

Tertio exhibita fuit præsentatio facta ab anno 1426. dictæ Ecclesiæ vacantis per demissionem dicti Leonardi in fauorem
8 Philippi Ioannis cuius ✝ effectuatio similiter probatur ex appositione editorũ quæ ex libris Episcopatus reperitur facta, & ex venditione facta ab ipso vti Rectore cuiusdam nemoris & melius ex longeua possessione istius Philippi à quo postmodum de anno 1470. in manibus Papæ fuit facta resignatio ad fauorem cuiusdam Michaelis quem eiusdem Ecclesiæ possessionem adeptum fuisse constat ex visitatione Episcopi facta de anno 1472. in qua comparet Andreas de Podio vnus ex Patronis, vnde intrat consilium Oldr. 229. toties à Rot. ca-
9 nonizatum ✝ quod habere locum in resignatione censuit *Rota in vna Vicen. Beneficij 16. Ianuarij 1608. coram Cardinale Ludouisio.*

Vltra hanc possessionem præsentãdi patronorum per 116. annos circiter probatã
10 dantur tres subsequentes ✝ prouisiones Apostolicæ, quæ non solum non mutant statum, vt est notorium stante clausulis ordinarijs apponi solitis, *dummodo collatio ad nos hac vice pertineat*, sed potius excludunt statum libertatis Ecclesiæ cum in Bullis, aut adsint derogationes iurispatronatus, aut saltem de hoc iure patronorum in supplicationibus fiat mentio apposita clausula *ne prouisi teneantur in litteris expediendis facere mentionem iurispatronatus*, & quamuis resignatio prima facta per Philippum non contineat expressam mentionem dicti iurispatronatus cum ipse prouisus fuisset de dicta Ecclesia, vti Præsentatus à patronis de anno 1426. vt supra firmatum est, dicendum est necessario, aut ipsum noluisse fraudare patronos de se benemeritos iure suo, aut saltem non potuisse, resignando liberè, præiudicare dictis patronis, nisi specificè doceretur nouo superueniente titulo mutasse sibi causam possessionis, quod nullibi probatur, imo vrgent præsumptiones in contrarium.

Et quamuis in aliquo deficerent probationes continuatarum præsentationum tot tamque vrgentes dantur præsumptiones, quibus stantibus nullus superest dubita-
11 tioni locus cum non nouum sit ✝ vnam scripturam supplere probationem alterius, *Bart. in l. de etate num. 7. in fine ff. de minorib. Aym. cons. 231. num. 22.* & primo ponderatæ fuerunt visitationes antiquissimę Episcoporum de annis 1382. 1424. 1477. & 1489. in quibus non solum ista Ecclesia enunciatur de iurepatronatus familiæ Do-

minorum Podiorum, sed ipsimet Episcopi in actu visitationis eos agnouerunt, vt patronos inungendo illis vt vna cum Rectore inuentarium omnium bonorum Ec-
12 clesiæ conficerent† cui assertioni ordinarij multum deferri solet in hac materia in qua agitur de illius præiudicio, *Rot.dec.11. num.1.de iurepatronatus in nouis. Putt. decis. 172.lib.1.& decis.237.lib.2. Seraphin.decis. 1232.num.2.* cum pluribus relatis in vna *Elnen.Bonorum 26. Decembris 1614. coram me*, & præcipuè in actu visitationis, vt fuit dictum in *Aquilana Capellaniæ coram Orat. no 7.Maij 1609. & in Fesulana Iurispatronatus coram Bubalo 3. Februarij 1583.* cum multis relatis per *Garz. de Beneficijs par.5. cap.9.num.89.* in quibus dicitur visitationes per se sufficere.

Secundo consideratum fuit non solum probatam vocem & famam per 4. testes in
13 Curia examinatos † quæ in antiquissimis multum vrgent ad probandum iuspatronatus *Cass.decis.2.num.4.de probat. Bald.in l.cum supra num.1.C.de re vendic.Ach.dec.6. de iurepatronat.Dec.cons.117.num.3.vers.& ista conclusio, Menoch cons.336. num.14. & 15.lib.4.* Sed etiam dantur duæ enunciatiuæ antiquæ per instrumenta antiquissima celebrata de anno 1401. in quibus familię Podiorum tanquam patrona huius Ecclesiæ primo constituit Sindicum ad vendendũ quemdam Casalenum deinde iste Sindicus vna cũ Rectore Ecclesiæ vendit præsente Vicario Episcopi, qui desuper inter-
14 posuit suum decretum † ex quibus enunciatiuis, quæ etiam habent vim famæ elicitur magna præsumptio iurispatronatus, *Rot.coram Reuerendiss.Lugdunen.in vna Firmana Altaris 15.Februar.1610.*& prius in vna *Iacen.portionis coram Card.Millino 16. Decembr.1601.*

15 Tertio multum mouit Dominos† appositio armorum & insignium familię Dominorum Podiorum non solum intra dictam Ecclesiam, sed etiam in frontespicio Ecclesiæ, quæ hodie existit, & ab antiquo tempore apposita depicta, & sculpta etiam in lapidibus, probatur ex hoc enim maxima præsumptio oritur iurispatronatus cum
16 alias verisimiliter non soleant apponi super re aliena insigna aliarum familiarum, *l.stigmata,C.de fabrican. lib.11. Anch. cons.113.num.4.Rip.in cap.cum Ecclesia numer.97.de caus.possess.& propriet.Ioseph Ludouic.concl.42.in nu.ampliat. Seraph.dec.1141. num.7.* & pluries fuit in Rota decisum, & præcipuè in vna *Bononien.Iurispatronatus 16.Ianuar. 1618. coram Reuerendissimo D. meo Sacrato.*

17 Multum etiam mouit Dominos denominatio Ecclesiæ de Podio situsque cum probetur per testes maiorem partem domuum circumiacẽtium spectasse antiquitus & etiam hodie aliquas spectare ad Dominos Podios iuncta communi reputatione, quod ab ipsis fuerit dotata, *Gabr. cons. 292.num.6.lib.2.Seraph. decis.1541. num.6. in fin. Surd.cons.424.num.60.& seq.Crauet. cons.400.num.33.Bald.cons.205.num.2.versic.2.præmitto lib.3.* & in specie fuit consideratum in *dicta Auriacen. Iuris nominandi coram R.P.D.meo Buratto.*

Concurrunt denique multa alia adminicula videlicet fundatio Capellarum facta in dicta Ecclesia à Dominis de Podijs prouisiones Apostolicæ, cum derogatione iuspatronatus spectantis ad nobilem familiam aliaque in specie examinata per in-
18 formantes pro DD. Podijs & licet probationes forsan per se viderentur imperfectę simul iunctæ faciunt concludentem probationem ex traditis per *Lamb.de Iurep.lib.2. par.2.q.10.art.4.num.4.* stante enim anti-
19 quitate sufficiunt probationes per inditia, & coniecturas, *Bald.in auth. quas actiones, num.28.vers.item ratione C.de sacros.Eccles. Ias.cons.128.num.1. lib.1. Anch.cons.310. num.2.Guido Pap.decis.357.n.1.* cum multis cumulat per *Paris.cons.104.num.41.& seq.lib.1.Honded. cons.27.num.55.lib.1.* & quod coniunguntur præsumptiones huiusmodi fuit dictũ *in vna Romana Cappellaniæ 18.Maij 1582.coram fel.rec. Clemente VIII. tunc Rota Auditore, & in d. Bononien. Iurispatronatus coram Reuerendissimo Domino meo Sacrato.*

His positis non obstant quæ in contrarium precipuè contra institutionem & possessionẽ Presbyteris Ioannis de anno 1358 pro parte Beneficiatorum opponuntur, & primo dicitur non esse adhibendam fidem dicto instrumento celebrato de anno 1358
20 quia † non creditur Notario attestanti de actibus præteritis cum verba instrumenti non sonent in verba de præsenti, sed de præterito, respondetur enim primo hanc conclusionem limitari quando Notarius attestatur de actibus præteritis coram se gestis & coram testibus distinguendo tempora & loca quibus gesta fuerunt, vt communiter dicunt omnes scribentes, *in cap. quoniam contra & præcipuè Felin.num.35.in*

prima

*prima fallent. Dec. num. 40. de probat.* pro vt in casu nostro constat Notarium Actuariũ retulisse omnia gesta in præsentatione institutione distinguendo per ordinem tempora locum & nomina testium præsentiũ, & rogatorum, deinde visum fuit non esse propriè attestationem Notarij, sed potiùs descriptionem in libro Episcopatus in quo adnotabantur huiusmodi præsentationes, & institutiones. Vndè iste liber potius est protocollus actorum à quo fuit facta extractio dicti instrumenti.

Nec videtur secundo obstare, ex dicto instrumento non constare de vlla præsentatione, quia vltra assertionem Ioannis præ-
21 sentati, † legitur assertio Episcopi in ipso actu institutionis, seu confirmationis quod sufficit, *Felin. in cap. post sessionem col. 5. in princ. vers. cui addo num. 13. in fin. de probat.* & ita seruari à *Rot.* testatur *Felin.* celeberrimus Rota Auditor *in cap. sicut col. 14. post medium num. 26. de re indic. Rebuff. in prax. propos. 3. signat. num. 14. pag. 1117. Rot. dec. 11. de iurepatr. in nouiss. cum alleg.*

Et licet in dicto instrumento non specificetur à quibus patronis fuerit præsentatus Ioannes ex præsentationibus visitationibus Episcoporũ alijsq; actib. subsequutis
22 tanquam ex obseruantia optimè colligitur Dominos Podios præsentasse ad tradita per *Beron. cons. 91. num. 10. lib. 3. & cons. 152. num. 6. lib. 1.* data enim existentia iu-
23 rispatronatus facillimè admittitur probatio competentiæ, *Gemin. in cap. vnico in fin. de iurepat. in 6. Bocch. eod. tit. in verbo ipse velis num. 86.* cum traditis per *Gonz. in reg. 8. glos. 18. num. 61.*

Non obstat tertio quod dicitur quod in principio instrumenti, legitur præsentatus Ioannes Cellini de Concha & postea Ioannes de Schiaua confirmatus in Rectorem,
24 hæc enim obiectio tollitur ex dictione prædictum quæ denotat identitatem personæ. *Peregr. de fideicom. art. 26. num. 25. per regulam l. asse toto ff. de hæredibus instit. Rot. decis. 121. numer. 6. par. 1. diuers. & decis. 40. num. 11. par. 2. Seraph. decis. 577. nu. 7.* quod eo tato magis dicẽdum est, quia ille locus de Concha in præsentatione non apponitur Ioanni, sed Cellino eius Patri, fierique potest Patrem oriundum fuisse à Concha, & filium à Sciaua vltra quod constat aliũde de possessione dicti Ioannis tam per immissionem quam locationem factam de qua supra.

Prout non obstat Episcopum non fuisse visum verbo *instituo*, sed verbo *confirmo*, ista
25 enim verba largo modo idem significant, & passim tanquam sinonima confunduntur nec est necesse, vt Episcopus exprimat hoc
26 verbum instituo. Sed sufficit vt quibuscumq; verbis admittat præsentatum, *Lambert. de iurepatr. lib. 6. par. 3. q. 1. num. 22. fol. 218.* vltra quod verba rubricæ instrumenti satis videntur probare ista verba institutionem & confirmationem esse sinonima, *Alex. in l. 1. num. 4. & ibi Dec. num. 4. & seq. Curt. iun. num. 5. ff. si cert. pet. Rot. in vna Fanen. Lucri Dotis 5. Iulij 1600. coram Card. Ludouisio.*

Nec etiam visum fuit obstare, quod dicitur non constare neque de præsentatione neque de institutione Presbyteri Coli qui fuit Rector intermediorum inter Ioannem Cellinum, & Leonardum prædictum iste enim defectus non potest vitiare alias institutiones & præsentationes antecedentes & subsequentes, vt in terminis decidit, *Rota apud Seraph. decis. 1141. num. 1.* vbi di-
27 citur prouisionem intermediam licet non exhibeatur præsumi facta ab ijsdem Patronis, quod eo magis redditur probabile, quia in visitatione facta de anno 1582. tam ipse Collus, quam Episcopus recognouerint & admiserint istos Dominos Podios vti Patronos d. Ecclesiæ.

Nec etiam multum monit Dominos, quę dicuntur de præsumpta vsurpatione propter potentiam familiæ Podiorum in Ciuitate Lucana in qua aliqui ex dicta familia propter grauia crimina extremo supplicio sunt affecti alij exulare iussi. Pla-
28 cuit enim responsio nõ esse cõsideratione dignam vllam potentiam nisi sit iuncta cum iurisdictione ad effectum præsumptæ vsurpationis, *Gabr. cons. 292. lib. 2. numer. 1.* & sæpissimè fuit in Rota decisum vt apparet ex multis decisionibus cõgestis in vna *Papien. Iurispatronatus coram R. P. D. meo Manzanedo, quæ est 374. part. 1. in recent.* quæ qualitas tantum abest vt probetur in hac familia, quin potius excluditur ex eo, quod informãtes pro Beneficiatis exhibẽt sententias capitales contra dictos Podios, latas & executioni demandatas. Si enim habuissent iurisdictionem cum ijs non fuisset lege actum.

Non obstat denique sententia lata contra quendam Vincentium ex lectura enim ipsius & ex eius processu apparet nõ fuis-
29 se latam super statu beneficij, sed denegata fuit institutio Vincentio præsentato

quia non vacabat beneficium per obitum cum iam fuisset resignatum Hieronymo & propterea Iudex vtitur hoc verbo *maxime*,
30 ex quo indicat non fuisse hanc causam finalem, *Gemin. cons. 16. num. 4. Alex. cons. 47. n. 5. & 6. lib. 7.* vltra quod cum sententia
31 dicat, non fuisse probatum iuspatronatus non impediuntur Patroni illud hodie melius probare, vt reuera fecerunt *DD. in l. Iulianus vbi Bart. num. 1. & Ias. num. 21. de cond. indeb.* in omnem euentum sententia
32 lata contra præsentatum non nocet Patronis, *l. sæpè & vbi Alex. num. 9. ff. de re iudic.*

Non obstat denique, quod dicitur Dominos Podios, qui sunt in causa quique præsentarunt Octauium de Podio nō probasse se esse descendentes ab illis qui in supradictis præsentationibus interuenerūt, quia vltra quod pro parte DD. de Podio
33 prætenditur hanc probationem descentiæ non esse necessariam cum hoc iuspatronatus competat vniuersæ familiæ de Podio non autem descendentibus alicuius fuit dictum hoc indigere speciali disceptatione reseruatumque fuit, vt particulari dubio disputaretur, pro nunc Domini cōcorditer firmarunt constare de Iurepatronatus in fauorem Dominorum Podiorum, vsq; ad annum 1514. quo supradicta sententia lata reperitur.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## COMPOSTELLANA PAROCHIALIS.

*Mercurij 26. Iunij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Appellatio quando detur à sententia institutionis etiam in beneficio curato.

### SVMMARIVM.

1 *Appellatio datur à sententia institutionis lata ab Ordinario in contradictorio iudicio.*

2 *Possessio capta appellatione pendente est attentata.*

3 *Appellatio licet dicatur nulliter interposita ob non petitos Apostolos attamen sufficit iudicem detulisse appellationi, vt quis non teneatur redire pro Apostolis.*

4 *Possessio siue capta appellatione pendente, siue post appellationem dicitur attentata.*

5 *Possessio vacans venit sequestranda.*

6 *Appellatio ad effectum suspensiuum licet non admittatur in parochialibus attamen id admittitur quando facto concursu quis appellat à mala electione, secus in causis iurispatronatus, in quibus non requiritur concursus.*

### DECISIO CCXII.

1 CVM à sententia institutionis lata ab Ordinario in contradictorio iudicio daretur appellatio, *Lancell. de attent. par. 2. cap. 4. de attent. lite pend. in præfat. n. 626. & q. 12. limit. 49. num. 3.* & fuit dictum in *Compostellana Parochialis Lunæ 27. Maij prox. præt. coram R. P. D. meo Andrea*, sequi-
2 tur † possessionem captam per Hieronymum appellatione pendente, vel post appellationem interpositam per Petrum esse attentatam, *cap. non solum de appellat. in 6. cap. 1. & toto tit. vt lite pend. Rot. diuers. decis. 6. num. 1. & seq. part. 2.* fuit dictum in *Camerinen. Iurispatronatus 15. Nouembris 1599. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno in d. Compostellana, & in alijs causis*, & propterea sequestrandam iuxta stylum Rotæ.

3 Non obstat † appellationem fuisse nulliter interpositam ex quo non fuerunt petiti Apostoli, quia vltra alias responsiones datas per informantes pro Petro placuit Iudicem detulisse appellationi, quo casu non est necesse redire pro Apostolis, *Lancell. de attent. d. cap. 12. limit. 50. n. 203.*

Non obstat non probari possessionem fuisse captam, vel pendente tempore ad appellandum, vel post appellationem, nam
4 placuit responsio, † quod aut possessio fuit capta per Hieronymum lite pendente, vel post institutionis sententiam, & est atten-
5 tata, aut non fuit attentata, & tunc † vti vacans venit sequestranda, *Seraph. dec. 1403 num. 5. fuit dictum in placentina beneficij 4. Iuly 1614. coram R. P. D. meo Buratto inter recent. decis. 586. num. 2. par. 2. & in d. Compostellana coram R. P. D. meo Andrea.*

Non obstat, quod versemur in parochiali, in qua non admittitur appellatio ad effectum suspensiuum ex dispositione Sacr. Conc. & ex Bulla san. mem. Pij V. quia placuit responsio Sac. Conc. & Bullam loqui quando facto concursu appellatur à mala electione non autem in causis iurispatronatus, in quibus non est locus concursui, & sic quando agitur inter præsentatos, & appellatur ab institutione facta ad præsentationem alicuius ex compa-

patronis, nā hoc casu possessio per appellationem suspenditur prout de appellatione interposita à patrono prætendente maiorem partem vocum sicut in casu isto prætendit Petrus, qui etiam præsentatus fuit ab Abbate, vt tenuit Rota in causa *Compostellana parochialis 3. Iunij 1588. coram bon. mem. Platto*, & sequuta fuit in causa *Placentina Archipresbyteralis 4. Iuly 1614. coram R.P.D. meo Pamphilio*.

Et ex his vtraque parte informante fuit decisum constare de attentatis, & apponendum sequestrum.

## CALAGVRITANA PENSIONIS.

*Mercurij 26. Iuny 1619.*

### ARGVMENTVM.

Pensiones retinere quo casu sit permissum vxoratis.

### SVMMARIVM.

1 *Eques Lauretanus vigore priuilegij Apostolici potest retinere pensiones vsque ad summam ducatorum 200. etiamsi nupserit.*

2 *Matricula de iure probat militiam.*

3 *Attestationi eorum statur in his, quæ concernunt eorum officium.*

4 *Priuilegium probatur etiam litteris non expeditis cum sufficiat sola supplicatio cum clausula*, quod sola Signatura sufficiat.

5 *Doli, ac ingratitudinis præsumptio oritur ex impugnatione certæ qualitatis, quam ipse negans prius fassus fuerit.*

## DECISIO CCXIII.

VISVM fuit DD. sententias latas in partibus esse ex capite iniustitiæ reuocandas, & præcipuè vltimā latam die 2. Iunij 1618. in qua, declaratur Ioannem Iniquez de Alegria non posse licitè retinere, & exigere pensionem auctoritate Apostolica sibi reseruatam post contractum matrimonium, certi enim iuris est milites
1 Lauretanos † vigore priuilegij Apostolici, quod legitur in Bullario posse habere, & retinere pensiones, etiam postquam nupserunt vsque ad summam ducator. 200. pro quolibet officio quæ priuilegia sæpius à Rota fuerunt canonizata, vt in *Romana pensionis 11. Marty 1610. & in Tridentina pensionis 25. Iuny 1616. coram R.P.D. meo Decano, & postea in vna Lucana pensionis 28. Iuny 1617. coram me.*

Quod autem Ioannes Iniquez esset talis satis apertè demonstratur, nam ex fide Parochi quæ datur ipse solummodo matrimonium contraxit de anno 1614. constatque ex fide Collegij Archiuij, & magis explicitè ex attestatione Cappellani eiusdem Collegij de anno 1610. fuisse admissū ad
2 vnum ex dictis † officijs, & in eodem archiuio descriptum, vnde satis superque probatur ipsum fuisse militem Lauretanū sicut matricula de iure probat militiam, *l. solemnibus, C. de testam. l. matricula, Cod. agen. in rebus lib. 12.* Nec reuocari po-
3 test in dubium † attestationi, & descriptioni factæ per officiales standum esse in his, quæ spectant ad eorum officium, *Fel. in cap. præposuisti nu. 9. de probat.* fuit dictum in vna *Romana locorum montium coram R. P. D. meo Vbaldo, & in Romana tutelæ de Boncompagnis 24. May proximè præteriti coram eodem.*

Et licet nō fuerunt expeditæ Bullæ non ideo potest controuerti d. Ioannis priui-
4 legium, † quia certum est de stylo non expediri litteras, sed solam supplicationem cum clausula, *quod sola signatura sufficiat*; vltra quod ipsemet Simon Ruiz nepos, & pensionarius in mandato procuræ dato ad consentiendum pensioni agnouit dictum Ioannem auunculum vti militem Lauretanum consensumque præbuit dictæ pen-
5 sioni in fauorem illius tanquam militis reseruandæ, † ex quo magna resultat præsumptio doli, & ingratitudinis dum reuocat in dubium scienter priuilegium concessum auunculo benemerito contra propriam confessionem.

Et ita decisum.

## GERVNDEN. ADMINISTRATIONIS, SEV PRIVATIONIS.

*Lunæ 1. Iuly 1619.*

### ARGVMENTVM.

Attentata sunt gesta post appellationem, & plura deducuntur circa regulam, quod qui continuat non attentat.

### SVMMARIVM.

1 *Gesta post appellationem, ac inhibitionem rotalem sunt attentata.*

2 *Qui continuat non attentat non procedit* quan-

*quando causa committitur super illo actu particulari, & num. 3.*

4 *Inhibitio rotalis non est cognoscenda, seu interpretanda ab alijs quam à Rota, vel Signatura.*

5 *Appellatio suspensiua non admittitur quando fuit processum extraiudicialiter.*

6 *Limita quando Iudex superior cœpit cognoscere.*

7 *Attentata, vt probentur requiritur plena probatio.*

8 *Probationes per indicia, & coniecturas admittuntur in his quæ fieri solent in occulto.*

## DECISIO CCXIV.

1 DOMINI dixerunt † constare de attentatis eum post appellationem, & inhibitionem Rotalem capitulum deuenerit ad imbussulationem, & extractionem officiorum excluso, & reiecto Francisco, *cap. non solum de appell. in 6.* & fuit sæpissimè decisum.

Non obstat capitulum esse in quasi possessione priuandi administratorem officijs, quando nō præstant debitas fideiussiones, & regula sit, qui continuat non attentat,
2 *glos. in d. cap. non solum, & in Clemen. 2. Vt lite pend. Rota decis. 10. de appell. in antiq. latè Lancell. de attent. par. 2. cap. 4. n. 2.*

Nam hoc obiectum ex pluribus tollitur, & primo, quod hic non apparet capitulum deuenisse ad exclusionem ex dicta causa, sed ex præcedenti decreto priuationis facto à Capitulo à quo decreto appellauit Franciscus, & huius appellationis vigore fuit commissa causa in Rota, & concessa inhibitio, & de tali decreto constat ex confessione capituli data in responsione per Vicarium nomine Capituli, in qua dixit se ex iustis, & legitimis causis dictam priuationem fecisse.

3 Secundo fuit responsum † dictam regulam nō habere locum quando causa committitur super illo actu particulari, *Rip. in cap. cum M. Ferrariensis num. 193. ante finem vers. ad istud respondeo de constitut.* & fuit in puncto dictum in *Tarraconen. attentatorum 4. Iunij 1608. coram Reuerendiss. D. meo Decano.*

4 Demum fuit responsum † cessare difficultatem stante inhibitione Rotali de cuius viribus cognoscere non spectabat ad Capitulum, *Ach. decis. 29. de appell. Rota diuers. decis. 785. par. 1.* fuit dictum in *Valentina decimarum 12. Maij 1606. coram bon. mem. Penia in Romana Iurisnominandi, Veneris 15. Nouembris 1613. coram me,* in qua aliæ decisiones referuntur.

5 Non obstat Capitulum † extraiudicialiter processisse, & extraiudicialiter fuisse appellatum, & propterea talem appellationem non suspendisse futura consequutiua, *Franc. in cap. bona num. 32. de appell.* fuit dictum in *Leodien. Abbatissatus 31. Maij 1606. coram Reuerendiss. D. meo Archiepisc. Damasceno,* & in *Cæsaraugustana portionis 3. Iuly eiusdem anni,* quia regula prædicta
6 cessat † vbi prout hoc casu Iudex superior cœpit cognoscere, *Innoc. in cap. constitutis il 2. num. 4. Im. num. 14. vers. & hac dicis vera de appellat.* & fuit dictum in prædictis decisionibus.

Non obstat non constare de exclusione
7 Francisci, † & ad probanda attentata requiri plenam probationem cum sapiant delictum, *Lancell. de attent. cap. 26. num. 6. Card. Mant. decis. 62. num. 2.* Nam satis concludenter, & plenè visum fuit Dominis constare de exclusione ex responsione Capituli (tam ante, quam post) interrogationi, & protestationi Francisci iuxta quā responsio interpretanda est maximè procedente d. decreto priuationis appellatio-
8 ne interiecta, & cum in his quæ occulto fiunt admittantur probationes, quæ haberi possunt, nempè per indicia, & coniecturas ex trad. per *Felin. in cap. consuluit in fin. de sent. excom.* Domini censuerunt hoc casu omnibus simul iunctis probari sufficienter exclusionem Francisci cum alias facto Capituli impossibilis huiusmodi attentatorum redderetur probatio.

Et ex his ita decisum vtraque parte informante.

## CONCHEN. DECIMARVM DE BELMONTE.

*Lunæ 1. Iulij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Aliquam Ecclesiam esse intra fines alicuius diœcesis, ex quibus probetur.

### SVMMARIVM.

1 *Verba, consita, & inclusa, denotant loca esse intra fines diœcesis.*

2 *Confessione propria nulla maior probatio.*

3 *Confessio facta in iudicio sufficienter probat,*

*bat, releuatque partem ab onere probandi.*

4 *Probationes exactissima non requiruntur in materia confinium.*

5 *Confessio Prælati licet non noceat Ecclesia attamen fallit si confessio sit sæpius repetita.*

6 *Confessio Prælati nocet Ecclesiæ quando concurrunt alia adminicula, ex quibus aliunde veritas elici potest.*

7 *Testes informiter examinati faciunt saltem adminiculum.*

## DECISIO CCXV.

IN propositione huius causæ facta coram R.P.D. meo Verospio die 20. Iunij 1616. dubitabant Domini vtrum Capitulum satis probasset intentionem suam, quam fundabat per donationem Ioannis Episcopi, qui vigore facultatis ipsi à Lucio III. concessæ assignarat pro dote Capituli medietatem decimarum omnium Ecclesiarum diœcesis Concheñ cum non iustificaretur Ecclesiam Collegiatam, & Parochialem loci de Belmonte sitam esse intra fines Episcopatus Concheñ, postea examinatis testibus productisque hinc, & inde iuribus dubitaui, vtrum constaret loca de quibus agitur esse sita in d. diœcesi, quo dubio proposito ex iuribus de nouo deductis Domini affirmatiuè responderunt ea ratione, quia apparet ex mandato procuræ dato die 27. Augusti proximè præteriti per Abbatem maiorem, & consortes ipsos dedisse mandatum ad hanc litem persequendam contra Capitulum cum expressa narratiua, quod d. Abbatia Detresiungos sub qua reguntur cæteræ Ecclesiæ de Belmonte, & eorum Rectores, vt faciant coadunantiam consitæ, & inclusæ in d. diœ-
1 cesi Concheñ, hæc enim verba, *consita*, & *inclusa*, nullam admittere possunt æquiuocationem, quo minus dicantur dicta loca esse in diœcesi, & sic intrat iuris regu-
2 la † nullam maiorem probationem dari posse, quam confessionem partis, vt dicit Imperator in *l. cum te, C. de transact. & in l. fin. C. de non num. pecun. cap. statuimus de confess. cum similib.*

Secunda confessio depromitur ex eo, quod datis positionibus pro parte d. Capituli duo Canonici deputati ad respondendum, confessi fuerunt oppidum de Belmonte cæteraq; loca esse dictæ diœcesis Con-
3 cheñ, & sic † confessio facta in iudicio sufficienter probat, releuatq; partem ab onere probandi, *dicto cap. statuimus de confess. l. cum precum, & ibi notata, C. de liber. caus. specul. de posit. §. 2. in princ. & §. 3. num. 3. Gabr. de confess. concl. 4. quasi per tot.*

Concurrunt etiam plurimæ aliæ confessiones dum d. Abbas, & litis consortes petunt exhiberi cõcordiam super modo percipiendi decimas in diœcesi Concheñ, & & in pluribus mandatis à d. Abbate ad effectum persequendi hanc causam, quibus simul iunctis videtur elici sufficiens pro-
4 batio maximè † cum agatur in materia confinium, in qua non requiruntur exactissimæ illæ probationes *DD. in cap. cum causam de probat. Socc. cons. 86. num. 4. lib. 1. Corn. cons. 333. n. 3. lib. 1.*

5 Et licet generaliter † confessio prælati non noceat Ecclesiæ; fallit tamen hæc regula quando non est vnica, sed sæpius repetita, *l. balista vim ibi notat ff. ad Trebell. Rom. cons. 346. n. 10. & seqq. Surd. decis. 10. num. 8. & decis. 130. num. 9. & seq.* Maximè
6 quando concurrunt † alia adminicula, ex quibus aliundè veritas elici possit; tunc enim confessio Prælati nocet Ecclesiæ, & illius successori, *gl. in cap. dudum il 2. vers. qui tale, & ibi DD. de elect. Bald. in Auth. hoc ius porrectum num. 8. C. de sacros. Eccles. Rot. apud Seraph. decis. 192. num. 3. & decis. 436. num. 7. & decis. 442. num. 20.* & nuper in vna *Hispalen. primitiarum 11. Iunij 1616. confirmata die 3. Iunij proximè præteriti.*

Quod autem adsunt adminicula satis patet ex depositionibus testium quos Rota firmauit non sufficienter probare ex eo, quod erant nulliter inducti, sed negari non
7 potest etiam † testium informiter examinatorum depositiones inseruire posse pro adminiculo iuribus vulgaribus.

Et ita decisum vna parte tantum informante.

## ARETINA PLEBANIAE.

*Luna 1. Iulij 1619.*

Argumentum ex Summario.

### *SVMMARIVM.*

1 *Remissoria non conceditur ad probandum per testes, quod probari potest per scripturas.*

2 *Re-*

2 *Remissoria non datur ad probandum id, quod probatum non releuat.*

3 *Iuspatronatus non probatur solum ex enunciatiuis.*

4 *Ecclesia spatio 100. annorum potest acquirere libertatem.*

5 *Vltimus status in beneficialibus attenditur.*

6 *Remissoria sine maximo fumo non datur ad probandum delictum.*

## DECISIO CCXVI.

CONCLVSVM fuit pro denegatione remissoriæ duplici ratione, aut enim fit ius in scripturis conseruatis in archiuio Episcopi, & præcipuè in libro quodam vbi annotantur beneficia Episcopatus, ex quo commodè possunt compulsari, & ex-
1 trahi partitæ, & ideo † non est danda remissoria ad probandum per testes illud, quod potest probari per scripturas, *Fel. in cap. 1. num. 4. de appell. Rota decis. 6. & 46. de testib. in antiq.* cum multis alijs allegatis in vna *Meliten. Commenda die 27. Nouembr. 1617. coram me.*

Aut verò prętenditur probari posse Episcopum habuisse notitiam, ac etiam perlegisse librum de quo agitur prout continetur in articulis, & eo casu non est danda
2 remissoria, † quæ non conceditur ad probandum id, quod probatum non relenat iuribus vulgaribus.

Non enim potest haberi cõcludens probatio, quod perlegerit partitam respectu beneficij de quo agitur, & etiamsi illam perlegisset, ex lectura illius partitæ si aliæ probationes non afferentur nunquam diceretur constare sufficienter de iurepatronatus familiæ; DD. de Ceretanis solæ enim
3 enunciatiuæ † non satis probant iuspatronatus, *Caputaq. decis. 128. num. 4. part. 2.* cum alijs allegatis in vna *Valentina de Cailetis 4. Maij 1603. coram Cardinale Lancellotto, & in vna Pampilon. de Huarle 4. Iulij 1614. coram R. P. D. mèo Remboldo.*

Quod eo magis est dicendũ, quia elapsi
4 erant 100. anni, † quo tempore Ecclesia acquirere potuit libertatem, & in benefi-
5 cialibus † ab Ordinarijs soleat vltimus status attendi, quod sufficit ad excludendam malam fidem Episcopi, quæ nunquam præsumitur.

Placuit & aliquibus ex Dominis aliud motiuum articulum prætensæ malæ fidei
6 sonare quodammodo in delictum † quo casu sine grauissimo fumo nunquam datur remissoria, *Cresc. decis. 19. num. 5. de probat. Caputaq. decis. 62. & decis. 63. num. 3. par. 3. Rota diuers. decis. 687. n. 3. par. 3.*

Et ita decisum.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Veneris 14. Iunij 1619.*

### ARGVMENVVM.

Quando non sit locus repetitioni fructuum ex quo successerunt loco alimentorum.

### SVMMARIVM.

1 *Solutio præsumitur facta in causam debiti præambuli.*

2 *Nemo in dubio præsumitur velle iactare suum.*

3 *Assignatio pro sustentatione gradus æquipollet assignationi pro alimentis.*

4 *Alimenta quando dicantur compensata cum assignatione certorum fructuum.*

5 *Donatio duplex ex eadem causa non præsumitur.*

6 *Alimenta respectu eiusdem personæ dantis, & recipientis non sunt multiplicabilia.*

7 *Testatoris declarationi conformi dispositioni legis multum deferendum.*

8 *Alimenta ex quibus dicantur recepta cum animo illa compensandi cum fructibus receptis.*

9 *Alimenta præstita affini pauperi censentur donata.*

## DECISIO CCXVII.

ROTA vtraque parte informante censuit sententiam A.C. quæ condemnat hæredem, & legatarium quondam Bonifacij Canobij ad soluendum Domino Equiti Bartholomæo Canobio fructus sortis principalis census scut. 3600. vel locorum montium in locum dicti census subrogatorum esse iniustam, & proinde reuocandam.

Ratio præcipua decisionis hæc fuit, quia isti fructus fuerant dati à d. Bonifacio, & destinati pro præstandis alimentis d. Equiti Bartholomæo, quia non controuertitur inter partes, & ipsemet Bartholomæus in positionibus datis ingenuè fatetur se ab anno præcipuè 1601. fuisse honorificè tractatum, & alimentatum à d. Bonifacio vnde nullo iure agere potest ad repetendum

dum dictos fructus ab hæredibus Bonifacii, qui onus ipsum alimentandi substituit.

1 Certi enim iuris † est præstitum à debitore in dubio præsumi datum in causam præambulam debiti, non autem donatum, cum donare sit perdere, & nemo in dubio
2 præsumitur iactare suum † quæ regula habet locum etiam in præstatione alimentorum, *l.1. l.alimenta, C. de neg. gest. DD. in l. fin. C.de alim. pup. præst. fusè Surd. de aliment. tit.6. quæst.1. numer.1. & sequen. Rota diuers. decis.* 524. *n.91. p.1. Ceph. cons.85. n.1. & seq.*

Quod autem fructus dicti census fuerint ab initio assignati pro alimentis præstandis dicto Equiti visum fuit satis sufficienter probari tum ex memoriali porrecto per ipsummet Bartholomæũ Serenissimo Magno Duci Ethruriæ tum etiam ex instrumento donationis census, in quo fructus leguntur assignati pro sustentatione gra-
3 dus equestris † quæ verba æquipollere videntur verbis congruorum alimentorum, *Gygas de pens. quæst.51. nu.2. Surd. de alim. tit.2.q.2.n.19. & 20.*

4 Ex quibus sequitur † donatorem consentiente donatario implendo onus alendi voluisse compensare alimenta cum dictis fructibus eadem de causa assignatis argumentis, *l. filia legatorum, C. de legat. l.Lucius la prima, ff. de legat. 2. Surd. cons.119. num.10.* alias sequeretur præsumptio duplicis donationis ex eadem causa alimen-
5 torum, † quæ in iure non admittuntur, *d.l. filia legatorum ubi DD. omnes C. de legat.* Idque maxima ratione, quia alimenta re-
6 spectu † eiusdem personæ dantis, & recipientis non sunt de sui natura multiplicabilia, *Surd.de alim. tit.9.q.5.n.6.*

Hanc iuris vehementem præsumptionem satis adiuuat ipsiusmet Bonifacii declaratio facta in testamento noluisse se huiusmodi alimenta præstita d. Bartholo-
7 mæo donare, † cuius testatori declarationi conformi dispositioni legis multum Domini detulerunt.

Considerarunt etiam colligi animum
8 ipsiusmet † Bartholomæi, quod receperit alimenta animo compensandi cum dictis fructibus nõ solum ex taciturnitate 11. annorum, sed ex eo, quod ipsemet agnoscens bonam fidem posuerit pecunias redactas ex dictis fructibus ad creditum ipsiusmet Bonifacii, quo casu colligitur signum euidens, quod ipse Bartholomæus agnouerit fructus non ad se, sed ad Bonifacium spectare.

His positis non obstant coniecturæ, quæ in contrarium ponderantur ad firmandam donationem, & excludendam compensa-
9 tionem, & primo quod præstita fuerit dicto equiti alimẽta pauperi, & nepoti ipsius Bonifacij ex fratre, vnde arguitur donatio, *Surd. de alim. tit.6. quæst.1.* Quia post assignationem census eques non potuit amplius dici pauper, neque visum fuit Dominis sufficienter probatam fuisse à Bartholomæo qualitatem nepotis ex deductis in facto per informantes, saltem ad effectum de quo agitur.

Nec etiam obstat, quod dicitur dictum Bonifacium etiam circumscripta donatione fuisse obligatum vigore testamenti paterni præstare Bartholomæo filio fratri naturali debita alimenta, quicquid enim sit in terminis iuris, an commendatus à proximiore alias obligato ad alendum possit prætendere alimenta in hac facti specie attentis verbis testamenti quondam Bartholomæi Canobij senioris Domini iudicarunt equitem Bartholomæum non potuisse cogere Bonfatium ad præstanda ei alimenta saltem vigore d. testamenti idque tanto magis, quia ipsimet Bonifacio filio legitimo, Pater Bartholomæus Sola 150. sc. annua pro alimentis legauerat, nec est verisimile, quod voluerit illum grauare hoc onere grauissimo nõ agnoscendo præcisè ipsum Bartholomæum vti nepotem ex filio, prout sonant verba testamenti.

Nec etiam obstat, quod assignatio prædicta ad alium effectum facta fuit nempe vt possit obtinere crucem equestrem, & ita nõ videtur reuocata præambula causa pietatis, vel obligationis, quia vltra quod hæc verba sonant in alimenta præstanda Equiti condecentia gradui hæc ratio non tollit quin Bonifacius esset debitor equitis, & alimenta potuerint præstari, prout lex prædicta mandauit animo compensandi per retentionem fructuum dicti census ex supra deductis.

Placuit aliquibus ex Dominis aliud fundamentum desumptum ex eo, quod dictus Bartholomæus habuerit ex pecuniis d. Bonifacii notabiles summas, ex quibus verisimiliter potuit satisfieri, & ita non solidaris computis non videretur posse agere contra hæreditatem, & quamuis replicetur illas pecunias fuisse expensas pro seruitio domus d. Bonifacii, vt apparet ex ordini-

dinibus directis à Bonifatio d. Bartholomeo. Multum dubitabant DD. si hæc responsio sufficiat nam ordines directi Bancho vt soluerentur pecuniæ Bartholomæo sine alia confessione de recepto respiciunt solum interesse Mercatorum, alij vero ordines probant destinatas pecunias fuisse pro seruitio domus, sed non inde sequitur fuisse conuersas:

Vltra quod satis possunt dici conuersæ in vtilitatem domus, dum conuertebantur in causam alimentorum Bartholomei cui debebantur alimenta, & in dicta domo fuerunt multis annis præstita, & propterea visum fuit non cessare præsumptionem satisfactionis, quæ eum ab agendo excludit.

Verum quia multa ad euitandum hoc motiuum aliaque in facto congeruntur pro parte Bartholomæi cum causa sit commissa omni, & quacumque appellatione remota, quatenus opus sit, & id Domini expedire iudicauerint poterit super his quæ in facto consistunt audiri.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## FIRMANA HAREDITATIS.

*Lunæ 7. Iunij 1619.*

## ARGVMENTVM.

Validitas testamenti ex quibus dicatur, & latè de hac materia tractatur.

## SVMMARIVM.

1 *Testamenti validitas quando sit indubitata.*

2 *Notarius non apposuisset clausulam actum in testamento, nisi publicatio facta fuisset, actusque perfectus fuisset.*
*Testamentum per lecturam, & publicationem censetur consummatum, & perfectum*

3 *Clausula, Actum, quod requiratur cæterata vt operetur suos effectus, est opinio chimerica.*

4 *Clausula, Actum, sufficit vt absque cæteratione ponatur post appositionem loci, & testium cum designatione specifica loci, & confinium.*

5 *Clausula, Actum, in instrumento dicitur manere in fine, licet verè non sit quando post eam fuit apposita aliqua additio, quæ per signum speciale est ponenda in corpore instrumenti.*

6 *Additio in instrumento apposita valida est sine approbatione Notarij, quando non est in margine, sed in fine, atque est manui ipsius Notarij, & num. 7.*

8 *Notarius quod approbauerit additionem ab eo factã in fine instrumenti, non est dubitandum, si immediatè sequatur eius subscriptio.*

9 *Signum Notarij non est de substantia legalitatis instrumenti, & sic multoties indicauit Rota, & num. 10.*

11 *Et hoc multo magis procedit si instrumentum fuerit repertum in prothocollo Notarij rogati.*

12 *Notarij attestationi se reperisse instrumentum in Archiuio statur.*

13 *In instrumento reperto in Archiuio, si aliquid deficiat id suppletur, seu illud recepit ex d. Archiuio.*

14 *Examini scrupuloso publicationis instrumenti non est locus quando adsunt omnia requisita.*
*De instrumenti publici validitate non est dubitandum quando adest annus, dies, locus loci, inditio, rogitus, testis cum omnibus requisitis manu ipsius Notarij descriptis, num. 14.*

15 *Notarius si fateatur se dedisse instrumentum publicum, per consequens illud habuit pro perfecto.*

16 *Declarationi Notarij statur circa perfectionem, & stipulationem instrumenti.*

17 *Religiosi regulariter sine licentia Superioris non possunt adhiberi testes in testamento.*

18 *Religiosi de generali consuetudine receptum est, vt possint esse testes in instrumentis sine licentia Superioris.*

19 *Religiosi præsumuntur de consensu Superioris adhibiti testes in testamento si inter ipsos adhærat etiam Superior.*

20 *Testes non est necesse vt cognoscant testatorẽ, sed solum vt eum audiant, & videant.*

21 *Testes testamentarij, quatenus sit necesse, quod cognoscant testatorem id præsumitur.*

22 *Vir celebris si existat in angusto pago, præsumendum est, vt ab omnibus cognitus sit.*

23 *Testamentum non caret suspicione fraudis, quando testator est Iurisconsultus, & in scriptura habentur soligismi, & barbarismi.*

24 *Latinitas falsa non vitiat testamentum.*

24 *Institutiones nõ possunt dici captatoriæ quas similis affectio, & mutua testantium voluntas sine vlla calliditate prouocauit.*

26 *Correspectiuitas in testamentis ex quibus cesset.*

27 *Sanguinis coniunctio tollit omnem præsumptionem fraudis.*

Instru-

28 *Instrumento publico fides non minuitur si adsint in eo plures cancellationes, & additiones, si sint tamen manu ipsius Notarij rogati.*
29 *Scriptura publica non vitiatur si ei aliquid addatur, quia dato additiones non esse legales, ipsa & non scriptura vitiantur.*
30 *Cancellationes, & additiones in testamento facta, censentur facta de tempore confecti testamenti, & cum consensu ipsius testatoris.*
31 *Præsumptiones leuiores tolluntur per validiores.*

## DECISIO CCXVIII.

PROPOSITA alias sub die 29. Aprilis proximè præteriti hac causa super manutentione hinc & inde controuersa in hæreditate q. Isidori Roberti inter D. Capitaneum Alexandrum Robertum nepotem ex fratre dicti Isidori Testatoris hæredem scriptum qui seruatis seruandis corã Illustrissimo Vicario Vrbis secundum tabulas testamenti fuisse legitimè immissum contendit, & Eneam Coecilianum cessionarium, & hæreditarium donatarium Cinthiæ ex sorore neptis d. Isidori, & hæredis ab intestato, asserentem stante nullitate, & caducitate testamenti debita sibi esse dictam hæreditatem ab intestato visum fuit DD. apposito prius sequestro super ea parte hæreditatis super qua Aeneas prætendit fecisse executionem primo loco disputandum esse dubium super validitate d. testamenti, quo proposito DD. vnanimi voto testamentum esse validum respon-
1 derunt, † quia de eo constat per publicum instrumentum subscriptum manu Notarij rogati, quod continet annum, diem, locum loci, institutionem hæredis, numerum testium, omniaque alia requisita, quæ ad solemnitatem testamenti de iure, & consuetudine requiruntur, *§. fin. cum ibi not. inst. de testam.*

Nec obstant quæ magna verborum serie ad tollendam fidem d. testamenti ab informantibus pro dicto Aenea Cœiliano cumulantur, & primo istud testamentum nunquam fuisse lectum, & publicatum coram Notario, & testibus contrarium enim
2 colligitur ex clausula, *Actum*, † quæ nisi publicatio facta fuisset, actusque fuisset perfectus solet apponi cum per lecturam, & publicationem testamenti illud censeatur consummatum, & perfectum, *Bald. in auth. quod sine, C. de testam. Alex. cons. 14. num. 14. vers. ita ergo in proposito lib. 6. Ruin. consil. 159. num. 11. lib. 4. Couar. in cap. relatum il 1. num. 11. vers. primo equidem de testam. Castr in l. 15. qui num. 4. ff. eod. & in l. hac consultissima in princ. num. 5. in fin. C. eod. Surd. cons. 187. num. 4. & cons. 350. num. 20. & 23. Mant. de coniect. vlt. vol. lib. 2. tit. 4. num. 7. Seraph. decis. 922. num. 2. cum alys alleg. in vna Romana fideicommissi de Vecchys 16. Ianuarij 1615. coram R. P. D. meo Pirouano.*

Nec mouebantur DD. ex eo quod dicebatur clausulam, *Actum*, in hoc testamento non esse cæteratam, uam vltra quod asseritur in instrumento in publicam formam redacto ab ipsomet Notario illam ita esse appositam. Respondetur distin-
3 ctionem esse merè verbalem † nulla lege, aut iure firmatam, & à nemine ex Doctoribus iudicatam necessariam esse dictam
4 cæterationem cum † sufficiat post appositionem loci, & testium appositam fuisse clausulam, *Actum* in tali loco, cum designatione specifica loci, & confinium, *Alex. d. l. is qui num. 4. de test. Ruin d. cons. 159. num. 11. Surd. cons. 187. num. 4. Alex. cons. 14. num. 19. lib. 6. Seraph. & Mantic. locis præcitatis.*

Nec etiam obstat præcipuum informantium pro Aenea fundamentum non suffra-
5 gari clausulam *Actum*, † quia non reperitur in fine apposita, sed postea addita fuit derogatoria ad subsequentia testamenta per quam impeditur conclusio perfectionis testamenti, dum perfecto nihil possit addi, vt post *Paris. Rol. aliosque DD. testatur Hond. cons. 66. num. 84. lib. 1.* Placuerunt enim responsiones datæ pro d. D. Cap. Alexandro, additionem illam continere signum speciale per quod demonstratur legendam esse ante clausulam, *Actum*, quæ propterea remanebit in fine apposita, & licet illud signum, seu remissa, appositum sit absque verbo approbo, sine quo fidem videtur, non mereri, *ex doctr. Bart. in l. si vnus num. 3. C. de testam. Mant. decis. 357.*
6 *num. 1. cum allegat.* Tamen † cum additio hæc sit scripta in corpore testamenti non autem in magine, & ipsiusmet Notarij manu qui additionem apposuit ei plenè cre-
7 ditur, vt notat *Bart. in d. l. si vnus.* † Neque dubitari potest de approbatione sufficienti, cum immediatè fuerit apposita subscriptio einsdem Notarij, vt declarat *Bald. & Castr. in d. l. si vnus, C. de testam.* vltra quod

quod in omnem euentum illa clausula derogatoria addita sola vitiaretur, & non testamentum alioquin perfectum ex vulgari
8 Iuris regula,† vtile per inutile non vitiari, & quamuis post dictam clausulam non sit appositum signum Notarij, non ideo irri-
9 tatur testamentum cum † tale signum non sit de substantia legalitatis, iuxta opinionem quam Rota sequitur *Cassan. decis.78. Seraph. decis. 902. num.5.& 909. Mascambr. cons.89.* & multoties ita fuisse in Rota iudicatum constat *ex decis. coram bo: me: Penia in vna Fauentina Monasterij 4. Iulij 1608.* & nuper fuit dictum *in dicta Romana fideicommissi de Vecchys quæ est 628. par.2. nouiss. coram R.P.D. meo Pirouano.*
10 Quod eo magis dicendum videtur quia hæc scriptura testamenti non fuit reperta in folio volanti (prout Aeneas presupponit) sed in protocollo, & inter alia instrumenta Notarij rogati, & repositi in Archiuio Terræ Montis Sancti, vt constat ex fide & attestatione quæ legitur in principio d.
11 instrumenti Archiuistæ d. loci, † cuius attestationi standum esse sæpissime fuit in Rota decisum, & præcipuè in vna *Ispalen. Decimarum de Aimonte 12. Maij 1614. coram R.P.D. meo Pamphilio.* Vnde sequitur
12 si aliquid deficeret in d. instrumento reciperet robur ex d. Archiuio, itaut perfectũ censeri debeat, *Angel. in l. pluribus, ff. de his, quæ in testam. Rota decis.250. numer.3. par.1. diuers. Seraph. d. decis.96. num.6.*
13 Consideratum etiam fuit † non esse locum scrupuloso examini publicationis instrumenti in quo adsunt omnia requisita, annus scilicet, dies, locus loci, indictio, rogitus, testes cum omnibus requisitis, ma-
14 nu ipsius Notarij descriptis, † tunc enim dubitari non potest de validitate publici instrumenti, *Alex. cons.48. num.2. & 3. lib.5. Bald. in auth. quod sine num.2. C. de testam. Ruin. cons.1. num.7. lib.3.* & quod omnem tollere difficultatem visum fuit DD. illud est, quod Notarius in subscriptione vtatur his verbis. (Ego Franciscus Adrianus Notarius rogatus &c. dedi publicum prout
15 iacet &c.) † si enim idem Notarius fatetur se dedisse dictum instrumentum publicum, per consequens habuit illud pro per-
16 fecto in omnibus, & per omnia cum aliàs publicum instrumentum dare non posset, declarationi Notarij quoad perfectionẽ, & stipulationem actus standum est, *Specul. de fid. instrum. num.13. Ang. cons.221. in princ. Alex d. cons. 14. num.19. Castr. cons. 707. num.2. par.1. Bero. cons.1. num.1. vol.2.* & in fortioribus terminis fuit dictum in *Romana fideicommissi de Vecchys 22. Iuny 1616 coram R.P.D. meo Pirouano quæ est dec.714. par.1. inter nouiss.*

Nec obstat quod dicitur dictum instrumentum esse extractum lite pendente sine citatione partis, non enim hodie quæritur de legalitate instrumenti vltimo loco producti, sed illius quod anno 1605. fuit coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio tũc Vicario Vrbis productum, vt legitur in extracto folio 159. & postea anno præterito corã vltimo Iudice per ipsum Aeneam reproductum, & repetitum vna cum processu facto coram dicto Vicario fol. similiter registri 105.

Nec videtur obstare testes adhibitos in
17 d. testamento fuisse Fratres Cappucinos, qui regulariter sine licentia expressa Superioris non possunt adhiberi testes, vt per *Dec. cons.354. num.1.* aliosque allegatos quicquid enim sit de stricto iuris rigore,
18 certum est contrarium obseruari, idque consuetudine generali recipi vt sine licentia Superiorum possint in instrumentis adhiberi vt testes, *Castr. cons.426. in princip. lib.2. Natt. in l. hac consultissima, §. ex imperfecto num.11. C. de testam. Clar. post alios in §. testamentum quæst.55.* quicquid sit vtrum in iudicio Religiosus possit se subijcere examini, & iurisdictioni alterius, quã
19 Superioris, vltra quod inter dictos testes aderat Guardianus ipsemet ex cuius præsentia, præsumitur, aut resultat licentia in cæteris testibus adhibitis, *Alex. cons.8. n.6. lib.5. Surd. cons.15. num.20. & decis.47. num.4.*

Nec etiam obstat testatorem non fuisse satis cognitum ab ipsis testibus rogatis in
20 dicto testamento. Nam vltra quod † videtur nõ esse necesse vt testes cognoscãt personam testantis, sed solum vt audiant, & videant ex trad. per *Duran. de art. testan. tit.2. caut.8. num.3. Clar. in §. testamentum quæst.59. Bertaz. cons. ciuil. lib.86. num.21.*
21 Respondetur dictam † cognitionem quatenus necessaria præsumi quia in dubio omnia requisita pro validitate actus vltimæ voluntatis interuenisse præsumuntur, ex deductis in illa *Romana de Marescottis 25. Iunij 1618. coram Reuerendissimo D. meo Da-*
22 *masceno*, contrariumque esset concludentissimè probandum per Aeneam cum maxima adsit verisimilitudo Isidorum virum celebrem tunc existentem in Augusto pa-

go

go fuisse illic ab omnibus cognitum, *cap. quanto, & ibi omnes scriben. de praesump.*

Nec multum mouet DD. quod dicitur scripturam continere fillogismos, & bar-
23 barismos; Vnde inferre volunt testamentum non carere suspicione falsi cum dictus Isidorus esset Iurisconsultus, qui verisimiliter his verbis barbarismos redolentibus
24 vsus non fuisset. Placuit enim responsio falsam latinitatem non vitiare instrumentum, *Bald. in l. Imperator in prima lectura, ff. de stat. hom. vbi Bart. num. 1. & Alberic. num. 2. & 3.* & in simili fuit resolutum in illa celebri Maceraten. haereditatis super testamento Matthaei Vici Iurisconsulti.

Nec etiam obstat reperiri aliud testamentum eadem die coram eodem Notario iisdemque testibus stipulatum, in quo Madricardus haeres scriptus Isidorum testatorem similiter haeredem instituerat, quod cũ postea fuerit à Madricardo reuocatum, illud ab Isidoro factum tamquam correspectiuum censeri debet etiam reuocatum; Nam vltra quod istud praetensum testamentum nunquam fuit productum, nec potest impedire manutentionem, aut immissionem haeredi in iudicio possessorio. Placet responsio desumpta ex responso Papiniani in *l. captatorias institutiones qua est 70*
25 *de hared. instit.* † non posse dici captatorias institutiones quas similis affectio, & mutua testantium voluntas sine vlla calli-
26 ditate prouocauit, † & ita cessat praetensa correspectiuitas nisi aliqua conditio intrinsecus, vel extrinsecus ei sit inserta, vt optimè notat *Giriac. in d. l. captatorias lib. 6. respons. Papiniani*, stante praecipuè coniun-
27 ctione sanguinis, † quae tollit omnem fraudis suspicionem, *arg. l. cum alienam, C. de legat. Dec. conf. 561. num. 4.*

Nec obstat denique adesse in d. instrumento plures cancellationes, & additiones sine expressa approbatione Notarij rogati.
28 Placent enim responsiones, † appositiones illas, & additiones scriptas fuisse manu eiusdem Notarij; Vnde ei fides meritò adhibenda, *Bald. in rubr. C. de fid. instrum. num. 2. Alex. conf. 59. num. 5. vers. non obstat lib. 2. & conf. 14. num. 23. lib. 6. Aym. conf. 88. num. 2.* cum alijs allegatis in vna *Nepesina Tutelae 23. Februarij 1617.* in qua respondetur decisioni factae coram Illustris. Millino in vna *Romana obligationis 28. Fe-*
29 *bruarij 1600.* & † licet istae additiones nō essent considerandae non inde testamentum vitiaretur alias sequeretur quamlibet authenticam scripturam addendo ei aliquid posse vitiari, *gloss. in cap. cum venerabilis in verb. propter praedicta, & ibi Ostien. num. 5. in fine; Butr. num. 15. Abb. num. 8. de relig. dom. Caputaq. decis. 3. num. 16. & 17. par. 2.*
30 *cum allegat.* tum maximè quia istae † additiones, & cancellationes censentur factae de tempore confecti testamenti, & de consensu ipsius Testatoris, *Alex. d. conf. 14. n. 6. vbi de communi lib. 6. Paris. conf. 28. nu. 45. lib. 2. Decia. conf. 99. num. 3. lib. 2.* & fuit firmatum in *d. Maceraten haereditatis 10. Decembris 1610. coram R. P. D. meo Manzanedo.*

Nec dicatur interlinealiter legi additũ nomen Robertij quasi additio ista censeri debeat in substantialibus, satis enim substituendo D. Cap. Alexandrum eius nepotem, cum expressa prohibitione alienationis pro conseruatione familiae Madricardi fratris, & Alexandri eiusque filiorum, sine alia expressione nominis Gentilitij Roberti cum alium quam Cap. Alexandrum Robertum nepotem non haberet, videbatur substitutio specificata prout videre est ex toto contextu testamenti è cuius lectura satis superque apparet de enixa voluntate Testatoris prouidendi Madricardo fratri Alexandro nepoti, eorumque lineae masculinae.

31 Reliquae autem † praesumptiones adductae pro Aenea ad infringendam fidem publici instrumenti visae sunt nimis leues ad hunc effectum praecipue cum per contrarias vehementiores elidantur vt fusius deducitur per informan.

An autem per mortem Madricardi primi instituti praemortui caducata fuerit substitutio Alexandri illud particulari inspectione dignum esse Domini censuerunt

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ELNEN. DISTRIBVTIONVM.

*Luna 17. Iunij 1619.*

## ARGVMENTVM.

Sententia quando non dicatur carere citatione, licet sententia fuerit lata extra locum in quo Reus fuit citatus.

SVMMARIVM.

1 *Sententia ex defectu citationis est nulla.*
2 *Citatio respicit defensionem de iure natura competentem.*
3 *Aequitas intrare debet pro sustentatione sententia quando non deficit totaliter citatio sed sententia fuit lata extra locum in quo Reus fuit citatus.*
4 *Sententia ex defectu citationis summo iure inspecto non potest saluari, etiam si citatio adsit, dummodo sententia sit lata extra locum in quo quis fuit citatus, licet secus sit de aequitate, & num. 5.*
6 *Citatus aliqua die pracisa verisimiliter non potest scire qua die Iudex velit praferre sententiam, & ita totaliter deficit citatio.*
5 *Argumentum de loco ad tempus in citationibus non procedit.*
8 *Rota non solet interponere arbitrium post commissa attentata.*
9 *Executor mixtus non potest procedere ad executionem sententia, vel post appellationem, vel pendente termino ad appellan.*
10 *Attentata, & spolium per subsequutam renunciationem penitus tolluntur.*
11 *Lis dicitur finita per acceptationem sententia & acquiescentiam.*
12 *Sententia nullitta resultat ex deductis in causa ante illius promulgationem.*

DECISIO CCXIX.

NON acquiescentibus Beneficiatis Ecclesiæ S. Ioannis Oppidi Perpiniani decisioni in hac causa factæ die 12. Nouembris 1618. coram R. P. D. meo Verospio, in qua Domini iudicarunt interponendũ esse arbitrium pro sanatione nullitatis proposui iterum hodierna die idem dubium, quo proposito ex rationibus adductis in dicta decisione Domini ab ea nullo modo recedendum esse responderunt cum præsupposito tamen, quod sententia sit iusta.

Nec obstant quæ longa verborum serie ad subuertenda decisionis fundamenta, adducuntur pro parte Beneficiatorum, &
1 primo † sententiam Episcopi Barchinonen esse nullam ex totali defectu citationis, quo casu nunquam interponere solet arbi-
2 trium Rota, † cum citatio respiciat defensionem de iure naturali competentem, *Vestr. in prax. lib. 5. tit. de reiterat. terminorum, Vant. de nullit. ex defect. iurisd. num. 6.* cum multis cumulatis in vna *Mantuana bonorum 16. Decembris 1611. coram R. P. D. meo Vbaldo qua est decis. 365. part. 1. in recent.*

Placuit enim responsio data in decisio-
3 ne, nõ adesse totalem defectum citationis, quia Beneficiati fuerunt citati ad sententiam, quæ lata reperitur eadem die quo cadebat citatio, licet non fuerit lata in loco ad quem fuerunt citati, eo enim casu reijcitur iuris rigor, & seruatur equitas quæ intrare debet cum non adest totalis defectus citationis, *Abb. in cap. cum olim num. 27. de re iud. Natt. consf. 18. nu. 5.* licet
4 enim non possit saluari à nullitate d. sententia summo iure agendo cũ fuerit lata in loco nõ destinato, & extra Palatiũ Episcopale, *iux. dispositionẽ l. si locus, ff. de iudicijs, & l. cũ sententia, C. de senten.* tamen intrat summa æquitas quæ sufficit pro interpositione
5 arbitrij cũ ferenda esset sententia per Episcopum, qui est Iudex ordinarius loci, & sic non opus erat in citatione exprimere locum, *l. si locus, ff. de iudic. l. penult. in fin. ff. de iust. & iur. cum alleg. in d. decis. coram R. P. D. meo Verospio.*

Neque visum fuit intrare simile de sententia lata sub alia die quam sub illa, sub
6 qua cadebat citatio, quia † citatus die aliqua præcisa verisimiliter non potest scire qua die Iudex velit proferre sententiam, & ita totaliter deficit citatio, *Bart. in l. vltim. S. fin. ff. quod vi & clam, Ruin. consf. 209. num. 16. Aym. consf. 122. num. 17.* at in hac facti specie si pars citata comparuisset in palatio Episcopali scire potuisset vbi tunc Episcopus moraretur, & adhibita diligentia comparere deducendo suas rationes, &
7 ita † non procedit argumentum à tempore ad locum, vt post alios *Euerard. in loc. à temp. ad locum in fine,* vt fuit in hac cau a consideratum.

8 Neque etiam obstat † Rotam non solere interponere arbitrium post commissa at-
9 tentata, vt in hoc casu dicitur † Episcopũ, qui erat executor mixtus non potuisse procedere ad executionem sententiæ, aut post appellationem, aut saltem pendente termino ad appellandum quę attentata dicuntur probari ex eo quod coram R.P.D. meo Caualerio fuerit decisum executionem esse perfectam.

Placuit enim responsio data in decisione hoc spolium attentatum nullo modo iustificari, imò minimè posse iustificari stante valida renunciatione facta firmata in dicta
10 decisione † gesta enim antequam facta fuisset renunciatio non sunt habenda in consi-

consideratione ad effectum attentatorum, & spolij, quia per eamdem renunciationem penitus tolluntur, *Lancellot. de attent. cap.4. limit.15.* gesta verò postea nullo pa-
11 cto possunt dici attentata, quia † lis per acceptationem sententiæ, & acquiescentiam fuerat finita, *l. postquam liti, C. de pact. c.1. de litis contest. in 6.* quo casu non dantur attentata *Rota decis.1. num.2. & 14. par.2. divers.*

Neque visum fuit applicari posse deducta in decisione coram R.P.D. meo Cavalerio, quia in illa agebatur de executione literarum translationis residentiæ Episcopi, & Capituli perfecta quoad reliqua omnia quæ concernebant interesse Beneficiatorum Ecclesiæ Elnen. qui d. executionem coram R.P.D. meo Cavalerio impugnabant hæc autem causa est diversa quæ nihil commune habet cum alia cum agatur inter Capitulum, & Beneficiatos S. Ioannis Oppidi Perpiniani qui habent ius multum differens, vt benè deducitur in facto pro d. Capitulo.

Parum etiam movit DD. quod dicitur
12 hodie † ex testibus vigore Remissoriæ Rotalis examinatis constare de bono iure Beneficiatorum responsum enim fuit subsistere decisionis fundamẽtum, scilicet sententiam fuisse iustam, ex deductis *Bald. in c.1. §. conventicula num.8. in fin. de pact. Vant. de nullit. ex defect. process. nu.97. cum alleg.* vltra quod pro parte Capituli prætenditur testes examinatos potius comprobare iustitiam sententiæ, quam intentionem Beneficiatorum: Verum cum Rota censuerit interponendum esse arbitrium, dummodo sententia reperiatur iusta non est vlterius examinanda iustitia d. sententiæ quæ indiget particulari inspectione.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

## BONONIEN. DE MONTERENTIIS.

*Veneris 21. Iunij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Donatio inter vivos quid importet, an valeat revocari per mortem donatarij, seu transeat ad illius hæredes, an quando dicatur nulla re & consilio, ac denique, An per stipulationem Notarii pro absente, eidem quæratur & efficiatur irrevocabilis ex parte donantis.

### SVMMARIVM.

1 *Donationis inter vivos natura est dominium rei donatæ transferre in donatarium.*
2 *Natus ex muliere coniugata præsumitur mariti, & non adulteri.*
3 *Contractus mulieris ex falsa causa super quo Iudex decretum interposuit corruit.*
4 *Relictum consanguineo evanescit si non adest consanguinitas.*
5 *Consanguineus præsumitur habere notitiam proximitatis.*
6 *Natus ex muliere nupta, quod præsumatur mariti cessat concurrentibus coniecturis.*
7 *Confitens sibi præiudicat quoad confessata.*
8 *Donatio attenta stipulatione Notarij prò absente efficitur irrevocabilis ex parte donantis absque eo quod expectetur acceptatio donatarij.*
9 *Donatio finitur morte donatarij vivente donante si non adsit stipulatio Notarij ob quam dicitur ius radicatum ad effectum vt transferatur ad donatarij hæredes.*
10 *Iuramentum æquipollet acceptationi.*
11 *Donatio inofficiosa re revocatur pro quantitate legitimæ.*
12 *Donatio inofficiosa re & consilio in totum revocatur.*
13 *Donatio inofficiosa re non dicitur si non sit omnium bonorum cum reservatione vsusfructus & scut.100. & sic penderet à futuro eventu vtrum donatrix de tempore obitus habitura esset quantum sufficeret pro legitima.*
14 *Donationem inofficiosam consilio allegans id concludenter probare tenetur.*
15 *Mater non præsumitur velle fraudare filium legitima.*
16 *Donatio inofficiosa re & consilio non potest dici si filius sit institutus hæres & sic eo casu donatio non posset revocari nisi vsque ad legitimam.*
17 *Inventarium solvit hæredem à confusione actionum.*
18 *Querela inofficiosæ donationis datur ad instar quærelæ de inofficioso testamento.*
19 *Querela inofficiosi testamenti non datur quãdo aliquid est relictum filio, qui aliud non potest petere nisi supplementum vsque ad legitimam.*

### DECISIO CCXX.

PROPOSITO dubio vtrum D. Sebastiano Monterentio repetenti bona materna obstaret donatio facta per Lucre-

tiam Domini vnanimiter affirmatiuè re-
sponderunt ea maximè ratione quia natu-
1 ra donationis inter viuos ea est, vt domi-
nium rei donatæ illico transferatur penes
donatarium, vnde sequitur bona donata
desijsse esse materna nullaque super ijs hæ-
redi competit actio, *l. traditionibus ff. de pa-
ctis gl. mag. in l. 5. q. 10. vbi Godof. ad fin. C.
inoff. don. Cephal. cons. 4. n. 5.* nisi forte vsque
ad supplementum legitimæ.

Nec obst. tria fundamenta quibus infor-
mãtes pro Sebastiano subuertere nituntur
vim & effectum huius donationis & primo
non obstat prætensa nullitas ex eo deprõ-
pta, quod dicitur factam fuisse huiusmodi
donationẽ Frãcisco tanquã fratri germano
quẽ nõ fuisse fratrem asserunt informantes
2 pro dicto Sebastiano, cum fuerit natus ex
muliere coniugata, & ita præsumitur ma-
riti, & non adulteri, *vulgata l. miles §. de-
functo ff. ad l. Iuliam de adult.* & ita corrue-
3 ret contractus factus à muliere, quia Iu-
dex motus super falsa causa suum inter-
posuit decretum, *l. tutor si petitur l. feræ ex-
pressæ ff. de tut. & curat. dat. ab his l. 1. §. hæc
verba ff. ne cui fiat l. & si præses C. & si prædijs
& alijs rebus minor.*

Placent enim responsiones datæ per in-
formantes pro hæredibus Francisci regu-
4 lam, vt donatum, vel relictum consangui-
neo euanescat, si non adsit consanguini-
tas procedere, quando quis falsa opinio-
ne ductus fuit ad donandum consanguineo
qui est casus & ratio, *l. si pater tuus C. de hæ-
red. instit.* at in hoc casu non potest dici
Lucretiam non fuisse informatam Iulium
fuisse eius fratrem naturalem & non le-
gitimum tum stante præsumptione Iuris
5 per quam consanguinei præsumuntur
notitiam habere proximitatis, *l. octaui
gradus & ibi glos. in verb. ignorasse ff. vnde
cognati, l. vnde tutela & ibi glos. in verbo igna
rum ff. de restit. minor.* tum etiam ex testa-
mento communis fratris cuius scientia
probatur per plures Lucretiæ confessiones
factas non solam in hoc instrumento do-
nationis, sed in ipsomet reuocationis in
quo asserit se donasse Iulio suo fratri, &
multis alijs contractibus inter sororem &
fratrem celebratis datis in præcedentibus
positionibus.

Dum igitur Lucretia haberet illam no-
titiam & certitudinem, quæ de similibus
legitimis haberi potest, & solet non appa-
ret hanc notitiã ex post subsequutis fuisse
in aliquo alteratam ideo non applicatur,
*d. l. si pater cum similibus*, idque tanto ma-
gis, quia non probatur concludenter Iuliũ
fuisse filium mulieris nuptę prout deberet
6 quia etiam dato & concesso ipsum natum
fuisse ex muliere nupta à præsumptione,
*l. miles*, receditur ex contrarijs præsum-
ptionibus & coniecturis, *Couar. in Epit. p. 3.
§. 3. num. 8. Achil. & Cresc. decis. 1. qui filij sint
legitimi* cum deductis in vna *Bononien. de
Gargantijs 1607. coram R. P. D. Lugdunen.*
quæ præsumptiones visæ sunt sufficere stã-
te tractatu & testamento communis patris
totque confessionibus ipsius Lucretię alia-
rumque sororum quæ nunquam qualitatẽ
fratris in Iulio reuocarunt in dubium, &
7 ita quoad ipsas constitutus fuit Iulius in
quasi possessione fraternitatis, quæ ipsi
confitenti præiudicat, *Bald. in cap. per tuas
qui filij sint legitimi Surd. cons. 423. num. 39.
Rota diuers. decis. 220. numer. 3. & 7. par. 2.*
cum multis alijs deductis in vna *Romana
de Bonellis coram R. P. D. meo Vbaldo.*

Secundo opponitur donationem hanc
fuisse factam fratri absenti à quo viuente
non docetur acceptata, & propterea ante
agnationem factam ab hæredibus potuit
reuocari verum placuit responsio recep-
tissimam conclusionem esse & veriorem,
8 quando Notarius stipulatur pro absente
in donatione tunc donationem effici irre-
uocabilem ex parte donantis absque eo
quod expectetur acceptatio donatarij,
*Clar. §. donatio q. 13. Couar. de testam. 3. par.
rubr. num. 13. vers. in vero Surd. dec. 206. nu-
mer. 4. Mant. de tacit. lib. 13. tit. 8. numer. 9. &
seq.* quam opinionem amplexa est Rota in
vna *Romana donationis 4. April. 1616. coram
R. P. D. meo Vbaldo.*

Nec placuit quod dicitur donationem
terminari morte donatarij viuente adhuc
9 donante quia vbi ius radicatum per stipu-
lationem Notarij transit ad hæredes, qui
quandocumque possunt acceptare, *Couar.
d. num. 13. Clar. loc. cit. Cephal. cons. 33. nu. 4.
in fin. Molin. de primogenit. Hisp. lib. 4. cap. 2.
num. 77. Surd. dicta decis. 206. à num. 4. vsq;
ad num. 11.* Et fuit in specie decisum in di-
cta stante maximè quod de his in dicto In-
strumẽto specifica mentio facta fuerit, *Ro-
mana donationis coram Vbaldo*, Idque tanto
10 magis est dicendum, quia adest sacra iu-
siurandi Religio, quæ æquipollet accepta-
tioni, *Alex. cons. 31. num. 13. lib. 10. Dec. re-
spons. 1. num. 21. lib. 3. Seraph. decis. 427. nu. 6.
& 7. & decis. 472. num. 3. & 4. fusè Thes. de-
cis. 70. num. 8.*

Non

Non obstat denique vltimum motiuum in quo præcipuè nituntur informantes pro
11 Sebastiano huiusmodi donationem esse in totum reuocandam tanquam inofficiosam non solum re quo casu solum reuocaretur pro quantitate legitimæ, *l. si liqueat C.*
12 *de inoff. donat.* sed re & consilio simul vnde in totum videtur reuocanda, *Bart. in l. Titia §. Imperator num. 5. ff. de leg. 2. Clar. in §. donatio q. 24. num. 2. Hended. cons. 43. n. 22. lib. 1. Paris. cons. 72. n. 28. et seq. cons. 37. n. 26. lib. 1.* cum alijs deductis in vna *Romana donationis de Iacomellis* 10. *Decembris* 1610. *coram Reuerendiss. D. Sacrato.*

Huic obiectioni responderunt Domini
13 non posse dici inofficiosam donationem re cum non fuerit omnium bonorum cum reseruatione vsusfructus & scutor. 100. pendebatque à futuro euentu vtrum donatrix de tempore mortis habitura esset quantum sufficeret pro legitima, *Soccin. cons. 108. num. 12. col. 8. in fin. & numer.* 20.
14 quantum vero attinet ad inofficiositatem consilio id plenè & concludenter esset pro-
15 bandum cum præsumptio Iuris contraria militet matrem nolle fraudare filium legitima à natura debita, *Castr. in l. 1. num. 5. C. de in off. donat. Aret. cons. 47. n. 3. Rimin. iun. cons. 42. num. 97.* cum multis cumulatis per *Hended. cons. 43. num. 25. lib. 1.* stante maximè quod ipsamet Lucretia asserit se donare ob amorem fraternum & seruitia recepta & meritorum causa, vnde non datur reuocatio in totum, *Rom. cons. 95. circa medium Socc. cons. 108. num. 14. & seq. lib. 1. Menoch. cons. 923. n. 23. lib. 3.*

Placuit & alia responsio, Sebastianum fuisse hæredem matris institutum in testa-
16 mento, & in eo casu non potest præsumi inofficiosa donatio re & consilio pro reuocanda ea in totum, sed tantummodo vsque ad legitimam per doct. *Bald. in l. Titia §. Imperator ff. de leg. 2. Clar. in §. donatio q. 24. Natt. cons. 125. num. 5. & 6. Butr. in cap. fin. de don. & ibi Card. num. 7. Abb. num. 5. Ancar. num. 7. Imol. num. 20. cum alleg. per Hended. consil. 43. num. 21. lib. 1. Emanuel Soares. in Thesaur. recep. sentent. in verb. donatio num. 251.*

Neque hoc casu obstat beneficium in-
17 uentarij quia saluat quidem à confusione actionum, sed non prodest pro reuocatione contractuum ipsius testatricis, & quoad reuocationem vsque ad legitimam tunc demum admittitur quando ex statu hæreditatis apparet de excessu ea ratione, quia
18 querela inofficiosæ donationis datur ad instar querelæ de inofficioso testamento, vt notatur in *l. 1. & fin. C. de inoff. donat.* sed
19 querela inofficiosi testamenti non datur quando aliquid est relictum filio, sed solæ competit actio ad petendum supplementū legitimæ, *l. omnimodo C. de inoff. testam. & ita Bart. in dicta l. Titia §. Imperator num. 1. ff. de leg. 2.*

Ex quibus Domini censuerunt Sebastianum hæredem matris non posse impugnare donationem ab ipsa factam nisi vsque ad supplementum legitimæ, quæ ei de iure naturæ debetur quatenus doceat bona hæreditaria non sufficere pro dicto supplemento.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Veneris 21. Iunij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Reseruans dominium donec sit satisfactus, quando non importet prælationem in concursu cum creditoribus anterioribus in tempore.

### SVMMARIVM.

1 *In concursu creditorum prior in tempore præferendus venit.*
2 *Vendens aliquod officium cum reseruatione dominij donec sit satisfactus cæteris alijs creditoribus emptoris venit præferendus.*
3 *Officia Romanæ Curiæ non sunt in commercio respectu tituli nisi de licentia Principis, vide num. 7.*
4 *Resignans liberè officium Romanæ Curiæ & resignatio per Principem simpliciter admissa operatur, vt cesset omnis dominij reseruatio.*
5 *Decis. 389. coram Seraph. in quibus terminis procedat declaratur.*
6 *Venditor si habuerit fidem de pretio non potest dici alijs potior, sed quod posterioribus sit præferendus.*

## DECISIO CCXXI.

DOMINI censuerunt pecunias esse consignandas anterioribus creditoribus. Est enim clara Iuris regula in con-
1 cursu creditorum priorem in tempore pre ferendum, *cap. qui prior de reg. iur. in 6. l. qui balneum in fin. l. creditor qui prior in princ. ff. qui potior. in pign. hab. cum similibus*.

Non obstat Pocchiũ in vẽditione officij
2 reseruasse sibi dominium donec, & quousq; fuisset satisfactus, & per consequens præferendum omnibus creditoribus emptoris vt post *Bald. tradit. Salic. in l. pro debito n. 3. vers. quærit Bald. C. de bon. auct. Iud. tract. tit. qui potior in bon. decoct. num. 5. & 6. Franc. decis. 506. num. 3. & seq.*

Nam cum simus in venditione officij
3 Romanæ Curiæ, quod non est in commercio respectu tituli nisi de licentia Principis *Card. Seraph. decis. 1294. num. 3. Rot. diuers. inter recentior. decis. 495. num. 2. & 3. in fin. par. 2.* licet in apocha fuisset reseruatũ dominium, tamen cum postea Pocchius
4 liberè resignauerit, & resignatio fuerit simpliciter per Principem admissa cessat omnis dominij reseruatio ipseque Pocchius hunc consensum liberum præstando sibi præiudicauit ad *l. non dubito §. liber autem populus ff. de capt. post lim. reuers. l. liberti C. de solut. Oldr. cons. 234. num. 2. vers. quod cum sit Craues. cons. 122. num. 6.* cum alijs cumulat in vna *Romana Domus Veneris 20. Febr. 1615. coram R. P. D. meo Vbaldo inter recentior. diuers. decis. 669. num. 2. p. 1.*

Nec contrarium fuit resolutum coram Card. Seraphino decis. 389. qui officium, de quo ibi agebatur ex priuilegio Apostolico, poterat resignari coram Nuncio, & testibus sine Principis auctoritate, & in
5 alijs officijs regulare esse, vt resignatio admittatur per Principem expressè dicitur ibi sub num. 7.

Non obstat pretium, & fructus officij esse in commercio, & cadere sub hypotheca, nam id benè operatur, vt Pocchius
6 dum habuit fidem de pretio possit concurrere cum alijs creditoribus & præferatur alijs posterioribus, *d. l. qui balneum, & l. creditor qui prior*, non autem vt sit potior omnibus quia dum non habet reseruationem tituli officij nec etiam habere potest aliquam reseruationem respectu pretij, vt possit dici pretium fuisse in dominio illius.

Nec placuerunt interpretationes datæ per informãtes pro Pocchio ad dictionem illam liberè, quia non possunt applicari resignationi officij Romanæ Curiæ, quod
7 vt dictum est non est in commercio imò si adhuc remaneret reseruatio dominij non obstante resignatione liberè facta, & per Principem admissa posset Pocchius experiri Ius suum super officio, quod tamen nec etiam informantes pro illo prætendunt.

Et ita vtraque parte informante decisum.

## BONONIEN. PECVNIARIA.

*Veneris 21. Iunij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Libri sociales Mercatorum quando probent, & quando per ipsos nequeant impugnari.

### *SVMMARIVM.*

1 *Libri Mercatorum partim scripti ab eisdem partim à deputatis ab ipsis ad conficiendum libros rationum plenè probant contra ipsos Mercatores.*
2 *Libros quibus sunt vsi Mercatores, postea impugnare ipsi nequeunt, & n. 8.*
3 *Assumpti electi post decoctionẽ debitoris sunt verè curatores bonorum habentes actiones tam actiuas, quam passiuas competentes decoctis iuxta statutum fori Mercatorum Bononiæ.*
4 *Scriptura sicut probat contra scribentem ita probare debet contra eius creditores, & curatores.*
5 *Libri Mercatorum de iure communi non probant pro scribente contra tertium.*
6 *Statuti beneficio locus non est nisi seruatis requisitis illius.*
7 *Libri informes, & scriptura priuata plenè probant contra scribentes & causam ab eis habentes.*
9 *Libri vt probent contra scribentes sufficit, quod ipsorum manu fuerint conscripti vel de eorum mandato.*
10 *Error in conscribendo debet solum præiudicare ipsi scribenti vel causam ab ipso habenti.*
11 *Libris Mercatorum non adimit fidem error, quoad duas partitas si in omnibus alijs correspondeant.*

12 *Er-*

12 *Error partitarum ommissarum in libro giornale potest alijs probationibus verificari.*
13 *Stylus Mercatorum est vnica solum die, hebdomada conscribere plures partitas cambiorum.*

## DECISIO CCXXII.

POSTQVAM Cæsar Caitus Mercator publicus, quia non solum mensam nummulariam propriam, sed etiam societatem alterius mensæ nummulariæ Bononiæ, vna cum Benedicto Mariano exercebat foro cessit, creditoribusque suis omnium bonorum cessionem fecit dicti creditores diuersis vicibus assumptos, seu deputatos elegerunt, qui non solum omnium bonorum dicti Caiti possessioné sunt adepti, sed etiam dicta bona effectualiter à Caito cessos productis exhibitisq; libris mensæ propriæ dicti Caiti ac etiam visis libris dictæ mensæ inter eumdem ac dictum Marianum communis inter se diuiserunt in quibus libris mensæ communis cum scripti reperirentur creditores Domini Bonuisi quorum nulla ratio habita fuit in dicta diuisione nec vnquam fuerunt vocati, aut citati, ideo motum fuit iudicium in partibus causaque per multos annos discussa tandem de anno præterito lata fuit sententia in maiori parte in fauorem dictorum Dominorum de Bonuisis à qua tamen ipsi in partibus præiudicialibus appellarunt causaque mihi commissa quoniã maximum & præcipuum fundamentum Dominorum Bonuisorum dependebatè legalitate librorum ex quibus eorũ creditum iustificatur, ideo de ordine Rotæ dubitaui vtrum istis libris sotialibus fides esset adhibenda nec ne, quo dubio proposito Domini vnanimiter libros probare responderunt.

Mouebantur Domini à præcipua ratione, quia dicti libri & præcipuè ille liber quem mastrum vocãt in quo debitores, & creditores communis mensæ describebantur à quo omnes partitæ super quibus iustificatur creditum Bonuisorum fuerunt extractæ reperitur subscriptus à dicto Caito, & Mariano scriptusque partim manu ipsorum partim manu Notarij Contronij & Ioannis Baptistæ Gemini deputatorum ab ipsis ad conficiendum libros rationum,
1 vndè necessariò † sequitur istos libros plenè probare contra ipsos Mercatores, *l. quadam §. nummulariter, ff. de eden. l. nuda ratio & ibi Bart. ff. de donat. Rot. Ianuen. decis. 149. num. 4. Iason in l. admonendi n. 133. ff. de iur. iur.* eademque ratione non solum probant contra ipsos, sed etiam contra dictos assũptos & cæteros creditores causam habentes à d. Caito quippe qui eius cessione & iuribus vtuntur ad excludendũ actionem Dominorum de Bonuisis, *Aym. cons. 29. num. 1. Rot. decis. 776. num. 1. & 767. num. 1. p. 1. diuers. Socc. cons. 68. n. 5. vers. tamen non obstante lib. 4.*

Secundo mouebantur Domini ex eo, quod dicti assumpti vsi fuerũt ijsdem libris mensæ communis nempè quia cum eorum interesset videre statum societatis in qua Caitus pro sua parte posuerat libras 14. mil. & an debitor remaneret, & in qua sũma dictus Marianus . . . . . administrator qui rationem reddere promiserat producta apocha societatis obtinuerũt à R. P. D. Vlegato præceptum contra eundem Marianum de illis exhibendis, & successiuè post factam ab ipso liberam exhibitionem decerni vt singulis diebus & horis à dicto Mariano scripturæ & libri societatis ostenderentur tribus ex dictis assumptis
2 ad id specialiter nominatis. Vndè Iuris ratio postulat vt ipsi libros quibus vsi sunt
1 impugnare nullo modo possint, *cap. quod semel cap. mutare de reg. iur. in 6. l. nemo potest mutare ff. de reg. glos. in cap. ex eo prop. fin. de reg. iur. in 6. Surd. cons. 18. nu. 20. Honded. cons. 87. num. 34. & seqq. & cons. 89. n. 30. lib.*

Quod autem dicti Assumpti & creditores causam habeant à dicto Caito debitore Dominorum de Bonuisis itaut libri probent contra ipsos sicuti probant cõtra Caitum qui eos scripsit siue scribi mandauit visum fuit satis patere, quia assumpti ele-
3 cti post decoctionem debitoris iuxta facultates quas tribuit statutum fori Mercatorũ Bononiæ sub rubrica 45. de capit. creditorum sunt verè curatores bonorum, qui habent actiones tám actiuas, quam passiuas competentes decoctis, *l. fin. & l. 2. ff. de curat. bonor. dand. Strach. in tract. de decoct.*
4 *parte ult. num. 6. & 7.* & ideo sicut scriptura probat contra scribentem ita probat contra eius creditores & curatores in quos diriguntur omnes actiones passiuæ quæ contra principales si non decoxissét dirigerétur stante præcipuè cessione facta à d. Caito decocto ipsis creditoribus, qui eam acceptarunt.

Secunda quibus esset præcipua obiectio fa-

cta

cta per informantes pro dictis Assumptis
5 de iure communi, libros Mercatorum non
probare proscribente contra Tertium *Rationes. l. exemplo, l. Instrumenta C. de probat.*
cum similibus & licet Statutum Bononiæ,
concedat istud priuilegium libris rationũ
Mercatorum, vt etiam probent contra ter-
6 tium tamen beneficio statuti locus non est
nisi ad vnguem obseruata fuerint requisita
à dicto statuto quæ cũ dicantur in aliquo
deficere non possunt dicta statuta inserui-
re ad comprobandam intentionem DD. de
Bonuisis.

Placet enim responsio quicquid sit vtrũ
fuerit seruata forma præscripta à statuto
Mercatorum dictos Assumptos creditores
non esse tertios, sed causam habentes, &
cessionarios dicti Caiti, & sic Domini de
Bonuisis non vtuntur beneficio statuti,
quod præscribit certam formam obseruan-
dam ad effectum, vt probent libri contra
tertios, sed vtuntur dispositione iuris cõ-
7 munis, qua cauetur, vt libri informes imò
scripturæ priuatæ plenè probent contra
scribentes & contra eos, qui causam ha-
bent ab ipsis, vt in terminis etiam episto-
larum priuatarum sæpissimè fuit in Rota
decisum.

Non obstat, quod dicitur istos libros
non fuisse recognitos, quia tam liber ma-
stro quam liber *copie di lettere*, quo vtun-
tur Domini Bonuisi ad adminiculandum
librum mastrum fuerunt in partibus pro-
ducti & exhibiti ab ipsomet Mariano ci-
tatis eisdem Caito Mariano, & Assumptis
sine vlla protestatione, nec vlla in toto pro-
cessu legitur petitio, vt fieret recognitio
dd. librorum, & ita quandocumque fieri
posset, quod ideo magis est dicendum,
8 quia ipsimet Assumpti & creditores, vt su-
perius consideratum fuit eodem libro vsi
sunt & ità hæc exceptio ab ipsis nullo mo-
do opponi potest dictis iuribus.

Nec etiam obstat, quod dicitur aliquas
partitas non reperiri descriptas in libro
giornali, quæ in libro mastro leguntur de-
scriptæ placuerunt enim responsiones da-
9 tę pro Dominis Bonuisis easdem ad effectũ
probandi contra scribentes sufficere, vt
manu ipsorum fuerint scriptæ, vel de eo-
rum mandato tam ex dispositione Iuris,
quam vigore statuti, quod in hac parte nõ
immutat dispositionem iuris, nec videtur
æquum scribentium negligentia, qui per
errorem forsan omiserunt describere duas
partitas in libro giornali tolli probationẽ
crediti DD. de Bonuisis cum iste error so-
10 lum præiudicare debeat scribentibus cau-
samque ab eis habentibus, & non tertio,
11 vltra quod defectus duarum partitarum
non tollit fidem libri mastri, qui in om-
nibus alijs partitis correspõdet giornali ad
trad. per *Iason. in l. admonendi numer. 128. vers. quinto principaliter limita ff. de iur. iur.*
cum alijs congestis per *Rot. decis. vlt. nu. 15. & seq. p. 1. diuers.*

Nec displicuit alia responsio supra di-
ctas partitas omissas in libro giornali aliũ-
de iustificari vt apparet in relatione Periti
electi à Dominis de Bonuisis quo casu pa-
12 rum referret si per dictum librum giorna-
lem vel per librum epistolarum iustificare-
tur, vt in simili in tutore, & administrato-
re tradit *Calcan. cons. 93. Rot. Iannen. dec. 35. n. 10. Menoc. de arbitr. cas. 208.*

Non obstat, quod singulis partitis non
reperiatur apposita dies & annus, quia
optimè respondetur obiectionem tolli ex
facto cum singulæ habeant diem nomen &
annum & illæ partitæ, quæ dicuntur non
habere diem, & annum sunt conscriptæ ab
eadem die qua præcedentes, vt passim fit
à Mercatoribus qui sub vna die solent de-
scribere plures partitas cambiorum cum
13 ex stylo vnicà solum die hebdomadæ re-
gulentur cambia & scribantur in libris ra-
tionum.

Non obstat denique aliquas partitas nõ
esse descriptas per extensum cum sua cau-
sa, quia respondetur contrarium apparere
ex partitis quæ dantur in Summar. Bonui-
sorum in responsionibus, nam quoad illas
quæ dantur in Summar. Assumptorum n. 4.
sunt extractæ ex libro intitulato *copie delle lettere*, non autem ex libro Maestro in quo
leguntur descriptæ cum sua causa per ex-
tensum sub certa die, mense, & anno quod
si in extractione facta Notarius summam per
abacum, & non per extensum posuerit hic
error viso libro Magistrali posset faciliè
corrigi, nisi ageretur contra ipsosmet scri-
bentes, vel habentes causam ab ipsis, quo
casu sunt necessariæ solemnitates inductæ,
à statuto Fori Mercatorum, vt superius fir-
matum fuit.

Et ita decisum vtraque parte infor-
mante.

BO-

BONONIEN. ADMINISTRATIONIS DE LINIS.

*Veneris 28. Iunij 1619.*

ARGVMENTVM.

Sume ex Summario.

SVMMARIVM.

1 *Compensatio non admittitur nisi de credito liquido ad liquidum.*

2 *Creditum non potest dici esse liquidum si iudicium super illo adhuc sit indecisum.*

3 *Administrator non potest conueniri, seu molestari nisi prius solidata vniuersa ratione.*

4 *Administrator in aliqua parte potest esse debitor in alia vero creditor.*

5 *Decisiones sunt actus extraiudiciales.*

6 *Creditum vt sit liquidum debet liquidari, vel per rem iudicatam, vel per mandatum executiuum.*

7 *Sententiæ duæ in Ciuitate Bononiæ vigore particularis statuti possunt executioni demandari.*

8 *Rota non solet exequi sententias aliorum iudicum.*

DECISIO CCXXIII.

VISVM fuit Dominis mandatum executiuum relaxatum in fauorem Comitis Sigismundi Maluasiæ pro lib. 363. contra Dominos de Linis, sequestrumq; vigore dicti mandati appositum, non esse reuocandum, cum fuerit relaxatum seruatis seruandis præuijs decisionibus Rotalibus, ex quibus iustitia dicti mandati satis probatur, sed solum opponitur exceptio compensationis quæ non potest admitti in
1 hoc iudicio, cum non detur nisi de credito liquido ad liquidum iuribus vulgaribus.

Quod autem creditum Dominorum de Linis non sit liquidum; patet, quia pendet adhuc indecisum iudicium administrationis prætensæ per dictos Dominos de
2 Linis. Vnde non potest dici de aliqua re constare lite indecisa pendente, quotiescunque potest contrarium probari, *cap. significauerunt, & ibi glos. in verb. liquere de testibus*, idque tanto magis videtur dicen-
3 dum, quia speciale est in Iudicijs administrationis, vt vniuersa ratio debeat prius solidari, antequã possit Administrator cõ-
4 ueniri, & molestari, cum possibile sit administratorem creditorem in aliqua parte remanere, in alia vero debitorem, *Alex. cons. 192. per tot. lib. 7. Aym. cons. 231. nu. 16. Necusant. de pignor. in primo membro 5. parte princ. n. 37. vers. præterea.*

Ex quibus patet responsio ad id quod pro parte Dominorum de Linis obijcitur constare ex decisionibus in hac causa coram me factis ipsos esse creditores maioris summæ dicti Comitis Sigismundi, non enim ideo sequitur inducendam esse com-
5 pensationem, quia decisiones Rotales sunt actus extra iudiciales; & ad effectũ, quod
6 credita sint liquida, debent prius per sententias canonizari, & ita quousque Domini de Linis obtinuerint, aut rem iudicatam aut mandatum executiuum, non admittitur compensaiio crediti, super quo adest res iudicata, vt in terminis consuluit, *Alex. cons. 93. in princ. lib. 4.*

Nec etiam obstat, quod dicitur Dominos de Linis obtinuisse duas sententias in
7 Ciuitate Bononiæ, quæ vigore statuti possunt executioni demandari, quo stante creditum ipsorum dicetur liquidum cum exequi possint d. sententiæ conformes.

Placuit enim responsio cum causa appellationis ab his duabus sententijs sit
8 commissa in Rota, quæ non solet exequi sententias aliorum Iudicum, nisi examinato bono iure frustra prætendi executionem antequam fuerit calculus totius crediti administrationis firmatus, & pro certo credito fuerit lata sententia, aut relaxatum mandatum ex supradictis.

Et ita decisum vtraque parte informante.

ROMANA HAEREDITATIS DE TOGNINIS.

*Veneris 28. Iunij 1619.*

ARGVMENTVM.

Consanguinitas ex quibus dicatur probata.

SVMMARIVM.

1 *Consanguinitas probatur ex nominatione, & tractatu sæpius reiterato.*

2 *Consanguineus præsumitur habere notitiam proximitatis & consanguinitatis.*

3 Con-

3 *Consanguinitas quomodo probetur per testes.*

4 *Quasi possessio consanguinitatis sufficit ad effectum successionis.*

5 *Pro consanguinitate plurinm attenditur denominatio ac confrontatio cognominum ac familiæ.*

6 *Cognomen quando non possit reuocari in dubium.*

7 *Consanguinitas ad effectum successionis debet probari infra decimum gradum & quidem per gradus distinctos.*

8 *Limita quando agitur de excludendo extraneo nec agitur de successione in qua sint vocati consanguinei infra certum gradum.*

9 *Consanguinitas & filiatio non probatur ex solo tractatu & denominatione & quando hoc non procedere remissiuè sub d.n.9.*

10 *Testes super negatiua non coarctata non releuant.*

11 *Testibus duobus affirmantibus multo magis deferendum quam mille negantibus.*

## DECISIO CCXXIV.

Domini dixerunt constare de consanguinitate Horatij Togini ad effectu de quo agitur, ea enim satis sufficienterq; probatur ex epistolis non solum ipsiusmet Catharinę de cuius hæreditate agitur, sed etiam Dominici Mariti dictæ Catherinæ, nec non Laurę sororis germanę, in quibus Horatius in subscriptionibus, & corpore litterarum nominatur, & tractatur. Vbi consanguineus est frater consobrinus, & 1 qua nominatione, & contractu toties reiterato. satis, superque probatur consanguinitas, *Aret. cons. 37. in princ. Alex. cons. 81. lib. 2. Surd. cons. 5. num. 7. & decis. 145. nu. 4. & seq. Rot. decis. 220. num. 2. 3. & 7. par. 2. diuers.* Instat enim præsumptio iuris con- 2 sanguineos notitiam habere proximitatis & cōsanguinitatis inter ipsos, *l. octaui gradus, & ibi glos. in verb. ignorasse. ff. vnde cognat. l. vnde tutela, & ibi glos. in verb. ignarū, ff. de restit. minorum l. si filium, & ibi glos. C. de lib. caus. Ias. cons. 160. numer. 7. lib. 4. Bart. cons. 88. vers. 2. vol. 1. Gabr. concl. 6. num. 16. lib. 1.* fuit dictum in vna *Viterbien. Castrorū 21. Aprilis 1616. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno,* & in vna *Cæsenaten. Parochialis 25. Iunij coram Reuerendiss. P. D. Lugdunen.* & nuper in vna *Bononien. de Monterentijs 11. Iunij proximè præteriti coram me.*

Secundo multum mouerunt Dominos depositiones testium, qui optimè deponunt de dicto tractatu, & denominatione, cum optimam reddant rationem dicti 3 tractatus, cum dicta Catharina probetur recepisse dictum Horatium vti consanguineum in domum suam tempore infirmitatis, ex quo magnum argumentum desumitur proximitatis, *Dec. cons. 54. num. 4. & 5. Aym. cons. 149. nu. 4.* Censetur enim quoad se constituisse ipsum in quasi possessione 4 consanguinitatis, quæ sufficit ad effectum successionis, *Alois. cons. 6. num. 2. Ruin. cons. 141. lib. 5. Seraph. decis. 1282. n. 6. Rot. diuers. d. decis. 220. num. 2. & 3.*

Nec contemnenda visa fuit pręsumptio ex eodem cognomine de Togninis, quoad habuit Horatius cum Catharina, *Ruin. dicto cons. 141. num. 11. lib. 5. Rub. Alex. cons. 16. Calc. d. cons. 8. num. 1. & 2.* hancque Rota admisit in vna *Maceraten. hæreditatis 16. Decembris 1610. coram R. P. D. meo Man-* 6 *zanedo,* nec potest reuocari in dubium illud cognomen cum ipsamet testatrix non solum in litteris supradictis, sed etiam in testamento, vbi talem Horatium nominauerit, *Alex. cons. 130. num. 3. vers. quoad secundum lib. 5. Calc. d. cons. 8. n. 3. & Ruin. d. cons. 141. num. 12.*

Nec obstare visum fuit, quod dicitur 7 cōsanguinitatem ad effectum successionis probandam esse infra decimum gradum ex deductis per *Tiraq. de retract. lignag. §. 1. glos. num. 2. & sequen.* quæ probatio debet fieri per gradus distinctos, *Dec. cons. 121. num. 9.* eum alijs deductis in *Placentina Cappellaniæ 10. Ianuarij 1544. coram bo. me. Penia*; Placuit enim Responsio non agi de 8 aliqua successione, in qua sint vocati consanguinei infra certum gradum, quo casu procedunt iura supradicta, sed tantum de consanguinitate absque vlla gradus præfixione ad effectum scilicet, vt in concursu cū extraneo ex simili mente testatricis sit præferendus ille, quem ipsa vti consanguineum cognouit, tunc enim non est necessaria aliqua probatio distincti gradus, *Dec. cons. 272. num. 1. & cons. 54. nu. 2. Rot. diuers. dicta decis. 220. num. 2. & 4. Seraph. d. decis. 1282. num. 6.* quam distinctionem admisit Rota in *d. Placentina Cappellaniæ ex Anth. cons. 52. Alex. cons. 82. num. 1. cum alijs ibidem allegatis.*

9 Nec etiam obstat consanguinitatem non probari ex solo tractatu, & denominatione, sicuti nec probaretur filiatio, vt post alios *Tiraq. de retract. lign. §. 1. glos. 16. num. 1.*

*num. 1. & seq.* Hæc enim opinio vera est quando agitur in materia pœnali, vel exorbitante à iure communi, & ad effectum successionis fideicommissi, vel legati relicti proximiori, sed non applicatur in casu isto hæc conclusio, in quo agitur de consanguinitate alicuius ad effectum, vt talis cōsideretur respectu Testatricis, qui cum vti talem agnouit, & denominauit. Sufficit siquidem ipsius denominatio ad inducendam coniecturam affectionis Testatricis erga Horatium, & eius filios, quos verisimiliter voluit præfere extraneis ex iuribus supradictis, & præcipuè *dicta decis. 220. n. 2. DD. in l. non epistolis num. 2. de prob. Bald. in cap. per tuas qui fily sint legitim.* & fuit consideratum in *Valentina Beneficy de Mertalo 6. Martij* 1588. *coram Card. Pamphilio, & in dicta Bononien. de Monterentijs coram me.*

Nec existimarunt Domini rationem habendam esse depositionis testium pro parte Alberi examinatorum, qui dicunt ipsos nunquam intellexisse Catharinam habere aliquos consanguineos præter nominatos
10 ab ijs; nam vltra quod † non concludunt, aut coarctant negatiuam cum fieri possit habuisse alios consanguineos ipsis ignotos
11 intrat conclusio iuris tritissima † maiorem fidem adhiberi duobus testibus affirmatiuam, quam mille negatiuam probantibus.

Quod dicitur dictum Alberum esse etiā consanguineum non est præsentis inspectionis, eum dubitetur solum vtrum Horatius, eiusque filij debeant censeri consanguinei, nec vnquam Albertus hanc hæreditatem iure consanguinitatis sibi debitam esse prætendit.

Et ità decisum vtraque parte informante &c.

## HISPALEN. PENSIONIS.

*Lunæ 1. Iulij 1619.*

### ARGVMENTVM.

**Iudicio ordinario, & non executiuo etiam in materia pensionum quandoq; agi debet.**

### SVMMARIVM.

1 *Littera reseruationis pensionis non important viam executiuam nisi respectu personæ ad cuius fauorem litteræ emanarunt.*

2 *Priuilegium personæ concessum morte illius extinguitur.*

### DECISIO CCXXV.

CVM sub die 18. Maij 1618. fuisset in hac causa coram R.P.D. meo Verospio resolutum pensionem auctoritate Apostolica reseruatam Andreæ Catalano ad commoditatem Abbatis Constantini, aliorumque Italorum esse debitam vsque ad mortem dicti Catalani, & pro ea relaxandum esse mandatum executiuum pro terminis decursis vsque ad d. obitum hodie causa denuò super ijsdem proposita, Domini quoad primam partem decisionis matura inspectione indigere; & proinde particulari dubio esse examinandam censuerunt; quo verò ad secundam non esse locum relaxarioni mandati, & ita quoad hoc recedendum à decisis responderunt.

Vnicum, & maximum decisionis fundamentum illud fuit, quod etiam dato, quod ista pensio esset debita, non propterea sequitur posse executiuè agi, seu petat Italus, qui prætendit habere ius petendi terminos decursos, cum ad eius commoditatem reseruata fuit pensio auctoritate Apostolica in persona Hispani, siue agant hæredes pensionarij ad quos omnia iura, quæ adsunt petendi pensiones de iure transmittuntur, debent enim actionem via ordinaria dirigere contra Beneficiatum, & non
1 via executiua ea ratione; quia † fauor ille litterarum Apostolicarum (quæ illico possunt executioni postquam sunt iustificatæ demandari) censetur datus illi solum personę, ad cuius fauorem litteræ emanarunt.
2 Vnde intrat iuris regula † priuilegium personæ concessum, morte ipsius extingui, *l. 1. §. planè, ff. de cont. princip. cap. quoniam, Abbas vbi DD. de offic. deleg. Rota decis. 4. num. 2. de priuileg. in antiq.* vt in specie tradit *Gig. de pens. quæst. 51. num. 29. vers. vt agitur pro pensione*, cum multis alijs relatis In vna *Cassanen. Pensionis Veneris 11. Ianuaij 1619. coram R.P.D. meo Vbaldo*, cuius decisionis rationes ponderatæ iterum Domini placuerunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.



RO-

ROMANA PRAELATIONIS.

*Luna 1. Iulij 1619.*

ARGVMENTVM.

Bulla Pij Quinti concedens ius retractus censuarijs declaratur.

*SVMMARIVM.*

1 *Bulla Pij V. censuarijs concedens retractus nullum pretio soluendo terminum praefiget, & sic potest ferri sententia ante actuale depositum, dummodo offeratur pretium in executionem sententiae ante traditam possessionem, & num. 6.*
2 *Pretium soluere emptor non tenetur ante traditionem rei emptae, sed sufficit simplex oblatio, & num. 3.*
4 *Obligatio verbalis facilius admittitur in credito illiquido.*
5 *Retinere rem, & pretium nemini est permissum.*

DECISIO CCXXVI.

IN propositione dubij, vtrum causa esset expedienda, & quomodo propter varias difficultates excitatas pro parte Iosephi Lisciani Domini causam esse differendam censuerunt, in hoc solum fuerunt concordes exceptionem praetensi depositi, non posse impedire causae expeditionem, cum iam fuerit decisum vigore Bullae Pij Quinti sororibus de Rubeis tamquam cen-
1 suarijs † ius retractus competere, nec aliquem terminum d. Bulla pretio soluendo praefigat. Ideo potest ferri sententia ante actuale depositum, dummodo offeratur pretium in executione sententiae ante traditam possessionem, vt in terminis respondit *Rota in vna Romana Vinea 31. Ianuarij 1601. coram Illustriss. Card. Millino.*
2 Iure etenim cautum, est † neminem teneri ad soluendum pretium rei emptae antequam res emptori tradatur *vulgata l. Iulianus, §. offerri, ff. de act. empt.* vnde sequiquitur antequam d. Iosephus cedendo liti retrouendat vineam dd. mulieres nullo iure obligatas esse ad soluendum pretium, illudque deponendum, *Guidop. decis. 257.*
3 *num. 1. Boer. decis. 14. num. 1.* † sufficitque simplex obligatio, *Anchar. cons. 331.* quicquid forsan sit si peteretur retractus vigore Bullae Iuris congrui quae riquirit aliam formam à d. Bulla inductam.

Quod eo magis dicendum videtur in hac proposita facti specie, quia pretium vineae non est liquidum cum debeant subduci fructus primi anni percepti à d. Iosepho tanquam facientes partem pretij, vt
4 fuit in hac causa decisum. Vnde † stante illiquido pretio facilius admittitur verbalis obligatio, quousque fiat excomputatio: *Capic. decis. 17. num. 5. Achill. decis. 296. nu. 6. Rota Ianuen. decis. 264. num. 2. Surd. cons. 331. num. 42.*

Nec obstat decisio vltimo loco in hac causa coram me facta, in ea enim reuocabatur in dubium, vtrum istae mulieres iure possent praetendere fructus antequam praetium vineae, aut soluissent, aut deposuissent, eo enim casu meritò decisum fuit Li-
5 scianum fecisse fructus suos † cum dictae mulieres non possent retinere penes se pretium, & exigere fructus interim dictae vineae, sed hodie quaeritur, vtrum ferri possit sententia per quam declaretur mulieres esse praeferendas pro pretio ante executionem deponendo, vel soluendo facta re-
6 trouenditione per Liscianum, & ita † haec exceptio depositi non impedit quo minus ferri possit sententia condemnatoria licet dictus Liscianus in executione non possit cogi ad dimittendam possessionem vineae nisi recepto, & in casum denegationis facto actuali deposito.

Et ita decisum vtraque parte informante &c.

TVDERTINA PENSIONIS.

*Veneris 10. Maij 1919.*

ARGVMENTVM.

Gratia reseruationis pensionis quando dicatur iustificata.

*SVMMARIVM.*

1 *Fides baptismi probat aetatem.*
2 *Valor per ascensum quomodo probetur per testes, & per locationes, & num. 3. & 4.*
5 *Liquidatio, & probatio fructuum dicitur difficilis probationis, & sic probationes ad dictum effectum coniunguntur, & num. 6.*
7 *Clausula, vel circiter, secundum mentem Rotae aliquid minuit de exacto rigore probationis.*
8 *Fructus intelligi debent. deductis oneribus.*

*Testes*

9 *Testes eo ipso quod deponunt de fructibus intelligi debent deductis oneribus cum fructus dicantur deductis oneribus.*

DECISIO CCXXVII.

PRoposito dubio coram bon. mem. Andrea, an gratia Aurelij esset iustificata conclusum fuit pro iustificatione, & cum decisio per illius obitum non fuerit extensa, Domini ordinarunt mihi in eius locum subrogato, vt illam extenderē. Quo enim ad narratiuam, quod Aurelius pensionarius sit nepos ex fratre, illa remanet iustificata ex depositione plurium testium, qui optimè concludunt Aurelium esse filium Pompeij Petruccij, dictumque Pompeium fuisse fratrem germanum Marij Rectoris.

Aurelium verò fuisse de tempore gratiæ in vndecimo suæ ætatis anno constitutum,
1 prout narratum fuit, † iustificatur ex fide Baptismi, *Caputaq. decis.* 314. *par.* 1. *Mandos. ad reg.* 8. 9. 10. *num.* 3. fuit dictum in *Tudertina nullitatis obligationis* 4. *Iulij coram R.P.D. meo Buratto, & alias sæpè*.

Quod autem de tempore reseruationis Marius obtinuisset Beneficium à 12. annis vel circa, iustificatur ex litteris suæ prouisionis.

Quoad valorem ducatorum 260. de camera narratum per ascensum Domini censuerunt illum esse concludenter iustificatum.

Adsunt enim testes qui in specie deponunt de certa quantitate fructuum consistentium in grano, vino, & alijs, tam de tempore gratiæ, quàm ante & post per quatuor, quinque, & plures annos, & optimā reddunt causam scientiæ, quia aliqui viderunt quantitatē fructuum recollectorum & aliqui etiam de facto proprio deponunt, quia diuiserunt fructus cum colonis, & de-
2 ponunt de precio ipsorum fructuū, adeout attenta media quantitate, & valore, qui solet attendi, *iuxta decis. Caputaq.* 161. *n.* 1. valor ascendit ad scuta 414. ad minus sine difficultate excedunt ducat. 260. in gratia narratos.


Adsunt etiam plures testes deponentes de publica voce & fama beneficium esse valoris dictorum ducatorum 260. & vltra, & quorum aliqui dicunt esse valoris scut. 400. & deponunt de publica voce & fama. Adsunt etiam testes deponentes terras Beneficij fuisse locatas pro scutis 400. annuis cum onere soluendi medietatem onerum, quæ locationes † licet regulariter non probent verum valorem faciunt tamen vehementem præsumptionem, & adminiculum ad comprobandum, præcipuè cum inter istos testes adsit vnus testis in ordine quartus qui fuit arrendator pro dd. sc. 400. qui ideo dicitur deponere de qualitate ex
3 qua † infertur ad scientiam veri valoris, *iuxta Seraph. decis.* 1009. *num.* 3.

Quæ omnes probationes simul iunctæ satis superque Dominis visæ fuerunt suffi-
4 cientes, † cum agatur de re difficilis probationis, vt est liquidatio, & probatio fru-
6 ctuum, vnde intrat regula † quæ non prosunt singula mulra iuuant, quia receptum est in iure ex multis imperfectis probationibus simul iunctis resultare plenam, & sufficientem probationem, *Bald. consil.* 32. *num.* 5. *lib.* 2. *Natt. cons.* 336. *num.* 5. *lib.* 4. cum multis alijs deductis in *Neritonen. pensionis* 7. *Aprilis & 3. Iulij* 1606. *coram Illustrissimo Card. Ludouisio*, quæ eo magis in hac facti specie militant cum in bullis
7 reseruationis, adsit † clausula, *vel circiter*, quæ secundum mentem Rotæ aliquid minuit de exacto rigore probationis, itaut si aliquid minimi deficeret non propterea gratia subreptitia diceretur.

Non obstat testes non deponere dedu-
8 ctis oneribus † quæ sunt deducenda, vt per *Rotam decis.* 189. *num.* 2. & 381. *par.* 1. *diuers.* cum alijs allegatis, quia quoad onera hoc est quoad expensas pro colligendis fructibus, obiectum fuit sublatum *in dicta Neritonen. pensionis, & in Hispalen. pensionis coram R.P.D. meo Pirouano inter recent. decis.* 444. *num.* 5. *par.* 2. in quibus fuit fir-
9 matum quoad testes † eo ipso quod deponunt de fructibus satis dicuntur deduxisse expensas cum non dicantur fructus nisi deductis expensis.

Quo verò ad alia onera non visum fuit probari esse talia, vt illis deductis non possit dici valorem non ascendere ad ducatos 260. stante præcipuè locatione facta pro scutis 400. annuis cum conditione soluendi medietatem onerum.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.



BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE LANA.

*Veneris 14. Iunij 1619.*

ARGVMENTVM.

Proximiores de agnatione ex quibus dicantur vocati etiam si tempore Testatoris non sint nati.

*SVMMARIVM.*

1 *Substitutio ad fauorem proximiorũ de agnatione in casum deficientia linea masculina, dicitur purificata eueniente dicta conditione.*

2 *Fideicommissum absolutum, & perpetuum inter ipsos de familia contentiua expresse vocatos, inducitur ex prohibitione alienationis bonorum si fuerit adiecta causa quod volebat perpetuo bona permanere in familia.*

3 *Proximiores & si nati post obitum Testatoris censentur vocati quando dispositio habet tractum successiuum, licet secus esset, si dispositio esset restricta ad proximiores existentes de tempore mortis Testatoris.*

4 *Vocatio limitata reijcitur ex verbis importantibus testatorem perpetuo voluisse bona remanere in domo, & familia.*

5 *Praesentationes antiquissima satis probant, & praesertim si sit multiplicata.*

6 *Filiatio bene probatur si prater enunciatiuas concurrat actus proportionabilis institutionis, & diuisionis.*

7 *Filiatio probatur ex fide baptismi iunctis alijs adminiculis.*

8 *Consanguineis, & amicis, multum defertur circa probationem proximitatis.*

9 *Proximitas in gradu successibili sufficit probari ad effectum succedendi ad hoc vt allegantes alios adesse proximiores incumbat id probare.*

10 *Dicens quem habuisse filios, sed istos fuisse mortuos, tenetur hanc mortem probare.*

11 *Nulla maior probatio quam propria partis confessio.*

12 *Filiatio ex quibus etiam probata dicatur, & num. 13.*

DECISIO CCXXVIII.

MORTVO nuper Flaminio de Lana sine filijs masculis relicta vnica filia & haerede Hipolyta, Albertus, & Rodulphus de Lana asserentes vigore testamenti quondam ab Antenore auo dicti Flaminij se esse vocatos; extinctaque linea masculina dicti Antenoris esse factum locum fideicommisso in fauorem ipsorum tamquam proximiorum iudicium mouerunt in partibus contra d. Hippolytam pro recuperatione bonorum d. fideicommisso subiectorum. Sententiamque fauorabilem obtinuerunt à qua pro parte d. Hippolytae fuit appellatum, causaque in Rota bo: me: R.P.D. Andreae commissa proposito dubio super iustitia sententiae Rota vtraque parte informante censuit constare de fideicommisso purificato ad fauorem Rodulphi, & Alberti reseruando, vt de identitate bonorum particulariter videatur.

Et primo non dubitarunt Domini ex verbis testamenti Antenoris de anno 1527 conditi luce meridiana clarius apparere proximiorem, seù proximiores masculos legitimos, & naturales de agnatione, domo, & familia ipsius Testatoris esse vocatos ad successionem deficiẽte linea masculina descendentium ipsius Antenoris his enim verbis vtitur Testator. *Et casu quo omnes filij nepotes descendentes ipsius testatoris masculi praedicti quandocumque decederent sine filijs masculis legitimis, & naturalibus finireturque linea masculina descendentium ipsius testatoris, tunc, & eo casu dd. eius filijs, nepotibus, & descendentibus vni, vel pluribus morienti, vel morientibus instituit, & substituit vulgaritèr, pupillaritèr, & per fideicommissum proximiorem, seu proximiores masculos legitimos, & naturales de agnatione, domo,*
1 *& familia ipsius Testatoris*, † Ex quibus verbis substitutio expressa, & specialis clarè colligitur eueniente cõditione defectus lineae masculinae, *Bart. in l. Centurio nu. 33. de vulg. & pupill. Bald. in l. si pater num. 1. C. de fideicomm. Dec. in l. precibus num. 20. C. de impub. & alijs substit. Alex. conf. 208. nu. 1. lib. 6.* cum multis cumulatis per *Sim. de Prat. interpr. vlt. vol. lib. 2. dub. 4. solut. 5. num. 23. & seq.*

Et quod omnem scrupulum penitus remoueret illud est, quod Testator expresse prohibuit alienationem bonorum omnibus institutis, & substitutis adiecta causa vt omnia eius bona immobilia integraliter & perpetuo remaneant in domo, & familia
2 illorum de Lana ipsius Testatoris, † vnde inducitur fideicommissum absolutum, & perpetuum inter ipsos de familia contentiua expresse vocatos, *Petr. de fidecommiss. quaest. 5. num. 3. & seqq.* cum multis saepissimè

mè cumulatis in vtraque decisione *Bonon. de Lambertinis coram* R. P. D. *meo Manzanedo*.

Et ita non obstat, quod dicitur non posse sub nomine proximiorum venire Rodulphum, & Albertum cum non fuerint nati de tempore mortis Antenoris testatoris, *l. cum ita*, §. *in fideicommisso*, *ff. de leg. 2. l. si cognatis*, *ff. de reb. dub. l. si Titius*, *ff. de suis*, *&*
3 *legit.* † quia id procederet in dispositione restricta ad existentes de tempore mortis, secus autem si dispositio habeat tractum successiuum, tunc enim censentur vocati proximiores etiam nati post obitum Testatoris, vt optimè obseruauit *Modestin. in d. §. in fideicommisso*, his verbis (nisi specialiter defunctus ad vlteriores voluntatem suam extenderet) vt in hac facti specie
4 controuerti non potest, dum † Testator perpetuo voluit bona remanere in domo, & familia de Lana, quæ verba excludunt vocationem limitatam ad certum tempus.

Stante prædicto fideicommisso duplex incumbit probatio Alberto, & Rodulpho scilicet se esse de descendentibus masculis ex familia, & agnatione Testatoris contentina, de qua Testator sensit postquam eam vocauit in defectum eius lineæ effectiuæ, deinde defecisse lineam masculinam Antenoris per obitum Flaminij nepotis ex filio Matthæo, quæ duo satis concludenter probata esse DD. censuerunt.

Et quoad primum attinet constat ex iuribus, & testibus in Summario datis Pandulphum seniorem fuisse fratrem Antenoris testatoris ex Gregorio communi patre, idque colligitur ex testamento ipsiusmet Pandulphi de anno 1497. conditi in dicto Summario num. 8. in quo ipse enunciatur filius Gregorij, & in casu obitus eius filiorum substituit Antenorem testatorem eius fratrem, quæ veritas comprobatur ex bulla præsentationis, quæ enunciatur facta per Pandulphum, & Antenorem fratres, & filios Gregorij de anno 1593. d. Summario
5 num. 9. & 10. † quæ cum sint antiquissimæ satis probat *Acchill. decis. 6. de iurepatron. Aym. de antiq. temp. par. 1. num. 67. & 68.* præcipue cum sint multiplicatæ *Belam. decis. 70.* & multoties fuit in Rota decisum, vt in *Aretina Cappellaniæ* 10. *Martij* 1591. *coram Comitulo*, & in specie de descendentia *Put. decis. 277. lib. 2.* iuncta præcipuè publica voce & fama de qua deponunt testes num. 15. & 16. in d. Summ.

Quod autem ex dicto Pandulpho seniore nati fuerint Florianus, & Antonius probatur ex testamento ipsiusmet Pandulphi in d. Summ. num. 8. in quo illos vti filios hæredes instituit eisque sine filijs descendentibus fratrem Antenorem substituit. Deinde in Summ. num. 17. datur instrumentum diuisionis inter d. Antenorem testatorem factæ, & ipsos Florianum, & Antonium fratris Pandulphi filios ex quibus sine vlla difficultate iustificatur iste gradus non enim solum continentur plures enunciatiuæ, sed actus proportionati
6 institutionis, & diuisionis † ex quibus satis superque filiatio comprobatur, *Bart. in leg. quod Senatus*, §. *idem per contrarium de lib. agnosc. Butr. in cap. Michael de filijs presbyt. Gozzad. cons. 12. num. 7.* cum pluribus cumulatis in vna *Mediolanen. illegitimitatis* 4. *Iulij* 1608. *coram Penia*, *& in Bonon. de Cattaneis* 9. *Februarij* 1615. *coram* R. P. D. *meo Pirouano*, in qua hæc quæstio ex professo diciditur.

Probatur etiam ex Antonio natum fuisse
7 Pandulphum iuniorem † ex fide legitimè extracta è libro Baptismi Summ. num. 11. & ex pluribus enunciatiuis, Summ. nu. 12. & 13. iuncta maxima publica voce & fama de qua testes deponunt quæ probatio sufficit iuribus supradictis.

Quod denique ex Pandulpho iuniore nati fuerint Rodulpus, & Albertus, qui hodie tamquam proximiores vindicant bona subiecta fideicommisso iustificatur ex fide Baptismi formiter extracta in Summ. num. 14. & id testes in Summ. n. 15. & 16.
8 clarè deponunt, † optimamque rationem reddunt scientiæ cum sint vicini, consanguinei, & amici, quibus in probanda proximitate ius multum defert, *l. octaui gradus & ibi gloss. in verbo ignorasse*, *ff. vnde cognati l. vnde tutela*, *& ibi gloss. in verbo ignarum*, *ff. de restit. minor. l. si filium*, *& ibi gloss. C. de liber. caus.* cum alijs cumulatis in vna *Romana hæreditatis de Toninis* 28. *Iunij proximè præteriti coram me*.

Quinimò dicti testes probant Rodulphũ & Albertum esse proximiores masculos
9 licet † hæc probatio sit necessaria ad effectum succedendi ad tale fideicommissum cum sufficiat ipsis probatio se esse de agnatis vocatis, & esse in gradu successibili tamquam proximos per gradus distinctos, sed qui vult probare adesse alios proximiores ei onus probandi incumbit, *Cum. cons. 43. Alex. cons. 119. nu. 10. lib. 7. Tiraq. de re-*

*de retract. lignag. glos. 1. num. 9. §. 11. Gabr. de probat. concl. 6. num. 14. Seraph. dec. 1219.* fuit dictum in vna *Alexandrina Decanatus 16. Martij 1600. coram Illustrissimo Lancellotto*, & postea in illa *Ferrarien. de Tassonis 27. Iunij 1614. coram R.P.D. meo Pamphilio*, vnde nec etiam opus est ingredi famosam quæstionē attendi an debeat proximitas grauati, vel grauantis cum non concurrat alius masculus de familia vocata, qui se dicat proximiorem.

Quoad secundum caput probationis attinet vtrum purificata sit conditio deficientiæ totius lineæ descendentium ipsius Testatoris eam similiter satis superque iustificatam, Domini responderunt licet enim constet de existentia descendentium Testatoris Matthæum, scilicet eius filium vltra Flaminium fratrem Hippolytæ (quem sine masculis decessisse ipsamet confessa est) alios filios suscepisse prout in arbore
10 quos † mortuos fuisse Albertus, & Rodulphus, tenentur probare, *Put. decis. 43. lib. 1. in nouis*, ista tamen deficientia satis probatur ex responsione ipsiusmet Hippolytæ ad positiones, vt in Summ. num. 4.
11 cum † nulla maior probatio detur quam partis ipsius confessio. ex quibus apparet, quod Flaminius eius pater decessit absque filijs masculis nullo relicto fratre superstite, sed ipsa Hippolyta vnica filia, & hærede, quæ responsio comprobatur similiter ex depositionibus testium qui deponunt lineam masculinam Antenoris Testatoris fuisse finitam per mortem ipsius Flaminij, quia ipse fuit vltimus masculus descendens à dicta linea, nec posset dici vltimus masculus, si alij fratres ipsius Flaminij filij Matthæi non prædecessissent.

12 Quod autem dictus Flaminius fuerit filius Matthæi, & per consequens nepos Antenoris testatoris probatur non solum ex confessione Hippolytæ publica voce & fama, sed etiam ex instrumento de anno 1566 inter ipsum Flaminium, & Matthæum de Lana eius patrem celebrato in quo Matthæus Flaminium filium legitimum, & naturalem agnoscit, & cum eo transigit, & respectiuè Flaminius cum auctoritate curatoris dictum Matthæum patrem agnoscit eique licentiam impertitur vendendi bona dicto fideicommisso Antenoris aui subiecta.

13 Quod etiā d. Matthæus fuerit filius legitimus, & naturalis Antenoris testatoris satis iustificatur ex lectura testamenti vigore cuius hodie fideicommissum petitur dictum Matthæum, siquidem pater Antenor hæredem vna cum Pandulpho fratre tamquam legitimum, & naturalem instituit, concurrunt denique plures enunciatiuæ, quæ dantur num. 7. in dicto Summario, quas probationes sufficere ad probandam concludenter descendentiam iam superius fuit firmatum iuribus, & rationibus supradictis fusius cumulatis *in d. Bononien. de Cataneis coram R.P. D. meo Pirouano.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CORDVBEN. COADIVTORIAE.

*Mercurij 27. Nouembris 1619.*

### ARGVMENTVM.

Breuis executio subrogato gratiosè, quando non possit denegari Apostilla falsa, ex quibus coniecturis deprehendatur Præstimonia alicuius Ecclesiæ, quando dicantur annexa Canonicatibus, & hoc quoad materiam optionis.

### *SVMMARIVM.*

1 *Subrogato gratiosè non denegatur immissio, si requisita necessaria sint probata.*
2 *Exceptiones requirentes altiorem indaginem reijciuntur in iudicijs executiuis.*
3 *Instrumentum exhibitum ab eodem Notario, de quo fuit rogatus, præsumitur authenticum, legitum, & originale.*
4 *Instrumentum publicum facit probationem probatam.*
5 *Instrumenti fides minuitur si appareat omissam esse apostillam aliquam substantialem.*
6 *Apostilla aliqua in instrumento quod fuerit suppposita post confectionem instrumenti, ex quo vehementer præsumi possit.*
7 *Error notabilis in Notario nunquam præsumitur.*
8 *Præsumptio per vehementiorem excluditur.*
9 *Diuersitas in eodem facto arguit falsitatem.*
10 *Instrumenta duo diuersa dum dantur super eodem facto, neutro est standum.*
11 *Apostilla præsumitur falsè supposita, si benè non cohæreat cum constructione orationis, aut proportione materiæ.*
12 *Inoptandi iure consideratur ascensus ad maiora, & non descensus ad inferiora.*
13 *Coadiutor impossibile est, vt subrogetur in possessionem*

possessionem eius, quod non erat nec esse poterat penes coadiutum.

14 *Ab inuerisimilitudine maximum desumitur falsitatis argumentum.*

15 *Falsitas præsumitur facta ad instantiam eius, de cuius interesse agitur, & num. 16. 17. & 18.*

19 *Actus præsumitur factus, prout fieri poterat illum metiendo à potestate agentis.*

20 *Affectio in beneficijs cadit per appositionem manus Papæ.*

21 *In mandato non præsumitur quis voluisse adijcere legem sibi inutilem, & frustratoriam.*

22 *Falsitatis suspicio habetur pro falsitate in ciuilibus.*

23 *Salomonis sapientissimum iudicium laudatur in cap. afferte mihi gladium, extr. de præsumpt. & in quo.*

28 *Ius optandi quando nullo modo impediatur, si prædia non sint annexa Canonicatui, & num. 25. 26. 30. & 32.*

27 *Vacatio omnis tollitur stante appositione manus Papæ. num. 28. & 29.*

30 *Applicare idem est quam annectere, & num. 34.*

33 *Præbenda quando dicatur annexa spiritualitati, itaut veniat sub dispositione Canonicatus.*

## DECISIO CCXXIX.

FVerunt expeditæ litteræ Coadiutoriæ cum futura successione in fauorem D. Ioannis Centurionis Thesaurieratus, & Canonicatus Ecclesiæ Cordubeñ. vigore mandati procuræ Thomæ de Franchis Coadiuti, quo postmodum è viuis sublato d. Ioannes expediuit litteras gratiosæ subrogationis in possessionem Coadiuti defuncti, quarum executioni Capitulum eiusdẽ Ecclesiæ se opposuit quoad præstimonium de Cabra, quod à dicto Thoma Coadiuto de tempore gratiæ obtentæ, & obitus possidebatur sub prætextu quod illud caderet sub optione; Vnde causa cognita A. C. seu Iudex ab eo deputatus censuit litteras Apostolicas esse iustificatas executionique demandandas, immissionemque concessit dicto Ioanni in possessionem Thesaurieratus Canonicatus, & dicti præstimonij de Cabra tamquam annexi, & dependentis à d. Canonicatu, à quo decreto cum pro parte Capituli fuerit appellatum causa in Rota commissa cum clausula quoad istud præstimonium, *Parito litieris arbitrio Rotæ.* Dubitaui vtrum locus esset arbitrio quo dubio quinquies proposito re maturè discussa, & examinata tandem hodierna die Domini conuenerunt nõ intrare arbitrium

1 ea ratione, quia † arbitrium licet aliquid minuat de iuris rigore tamen à iure regulatur, iuris autem ratio postulat vt litteris Apostolicis præcipuè gratiosæ subrogationis iustificatis non denegetur executio nisi incontinenti adducantur exceptiones claræ ex quibus retardari possit executio, *cap. si Capitulo, & ibi gloss. in verbo exequetur, de conceß. præben. in 6.* & millies fuit in Rota decisum.

In hac autem facti specie visum fuit exceptiones pro parte Capituli adductas, (quæ ad duo præcipua capita reducuntur)

2 aut nullo modo subsistere, aut † adeo esse turbidas, vt in hoc iudicio executiuo non sint admittendæ tamquam requirentes altiorem indaginem.

Et primo opponebatur defectus mandati, & consensus dicti Thomæ Coadiuti quoad præstimonium de Cabra sine quo nec procurator dicti Thomæ Coadiuti potuit validè consensum aliquem præbere præiudicantem Capitulo, nec ipse D. Ioannes Coadiutor potuit expedire litteras auferendo ius Capituli cum dicatur mandatum dicti Thomæ limitatum fuisse, ita vt consensus præstitus Coadiutoriæ non extenderetur ad præstimonium, de quo quæritur.

Huic obiectioni responderunt Domini littereas fuisse expeditas à dicto Ioanne vigore mandati procuræ dicti Thomæ, cuius instrumentum publicum datum ab eodem Notario, qui de eo fuerat rogatus d. Ioanni vigore cuius producti in Cancellaria, & Dataria fuit appositus consesus dictis litteris, & ita non potest dici non con-

3 stare de dicto consensu quia † instrumentum exhibitum rogatum ab eodem Notario censetur legitimum, authenticum, & originale, *Felin. in cap. fin. num. 7. in 1. fallen. de fid. instr. Rota decis. 1. & 4. eodem*

4 *tit.* † facitque probationem probatam & manifestam, *Bart. in l. 1. num. 8. in fin. & ibi adden. num. 10. vbi multæ auctoritates cumulantur, ff. de nou. oper. nunt. Bald. in l. interest in vlt. notab. C. de solut.*

Et licet pro parte Capituli replicetur

5 adimi, aut saltem dimui de fide huius instrumenti cum ex productione sumptorum appareat omissã fuisse apostillam in qua consensus huiusmodi limitabatur quam

 fuisse

fuisse etiam scriptam manu eiusdem Notarij rogati, subscriptamque ab ipso Thoma dicitur probatum per fidem testium, quæ datur.

Placuit tamen DD. respõsio nõ inde probatũ defectum primi instrumenti prætensũ ex d. prætensa omissione cum enim d. Iohabeat intentionẽ fundatam super authentico, & publico instrumento, Capitulo incumbit onus clarè, & manifestè probandi dictum instrumentum non fuisse integrum, sed mutilatum, quod tantum abestQ, vt faciat quin potius maximæ, & vehementissimæ præsumptiones adducuntur, ex quibus fit verisimile hanc apostillam fuisse ex interuallo additam post perfectum instrumen-
6 tum † aliter enim Notarius nunquam cõsignasset D. Ioanni dictum instrumentum publicum omissa hac apostilla, quæ propterea præsumitur superaddita, vt ex multis probat *Bertaz. conf.* 400. *num.* 11. &
7 *seq.* talis enim † error ita notabilis nunquam in Notario præsumitur, *Abb. conf.* 41. *num.* 2. *lib.* 1. *latè Mascar. de probat. concl.* 637 *num.* 1. & sic eliditur præsumptio quæ oritur ex eo quod manus Notarij qui scripsit
8 apostillam fuerit recognita per testes † præsumptio enim per vehementiorem excluditur iuribus vulgaribus.

Secunda præsumptio multũ mouit DD. quia Capitulũ duo sumpta eiusdẽ mandati produxit in vno d. apostilla legitur situata
9 in vna parte in alio in altera † ex qua diuersitate magnum sumitur argumentum falsitatis, *Mandell. conf.* 224. *nu.* 86. *Menoch. præsumpt.* 20. *num.* 24. *lib.* 5. cum cumulatis per *Farinac. de falsitat. quæst.* 153. militat-
10 que iuris præsumptio † cum duo dantur instrumenta diuersa neutro standum esse, *l. scriptura diuersa, C. de fid. instr. c. imputari eod. tit. Menoch. in termin. de præsumpt.* 20. *num.* 24. *lib.* 5.

Tertia coniectura oritur ex eo quod non solum apparet situm hanc apostillam diuerse in duobus sumptis, sed etiam siue in vna,
11 siue in altera parte referatur hæc apostilla non benè cohæret cum constructione orationis, aut proportione materiæ. Vnde falsitas præsumitur, ad trad. per *Menoch. d. præsumpt.* 20. *nu.* 25. vt benè per D. Lotterium in facto scribentem deducitur.

Quarto loco consideratum fuit inuerisimile prorsus esse Thomam Coadiutorũ noluisse consentire Coadiutoriæ cum futura successione in præstimonio, quod tunc non habebat, nec vnquam in futuro habere po-
12 terat, quia † in iure optandi consideratur ascensus ad maiora, & non descensus ad inferiora, *Franc. cap. fin. num.* 8. *de consuet. Rota decis.* 3. *eod. tit. in non. Gonzal. in reg.* 8.
13 *glos.* 24. *num.* 8. † impossibile enim videtur vt Coadiutor subrogetur in possessionem eius, quod non erat, nec esse poterat possessum à Coadiuto vt benè infert *Garz. de benef.* §. 5. *glos.* 9. *num.* 58. Vnde intrat con-
14 clusio iuris notissima † ab inuerisimilitudine maximum sumi argumentum falsitatis.

Quintam coniecturam eliciebant DD.
15 ex trito axiomate (cui bono † cum enim ista apostilla respiciat nudum interesse Capituli præseruando ius optionis ipsi præsumitur superaddita ad instãtiam illius cuius interest, *Bart. in l. fin. num.* 5. *verf. itemq. illa res, ff. de quæst. cum alijs per Parif. de resign. lib.* 9. *q.* 24. *num.* 31. præcipuè, à notario officiali Capituli, & proinde suspecto *Mar. decis.* 495. *num.* 5. *par.* 2. *Rota decis.* 440. *num.* 3. *par.* 2. *in recent.*

Nec dicatur Thomam Coadiutum vllũ etiam immaginabile habuisse interesse quasi ius optandi pinguius præstimonium foret ei ablatum, siue enim stante statuto prohibebatur Coadiutus optare, vt voluit *Gonzal. super reg.* 8. *glos.* 38. *num.* 23. *& seqq.* & tunc assensus, siue dissensus ipsius non potuit reddere habilem Coadiutum ad optandum cum statutum indefinitè loquatur
16 per Coadiutoriam expeditam, si verò † non obstante Coadiutoria, non amisit dictum ius optandi secundum opinionem *Garz. par.* 4 *cap.* 5. *num.* 120. quam vti veriorem Domini amplexi sunt, quia tali casu affectio transit in præstimonium optatum per viam subrogationis *Card. cõs.* 126. *Collec. in c. Dilecto, q.* 7. *de præb. Simonet. de reseruat. q.* 45. *in fin. & tenuit Rota in vna Salamantina portionis* 15. *Octobris* 1584. *coram Vicecomite, & in Vrgellen. Canonicatus* 9. *May* 1593. *coram Blanchetto*, alias sequeretur gratiam factam ad fauorem Coadiuti in illius damnum retorqueri. Et eo casu nullum præiudicium consentiendo purè Coadiutoriæ Canonicatus poterat dicto Coadiuto oriri; Vnde
17 remanet † inuerisimile Thomam voluisse adijcere in suo mandato legem penitus inutilem, & frustratoriam *l.* 1. *C. de non num.*
18 *pecun.* ex qua verisimilis oritur coniectura falsitatis, *cap. quia verisimile de præs. Bald. in l.* 1. *num.* 16. *C. de seru. fugit.* cum alijs per *Menoch. de præsumpt. lib.* 5. *præs.* 20. *num.* 11.

Quod

19 Quod eo verisimilius redditur † quod præsumitur actus factus, prout fieri poterat illum metiendo à potestate agentis certum autem erat dum Thomas Coadiutus consenserat in manibus Sanctissimi Coadiutoriæ Canonicatus cum omnibus membris
20 annexis, & dependentijs ab ipso possessis per appositionem manus Papæ ortam fuisse talem affectionem vt iste Canonicatus eiusque annexa, & dependentiæ reseruatæ remanerent, & ita frustra apposuisset hanc
21 legem inutilem cum in hoc eius † mandatum in præiudicium Superioris, & reseruationum Apostolicarum non esset attendendum *iuxta decis. 5. num. 1. de consuet. in nou. cum alleg.*

Ex quibus omnibus coniecturis simul iunctis quæ forsitan solæ non sufficerent, visum fuit apostillam istam suspectissimam
22 esse de falso, † quod sufficit ad adimendam aut saltem minuendam fidem dictæ apostillæ, quia agitur in iudicio ciuili, & non criminali, *Ceph. cons. 338. num. 22. & consil. 283. num. 8. Seraph. decis. 1259. num. 4. DD. in cap. afferte mihi gladium, extr. de præsump.*
23 quem textum ad id adducunt, in quo laudatur sapientissimum Salomonis iudicium, qui ex vehementi affectu materni præsumptione ciuile interesse decidit adiudicando filium veræ matri, & tamen noluit pœna subrepti partus falsam matrem punire.

Opponebatur secundo pro parte Capituli nō potuisse dari immissionem ad istud præstimonium, quia omnia præstimonia Ecclesiæ Corduben. non sunt annexa Canonicatui, sed prædia, & portiones merè tem-
24 porales, † quæ nullo modo impediunt ius optandi, quod competit senioribus Canonicis, vt dicitur decisum in vna *Corduben. pensionis 2. Maij 1594. coram Card. Mantica inter eius decis. 273.* & multoties fuit in Rota decisum, vt patet ex decisionibus longa serie cumulatis per informantes pro Capitulo.

Huic obiectioni responsum fuit ista præstimonia non debere censeri, vt portiones merè temporales, sed vt præbendas annexas spirituali non perpetuo, sed reuocabi-
25 liter † dum per ius optandi potest Canocus illud annexum relinquere, & aliud pinguius optando adipisci, quod eadem *decis. Mantica 273.* agnoscit, dum ibi dicitur ea præstimonia annexa esse Canonicatibus, & præbendis, licet non sint tituli beneficiales; Vnde sequitur vacante Ca-
26 nonicatu cum annexis, & pertinentijs sub quo nomine præstimonium comprehen-
27 ditur non esse locum optioni, quia stante appositione manus Papæ tollitur omnis alia vacatio, præterquam ea quæ obuenit in fauorem Coadiutoris, *cap. fin. cum ibi notat. de consuet. in 6. Rota decis. 6. eod. tit. in nou.* cum multis cumulatis in vna *Capuana portionis 22. Maij 1609. coram Illustrissimo*
28 *Card. Lancellotto,* † retrotrahitur siquidem gratia Coadiutoris ad diem obtentæ gratiæ *Cresc. decis. 7. num. 3. de concess. præb. Cassan. decis. 15. num. 3. de præb.* stante perpetua expressa derogatione statutorum, quæ legitur in litteris per D. Ioannem obtentis, *Gemin. cons. 30. num. 8. post medium, Card. dicto cons. 16. num. 4. Rota decis. 5. de consuet. in nou. & 2. eod. tit. in antiquis, Cresc. dec. 9. de concess. præb. cum multis per Gonz. super reg. 8. glos. 5. §. 8. num. 9.*

Quod autem huiusmodi præstimonia Ecclesiæ Corduben. sint annexa ipsi Canonicatui (vltra quod maiores nostri id semper cognouerunt, vt videre est in *decis. 1408. lib. 3. par. 3. diuers.* vbi loquitur de
29 Ecclesijs Corduben. & Salamantina) id satis hodie comprobari multis rationibus Domini iudicarunt. Constat enim ex lectura litterarum Apostolicarum præstimonia illa nusquam fuisse titulos beneficiales distinctos, sed simplices præstimoniales portiones nuncupatas de communi expertes cuiuscumque tituli, & vacationis, & collationis ex quorum fructibus conflabatur massa communis quæ postmodum inter Canonicos æqualiter diuidebatur patet etiam ex lectura statuti istam massam distinctam, & diuisam fuisse in tot portiones quot erant Canonicatus, & vnicuique Canoniæ vnam portionem postea vocatam præstimonium fuisse annexam, & applica-
30 tam; vnde sequitur † præstimonium debere censeri vti annexum cum ita in litteris Apostolicis Alexandri Sexti denominetur, *arg. leg. qui fundum, §. fundi de contrah. empt.* tum etiam quia loquitur in statuto istas partes, seu æstimationes fuisse
31 applicatas, † quod idem est ac si diceret annexas, vt per grammaticos probatur, & *per tex. in l. vxorem 41. §. 1. ibi domum meã cum horto applicito, & ibidem glos. ff. de leg. 3. & in Clem. 1. §. 1. in verbo applicent mensis suis de suppl. negl. prælat.* quæ quidem
32 annexio licet non sit perpetua tamen adhæret spiritualitati respectu Canoniæ, vt optimè declarat, *Abb. in cap. maioribus n. 4. vers. quandoque, & in cap. dilecto n. 6. de præb.*

& hoc

33 & hoc casu dicitur † spiritualis, vel spirituali annexa præbenda caditque sub dispositione Canonicatus cū annexis, quam doctrinam *Abb. canonizauit Rotin illa Ipo-regien. prebend. 23. Ianuarij 1608. coram* R. P. D. *meo Manzanedo, post Caput decis. 359. num. 1. par. 2.*

Ex quibus patet responsio ad decisiones allegatas pro parte Capituli, quia procedunt quando sunt portiones merè temporales, & separatæ à titulis beneficiorum, eo enim casu non potest considerari ista portio respectu singulorum Canonicatuū, vt in hac Ecclesia quæ habet tot præstimouia quot canonicatus, itaut non possit esse vllus Canonicus sine aliquo ex istis præstimonijs. Vnde ex proprietate ver-
34 borum annexa ea habentur, quæ ad aliud habent accessionem, *arg. cap. super eo, & ibi Abb. de præb. in 6.* Ex quibus infertur præstimonium istud tanquam de annexis, & dependentijs comprehensum fuisse in litteris Apostolicis obtentis per dictum Ioannem quarum executio non debet retardari stante turbiditate exceptionum Capituli, & irreleuantia.

Et ita decisum vtraque &c.

## ROMANA CVRAE.

*Veneris 29. Ianuarij 1619.*

### ARGVMENTVM.

Ratio noua per administrationem, quando sit reddenda: Administrator si reddiderit rationem præsumitur, & libros administrationis reddidisse.

### SVMMARIVM.

1 *Administrator si semel reddiderit rationem non est cogendus ad illam de nouo reddendam. Amplia num. 2.*
3 *Administrator si semel reddiderit rationem tunc multo minus potest cogi ad illam denuo reddendam, quando liberatio fuit iuramento vallata.*
4 *Administrator licet semel reddiderit rationem tamen stante dolo, & errore potest cogi ad illam de nouo reddendam.*
5 *Et isto casu de errore, & dolo debet doceri verè, & non præsumptiuè nè detur processus in infinitum.*
6 *Ad liberorum exhibitionem tenetur is, qui fassus est, quod sibi fuerint consignati.*
7 *Fundamentum intentionis suæ quis tenetur probare etiam si consistat in negatiua.*
8 *Reus dum opponit aliquam exceptionem impedientem audientiam, nihil tenetur probare.*
9 *Libri rationum præsumuntur consignati, si ratio reddita sit.*
10 *In rationum redditione venit redditio librorum.*
11 *Verba vniuersalia omnia comprehendunt.*
12 *Verba vniuersalia operantur, ac si de singulis fuisset facta specialis mentio.*
13 *Ratio redditum casalium &c. reddi non potest sine libris.*
14 *Administratori si sit facta quietantia generalis quid operetur.*
15 *Probatio resultat ex pluribus coniecturis, & adminiculis simul iunctis.*
16 *Actore non probante reus absoluitur.*
17 *Instrumentum publicum facit probationem probatam.*

## DECISIO CCXXX.

PROPOSITO dubio alias reseruato in decisione sub die 14. Ianuarij præteriti, an constet de assignatione librorum Casalis Campo del Feco facta D. Octauio, ita vt ad illorum exhibitionem teneatur in casu, & ad effectum, de quo agitur; Domini considerato effectu dubij, qui est an D. Octauius possit iterum exigere redditionem rationis administrationis semel redditam existimarunt resolutionem dubij pendere ex deductis in prædicta decisione cuius rationes iterum examinatæ Dominis placuerunt.

1 Est enim clara iuris regula, † quod dum Dominus Pyrrhus semel reddidit rationem non est cogendus ad illam denuo reddendam, *l. semel, C. de apoch. publ. lib. 10. Menoch. post alios de arbitr. casu 209. n. 37.*
2 Et eo minus † cum in instrumento facto pro reuisione computornm fuerit adiectū pactum, quod elapso anno D. Octauius non posset aliquid opponere, *Bald. cons. 317. num. 1. vers. non enim lib. 4. Thesaur. decis. 260. numer. 10. Menoch. de ratiocinat. cap. 41. num. 35.* iuncta maxime liberatione iuramento vallata, *Menoch. loco alleg. n. 38.*
3 Et licet † prædicta limitentur vbi adest error, & dolus tamen de errore, & dolo debet doceri per D. Octauium verè, & non præsumptiuè ne detur processus in infinitum, *Neniz. cons. 94. in fin. Menoch. d. casu 209. in fin.* cum alijs in d. decisione alleg.

Ex quibus sequitur, quod etiam fuit in dicta decisione firmatum, quod cum de erro-

4 errore, † & dolo non possit constare nisi visis libris rationis administratæ quos om-
5 nes D. Octauius † fassus fuit, sibi fuisse cõsignatos ipse tenetur ad illorum exhibitionem ex *Neuiz. d. conf. 94. in fin.* & alijs in decis. alleg. & dum Octauius dicit inter libros cõsignatos nõ adesse illos de quibus
6 in dubio † tenetur id probare tamquam fundamentum suæ intentionis etiam quod consistat in negatiua, *Bart. & alij in l. in illa ff. de verb. oblig. Hercula. de nega. n. 2. Surd.*
7 *conf. 24. sub num. 8.* Pirrhus enim † reus est, postquam reddidit rationem, & quietantiam reportauit. Vnde dum opponit hanc exceptionem impedientem audientiam nihil tenetur probare, *Bart. in l. cum quærebatur num. 4. ff. iud. sol.*

Idque maximè dicendum hoc casu censuerunt Domini, quia vltra præsumptio-
8 nem consignationis, † quæ resultat ex eo, quod fuit reddita ratio, in qua venit redditio librorum, *l. 1. §. officia, ibi ( & rationes actus sui conficere, & pupillo reddere) ff. de tut. & rat. distrah. vbi Bart. in 2. lect. nu. 2. l. si ita fuerit, §. quæstio, ibi ( in reliquis accipere debemus, vt & ipsa rationum volumina reddantur ( ff. de manumiss. test. l. fin. §. inter cætera, ff. de liber. legat. Bart in l. cum seruus num. 1. ff. de cond. & demostr. Bero. conf. 191. num. 38. lib. 1.*

Cõcurrunt clara verba instrumenti vniuersalia tunc respectu librorum, quam computorum tam rationis bancharię, quam omnium aliorum bonorum, & iurium D. Octauij fuisse consignatos omnes libros omnesq; alias scripturas factas à die mortis Alexandri existentes in bancho, & do-
9 mo, in qua degebat Octauius, † quæ verba adeo vniuersalia ne dum probant consignationem omnium librorum nullo excepto, *l. 1. & ibi DD. ff. de leg. 1. l. Iulianus ff. de legat. 3. cap. solitæ de maiorit. obed. Bec. conf. 94. numer. 31. & seqq. Caph. conf. 156. num. 21. lib. 2. Surd. conf 31. num. 27. & conf. 73. num. 62. & seqq.* Sed operantur idem
10 ac si de singulis fuisset facta expressa mentio, *Crauet. conf. 31. num. 27. vers. & idem operatur.*

11 Et redditur † valde verisimilis consignatio horum librorum cum de illorum confectione non possit dubitari dum in posterioribus libris fuerunt reportatæ plures partitæ librorum, de quibus agitur, & ex verbis prædicti instrumenti constat redditam fuisse rationem etiam de redditibus
11 Casalium quæ tamen reddi non poterat non visis libris, *l. cum seruus 81. ff. de cond. & demonstr. l. si statu liber §. fin. ff. de stat. liber.*

Redditur etiam verisimilis dicta consignatio ex eo, quod in computo prætentionum in actis huius causæ dato inter alia D. Octauius posuit partitam scut. 7715.
12 pro credito dato Casalibus † quam summam adeo præcisam non sciuisset nisi vidisset libros introitus Casalium, & saltem inter alias prætensiones datas ab Octauio post annum posuisset hanc non consigna-
13 tionis horum librorum; nec fecisset quietantiam adeo generalem de omnibus libris omnibusque scripturis, maximè cum tunc temporis esset maior 20. annis, & in negotijs versatus, *Mannez dicto cap. 41. numer. 34. vers. prædictæ opiniones*, quibus addebatur, quod cum Octauius post quietationem, & liberationem soluerit mercedem Turraminio debitam ob administrationem Casalis ab anno 1600. vsque ad annum 1605. quo fuit reddita ratio sequitur libros fuisse consignatos cum alias non esset verisimile quod soluisset dictam mercedem.
14 Ex quibus omnibus simul iunctis † satis superque visa fuit probata consignatio horum librorum, *glos. in l. 2. in ver. legitimis, ff. de excus. tut.* eum alijs per *Gabr. de probat. conclus. 1. n. 1.*

Non obstant deducta per informantes
15 pro D. Octauio, quia omnia † illa procederent vbi ageretur de erroribus prætensis extra administrationem Casalis, & hæreditatis, quia tunc quietantia licet generalis tamen restringenda veniret ad libros administrationis, sed cum hic agatur de erroribus, qui prætenduntur adesse in redditione rationis administrationis D. Octauius non per possibile, seu per verisimile,
16 sed verè † concludenter, & clarè debet doceres de erroribus, & consequenter de non consignatione horum librorum, ex allegatis, alias Pyrrhus venit ab hoc iudicio absoluendus.

Dum verò dicitur non fuisse redditam rationem id tollitur ex facto dum fuerunt consignati libri pro reuisione computorũ dato spatio vnius anni ad illa reddenda, quo transacto Octauius exceptis prætensionibus datis computa ap probauit, & quietationem, & liberatione m fecit medio iuramento, prout constat ex publico instrumen-

17 mento, † quod facit probationem probatam iuribus vulgaribus.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## BONONIEN. MOLENDINI.

*Lunæ 9. Decembris 1619.*

### ARGVMENTVM.

Molendinum nouũ quando non inferat præiudicium vereri, itaut non sit locus statuto Bononiæ prohibenti nouum molendinum construi.

### SVMMARIVM.

1 *Experientia est rerum omnium magistra.*
2 *Ex euidentia facti concludens probatio oritur, & num. 3.*
4 *Aqua antiquus cursus, quod impediri possit, ex quibus probabiliter possit timeri, nu. 5. & 6.*
7 *Testes qui reddunt optimas rationes, & quæ ad sensum patent sine dubio probant.*
8 *Testibus reddentibus optimas rationes potius est standum, quam adducentibus multum remotas, & inuerisimiles.*
*Testes, qui potius videntur diuinare, quam deponere nullatenus sunt attendendi, n. 8.*
9 *Molendinum nouum, vt destruatur ex præiudicio, quod infert veteri, quid veniat animaduertendum, & n. 16.*
10 *Testes deponentes de possibilitate, & non de certitudine non releuant.*
11 *Actiones criminosæ nunquam præsumitur, quod possint fieri.*
12 *Actiones criminosas multo magis quis non præsumitur voluisse purgare si ex illis ipse quoque præiudicium sentiret.*
13 *Commodum publicum non est impediendum propter diminutionem lucri.*
13 *Statutum Bononiæ expressè prohibet ne possit nouum molendinum ædificari, ita quod veteri per regurgitationem aquarum præiudicium inferatur.*
15 *Statutum quando statuit, quod disponit ius commune intelligi debet secundum regulas iuris communis.*
17 *Obligationi de damno infecto, quando sit locus, & n. 18.*
19 *Obligationes damni infecti quæ sit natura.*

## DECISIO CCXXXI.

POST facta per me iuxta mentem, & ordinem Rotæ experimenta apposi-tum registrum testesque examinatos in facie loci dubitaui vtrum ductus aquæ ad molendinum Eq. Bonfioli præiudicet molendinis Paratæ, quo dubio proposito Domini negatiuè responderunt, considerarunt enim omnia præiudicia prætensa à d. Parara ad duo capita reduci ad impedimentum scilicet, & damnum, quod ei de præsenti, molendinum Bonfioli adfert, aut ad illud præiudicium, quod ipsi ex restagnatione aquarum (quatenus per nouum alueum aqua decurrat poterit in futurum obuenire, & vtroque casu visum fuit molendinum nouum Bonfioli ipsi non præiudicare.

1 Et quod ad tempus præsens † attinet rerum omnium magistra experientia docuit nullum visibile præiudicium adferre cursum aquæ per nouum canale molendinis dicti Paratæ, quæ experientia facta fuit coram peritis vtriusque partis tertioque de consensu partium electo, qui in actu experimenti id concorditer Iudici præsenti re-
2 tulerunt † ex qua plena oritur probatio iuribus vulgaribus.

Constat enim primum experimentum factum fuisse præcluso, & obturato registro dum aqua ad summum aggerum apicem ascendisset superficiemque registri tribus vncijs cum dimidia excederet, & nihilominus oculariter visum fuit duo molendina Paratæ vna cum molendino Bonfioli pari felicitate molere, ac prius molebant ante experimentum coram nobis factum, & antequam aqua in dolio vulgo dicta, *Botte*, retineretur, & in hoc me præsente concordes fuerunt periti procurator q. ipsemet D. Parata id agnouit, vt fusius deducitur in actu visitationis, in quo apparet die sequenti idem experimentum factum apposito registro, quo tempore aqua vix attingebat tabulam inferiorem molendini d. Paratæ.

Ex qua oculari inspectione mensurisq; factis concorditer per peritos per demonstrationem mathematicã certo certius pro-
3 batur † nullum tunc temporis præiudiciũ attulisse molendinis Paratæ cursumque aquæ per alueum nouum retentionemque aquarum etiam vltra superficiem registri.

Tota

Tota igitur difficultas ad secundum caput reducitur dū pro parte d. Paratæ prætenditur licet incontinenti non appareat
4 de impedimento tamen † per tractum temporis imminere tale præiudicium quatenus aqua à solito alueo veteri, & cursu naturali auertatur, vt iure meritoque possit impedire cursum aquæ ad molendinum nouum Bonfioli per canale arte extructum tum quia per canale vetus feliciori decliuio aqua currebat ad flumen sine vllo obstaculo, quam possit fluere per alueum nouum, quod minus felix habet decliuium propter impedimentum retentionis aquarum quæ fit in parte inferiori in molendino d. Bonfioli; tum etiam quia cessante prædicto decliuio superuenientibus hyemali tempore imbribus aquisque turbidis intra paucos dies repleri poterit arenā fango limoq; terræ canale nouum, & ita aqua regurgitabit impedietq; statim Rotas molendini noui Paratæ successuque temporis molendinum etiam vetus inutile redditur quæ pericula imminentia probata fuisse per testes prætendunt informantes pro d. Parata, & ex relatione periti per eos electi.

His tamen non obstantibus visum fuit Dominis præiudicium istud non satis fuisse probatum ea ratione, quia aut aqua decurrens per alueum nouum in mediocri quantitate (vt tempore veris æstatis prin-
5 cipioque † autumni fit) & eo casu aqua, quæ retinebitur in dolio, seu clusa erit clara, & limpida, tunc temporis parum, aut nihil arenæ limique terræ deponet, quod facile reseratis claustris molendini quæ vulgo reseratori vocant expurgabitur.

6 Aut verò nimijs † imbribus aqua superabundans, & turbida decurret per dictum alueum nouum, & tunc molendinum Bonfioli opus non habebit retentione aquarū. Sed aqua perpetuo cursu prolabente molendinum Bonfioli sicut alia molendina solent molere poterit, quin imo si aquam quando est turbida, & per consequens in magna quantitate recludere vellet maximum sibimet præiudicium afferret, vt dicunt testes in Summario Bonfioli, *num.* 5. *&* 8. & eo casu aqua licet turba decurrens per canale non solet multum arenæ materiæque, vt deponunt testes examinati in facie loci qui optimas reddunt rationes,
7 quæ † ad sensum patent, vnde magis eorum depositionibus standum est, quam dictis testium examinatis pro dicto Parata qui rationes multum remotas, & inuerisi-
8 miles sui dicti reddunt, & videntur potius diuinare, *Dec. cons.* 59. *nu.* 8. *Alex. cons.* 141. *num.* 11. *lib.* 1. *Anchar. cons.* 333. *num.* 3. *Feder. de Sent. cons.* 185. Vltra quod appositio registri certa impedit regurgitationē aquarum; nam simul ac aqua ascendit ad ipsius superficiem prolabitur repetitque flumen relicto canali nouo, vt oculariter fuit inspectum, & clarissimè patet ex depositionibus testium relationeque peritorum.

Nec existimarunt Domini præsuppositum factum à D. Parata iustificari in facto felicius, scilicet habere decliuium aquam per canale vetus sinuosum ab ipsa aqua, vt asseritur naturaliter factum, quam habeat canale istud nouum. Nam contrarium patet ex depositionibus testium, & mensura facta per peritos, qui asserūt cursu fluere aquā per vtrumque canale, quod etiam apparet, quia ista duo canalia simul coniunguntur antequam flumini illabantur, & licet in nouo canali adsit impedimentum dolium molendini Bonfioli non desunt tamen alia impedimenta in canali veteri, vt sunt pontes, & maceratoria, & ita parum, aut nihil præiudicij ex illo capite imminere potest molendino Paratæ ad hunc scilicet effectum cum requiratur
9 non leue, aut parui † momenti, sed certum graue, & maximum præiudicium, vt in terminis *glos. in l.* 1. *in verb. sine iniuria,* §. *sunt autem, ff. ne quid in flum. public. Bart. in l. quo minus numer.* 21. *vers. nam si ædificantis, & ibi Ias. num.* 79. *& seqq. Rip. n.* 80. *ff. de flum. Bero cons.* 140. *numer.* 24. *&* 36. *Rota coram Illustriss. Millino in vna Gerunden. fontis* 11. *Martij* 1594.

Vnde patet responsio ad alia præiudicia, quæ successu temporis possent obuenire d. Paratæ, de quibus deponunt testes, qui dantur in Summario dicti Paratæ per
10 possibile, † & non de certo euidenti, & proximo præiudicio, aut deponunt de his,
11 quæ non sine crimine † (quod nunquam præsumitur) fieri possunt nec enim molendinarij D. Bonfioli aggeres registrumque extollere sine criminis macula possunt id-
12 que tanto magis, quia † præiudicium istud adferendo contra iuris tramites Paratæ) Domino etiam præiudicarent.

Nec etiam placuit, quod dicitur considerabile esse præiudicium, quod adferet molendinum nouum veteri molendino ob concursum illic molere volentium, quia hæc

hæc prætensio iam fuit à Rota reiecta, cum
13 diminutio † lucri non debeat impedire commodum publicum illud enim detrimentum priuati vtilitate publica rependitur, vt in his præcisis terminis tradunt *Ias. in d. l. quominus num. 34. & 35. ff. de flum. Menoch. consi. 83. in fin. & cons. 298. nu. 15. & seqq. Bald. cons. 71. lib. 3. cum alijs allegatis.*

14 Nec obstare visum fuit statutum † Bononien. in quo expressè cauetur ne possit molendinū nouum ædificari ita quod veteri per regurgitationē aquarum præiudicium inferatur, nihil enim aliud disponit statutum, quàm ius commune intelligique debet secundum regulas iuris communis
15 de damno magno, & considerabili iuxta doctr. *Bart. in d. l. quominus numer. 21. de flumin.* vt superius fuit firmatum, & ita non potest comprehendere casum de quo agitur cum ex supradictis appareat nullum notabile oriri præiudicium posse etiam habito respectu ad dubium futuri tempo-
16 ris euentum quamdiu enim canale permanebit in eodem statu, vt est certum, & id experientia docuit nullum præiudicium nasci posse molendinis d. Paratæ. Verum cum successu temporis fieri possit, vt canale nouum arena limoque, & materia supereminente repleatur, & eleuetur; ideo
17 quatenus † id accidat Domini recurrendo ad remedia iuris statuerunt faciendam esse obligationem à d. Eq. Bonsiolo de damno infecto, *l. epistola ff. de seruit. urban. præd. l. fluminum, & ibi Bart. ff. de dam. inf.* Ex qua vtrique parti succurretur nam vigore istius obligationis d. Eques Bonsiolus tenebitur suis expensis nouū canale expurgare, itautin eodem statu profunditas aluei, in qua de præsenti reperitur secundū mensuram concorditer factam permaneat, quod etiam facere cogetur cū alias ipsius molendinum ei redderetur inutile, vt de-
18 ponunt testes ab eo examinati, † quo remedio stante visum fuit non posse amplius Paratam impedire cursum aquæ ad molendinum d. Bonsioli, nam vigore d. obligationis quatenus euentus doceat per restagnationem aquarum præiudicium notabile afferri molendinis Paratæ tunc eo casu nulla habebitur ratio molendini Bonsioli, & aqua ad vetus canale reducitur, ex natu-
19 ra obligationis † damni infecti iuxta notat. per *Bart. in l. de pupillo, §. si is cui, ff. de nou. op. nunc.*

Nec potest d. Paratæ iuuari statuto Bononien. cum eius dispositio non impediuerit ipsum quin construxerit nouum molendinum longè à veteri suo 59. perticis, & cum decliuio vnius pedis cum dimidio multo minus impedire debebit Bonsiolum qui ædificauit molendinum longè à dicto molendino nouo Paratæ circa perticas 250. & cum decliuio ped. 6. vt constat ex planta concorditer facta, & firmata à peritis vtriusque partis.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## LVCANA IVRISPATRONATVS DE PODIIS.

*Luna 2. Decembris 1610.*

### ARGVMENTVM.

Potens familia debet esse cum iurisdictione, itaut Episcopus illam perhorrescat adhoc, vt iuspatronatus sit probandum ad formam Concil. Trid.

### SVMMARIVM.

1 *Iurispatronatus vsurpatio quando non præsumatur.*
2 *Potentia probatur si Episcopus illam perhorrescens non audeat contradicere.*
3 *Et quomodo excludatur præsumptio dicta perhorrescentia.*
4 *De præsenti nunquam inferri potest in præteritum.*
5 *Potentes non dicuntur qui facilè legibus coerceri possunt.*
6 *Delictum in alterius præiudicium non solet probari ex sola Principis assertione.*
7 *Potentia non probatur ex familia numerositate.*
8 *Iuspatronatus non venit in confiscatione facta à Iudice layco.*

### DECISIO CCXXXII.

ITERVM proposito super ijsdem dubio alias resoluto in fauorem DD. de Podijs die 26. Iunij proximè præteriti Domini steterunt in decisis ex rationibus fusè deductis in d. decisione quæ rursus examinatæ placuerunt.

1 Nec obstare visum fuit, † quod dicitur non sufficere probationem iurispatronatus factam, quia agitur de prætenso iurepatronatus à familia D. Podiorum potenti in republica Luciensi tam numero nobilium, quam

quam nimio ausu aliquorum istius familiæ qui de anno 1522. ausu temerario vexilliferum Reipublicæ occiderunt duosq; alios ciues vulnerarunt, & propter hæc crimina aliqui extremo supplicio sunt affecti alij in exilium missi, ex quo inferre volunt informâtes pro beneficiatis requiri ad probandum iuspatronatus exactam illam, & rigidam probationem à S. Concilio Trid. sess.25.cap.9. inductam in personis, in quibus præsumitur vsurpatio, quod decretum extendere volunt etiam ad personas, & familias priuatas in republica, quæ nullam habeant iurisdictionem in loco in quo beneficium situm est, dummodo proberur eas in eo loco fuisse potentes.

Huic obiectioni respôdendo iudicarunt Domini pro nunc non opus esse firmare quæstionem vtrum sine iurisdictione possit dari talis potentia, vt intret dispositio Sac. Concilij cum obiectum tollatur ex facto,
1 quia non constat † talem fuisse potentiam in familia D. de Podijs, vt intret præsumptio vsurpationis.

2 Ad hunc enim effectum † deberet probari talis potentia respectu Episcopi, vt ipse Ordinarius illam perhorrescens non auderet Ecclesiæ libertatem vindicare, ipsorumque DD. Podiorum conatus coercere, quod tantum abest, vt probetur quin potius ex actis quæ dantur in Summario DD. de Podijs appareat de côtrario ipsosque Podios voluntariam Episcopi iurisdictionem agnouisse eique se subiecisse ad instar aliorum priuatorum.

Ex deductis enim in prima decisione in hac causa facta constat nunc Episcopum nunc Vicarium visitasse dictam Ecclesiam de annis 1382. 1399. 1414. 1477. & in actu visitationis fecisse multa decreta, & de anno 1401. licentiam petitam ab istis Podijs vti patronis vna cû Leonardo Podio Rectore vendendi, seu permutandi certum casalenum Ecclesiæ, de qua agitur concessisse coegisseque rectorem, & operarios ad exhibendum librum redditum
3 siue inuentarium bonorum dictæ Ecclesiæ, ex quibus actibus colligitur tunc temporibus quo erant D. Podij constituti in quasi possessione iurispatronatus, vt fuit firmatû Reuerendissimum Episcopum Luceñ liberè iurisdictionem suam contra Patronos Rectoresque eiusdem familiæ exercuisse sine vlla vmbra imaginabili terroris, & perhorrescentiæ.

Vltra prædictos actus in Summario nouo dato pro parte D. Podiorum alij dantur ex quibus colligitur patronos petijsse licentiam ab Ordinario fundandi in dicta Ecclesia altaria, & capellas de anno 1356. & de anno 1391. plures ex dictis patronis citati coram Vicario super prætensa hæreditate cuiusdam Nicolai de Podio comparuerunt multosque actus iudiciales fecerunt, vt de anno 1422. per decretum Vicarij vnus ex dictis Podiis côdemnatus fuit ad soluendum florenos 50. d. Ecclesiæ.

Et quod multum mouit Dominos illud fuit, quod de anno 1514. octo circiter annis ante commissa crimina Vicarius tulit sententiam contra præsentatum ab ipsis Podijs, ex qua signum euidens elicitur Episcopum istius familiæ potentiam nullo modo perhorruisse cum eius Vicarius liberè secundum tramites iuris contra ipsos sine vllo timore pronunciauerit tunc præsentatum ab eisdem de Podio non esse instituendum.

Secundo responsum fuit regulam iuris
4 esse communiter receptam, † quod de præsenti nunquã inferri potest in præteritum, *Bald. cons.12. in fin. lib.1. Rip. in cap. cum Ecclesia num.26. de caus. possess. & propriet. Alciat. de præsumpt. regul.22. præsumpt. 20. num.2. & præsumpt.21. num.15. num.3. limit.* Nec valet consequentia fuisse potentem istam familiam de anno 1522. & centum quinquaginta annis antea fuisse eiusdem potentiæ, de quo tempore d. Patroni, vt fuit superius dictum præsentabant, & ad eorum præsentationem Episcopus instituebat.

5 Considerabant etiam Domini † difficile imo impossibile esse arguere hanc potentiã huius familiæ de supradicto tempore anni 1358. cum ex historijs appareat Ciuitatem Luceñ supradictis temporibus, quibus dicti Podii erant in possessione istius iurispatronatus eamque continuabant non fuisse sub dominio Reipublicæ, sed ipsam à diuersis tyrannis, & Principibus occupatam, & statum libertatis ab anno 1399. acquisitum postea verò amissum non recuperasse nisi de anno 1430. ex quo sequitur familias Ciuium priuatas non potuisse acquirere talem potentiam in sua ciuitate vno dominante, vt patritiæ, & nobiles facilè acquirunt in Aristocratia.

Nec etiam D. putarunt colligi potentiam immodicam eius familiæ de tempore ipsiusmet decreti contra aliquos eius familiæ lati, nam, vt in eo dicitur, si ipsi ausi

Cc sunt

sunt homicida & excessus perpetrare illico commota contra ipsos ciuitate oppressi sunt pœnasque debitas luerunt, vt patet dictis decretis, & supplicio de ijs sumpto,
5 & ita in republica non possunt dici potẽtes illi nobiles qui facilè legibus coerceri possunt, *Menoch.præsumpt.90.num.15.lib.3.* & fuit dictum in vna *Aretina Capellaniæ 22. Iunij 1590. coram Orano*.

Nec obstat etiam quod dicitur istos D. Podios solitos fuisse huiusmodi homicidia, perpetrare iam ab ann. 1436. vt expositum fuit in quærela contra eos porrecta placuit enim responsio non esse sufficiens argumentum potentiæ adhunc effectum, quod ex homicidio vnico colligitur commisso ab vno ciue particulari istius familię
6 vltraquod sola assertione Principis non solet probari delictum in alterius præiudicium vt in puncto de assertione Papæ de rebellione cuiusdam D. de Sabellis firmauit *Rot.coram Mitren.dec.16.post princ.Gabr. concl.2.num.17.tit.de probat.*

Nec etiam placuit DD. quod dicebatur
7 tur potentiã probari ex eo, quod in ciuitate Luceñ numerosa esset ista familia nam omnia iura patronatus gentilia, & familiaria intra breue temporis spatium euanescerent, aut saltem præsumerentur vsurpata cum fieri possit vt familię quę ab vno stipite descendunt ita sint fœcundæ vt spatio 200.aut 300. annorum crescant ad maximum numerum personarum quæ ab illo communi stipite descendunt.

Ad ea quæ dicuntur per sententiam la-
8 tam à Iudicibus laicis reipublicæ confiscata fuisse omnia bona dictorum Patrononorum & ita vigore dictę sententię Ecclesiam statum libertatis acquisiuisse. Respõsum fuit Rotam opinionem contrariam quæstione maturè examinata secutã fuisse in vna *Lucana Iurispatronatus die 27. Aprilis 1605.& 12.Iunij 1616.corã Reuerendiss. D.meo Decano*, vltra quod id poterit deduci dum disputabitur dubium in pręcedenti decisione reseruatum vtrum post annum 1514. Ecclesia mutauerit statum vel per vnionem vel alio modo.

Et ita decisum vtraque parte informante.



FIRMANA HAEREDITATIS.

*Mercurij 11. Decembris 1619.*

## ARGVMENTVM.

Substitutio compendiosa facta per verbum commune continet sub se vulgarem, quæ vulgaris operatur vt prædecedente instituto subintret substitutus, sed si facta reperiatur per verbum obliquum, nõ comprehendit vlgarem, sed erit fideicommissaria, itaque præmoriente hærede ante testatorem non succedit substitutus. Verbum recedat, quid significet, & an sit commune, vel obliquum. Idem quoque de verbo, reuertatur.

## SVMMARIVM.

1 *Substitutio facta his verbis, & moriente Titio sine filijs &c. est compendiosa, licet non fuerit adiecta dictio, quandocunque.*
2 *Compendiosa facta per verbum commune continet sub se vulgarem.*
3 *Substitutio vulgaris operatur, vt prædecedente instituto, succedat substitutus.*
4 *Substitutio compendiosa, quando est facta per verbum obliquum, non comprehendit vulgarem, sed est omni tempore fideicommissaria.*
5 *Itaque decedente hærede ante testatorem, seu ante aditam hæreditatem, non succedit substitutus.*
6 *Substitutio compendiosa quando dicatur facta per verbum commune inspecta propria significatione verbi, cum quo fit.*
7 *Verbum, recedat, non solum significat iterum cadere de vna, in aliam personam, sed etiã iterum cadere in eandem personam, & num.8.*
9 *Verbum, remaneat, vel est directum, vel commune.*
10 *Verbum, recedat, est commune.*
11 *Verbum, reuertatur, est commune, & Iuris consulti, ac Imperator in sensu directo, eo vsi sunt, à qua opinione non est recedendum num.12.*
13 *Verbum commune ratione adiuncti potest effici directum ex intentione testatoris*

## DECISIO CCXXXIII.

PROPOSITO dubio alias reseruato in decisione sub die 7.Iunij præteriti an

per

per mortem Mandricardi instituti premor tui caducata fuerit substituto Alexandri in casu & ad effectum de quo agitur D.negatiuè responderunt.

1 Non enim controuertebatur substitutionem factam his verbis & moriẽte Mandricardo sine filijs &c.esse compendiosam licet non fuerit adiecta dictio *quandocumque glos.in cap.si pater in verb.absque deduct. de testam.in 6.Bart.in l. centurio num.9.ff.de vulg.Menoch.præsumpt.31.num.7.vers.quartus est casus lib.4. Peregr.de fideicom.art.34. num.4.Surd.decis.37.num.8.Put. decis. 351. circa princ.lib.3. in nou.*

2 Nec etiam controuertebatur compendiosam factam per verbum commune cõtinere subse vulgarem, *Bart. in d. centurio num.32.ff.de vulg.Odd. de comp.par.5.art.1. numer.1. cum alys per Surd. dicta decis. 37. num.9.*

3 Prout nec controuertebatur in vim dictæ vulgaris prædecedente instituto succedere substitutum, *Peregr.cons.69.num.1. & 4.lib.5.cum alys per Surd. dicta decis.37. num.10.*

4 Demum † nec etiam controuertebatur compendiosam vbi est facta per verbum obliquum non comprehendere vulgarem sed esse omni tempore fideicommissariam *Bart.in d.l.centurio ff.de vulg. & pupill. Peregr.de fideicom art.15.nu.19.& art.34. numer.61.Menoc.de præsumpt.68.num.3. lib.4. Odd.de compen.part.5.art.2.* & in hac dece-
5 dente hærede ante testatorẽ, seu ante aditam hæreditatem non succedere substitutum, *Peregr.d.art.34.nu.62.in fin.* omnes alias substitutiones successiuas expirare, *Alex.cons.1.nu.10.& 11.li.1.Corn.cons.199. lib.2.Gabr.cons.117.num.15.lib.1.Peregrin. d.art.15.num.19.*

Sed tota difficultas reducebatur ad hoc an compendiosa hoc casu fuisset facta per verbum obliquum vel commune & DD.
6 censuerunt esse factam per verbum commune tam inspecta propria & naturali significatione verbi *recadat*, quo fuit facta substitutio quam inspecta significatione verbi *reuertatur*, cui & informantes pro Enea assimilare asserebant & id firmat, *Rebuff.in l.30.§.glans caduta in verb. recidit, ff.de verb.signif.& Rot. in vna Romana successionis Luna 11.Martij 1596.coram bo. me. Card.Pamphilio.*

Inspecta enim propria significatione
7 verbi *recadat*, non solum illud importat iterum cadere de vno in aliam personam, *l.nepotes ff.de his qui sunt sui vel alien.iur. & l.si quis ff. de adopt.* Sed importat semel ca-
8 dere in eadem persona, *text.est expressus in l.siue contra §.quia* ibi. *quid autem si quis post mortem patris nascatur, aut superstite in cuius potestatem recusurus est, ff. de lib. agnosc.vbi glos. explicat*, id est remansurus
9 verbum autem *remaneat* vel est directum vel est commune vt post alios firmant, *Odd. de compend.part.4.q.2. art.1.in verbo rema-*
10 *neat.* & quod verbum *recadat* sit commune firmat, *Simon.de Pret.de interp.vltim.volun. lib.3. interp.2. dub.1.solut.4.sub nu.2. vers. addo quod de verbo recadat fol.230.*& firmauit Rota in *d.Romana successionis corã Card. Pamphilio.*

Sed & inspecta etiam significatione ver-
10 bi *reuertatur* constat illud esse commune cum in iure & in sensu obliquo, & in sensu directo iureconsulti & Imper. illo vsi sint, vt latè per *Tiraquel. in l.si vnquam in verb.reuertatur num.6.& seqq. Odd. d.qu.2. art.1.in verbo remaneat.Sim.de pret.dicta solut.4.sub nu.2.Rebuff.in l.94.in verb. reuerti 35.de substit.par.4.cap.4.n.19. 21.& seq.* & tenuit Rota in *d. Romana successionis, & in Romana 20.mil. coram Card. Lancellotto seniore in recent.decis.1.nu.3. par.2: & in Leodien. fideicommissi Luna 1.Decemb.1608. coram R.P.D.meo Caualerio in recent.dec.231.*
12 *num.2.par.2.* à qua opinione non visum fuit esse recedendum ex eo quod aliqui dictorum DD. contrarium censerint existimãtes minus tamen verè, contrariam opinionem veriorem.

Et hoc casu visa fuit tolli omnis difficultas ex illo verbo *de facto* adiuncto ver-
13 bo *recadat* cuius adiuncti ratione verba obliqua vel communia efficiuntur directa ex intentione testatoris, *Rot.d.decis.1.nu.3. vers. tamen verbum par.2.* & in terminis verbi *de facto* latè post alios *Sim. de pret. d. lib.3.interpr.2.dubit.1.solut.2.sub nu.5.& 6. fol.228.Ceph cons.88.n.31.*

Ex quibus Domini censuerunt non esse caducatam substitutionem vtraque parte informante.



ROMANA PECVNIARIA.

*Mercurij 13. Nouembris 1619.*

## ARGVMENTVM.

Executiuè, quando possit conueniri tertius possessor maritus celebrans contractum de re dotali, qualiter censeatur contrahere. Retrouenditio qualiter censeatur facta.

## SVMMARIVM.

1 *Tertius possessor potest conueniri executiuè, quando bona sunt obligata, cum clausula constituti.*
2 *Cessio rei dotalis facta à marito & vxore, qualiter intelligatur facta.*
3 *Maritus contrahens cum aliquo de re dotali censetur contrahere vti maritus.*
4 *Dictio, dictus, refert supra narrata cum eisdem qualitatibus.*
5 *Pactum de retrouendendo est æstimabile.*
6 *Donatio de iure non præsumitur.*
8 *Donatio inter virum & vxorem est prohibita.*
9 *Retrouenditio præsumitur facta in executionem præcedentis instrumenti cessionis.*
10 *Quod procedit etiam si elapsum sit tempus ad redimendum.*
11 *Relatum inest in referente cum omnibus suis qualitatibus.*
12 *Clausula, non alias aliter, vel alio modo, quid importet.*

## DECISIO CCXXXIV.

POSTQVAM relaxatum fuit mandatum per R.P.D.meum Remboldum contra tenutam Gallicani, & Passarani, quoad portionem D.Camilli causa appellationis mihi commissa cum clausula *sine praeiudicio* legitimę executionis dedi dubiũ an mandatum Rotale esset confirmandum vel infirmandum.

Et quia informantes pro D.Camillo prętendebant resolutionem huius dubij pendere à resolutione alterius dubij dati à Reuerendiss. D. meo Decano in lite vertente inter ipsum D.Camillum, & D.Ducem eius fratrem super dictis bonis, an scilicet dicta tenuta Passarani remansisset in hæreditate Iuliæ & D. Martij, quia si remansisset in hæreditate D.Martij tunc non potuisset agi executiuè contra D. Camillum.

Et licet hoc fundamentum non videretur obstare cum mandatum non fuisset restrictum ad bona hæreditaria tantum & citatio fuisset facta in vim & iuxta formã Iurium & obligationum in actis productorum in quibus aderat clausula *constituti*,
1 cuius vigore ritè & rectè potuit executiuè agi contra D.Camillum etiam vti tertium possessorem, *Aret.consf.21.nu.4. vers. bis tamen non obstantibus Goz.consf.95.nu.8. & seqq.Surd.decisf.173.num.29. Barz. decisf. 108.num.35.* tamen vt iustitia mandati Rotalis clarius clariusque elucesceret noluì proponere dubium nisi eisdem diebus quibus R. P. D. meus Decanus proponeret dubium per ipsum datum & bis illis propositis, DD.re maturè discussa censuerunt mandatum Rotale esse confirmandum ex eisdem rationibus quibus fuit resolutum tenutam Passarani fuisse repertã in hæreditate Iuliæ, sic etenim cessabat penitus obiectum, quod D. Camillus esset tertius possessor.

Non enim controuertebatur veritas facti firmati in tot decisionibus factis coram R.P.D.meo Remboldo & coram me tenutam hanc fuisse datam D.Iuliæ in fundum dotalẽ illique à sororibus cessam mediante transactione inter ipsas inita. Vnde licet eadem tenuta fuisset in vim transactionis cessa D.Principi Pellestrino à Iulia, &
2 Martio tamen cessio dicitur de iure facta ab ipsa D. Iulia Domina tenutę & à Martio vti marito & nomine proprio pro omni suo iure & interesse quod habebat in dicta tenuta ex causa dotis, *l. si liqueat in 2.resp.& ibi Bald.& Salic. in 2.notab. C. de inoff.donat.l.ædibus §.quod filius ff. de donat.* cum alijs suo more cumulatis per *Tiraq. de legib.connubial.glosf.5.num.92.* & optimè in his terminis, *Natt. consil.552. numer.2. lib.3.*

Quæ Iuris conclusio visa fuit comprobari clarè ex verbis instrumenti transactionis dum Iulia cessit dictã tenutam vti cessionaria suarum sororum & sicut vera Domina Martius verò cessit his verbis, *Il Sig. Martio Colonna suo marito in nome suo proprio & per ogni sua pratensa raggione & in-*
3 *teresse*, & sic vti maritus, *l.vltim.ff.de instit. act. Angel. in l.proponas §.1. in princ. ff. de inoff.testam. Dec.consf.283.num.8.vers.& hoc confirmatur. Surd.consf 106.num.34 & decisf. 322.num.12. Mantic.de tacit.lib.3. titul. 10. num.28.*

Quod autem pactum de retrouendendo fuerit appositum ad fauorem D. Martij cũ eadem

eadem qualitate mariti, visa sunt clara verba eiusdem instrumenti, ibi. *che volendo detto Sig. Martio &c.* dictio enim illa
4 *detto* refert illius personam cum eisdem qualitatibus supra expressis, *Socc.iun.cons. 102.sub nu.2.& 3.vol.3.Bero.cons.132.n.77 volum.3.Menoch.cons.231.n.78.vol.3.Surd. cons.230.n.23.lib.2.*

Et non solum ex verbis, sed etiam ex mente Iuliæ idem visum fuit dicendum,
5 quia cum pactū de retrouendendo sit æstimabile, *Cagn.in l.2.nu.243.C.de resc. vend. & ibi Pinel.par.2.cap.4.num.19. Couar. variar.resol.lib.3.cap.10.nu.1. & seqq. Tiraq. de retract.in præfat.num.20. Surd. cons.226.*
6 *num.21.lib.2.* si illud fuisset stipulatum ad fauorem D. Martij nomine proprio necessario præsumenda esset donatio vt in similibus terminis, *ex l. hoc iure ff. de donat. deducit.Bald.cons.341.num.1.lib.1.* & tamen
7 de iure non præsumitur donatio, *l. cum de indebito,ff.de probat.l.si cum aurum ff.de solut Crau.cons.142.num.26.Alex.cons.164.nu.6. lib.5.*& eo minus cum inter virum & vxo-
8 rem donatio sit prohibita, *l.1.ff.de donat.inter vir. & vxor. Clar. §. donatio, quast.9. num.1.*

Non obstat igitur, quod dicebant informantes pro D.Camillo, quod soli Martio fuit data facultas redimendi, nam præterquamquod contrarium visum fuit colligi ex illis verbis *in euento che li detti Signori Martio, & Gulia nel termine supradetto nō l'habbino ricomprato*, obiectum tollitur ex prædictis cum facultas redimendi fuerit ei concessa vti marito.

Et ex his sublatum remanet aliud præcipuum fundamentum, quod retrouendi-
9 tio fuit facta soli D.Martio, quia cum illa præsumatur facta in executionem præcedentis instrumenti cessionis, *Bart. in l.in diē sub.2.ff.de aqu. plun. arc.* quod procedere etiamsi elapsum sit tempus ad redimendū firmauit, *Rot. in Bononien.de Bonsignoribus 7.Aprilis 1609.coram R. P. D. meo Dama-*
10 *sceno*, ab illo declaranda veniunt verba instrumenti retrouenditionis, *Anchar.cons. 18.num.1.vers.præterea per tex.in l.si Procuratorem ff.mandat.Mant.de tacit.lib.2. tit.3. num.8.vers.præterea præsertim*, quia retrouenditio legitur facta iuxta formam, & tenorē dictę cessionis clara enim est iuris cō-
11 clusio relatum inesse referenti cum omnibus suis qualitatibus, *l. asse toto ff. de hared.instit.Bart.in l.si quis seruum §.vltim. in fin. ff.de leg.2.Pedem.decis.178.num.5.Surd. cons.200.num.5.* accedente maxime clausula illa, *& non alias aliter, nec alio modo*, per quam D. Martio fuit prohibita acquisitio alicuius iuris quod alias sibi non cōpetijsset ex verbis instrumenti cessionis, *Socc.cons.251.nu.4.vol.2. Socc.iun.cons.181. num.8.vol.2.Surd.cons.143. nu.43. vers.imo dicitur facta negatio lib.1.*

Et omnis difficultas visa fuit tolli, quia etiam in hoe instrumento D.Martius legitur cum eadem qualitate mariti. Quibus accedebat redemptionem factam fuisse ex pretio soluto ex pecunijs redactis de impositione montis super eadem tenuta Passarani, quæ ex præfata cessione ac alijs supra deductis spectabat ad D. Iuliam vnde siue attendamus præsumptiones iuris siue verba instrumentorum siue mentem contrahentium semper apparebit D.Martium
13 omnia egisse vti maritum & pro suo iure dotali non autem nōmine proprio.

Ex quibus & alijs optimè deductis in decisione hac die coram R.P.D.meo Decano facta in causa inter DD. fratres de Columna verterte DD. concluserunt pro validitate & iustitia mandati Rotalis vtra que parte informante.

## MELEVITANA HAEREDITATIS SEV FIDEICOMMISSI.

*Luna 9. Decembris 1619.*

### ARGVMENTVM.

Instrumentum si laboret pluribus defectibus, vel ei nullatenus adhibetur fides, vel saltem valdè suffocatur, & qui sint isti defectus. Scriptura vt dicatur reperta inter rogitus alicuius Notarij, quid nam si necessarium, & quid si sit reperta à tertio,& & maximè habente interesse in causa. Instrumentum non meretur nomen instrumenti, nec fidem facit, si non doceatur de rogitu, & publicatione. Obseruantia vt tribuat robur scripturæ informi, quid nam sit necessarium.

### SVMMARIVM.

1 *Testamentum non abolitum, non cancellatum aut aliquo visibili vitio laborans, quis ostēdere debet vt habeat locū* l.fin. C.de edict. Diu.Adr.toll.
2 *Instrumenti fides minuitur, si in eo appareant*

*reant visibiles, & notabiles defectus, & num.3.*

4 *Instrumentum non potest dici unquam fuisse perfectum, si in eo deficiant hic narrata.*

5 *Instrumentum dotale, quando dicatur non habuisse effectum.*

6 *Instrumentum, in quo non adest clausula actum, diminuitur multum de eius fide.*

7 *Instrumentum si patiatur plures defectus, ex solis coniecturis sanari non potest.*

8 *Fundamentum intentionis suæ, quis tenetur concludenter probare.*

9 *Instrumentum non potest dici respertũ fuisse inter rogationes alicuius Notarij, si non sit in protocollo, vide n.10.*

11 *Scriptura reperta à tertio habente interesse in causa, inter scripturas Notarij, si ille id asserat, non creditur ad effectum, ut ex eo possit ex trahi instrumentum authenticum.*

12 *Instrumentum quando non dicatur repertum inter scripturas authenticas Notarij, & num.15.*

13 *Reuelatio eius, qui habet interesse in causa, nullum genus probationis facit.*

14 *Confessio est indiuidua.*

16 Bart. in l. si quis ex argentarijs, §. si in vitium, ff. de eden. *quando habeat locum.*

17 *Præcedentia sæpè influunt in sequentia, sed numquam sequentia influunt in præcedentia.*

18 *Temporis diuersitas sufficit ad excludendam præsumptionem vicinitatis actuum.*

19 *Ratificatio facta in instrumento, quando dicatur imperfecta.*

20 *Ex actu imperfecto, alius actus minus perfectus non potest adminiculari.*

21 *Instrumento primo, quado non adhibetur fides, nec etiam secundo adhibetur.*

22 *Notarij assertioni non statur, nisi aliundè iustificetur.*

23 *Notarius debet se rogare præsentibus testibus.*

24 *Instrumentũ non meretur nomen instrumenti nec fidem facit, si non doceatur de rogitu, & publicatione.*

25 *Instrumentum non probatur quod fuerit rogatum ex appositione testium, & clausula, actum.*

26 *Instrumenti minuta solet à Notarijs scribi, consignarique partibus, ad effectum, ut postquam fuerit per eas considerata, concorditer instrumentum celebretur, & publicetur, & num.27.*

28 *Obseruantia facit ut scriptura informi fides adhibeatur.*

29 *Relatio potest fieri etiam ad scripturam informem.*

30 *Obseruantia non inducitur ex actu aquiuoco.*

31 *Instrumentum inualidum non potest corroborare aliud minus perfectum.*

32 *Oseruantia ex quo excludatur.*

34 *Stylus aliquis præscriptus de directo contra dispositionem iuris est plenè, & concludenter probandus.*

35 *Iudex parte reclamante debet re currere ad matricem instrumenti, & secundum eam iudicare.*

36 *Notariorum extensio non est aequum, ut possit ex informi instrumento authenticum, & solemne reddere.*

## DECISIO CCXXXV.

POST resolutionem in hac causa factam coram R.P.D. meo Verospio, & postea coram me in qua fuit decisum instrumentum de quo agitur esse in forma probanti Pasqualis Testaferrata vigore compulsorialis curauit transportari ad Vrbem matricem seu originale dicti instrumenti, quo exhibito iterum proposito super ijsdem eodem dubio DD. ex nouiter deductis recedendum esse à decisis respõderunt ea præcipuè ratione quia Lucretia asserens se vocatam ad fideicommissum egit remedio, *l. finalis C. de eden. Din. Adr. tell.* petijtque immitti in possessionem bonorum paternorum pro æquali parte cum fratre Pasquali, & ita debet exhibere titulum non abolitum non cancellatum, aut aliquo visibili vitio laborantem alias ab huius Iudicij limine venit repellenda cum nõ possint iustificari verba *d. l. fin teste Bart. in d. l. fin. num.3. Dec. num.37. Sicar. num.94.* quos refert & de communi testatur *Menoc. remedio 4. num.699. cum seqq. Castr. Alex. & Ias. in auth. quod sine C. de testam. Ceph. cons. 377. n.23. lib.3.*

In hac autem facti specie visum fuit Lucretiam id non præstare cum ex dicta matrice seu originali subiecto oculis DD. ap-
2 pareant visibiles & notabiles defectus quibus stantibus tollitur aut saltem multum diminuitur de fide prætensi instrumenti.

Illud enim exhibitum fuit in folio volanti carens testibus clausula *actum* stipulatione Notarij iuramento partium, signo & subscriptione Notarij & fine clausula

sula adhæc & cæterata alijsque requisitis, per *gl. magist. in l. generali C. de tabell. lib.* 12. quin imò videntur in dicto folio multæ cancellationes interlineaturæ cassaturæ apostillæ alba notabilia intermedia continetque in margine verba imperfecta è regione fideicōmissi Memento de bonis &c. remanetque sine fine, aut conclusione ex quibus simul iunctis visum fuit non posse dici instrumentum hoc vnquam fuisse perfectum multoque minus stipulatum idque tanto magis, quia continet etiam narratiuam falsam dum in principio asseritur matrimonium contractum fuisse per verba de præsenti die 15. Iunij 1572. & tamen ex fide Parochi constat matrimonium fuisse sequutum per 16. dies postea vltima videlicet die eiusdem mensis Iunij vnde aut inferendum est istud instrumentum dotale non habuisse effectum, *argum. cap. inter dilectos §. cæterum de fid. instrum. Dec. consil.* 38. *num.* 4. cum alijs per *Surd. cons.* 279. *nu.* 14. *lib.* 2. aut saltem diminuitur multum de fide dicti instrumenti, vt in specie ponderauit *Rot. apud Seraphin. decis.* 949. *numer.* 4. *&* 5.

Nec videntur sanari posse tot tantiq; defectus ex cōiecturis ponderatis pro d. Lucretia in supradictis decisionibus. Non enim obstat præcipuum & maximum fundamentum dictarum decisionum scripturam hanc repertā fuisse inter authenticas notas Placidi Abel Notarij, qui dicitur rogatus, quia hodie id non iustificatur à Lucretia
8 prout concludenter deberet fieri cum sit fundamentum suæ intentionis & se fundet in dicto rogitu & stipulatione Notarij, sed potius contrarium ex aspectu scripturæ apparet ea enim videbitur in folio volanti nullum habens signum publici instrumenti fuitque exhibita à quodam Notario Saluatori Chiantar, qui fatetur se non esse conseruatorem actorum dicti Abel Notarij sed etiam sibi consignatum à quodam Paulo Testaferrata. Vnde pernecesse sequitur
9 non fuisse repertā inter rogationes Notarij cum non esset in protocollo, *Cur. iun. cons.* 162. *num.* 1. *Ruin. cons.* 159. *nu.* 12. *lib.* 4. cum alijs per *Seraph. decis.* 909. *num.* 2. aut
10 saltem quod non reperta fuerit in filsia habente rubricellam quæ faceret vt folia volantia habeantur pro compactis. vt considerauit *Rot. apud Seraph. d. decis.* 909. *n.* 10. *&* 12. idque tanto magis quia hac scriptu-
11 ra reperta dicitur à tertio habente interesse in causa, vnde ei asserenti repertum instrumentum inter scripturas Notarij non creditur ad effectum, vt ex eo possit extrahi instrumentum authenticum, *Corn. cons.* 226. *lib.* 3. *Menoch. cons.* 42. *numer.* 23. cum alijs congestis per *Surd. cons.* 182. *num.* 36. *& seqq. lib.* 2. Vbi ait sufficere repertam fuisse scripturam penes tertium separatā ab alijs notis ita vt non amplius dicatur reperta inter notas authenticas.

Considerarunt etiam DD. multa instrumenta scripturasque authenticas reperiri rogatas à dicto Notario Placido Abel exhibitas à Consaluo Abel Medico eius filio & hærede inter quas cum non reperta fuerit dicta scriptura originalis à dicto Notario Chiantar exhibita videtur verisimile
12 ipsam non posse dici repertam inter scripturas authenticas, vt post *Couar. aliosque Menoch. cons.* 42. *n.* 11. *Honded. cons.* 66. *n.* 36. *& seq. lib.* 2.

Nec visum fuit probari contrarium tam ex dicto d. Pauli Testaferratæ quam etiam ex reuelatione ipsiusmet Pasqualis facta metu excommunicationis. quæ datur in Summario Lucrutiæ nu. 4. nam quoad dictum dicti Pauli attinet ex supradeductis
13 cum habeat interesse in causa tāquam vocatus ordine suo ad fideicommissum eius relatio nullum probationis genus facit.

Nec etiam multum mouit DD. dicta reuelatio Pasqualis, quia vltra quod est extraiudicialis absque iuramento extracta parte non citata si Lucretia ea vult vti debet eam integrè acceptare cum confessio
14 sit indiuidua *Bart. in l. Aurel. §. idem quæsiuit ff. de lib. legit. Rot. dec.* 158. *par.* 2. *in rec.* si vero ea consideretur prout iacet non probat intentionem dictæ Lucretiæ non enim asserit dictus Pasqualis eam scripturam verè adfuisse inter alias d. Abel. Sed solūmodo dictum Paulum dixisse se ipsam reperijsse fierique potest, quod Paulus apud se haberet & tunc perquirendo scripturas asseruerit eam inter alias reperijsse, & in omnem euentum tam dictus Pasqualis, quā Paulus non dicunt scripturam repertam inter rogitus, aut protocolla dicti Notarij sed inter scartafacia & sic ex eorum dicto non probatur saltem cōcludenter hoc originale repertum fuisse inter scripturas authenticas & rogatas. Cessantque decis.
15 fundamenta cum non adsit amplius præsumptio fuisse scripturam huiusmodi sic repertam rogatam à dicto Notario. *Corn. cons.* 226. *num.* 4. *& seq.* quam distinctionem semper secuta fuit Rota & præcipuè in illa

Roma-

*Romana fideicommissi de Vecchijs coram R. P.D. meo Pirouano* quæ est *decis.* 628. *par.* 1. *in recent.*

Nec etiam visum fuit subsistere secundum fundamentum decis. dum dicitur testes
16 stes annotatos in margine in actu ratificationis posse deseruiri pro actu principali, ex doct. *Bart. in l. si quis ex argentarijs* §. *si in vitium ff. de eden.* doct. enim Bart. tunc demũ habet locum cũ duo instrumenta facta fuerunt eodem contextu eodemque tempore, & non aliter vt se ipsum declarat, *Bart. in d. l. si quis ex argentarijs num.* 28. *& ibi etiam Ias. num.* 8. *circa med. ff. de eden. & in terminis Alex. cons.* 53. *nu.* 6. *lib.* 2.

In hoc autem casu apparet diuersitas loci & temporis. Nam instrumentum dotale dicitur rogatum in ciuitate victoriosa distanti à Casali Tarxen tribus millibus passuum in quo dicitur facta ratificatio nec etiam videtur testes appositos in dicta ratificatione inseruire posse pro instrumẽ-
17 to dotali antecedente cum regula iuris sit certa præcedentia sæpè influere in sequentia, sed nunquam sequentia influunt in præcedentibus *Bart. in l. auia vers. hac lex loquitur, ff. de cond. & demonstr. & ibi Castr. num.* 3. *Ruin. cons.* 176. *num.* 13. *lib.* 2. *Socc. iun. cons.* 128. *num.* 111. *lib.* 1. cum alijs per *Surd. cons.* 430. *num.* 11. *lib.* 3.

Deinde ex natura actus ratificationis satis colligitur diuersitas saltem temporis,
18 quæ sufficit ad excludendam præsumptionem vicinitatis actuum *ex dicto Alex. cons.* 13. *Mascard. de probat. conf.* 54. *numer.* 74. Nam si tempore instrumenti, aut paulo post interueniunt partes contrahentes frustra duo facta fuissent instrumẽta promissionis & ratificationis cum præsentes contrahant sine vlla necessitate ratificationis.

Consideratum denique fuit etiam instrumentum ratificationis, quæ legitur in margine dicti instrumenti pati multos defectus cum sit sine clausula actum, & habeat nomina ratificãtium in albo cum hoc verbo (infrascripti) vnde colligitur istam
19 ratificationem etiam fuisse imperfectam, vt in ijsdem terminis *Surd. cons.* 187. *nu.* 20. *vers.* 5. *lib.* 2. cum multis ibidem citat. in-
20 tratque iuris regula ex actu & instrumento imperfecto aliud instrumentum minus
21 perfectum non posse adminiculari, qua enim ratione primo non est danda fides, nec etiam secundo adhibebitur, *argumento l.* 1. *& ibi glos. C. qui non tut.* cum multis cumulat per *Aym. cons.* 216. *num.* 10. 11. *&* 12. *& seq. Seraph. d. dec.* 949. *n.* 4.

Tum etiam decisionum fundamentum visum fuit maximam pati difficultatem cũ non satis iustificetur istam scripturam fuisse manu Notarij Placidi Abel ex eo quod Notarij extrahentes asserant partes acceptasse illam scriptam esse manu dicti Abel Notarij cum certi iuris sit Notarij asser-
22 tionem non probari nisi aliunde iustificetur cum fungantur officio testis in hac parte, *cap. cũ Ioannes vbi DD. de fid. instr. Alex. cons.* 54. *num.* 5. *lib.* 1. *Mars. sing.* 466. debe-
23 batque Notarius rogari præsentibus testibus de dicta acceptatione, vt fidem faceret *Inn. in cap. quoniam n.* 6. *& ibi Fil. nu.* 34. *de prob. Boer. decis.* 37. *n.* 3.

Et quamuis sine veri præiudicio concederetur hoc instrumentum scriptum manu dicti Notarij cum non doceatur de rogitu & publicatione imo potius ex facie instrumenti, & verbis excludatur non meretur
24 nomen instrumenti fidemque non facit vt post *Castr. cons.* 191. *lib.* 2. *Alex. cons.* 153. *numer.* 10. *& in lib.* 2. *& in terminis Farin. consil.* 187. *num.* 11. fuit dictum apud *Card. Seraph. d. decis.* 949. *& in d. Romana de Vecchijs*
25 in qua etiam dictum fuit ex appositione testium & clausula actum non probari instrumentum esse rogatum ex quo poterat contingere quod appositis testibus, & clausula actum exinde propter aliquod accidens non fuisset partibus publicatum remaneretque scriptura imperfecta tanquã
26 minuta instrumenti, quæ solet secundum stylum ordinarium à Notarijs scribi consignarique partibus contrahentibus ad effectum vt postea ijs consideratis concorditer instrumentum celebretur & publicetur.

Ex quibus verisimile redditur hanc scripturam licet manu Notarij scriptam non fuisse instrumentum dotale ex imperfec-
27 tione voluntatis, sed quandam præparationem ad contrahendum, *argum. l.* 2. *C. de sent. ex breu. recit.* quasi in allud tempus fuerit remissus rogitus dicti instrumenti, *Oldr cons* 119. *Dec. cons.* 159. *Clar. in* §. *testamentum quæst.* 7. *num.* 20. & id in simili sensit *Rota in dicta Romana de Vecchijs, & in vna Romana domorum coram R. P. D. meo Manzanedo qua est* 576. *par.* 2. *rec.*

Nec etiam obstat prætensa obseruantia
28 quæ facit vt informi scripturæ fedes detur ea enim aut desumitur, ex prætensa ratificatione, quæ cum sit in eodem folio non

potest

potest ex ea desumi sufficiens obseruantia ex rationibus supra deductis. Aut verò desumitur ex instrumento solutionis dotis in quo fit mentio prædictæ scripturæ, quæ enunciatur esse in actis eiusdem Notarij, & hodie hæc relatio redditur multũ æquiuoca cum in ijsdem actis Notarij Abel reperta fuerit (vt in facto demonstratur) alia
29 apocha matrimonialis, † ad quam licet forsan sit informis, potest fieri relatio, vnde
30 remanet æquiuoca hæc enunciatiua, † & non potest obseruantiam constituere, *Abb. in cap. 2. in fin. de cens. Ruin. cons. 104. lib. 5. num. 16.* Vltra quod etiam dictum instrumentum solutionis vnciarum 460. multos etiam ex prædictis patitur defectus, vt videre est ex aspectu folij volantis exhibiti
31 intratque supradicta regula † instrumentũ inualidum non posse corroborare aliud minus perfectum.
32 Tollitur etiam obseruantia ex eo quod terrenum promissum in instrumento dotis nunquam reperitur assignatum, *Socc. cons. 25. num. 25. lib. 1. Castr. cons. 347. nu. 9. lib. 1.*
33 Tum etiam quia idem † sponsus verisimiliter in testamento filium solum nunquam hæredem scripsisset si iam in pactis dotalibus irreuocabiliter filios, filiasque æqualiter ad spem successionis suæ pro æquis partibus vocasset, *Menoch. de præsumpt. præsumpt. 81. per tot. lib. 20. cum plur. alleg.*

Nec placuit quod dicebatur omnes supradictos defectus stãte stylo Notarij Abel multorumq; Notariorũ Insulæ Melitensis
34 sanari posse, nam † hic stylus præscriptus de directo contra dispositionem iuris celebrandi instrumenta sine testibus cum albis interlinearibus, cassaturis, siue clausulis necessarijs ad rogitum esset plenè, & concludenter probandus, nec possunt ad hoc inseruire notæ aliquorum aliorum Notariorum datæ in quibus adsunt aliæ clausulæ vt illa, *fiat in forma*, quæ posset supplere alias clausulas indicando perfectionem actus, vt fusissimè informantes pro Pasquali id demonstrant.

Nec obstat denique quod dicitur instrumentum fuisse de ordine Iudicis redactum in publicam formam à quo decreto in tempore non fuit appellatum, nam vltra quod Notarij in extractione aliquas difficultates excitatas ad Iudices remiserunt placuit re-
35 spõso parte reclamante debere Iudicẽ recurrere ad matricem instrumenti, & secundum eam iudicare, *Bero. cons. 1. num. 90. & cons. 55. num. 5. lib. 2.* fuit dictum in *Tiburtina Castrorum die 4. Iulij 1607. coram Reuerendissimo D. meo Lugdunen.* † nec est æquum vt Notariorum extensio possit ex informi instrumento authenticum, & solemne reddere.

Cæteris alijs obiectionibus particulariter responderunt informantes cum quibus DD. transierunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Lunæ 16. Decembris 1619.*

### ARGVMENTVM.

Capsetius principaliter ex quibus quis conuincatur ad effectum, vt teneatur rationem reddere suæ administrationis principalibus mercatoribus, seu bancherijs.

### SVMMARIVM.

1 *Probatio nulla maior quam propria confessio.*
2 *Perito in arte fides est adhibenda præcipuè à Iudice de partium consensu deputato.*
3 *Periti relatio comprobata per depositiones testium manifeste probat.*
4 *In ore duorum testium stat omne verbum.*
5 *Administrator tenetur reddere rationem suæ administrationis.*
6 *Capserius tenetur ad redditionem rationis partitarum in libro introitus, & exitus capsæ à se scriptarum.*

## DECISIO CCXXXVI.

CVM fuisset in hac causa coram R. P. D. meo Decano die 17. Aprilis 1617 decisum, Guglielmum Bantium fuisse Capserium rationis bancariæ, & eo nomine teneri ad redditionem rationis administrationis suæ, DD. Bartholomæo Ruspolo, & Ioanni Rotulo, iterum supèr ijdem proposito dubio eius resolutio dilata fuit ex eo, quod pro parte dicti Bantij multa congerebantur quæ ad stylum mercatorum pertinent, ex quibus inferre contendebat se non fuisse ministrum, seù Capserium principalem dictæ rationis, sed subordinatum à dicto Ioanne Rotulo. Ideo iuxta mentem Rotæ examinati fuerunt testes ad delucidandas obiectiones pro parte dicti Bantij datas, electusque peritus qui relationem fecit in actis, quibus sic stantibus

tibus causa mihi deuoluta iterum eodem dubio proposito DD. steterunt in decisis ex rationibus sufissimè, & optimè deductis in dicta decisione quæ rursus examinatæ,
1 & ponderatæ placuerunt DD. † Nulla siquidem datur maior probatio quam propria confessio ipsiusmet Bantii qui seipsum Capserium nominauit, & ex partitis per ipsummet scriptis, & recognitis apparet ipsi consignata fuisse nomina creditorum, & debitorum, ipsumque à Capserio antecessore recepisse actualiter summam pecuniarum in libris nuncupatis Entrata, & Vscita di casa descriptas cum multis aliis rationibus in d. decisione firmatis.

Hodie verò omnis penitus tollitur scrupulus ex nouiter deductis cum ex relatione dicti periti depositionibus testium formiter examinatorum luce meridiana clarius appareat ipsum Bantium non fuisse Capserium subordinatum, sed principalem, & vnicum ministrum rationis bancariæ non obstantibus obiectionibus excitatis, quæ hodie penitus sublatæ sunt.

Datur enim in Summario copia relationis periti electi de consensu partium de ordine Rotæ experientia, & probitate in curia notissimi, qui auditis sæpius partibus visis, examinatisque omnibus libris dictum Guglielmum Bantium fuisse in capite Capserium, & non subordinatum, intratque
2 iuris regula notissima ipsi tamquam † perito in arte fidem esse adhibendam præcipuè à Iudice de partium consensu deputato, *glos. in l. item si vnus, §. principaliter, in verbo auctoritate, ff. de recept. arbitr. Rota decis.* 107. *num. 6. por. 2. diuers.* multis alijs decisionibus cumulatis *in dicta Romana administrationis* 12. *Iunij* 1607. *coram* R. P. D. *meo Pirouano*, idque tanto magis quia eius relatio comprobatur per depositiones te-
3 stium qui idem deponunt, † optimamque scientiæ causam reddunt cum sint similiter periti in administratione, & redditione rationum, declàrantque quod sit officium Capserij asserentes se vidisse dictum Bantium solum, & vnicum hoc officium exer-
4 cere, applicaturque dictum Euangelicum in ore duorum testium omne verbum stare.

His sic stantibus resultat effectus præsen-
5 tis dubii ipsum Bantium † obligatum esse ad reddendam rationem suæ administrationis, cum ex regula generali iuris, *l. 1. §. affino, ff. de tut. & rat. distrati, l. procurator, & ibi DD. §. 1. de mandati, C. qualiter, & quando, & 2. de accus.* tum etiam quia
6 quilibet † Capserius tenetur ad redditionem rationis partitarum in libro introitus & exitus capsæ à se scriptarum, vt ex pluribus firmauit *Rota in illa Romana administrationis fundaci* 13. *Nouembris* 1613. & 14. *Decembris* 1615. *coram R.P.D. meo Pirouano*, ex quibus moti DD. mandarunt mihi vt deputarem peritum qui examinatis libris calculum faciat introitus, & exitus dictæ capsæ, & ita postea poterit in hac causa viso dicto calculo ad vlteriora procedi.

Et ita decisum.

## ELNEN. DISTRIBVTIONVM.

*Mercurij 4. Decembris 1619.*

## ARGVMENTVM.

Agitur de translatione Canonicatuum vnius Ecclesiæ in aliam.

## *SVMMARIVM.*

1 *Litteræ Apostolicæ de sui natura habent executionem paratam.*
2 *Subrogatio operatur vt subrogatus in omnibus iuribus censeatur.*
3 *Verba quæ nulla indigent interpretatione, non possunt in dubium reuocari.*
4 *Clausula, sine præiudicio, præseruat omne ius partis etiam non expressum, & num. 6. & 10.*
5 *Clausula, sine præiudicio, non potest operari respectu expressorum.*
7 *Testis depositio super interrogatorijs magis attenditur, quam super articulis.*
8 *Distributiones quotidianæ debent diuidi inter assistentes horis diuinis, in quibus absentes non participant.*
9 *Distributio quotidiana appellari non potest, de qua participant absentes.*
11 *Litteræ Apostolicæ ante iustificationem non sunt exequendæ.*

## DECISIO CCXXXVII.

Visum fuit Dominis satis superque ad effectum, de quo agitur, constare de iustitia sententiæ Episcopi Barchinonen. executoris deputati per litteras translationis à Clemente Octauo factæ de residentia Episcopi, & Capituli Elnen. in Collegiatam Ecclesiam S. Ioannis Baptistæ oppidi de Perpiniano cum contineat executionem

carum-

2 earumdem litterarum Apostolicarum† quæ de sui natura habent executionem paratã, *cap. si stipulatio vbi glos. de concess. preb. in 6. Sarnen. in tract. breu. num. 4. Mohed. decis. 13. vt lite pend.* & pluries fuit in Rota decisum.

Constat enim clarè ex dictis litteris fel. record. Clementis VIII. Papam voluisse transferre Canonicatus Ecclesiæ Elnen. ad dictam Ecclesiam S. Ioannis cum omnibus fructibus, emolumentis, prouentibus, & distributionibus etiam quotidianis supprimendo Canonicatus Ecclesiæ Elnen. & eorum loco eligendo nouos in Ecclesia S. Ioannis applicando Canonicatibus, ita erectis fructus, redditus, prouentus, distributiones etiam quotidianas, iura, obuentiones, & emolumenta quæcumque dictæ Ecclesiæ Elnen. translatæ, vt clarè legitur in dictis litteris quæ dantur in Summario Capituli num. 3.

Ex quarum lectura luce meridiana clarius patet distributiones quotidianas quæ ante huiusmodi erectionem spectabant ad Canonicatus Ecclesiæ Elnen. postea spectasse ad Canonicatus Ecclesiæ S. Ioannis
2 non solum vigore subrogationis† quæ operatur subrogatus in omnibus iuribus censeatur *l. penult. C. de prax. fac. Sript. lib. 12. DD. in l. 1. ff. de leg. 1.* cum similibus, sed etiam ex verbis clarissimis facientibus expressam mentionem distributionum quo-
3 tidianarum, † quæ cum nulla, vt clarissima indigeant interpretatione non possunt in dubium reuocari, vt fuit firmatum in hac causa *coram R. P. D. meo Verospio 5. Maij 1625.*

Nec obstat, quod d. suppressio, & subrogatio censeri debeat facta sine præiudicio iuris communitatis Beneficiatorum. prout Papa etiam id intellexit apponendo
4 clausulam † salutatem, *sine praiudico*, placuit enim respõsio data quod respectu portionum distributionum ipsis Beneficiatis competentium non fuit illatum eis aliquod præiudicium cum super illis nulla adsit controuersia respectu verò pitoronum earumdem distributionum tangentium, Canonicatus licet possit considerari aliquantulum præiudicij prouenientis ex iure accrescendi, seu non decrescendi ob deficientiam Canonicorum, vt fuit decisum in vna *Barchinon. Distributionum Reuerendiss. D. meo Decano*, tamen cum Papa in ipsa extinctione Canonicorum Ecclesiæ Elnen. alios subrogauerit cum d. applicatione distributionum etiã quotidianarum satis patet Papã intellexisse hoc prejudiciũ, & voluisse dd. Beneficiatis in hoc præiudicare cum hoc fuerit expressum in dd. litteris. Vnde intrat regula iuris canonizata in dicta decisione in hac causa facta coram
5 R. P. D. meo Verospio † clausula, *præseruationis iuris*, non posse operari respectu expressorum. *Oldr. cons. 333. in fin.* cum alleg. in d. decis.

Ex quibus patet responsio ad dictam decisionem Barchinonen. eo enim casu nõ erat expressa Papæ distributionum appli-
6 catio, & ideò clausula, *sine præiudicio*, ius non expressum præseruabat, secus autem in casu nostro, vt firmat d. decisio in hac causa facta.

Nec visum fuit subsistere quod dicitur hodie probatum fuisse per testes remissoriales adfuisse antiquitus duplicem distributionem vnam scilicet propriam Canonicorum, & aliam communem cum Beneficiatis. Vnde inferunt Beneficiati dispositionem huiusmodi expressam de distributionibus posse verificari in proprijs non autem in communibus, contrarium enim apparet ex lectura eorumdem testium, qui licet dicant articulos esse veros tamen
7 iuxta tertium interrogatorium † cui magis standum est, *Caputaq. decis. 411. lib. 1.* in manuscrip. depositiones suas interpretantur, declarando adfuisse duas distributiones, alteram scilicet quæ diuidebatur inter ipsos Canonicos singulo trimestri, aut quadrimestri ex massa communi Canonicorum, alias verò distributiones quotidianas, quę diuidebantur inter assistentes
8 solum horis diuinis † in quibus absentes nullo modo participabant, *Calder. cons. 1. num. 2. Cler. non resid. Couar. var. resol. lib. 3. cap. 13. num. 2. in princ.*
9 Sed † quoad illas, conflatas ex massa grossa Canonicorum non diuidebantur, vt deponunt testes inter præsentes solum, sed de his absentes etiam participabant; Vnde sub appellatione distributionum quotidianarum nullo modo venire possunt cum sit species diuersa, *glos. in cap. vnico, in verbo receperit post medium de Cleric. non resid. in 6. Paris. cons. 32. num. 7. in fin. & seqq. lib. 4. cum alleg.*

Et ita testium dicta non fundant intentionem Beneficiatorum cum non probent adfuisse distributiones quotidianas in duplici specie alias semper diceretur Canonicos participare de grossis, & minutis distributio-

butio-

10 butionibus, † sicque clausula, *sine praeiudicio*. praeseruabit tantummodo ius communitatis Beneficiatorum, quod habent participandi de istis distributionibus ratione interessentiae.

Nec placuerunt DD. quae dicebantur,
11 ideo sententiam esse iniustā, † quia dictus executor ante iustificationem litterarum eas exequi mandauit. Responsum enim fuit iam bis in Rota, & primo *coram Illustrissimo Card. Millino Veneris 6. Iunij 1603* & postea *coram R. P. D. meo Cavalerio Lunae 4. Maij 1615.* fuisse decisum dum ageretur de iustificatione dictarum litterarum Clementis Octaui, eas non indigere alia iustificatione ex deductis in dd. decisionibus cum quibus DD. transierunt.

Et ex his ita decisum vtraque parte informante.

## BONONIEN. MVTVI, SEV PECVNIARIA.

*Lunae 2. Decembris 1619.*

### ARGVMENTVM.

Compensationi vt sit locus quae sint necessaria, & ex quibus inter socios dicatur esse creditum liquidum.

### SVMMARIVM.

1 *Compensatio nunquam admittitur contra instrumentum iuramento, & obligatione Camerali vallatum, nisi incontinenti constet de credito aequè priuilegiato, & liquido.*

2 *Compensatio non intrat de debito vnius cum credito alterius.*

3 *Creditum non est liquidum contra quod adest sententia.*

4 *Compensatio admittitur de liquido ad liquidum.*

5 *Creditum societatis non compensatur cum debito socij.*

6 *Debita, & credita vnius corporis differunt à creditis, & debitis alterius corporis.*

7 *Administrator in aliqua parte potest esse creditor, in alia debitor.*

8 *Dictio, quibuscumque, de sui natura comprehendit omnia.*

9 *Promissio de soluendo quibuscumque creditoribus alicuius restringitur ad causam, & conditionem obligationis.*

10 *Nemo praesumitru magis voluisse se obligare quam prius esset obligatus.*

11 *Promissio censetur correspectiua ad suam liberationem.*

12 *Dictio, quibuscumque, recipit interpretationem à praecedentibus, & subsequentibus.*

13 *Obligatio praesumitur facta ex causa praecedenti.*

14 *Obligatio fideiussionis semper strictè est capienda.*

## DECISIO CCXXXVIII.

Proposito hodierna die per me dubio vtrū sententiae de partibus essent cōfirmandae, vel infirmādae, quia cōtinebant diuersa, & distincta capita quę particulariter erūt examinanda super vnico, DD. respondentes censuerunt nō esse locū compensationi, & in hoc sentētias esse confirmādas.

Moti sunt ea maximè ratione, quia Burdonus tamquam cessionarius Proualei agit contra Rabbios pro credito librarum 3000 vigore instrumenti iureiurando, & obliga-
1 tione Camerali vallati † contra quod nunquam admittitur compensatio nisi in continenti constaret de alio credito debitorum aequè priuilegiato, & liquido, *l. fin. C. de compensat. Cassad. decis. vnic. de petit. Mantic. decis. 233. & 240. num. 5.* vltra quod Bur-
2 donus † non agit nomine proprio, sed tanquam repraesentans personam in vim cessionis dicti Proualei; Vnde si alias esset nomine proprio debitor non intrat compensatio, *l. 1. l. 2. & l. in rem 55. Praetor, vbi Bald. de compensat. Menoch. cons. 195. nu. 15. & cons. 56. num. 50.*
3 Quod autem praetensum † creditum Rabbiorum non sit liquidum euidenter patet ex eo quod contra illud adsint duae sententiae conformes, *Bart. in l. 3. n. 15. C. de pignor. Bero. cons. 54. num. 3.*

Rabbij siquidem fundant creditum suū ex obligatione ipsius Burdoni facta in instrumento cum Pizzicottis inito in quo ipse Burdonus suscepit in se onus soluendi omnia, & quaecumque debita dictorum Pizzicottorū creditoribus ipsorum ex causa dictae negociationis vt videre est ex tenore obligationis d. Burdoni, qua mediante Pizzicotti cesserunt dicto Burdono omnia iura ipsis quomodolibet competentia in capitali negociationis, nominibusq; debitorum ex qua promissione Burdoni Rabbij inferre volunt creditum ipsorum esse liquidum ex libris societatis inter ipsos, & Pizzicottos initae ad quod hodie Burdonus vigore praedictae obligationis

tenetur

4 tenetur, & sic intrare debet † compensa-
tio quæ admittitur de liquido ad liqui-
dum.

Verum hoc fundamentum minime sub-
sistere visum fuit. Nam ex serie totius in-
strumenti, seu causa obligationis, seu mens
contrahentium spectetur apparet Burdo-
num nunquam se obligare voluisse nisi ad
soluenda debita societatis ipsius credito-
ribus ad quæ ipse propter accommodatũ
suum nomen erat obligatus, nec debet ex-
tendi eius obligatio ad fauorem Rabbio-
rum sociorum contra quos ipsemet Bur-
donus reseruauit sibi iura in eodem instru-
mento.

Hodie enim Rabbij non prætendunt se
creditores societatis vti tertij, sed solum
Pizzicottos consocios esse debitores, & sic
debitum Pizzicottorum erit debitum so-
5 ciale, & † cum sint diuersæ personæ vti so-
cij, & aliæ personæ vti creditores, particu-
lares de vna obligatione ad aliã inferri nõ
potest, neque quod debetur societati com-
pensatur cum socio, *Bald. in l. eius num. 5. ff.*
*de compensat, Seraph. decis.* 1214. *Magon. dec.*
6 *Lucan.* 1. *n.* 19. vbi in terminis ait quod † de-
bita, & credita vnius corporis differunt à
creditis, & debitis alterius còrporis.

7 Quinimò † nec etiam socij inter se pos-
sunt prætendere creditum ipsorum inter
se esse liquidum, nisi solidatis omnibus
computis cum possibile sit administratorem
rationis, & societatis creditorem in aliqua
parte remanere, in alia verò debitorem,
*Alex. cons.* 192. *per tot. lib.* 7. *& cons.* 93. *in*
*princ. lib.* 4. *Aym. cons.* 231. *num.* 16. *Negus. de*
*pign. in* 1. *memb.* 5. *par. princ. num.* 37. *vers.*
*præterea*, fuit dictum in vna *Bonon. de Linis*
28. *Iuny præteriti coram me.*

Nec obstat, quod dicitur Burdonum in-
distinctè se obligasse non solum creditori-
bus specificatis in dicto instrumento, sed
etiam quibuscumque alijs creditoribus di-
8 ctorum Pizzicottorum, † qua generalitate
verborum stante non potest vim, & effectũ
obligationis suæ contra verba expressa li-
9 mitare. Placuit enim responsio † verba
illa generalia interpretanda esse secũdum
subiectam materiam, argumento sumpto à
priori, & posteriori secundum causas, vide-
licet, & conditiones obligationis, *l.* 1. *§.*
*si quis sub conditione, ff. vt leg. non caut. Paul.*
*de Castr. cons.* 405. *lib.* 1. *in fin. cum alijs per*
*Surd. cons.* 23. *nu.* 3. *& fusius cons.* 271. *n.* 62.
*& seqq.*

Ex tenore autem instrumenti patet Bur-
donum à principio egisse pro releuatione
indemnitatis contra Pizzicottos, qui carce-
rati ipso instante cesserunt omnia iura ip-
sis competentia occasione d. societatis vi-
ce versa Burdonus promisit conseruare ip-
sos cedentes indemnes soluendo omnibus
creditoribus d. societatis, quod eis debe-
bitur occasione d. negociationis pro por-
tione Pizzicottos tangente ex qua serie, &
præcipuè vltimis verbis manifestè limita-
tur obligatio, & promissio Burdoni, qui
alias obligatus erat ob nomen accommo-
datum dictis creditoribus societatis, & non
10 ipsis Rabbijs consocijs, cum † in dubio
censeri non debeat voluisse magis se obli-
gare, quam prius esset obligatus, quinimò
11 hęc promissio censeri debet correspectiua
ad suam liberationem, vt in simili fuit re-
solutum in vna *Romana nullitatis obligatio-*
*nis* 27. *Ianuary* 1602. *coram bon. mem. Car-*
12 *dinali Pamphilio*, & sic hæc † verba, *qui-*
*buscumque alijs*, recipiunt interpretationem
à præcedentibus, & subsequentibus obli-
gatio, siquidem præsumitur facta ex causa
præcedenti, *Felin. in cap. cautio num.* 14. *in*
12. *fallent. de fid. instr. Ruin. cons.* 61. *nu.* 9.
*lib.* 1. *Surd. cons.* 19. *num.* 21. cum maximè
14 quia † obligatio fideiussoris semper strictè
est capienda, *l. fideiussores Magistratuum,*
*ff. de fideiuss. cum similibus.*

Et quod maximè mouit Dominos illud
est, quod Iudex, qui secundam sententiam
tulit optimè prouidit indemnitati Rabbio-
rum, declarando non intrare compensa-
tionem) cum creditum Rabbiorum non
esset liquidum, nec comprehensum in præ-
dicta obligatione Burdoni.) Verum quia
ipsi ex libris socialibus reperiebantur cre-
ditores Pizzicottorum vti socij ex causis
deductis in laudo, ideò hoc moderamine
vsus est declarando Burdonum ex cessione
sibi facta per Pizzicottos non posse repor-
tare lucrum, vel commodum nisi prius sa-
tisfactis Rabbijs pro integro credito, quod
solidatis computis habebunt cum ijsdem
Pizzicottis pro cuius crediti consecutione
eisdem Rabbijs reseruauit iura, & actiones
prout fusius in sententia deducitur, sed in-
terea iustè declarauit non intrare compen-
sationem rationibus supradictis.

Et ita decisum vtraque parte infor-
mante.

CLVSINA GRANI.

*Veneris 20. Decembris 1619.*

ARGVMENTVM.

Legitimatio personarum vt quis petere possit executionem sententiarum suorum authorum bene remanet iustificata ex testamentis, in quibus quis fuit institutus. Instrumenta quando dicatur esse in forma probanti.

SVMMARIVM.

1 *In hæredem transeunt omnia iura tam actiua, quam passiua defuncti.*
2 *Hæredem quem fuisse, apparet ex testamento.*
3 *Scriptura lagalitas non potest reuocari in dubium si sit extracta per archiuistam ex originali reperto in archiuio.*
4 *Hæredis personam non potest impugnare, qui eum tamquam hæredem agnouit.*
5 *Citatio si sua putauerit interesse non afficit citatum si non probetur eum esse hæredem, aut bona defuncti possidere.*
6 *Interesse in causa aliquem habere, probatur ex defensione illius.*

DECISIO CCXXXIX.

DVM Serenissimus D. Dux Mutinæ ageret pro executione duarum sententiarum conformium, quas in rem iudicatã transisse prætẽditur D. Torquatus Florauãtes Procurator D. Leonis Strozzij opposuit personas non esse sufficienter legitimatas. Vnde proposito super hoc dubio Domini hodierna die responderunt constare de legitimatione personarum. Non enim reuocabatur in dubium prædictas duas sententias fuisse latas inter partes legitimas, prima enim lata fuit contra bon. memor. Philippum filium, & hæredem quondam
1 D. Petri prætensi principalis debitoris † in quem transierunt omnia iura tam actiua, quam passiua, *l. hæreditas. de reg. iur. cum similibus.* Ipse enim Philippus constituerat procuratorem contra quem prima sententia lata fuit instante procuratore D. Cardinalis Estensis de quorum procuratorum mandatis constat in actis, secunda verò lata fuit contra Fabium Aronium curatorem hæreditatis iacentis dicti Phillippi ad instantiam Fuluij Theophili procuratoris, & domini litis effecti dictorum Cardinalium.

Tota difficultas excitata fuit ex eo, quod prætendebatur personam dicti Serenissimi Ducis non esse sufficienter legitimatam ad effectum petendæ executionis sententiæ latæ in fauorem dictorum Cardinalium. Verum hanc exceptionem non obstare Do-
2 mini responderunt, † cum ex testamentis datis in Summario appareat ipsum fuisse hæredem institutum à Duce Alphonso quẽ hæredem scripserat Cardinalis Aloysius Estensis hæres similiter Cardinalis Hippolyti Ferrariensis pro semisse cum Alphonso Duce eius fratre ex qua serie testamentorum remanet satis superque iustificata persona dicti D. Ducis ad prosequendum hoc iudicium.

Non obstat quod dicitur hæc iura non esse in forma probanti, quia prædicta instrumenta fuerunt subiecta oculis Dominorum ex quorum aspectu contrarium cõstare existimarunt.

Et primo quoad testamentum Alphonsi fuit exhibitum non copia, sed originale instrumentum ab ipsomet Notario rogato scriptum, subscriptum, & in formam publicam redactum, sæpius in Rota productum, & recognitum in causis vertentibus in hoc sacro Tribunali vt omnibus Dominis est notissimum, vltra quod res est publica, & notoria, memorisque hominum per historias propagata.

Quo verò ad instrumentum testamenti dicti Cardinalis Aloysij illud est extractum ex originali matrice ipsiusmet Ioannis Iuniati Notarij rogati in Ciuitate Tiburtina tunc commorantis in Archiuio Romanæ Curiæ descripti per Archiuistam Vrbis, quod quidem originale reperitur in
3 Archiuio Palatij Apostolici in † Palatio, quibus stantibus non potest reuocari in dubium legalitas istius scripturæ.

Idemque dicendum de testamento Cardinalis Hippolyti quoniam de eo rogarus fuit Faustus Pirolus Notarius A. C. tunc temporis notissimus, vltra quod persona Aloysij Cardinalis ipsius Hippolyti hæredis fuit agnita tam à procuratore q. Philippi Strozzij. quàm à Procuratore hæreditatis iacentis.

Quo verò ad personam Rei nulla cadere potest disputatio cum hoc iudicium dirigatur contra hæreditatem iacentem q. Philippi Strozzij, cuius curator electus, & deputatus fuit à me præteritis mensibus dictus D. Torquatus, qui illud onus acceptauit subrogatus in locum d. Fabij Aro-

nei

nei contra quem sententiæ fuerunt obtentæ. Nam respectu interesse D. Leonis
4 Strozzij citatur, solummodo, & † procedit contra eum, *si sua putauerit interesse*, si enim non probabitur eum esse hæredem aut bonà dicti q. Philippi possidere istud iudicium ipsum nullo modo afficiet, quod
6 eo magis est dicendum, † quia semper hanc causam citatus in propositionibus causarum acriter defendit.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CAMERINEN. SPOLII.

*Mercurij 10. Decembris 1619.*

### ARGVMENTVM.

Facultas testandi per Papam concessa Religiosis non expirat per mortem concedentis, & in gratijs de sui natura præiudicialibus non est necessaria derogatio regulæ de iure quæsito non tollendo.

### SVMMARIVM.

1 *Equites Hierosolymitani sunt verè Religiosi.*

2 *Equites Hierosolymitani non possunt de suis bonis disponere.*

3 *Limita nisi habeant facultatem testandi.*

4 *Facultas testandi durat etiam post mortem concedentis.*

5 *Derogatio regulæ de iure quæsito non requiritur in gratia de sui natura præiudiciali.*

6 *De Regula de iure quæsito non potest dari stante clausula de subreptione, & clausula sublata, & decreto irritanti.*

7 *Gratia debet interpretari, vt aliquid operetur.*

8 *Testandi facultas de bonis peruentis, & peruenturis, comprehendit tam bona in futurum acquirenda, quam acquisita.*

9 *Verba etiam in materia odiosa retinent suam proprietatem.*

10 *Testandi facultas concessa propter merita non censetur odiosa, sed fauorabilis.*

11 *Bona esse acquisita de fructibus pensionum debet concludenter probari ad hoc vt reus, & possessor illis priuetur.*

13 *Pensiones solent assignari pro substentatione & alimentis Religiosi, & in dictam causam præsumuntur consumpta.*

## DECISIO CCXL.

Domini dixerunt sententiam extra Rotam latam stante illius clara iustitia esse confirmandam, licet enim Eques
1 Viuianus Venantius † vti professus in Religione Hierosolymitana esset verè Religiosus, *Mohed. decis. 20. de caus. possess. & propriet. Rota diuers. decis. 436. num. 2. par. 5. lib. 3. & in recent. decis. 177. num. 1. & decis. 454. num. 3. par. 2.* & per consequens non potuisset de bonis suis disponere tam ex dispositione iuris communis, *auth. ingressi, C. de sacrosanct. Eccles. & notat. in cap. in præsentia de probat. Rota diuers. dicta decis. 436. num. 2. & in recent. decis. 333. sub num. 2. par. 2.* quam vigore stabilimentorum Religionis, *Rota dicta decis. 436. sub num. 2.*

3 Tamen bene † potuit disponere in vim facultatis testandi amplissimæ per fel. rec. Clementis Octaui illi concessæ, de cuius potestate præcipuè in hac materia bonorũ Ecclesiasticorum, minimè venit dubitandum, *Socc. sen. cons. 13. à nu. 13. ad fin. lib. 1. Couar. in cap. 2. num. 20. & seqq. & in c. cum in officijs num. 7. de testam. Nauar. de reddit. Eccles. q. 3. cap. 11. n. 2.* & in terminis spolij *Redoan. de spol. qu. 7. §. his præsuppositis à num. 1. ad 18.*

4 Nec talis facultas † per mortem, *Clem. expirauit, c. si super gratia de offic. deleg. in 6. Gabr. cons. 83. num. 19. lib. 1. Nauar. de reddit. Eccles. q. 13. cap. 11. n. 8. Natt. cons. 947. nu. 8. tom. 4. Bursatt. cons. 29. n. 5. & seqq. Rota diu. decis. 47. nu. 13. par. 1. Redoan. de spol. §. his præsuppositis num. 34. & seqq.*

Non obstat in dicta facultate non fuisse
5 derogatum Regulæ de iure quæsito, quia derogatio non requiritur in gratia de sui natura præiudiciali, *Cassad. decis. 1. de priuil. Corn. cons. 83. n. 16. vers. 3. respondetur lib. 4. Redoan. de spol. q. 1. num. 48. vers. non obstat, Seraph. decis. 762. num. 4. & decis. 1445. n. 5.* & fuit sæpissimè decisum. Vltra quod in hac facultate Papa expresse mãdauit, quod super his bonis nullo vnquam tempore tamquam spolijs ad Hospitale S. Ioannis Hierosolymitani illiusue Conuentum pos-
6 set hæres molestari † cum clausula, *quod de subreptione, & obreptione dari non possit*, & cum clausula, *sublata, & decreto irritanti*, quibus

quibus stantibus non potest opponi, nec dari de dicta Regula, *Paris. cons.1.num.38. lib.4. Mohed.de claus. par.1.claus.176.n.10.* fuit dictum in *Barchinon. Prioratus S. Annæ 6. Iunij 1605. coram Reuerendissimo D.Lugdunen.* & alias sæpe.

Nec obstat Papam in d. facultate exceptuasse bona acquisita ex bonis Religionis, & omnia bona Religiosorum esse Religionis.

Quia placuit responsio Papam intellexisse excipere tantum bona acquisita verè, & propriè ex bonis proprijs Religionis, non autem bona acquisita Religioni per ipsum Equitem, de quibus concessit dispo-
6 nendi facultatem, † quæ alias nihil tunc operata fuit contra *text. in cap. si Papa de priuileg. in 6. in l. si procurator, ff. de iudic. Rum.cons.57.nu.26. vol.3. & cons.13.n.13. lib.4. Surd.cons.80.n.15.*

Sciebat enim Papa etiam bona acquisita per Equitem fuisse Religionis; vnde si etiam de his voluisset intelligere non concessisset tam amplam facultatem testandi, tam de acquisitis, quàm in futurum acquirendis, prout patet ex illis verbis, *ad te*
8 *peruentis, & peruenturis*, quibus † non potest applicari interpretatio, quod facultas sit intelligenda de peruenturis tantum post concessionem facultatis cum illa sit clara etiam quoad bona quæ tunc temporis perueneruntur, *l. ille, aut ille §. cum in verbis, ff.de leg.3. Bald.cons.174. in fin. lib.2. Crau. cons.47. sub num.2. & cons.105. sub num.2. Mantic. de tacit. lib.2. tit.5. num.10. versic. nam iure.*

9 Et licet versemur in materia odiosa † tamen verba retinent suã proprietatem, *cap. ad audientiam, & ibi Abb.num.1. de decimis Crauett.cons.118.num.12. Mant.de tac.lib.2. tit.5. num.13. in fin. Rot. diuers.* in his terminis facultatis testandi *decis.47. num.9. par.1.*

Considerabant etiam Domini huiusmodi testandi facultatem concessam d. Equiti
10 à fel. record. Clementis Octaui † non debere censeri odiosam, sed potius fauorabilem ea enim data fuit intuitu, & ratione meritorum dicti Equitis cum Summo Pontifici constaret ipsum multos pro Religione Christiana, & Sede Apostolica labores erogasse in omnibus expeditionibus bellicis terræ, marique gestis contra acerrimos Christiani nominis hostes. Nam primis Tyrocinijs Iuuenis adhuc sub Vexillo Præfecti classis Pontificiæ militauit, prælioque naualì famosissimo ad Echinadas Insulas commisso interfuit, in quo memorabilem victoriam de Turcis Christiani reportarunt, & postea expeditionibus Vngariæ, & præcipuè dum obsessa, & oppugnata fuit Ciuitas Iauarini fortis, & strenui ducis munere functus est. Deinde reuersus in patriam Præfecturam Arcis Ciuitatisque Ferrariæ laudabiliter exercuit, vt patet ex rescriptis tam fel. record. Clem. Octaui quàm S.D.D. quæ dantur in Sum. pro parte Viuiani ex quibus infertur concessionem huiusmodi non fuisse gratuitam, aut merum priuilegium, sed potius tamquam præmium iustum laboris, & meritorum vti fauorabilem ampliandam iuribus vulgaribus.

Nec visum fuit obstare equitem habuisse pensionem annuam scut. 200. ex bonis
11 Religionis; Nam † cum hæres d. Equitis sit Reus, & possessor non iuuatur Religio præsumptione, quod ex fructibus pensionis potuerunt acquiri bona relicta per dictum Equitem, sed tenetur id concludenter probare, *Roman.cons.159. num.4. vers. tertio casu*, vbi Mandos. refert ita fuisse in Rota decisum, *Alex. cons.116. sub num.2. lib.7.*

Licet aliàs præsumptio si quæ alias adesse posset DD. visa fuit cessare dum simi-
12 les pensiones assignari solent pro substentatione, & alimentis Religiosi, *ad text. in cap. Clericus qui 12. quæst.1. cap. duo sunt genera in fin.extra de præb. Roman.368. n.3. & ibi Adden.*& per consequens præsumuntur in dictam causam consumptæ, *Roman. dicto cons.159. circa finem, vers. his ergo discussis, Bald. cons.303. sub num.4. lib. 2. Alex.dicto cons. 116. num.3. lib.7. Redoan. de spol. quæst.9. num.8.* Pensio autem scutorum 200. inspecta qualitate dicti Equitis erat satis modica, nec sufficere poterat pro substentatione illius, & pro acquisitione bonorum, de quibus agitur.

Et ita decisum vtraque parte informante.



SENO-

SENOGALLIEN. CENSVS.

*Mercurij 20. Nouembris 1619.*

## ARGVMENTVM.

Contra fideiussorem non discusso principali quis agere non valet. Publicè decoctus, vt quis dici valeat quæ requirantur, & ex quibus talis decoctio excludatur.

## SVMMARIVM.

1 *Actio nulla competit contra fideiussorem ante factam legitimam excussionem bonorũ principalis debitoris, de qua debet constare per sententiam.*

2 *Excussio facta non citato fideiussore, ei non obstat.*

3 *Sententia graduatoria determinat tãtum anterioritatem inter partes, non autem excutit debitorem.*

4 *Excussio debet fieri de bonis sitis in alio loco, vel prouincijs circumuicinis, vbi litigatur.*

5 *Census semel extinctus nunquam reuiuiscit.*

6 *Creditor re data in solutum euicta potest redire ad primæua iura.*

7 *Euicta res vt dicatur non sufficit mandatum de manutenendo, sed requiritur sententia in petitorio.*

8 *Iudicij summarijssimi natura ea est vt hodie mandatum de manutenendo vni detur cras alteri.*

## DECISIO CCXLI.

PRoposito dubio verum sententia A.C. quæ absoluit hæredes Gerardi Tatij, à petitis fructibus census per Equitem Franciscum Innocentium esset confirmanda, vel infirmanda Domini pro confirmatione dictæ sententiæ, & sic contra Informantem responderunt duobus præcipuè fundamentis moti.

Et primo considerarunt obligationem Tatij factam in instrumento impositionis dicti census scutorum 500. facto à Petro Sancte Mandutio non fuisse puram, sed conditione, & lege apposita vt prius principalis obligatus discuteretur, & ita
1 † nulla competit actio contra ipsum fideiussorem ante factam legitimam excussionem, de qua debet constare per sententiam Iudicis rectè & ritè citatis omnibus interesse habentibus latam, *Bart. in l. prator §. hoc interdictum, ff. de nou. oper. enunc. Negusan. de pign. prim. memb. 8. par. num. 31.*

2 In proposita autem facti specie non constat de vlla excussione facta fideiussore citato siue sententia graduatoria consideretur, siue sententia lata in fauorem nepotũ dicti Petri Sancti. Nam quoad sententiam graduatoriam attinet factam mortuo principali debitore non potest inde inferri
3 notoriè eum fuisse decoctum, aut non soluendo, quo casu non opus esset alia sententia ex allegatis per informantes, quia determinat tantum anterioritatem inter partes
4 non autem excutit debitorem † qui potuit in alio loco, vel prouincijs circumuicinis habere alia bona secundum distinctionem *Thes. decis. 40. per tot.* aut saltem pro interesse ipsorum erant citandi fideiussores.

Quo verò ad sententiam latam quæ dadatur in Summ. Equitis Francisci num. 6. nihil aliud declarat nisi nepotes Petri Sancti habere priora, & potiora iura, & esse vigore fideicommissi præferendos alijs creditoribus, sed inde non sequitur Petrum Sanctem non reliquisse bona quæ sufficerent creditoribus.

Secundo mouebantur Domini ea ratione, quia iam D. Eques fuit satisfactus, cum ei à Iudice fundus censualis fuerit assignatus pro sorte principali, & fructibus dicti
5 census, ideoque † semel extincto censu contra fideiussorem actionem dirigere nõ potest, quia semel extinctus nunquam reuiuiscit, *l. inter stipulantem §. sacram, ff. de verb. oblig. l. qui res §. arcam, ff. de sol.*

Et licet pro parte Equitis Francisci replicetur assignationem illam fuisse nulliter
6 factam, † quo casu creditor re data in solutum euicta potest redire ad primæua iura ex tradit. per *Surd. decis. 51. num. 20. Gabr. cons. 36. num. 66.* Tamen responsum fuit, quicquid sit si rebus sic stantibus possit primæua actione contra fideiussores hæredes experiri nullam adhuc ipsi competere actionem, quia nepotes dicti Petri Sancti obtinuerunt solum mandatum de manutenendo, & non sententiam in petitorio, quo
7 casu non potest dici fundus euictus † cum natura summarijssimi iudicij ea sit vt hodie mandatum de manutenendo vni detur cras alteri iuribus vulgaribus.

Et ita decisum contra informantem.

ROMANA VINEAE.

*Veneris 29. Nouembris 1619.*

ARGVMENTVM.

Immissionem petenti incumbit onus probandi eius anthorem possedisse de tempore illius obitus, & ex quibus d. possessio non probetur; Societas omnium bonorum inter fratres, vt sit inducta quæ requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Aegidianæ non est locus quando ex eisdem actis constat de iniustitia sententiæ.*

2 *Agens interdicto quorum bonorum debet concludenter probare eius patrem tempore mortis rem possedisse.*

3 *Filij possunt cogere consocium patris ad communicandum rem iure communionis quæsitam, non tamen vti ab eo possessam vendicare.*

4 *Testis vnicus nihil probat.*

5 *Testes numero plures, & verisimiliora deponentes licet aliqui patiantur exceptiones præferuntur testibus paucioribus.*

6 *Proprietatem rei ad aliquem spectare colligitur ex instrumento acquisitionis, & illius cultura.*

7 *Socio omnium bonorum ius quæritur in re acquisita per consocium.*

8 *Societas omnium bonorum non præsumitur nisi vel expressè contrahatur, vel tacitè inducatur, & vt tacitè inducatur, quæ requirantur, & n. 9.*

10 *Societas omnium bonorum non præsumitur inducta, quamuis fratres insimul possideant bona paterna communiter.*

11 *Societas omnium bonorum inter alia requisita hoc præcipuum habet, vt de expensis, & industria inter socios nulla reddatur ratio.*

12 *Societas omnium bonorum corruit, quando reseruatur aliquod inter socios proprium.*

13 *Declaratio fratris, quod res ab ipso empta spectet pro sua parte ad alterum fratrem, an efficiat quod etiam aliæ res emptæ præsumantur similiter.*

DECISIO CCXLII.

1 Conclusum fuit † non intrare Aegidianam ex regula vulgari, quia constat ex eisdem actis de iniustia sententiæ vigore cuius filii, & hæredes Pompei obtinuenuerunt immissionem ipsi enim egerunt interdicto quorum bonorum prætendentes se esse immittendos, vt filios, & hæredes Pompei in possessionem vineæ de qua agi-
2 tur pro tertia parte. Vnde probare debuerunt concludenter, & non æquiuocè Pompeium eorum patrem de tempore mortis possedisse dictam vineam, *Bald. in l. 1. C. quorum bonorum, Afflict. decis. 112. n. 2. Menoch. in 1. remed. adipiscen. n. 94. & 96. Mandel. cons. 763. num. 26. lib. 3.* Non enim ad obtinendū ab hoc remedio sufficit probasse societatem vniuersalem omnium bonorum contractam inter dictum Pompeiū
3 eorum patrem, & Ioannem Baptistam patruum, eo enim casu possunt solum cogere dictum Ioannem Baptistam ad communicandum dictam vineam tāquam iure communionis ipsis quæsitam, sed non possunt eam vti à Pompeio possessam vindicare, *l. si quis scientem, ff. pro socio, Couar. variar. resolut. lib. 3. cap. 10. n. 1. & 2.*

His positis visum fuit dictos filios Pompei non probasse intentionem suam ex de-
4 positione vnius Testis solummodo, † qui propterea nihil probat, *l. vbi numeros, ff. de Testib. cum simil.* Vox enim vnius vox nullius, vt communiter dicitur, quia imò si depositio eius examinetur potius præsupponit dictum Paulum possedisse, quam asserit nec vllam causam scientiæ reddit nec allegat vllos actus possessorios, ex quibus inferri possit ad possessionem, & ipsemet super interrogatorio speciliter examinatus vtrum viderit dictum Pompeium possidere dixit se nescire.

Quod eo magis dicendum, quia multa concurrunt, ex quibus tollitur dicti testis depositio quatuor enim testes vno ore deponunt dictum Paulum nunquam possedisse dictam vineam, quorum licet aliqui patiantur exceptiones numerus tamen supplet probationem tum maximè, quia
5 deponunt † verisimilia cum per publica Instrumenta constet hanc vineam fuisse acquisitam à Ioanne Paulo, & Ioanne Baptista fratribus ab ipsisque pro maiori par-
6 te plantatam, & excultam † ex quo colligitur proprietatem dictæ vineæ ad ipsos spectasse, & non ad Pompeum, *Rom. cons. 491. numer. 6. Menoch. lib. 3. præsumpt. 36. num. 20.*

Nec obstat, quod dicitur etiam Pompeium excoluisse propriis manibus dictam vineam, quia ex testibus examinatis per dictum Ioannem Baptistam constat ipsum Pompeium vti mercenarium exegisse, &

per-

percepisse mercedem dietim ad instar operariorum quæ depositio testiũ clarior redditur ex solidatione computorum inter ipsos fratres factorum quę ab ipsismet filijs & hæredibus Pompei producta fuit in iudicio.

Nec etiam visum fuit posse per laudum probari intentionem dictorum filiorum,& hæredum Pompei, tum quia istius laudi legalitas iure meritoque controuertitur, tum etiam quia per dictum laudum secutum inter Ioannem Baptistam, Ioannem Paulum, & Pompeum fratres super diuisione bonorum existentium in patria, & in Vrbe non probant positiuam possessionem istius vineæ in personam Pompei,sed tantummodo, quod bona fuerunt diuisa inter ipsos, & ita non sequitur factam fuisse diuisionem bonorum communium, & ideo vineam fuisse communem.

Multum etiam dubitarunt Domini si dicti filij, & hæredes Pompei vllum habeant ius etiam in petitorio in parte dictæ vineæ prætensæ. Non quod non sit vera propo-
7 sitio per ipsos formata ✝ ratione communionis vniuersalis omnium bonorum inter fratres per acquisitionem factã per vnum ex dictis fratribus alteri ius quæsitum esse ex deductis per *Petr. de Vbald. de duob. fratribus par. 3. num. 35. & par. 5. nu. 36.* cum alijs allegatis, sed quia illa societas omnium bonorum non satis superque proba-
8 tur, ea enim ✝ nunquam de iure præsumitur nisi vel expressè contrahatur, *l. 3. vers. cum specialiter, & l. 5. in princip. ff. pro soc.*
9 Vel tacitè ✝ inducatur ex communi scilicet habitatione communicatione omnium lucrorum vndecumque quæsitorum, & non reddita ratione inter socios, hæc enim tria requisita simul debent concurrere, *Bart. in l. Titium, & Mauium, §. altero num. 5. ff. de administ. tut.* cum multis cumulat. per *Menoch. lib. 3. præsumpt. 56. num. 37.* & per *Rot. decis. 169. par. 2. diuers.* fuit dictum in vna *Romana bonor. de Torellis 15. Martij 1603. coram bon. mem. Card. Pamphilio,* & nouissimè in vna *Romana librariæ 24. Maij prox. prat. coram R.P.D. meo Buratto.* Nec enim
10 sufficit ✝ fratres insimul possidere bona paterna communiter nisi alia concurrant requisita, vt firmauit *Rota coram eodem D. meo Buratto 21. Iunij 1619. in eadem causa Romana librariæ.*

Quod autem ea requisita non concurrant visum fuit satis iustificari non solum ex depositione Testium, qui dicunt ipsis præsentibus Pompeum exegisse à fratribus mercedem operarum suarum, & magis iustificatur ex computo inter ipsos facto, qui actus de directo contradicit proprietati so-
11 cietatis vniuersalis, ✝ quæ inter alia requisita hoc præcipuum habet, vt de expensis, & industria inter socios omnium bonorũ nulla reddatur ratio, *Alex. cons. 154. col. 2.*
12 *lib. 2.* quando enim reseruatur aliquid inter ipsos proprium corruit societas omnium bonorum ex tradit. per *Ioseph. Ludou.* post alios *conclus. 52. vers. Et in societate omnium bonorum*; deficerent enim eo casu duo requisita si Pompeius industriam, & operam suam non communicasset, & inter ipsos solidata fuissent computa vltra quod nec etiam primum requisitum fuit satis concludenter probatum cum per testes non probetur dictum Pompeium semper cum dictis fratribus cohabitasse eodem pane, & vino victitantem, aliqui enim ex dictis Testibus dicunt aliquando ipsum etiam extra domum in Vrbe habitasse.

Nec visum fuit cõcludere argumentum desumptum ex eo, quod d. Ioannes Pau-
13 lus,& Ioannes Baptista ✝ emerant domos nulla mentione facta Pompei, & tamen postea declararunt pro tertia parte ad ipsum spectasse, quia non bene infertur de emptione domus ad emptionem vineæ cum fieri possit, vt tunc temporis haberent pecunias communes ex quibus emptę fuerunt domus,& idem fortè non contigit in emptione vineæ, quia imò retorquetur argumentum,quia cum dd. fratres emptores agnouerint bonam fidem, quo ad domos vtique agnouissent, quo ad vineam si empta fuisset de pecunijs communibus.

Nec etiam dictum compromissum potest filiis d. Pompei suffragari cum loquatur de bonis communibus, sed non est certum quæ bona inter ipsos fuerint communia vltraquod dictum laudum loquitur de domibus possessionibus, & bonis hæreditariis, quæ veniebant diuidenda inter ipsos certum est autem vineam de qua agitur nunquam fuisse hæreditariam.

Reliquis aliis obiectionibus, vel potius coniecturis ad inducendam societatem vniuersalem bonorum satis respondent informantes, & de his vti læuissimis Domini nullam rationem habuerunt.

Et ita decisum.

RO-

ROMANA LEGATI.

*Veneris 10. Ianuarij 1620.*

## ARGVMENTVM.

Legatum relictum in testamento quando debeatur etiam si hæres in illo sciptus præcesserit testatori.

## SVMMARIVM.

1 *Legatum casu quo Legatarius superuiuat hæredi, debetur etiam si hæres institutus prædecesserit Testatori.*

2 *Compendiosa comprehendit omnia exẽpla, & omnes casus nolentia, vel impotẽtia hæredis.*

3 *Legati verba, casu quo legatarius superuiuat hæredi, non stant conditionaliter ad existentiam hæredis, sed demonstratiuè ad prædecedentiam hæredis ante legatarium.*

4 *Heres moriens viuo Testatore reddit testamentum caducum.*

5 *Clausula codicillaris operatur, quod ea, quæ in testamento disponuntur, substineantur etiam mortuo instituto in vita Testatoris.*

6 *Legatum debet capi de manu hæredis, limita num. 7.*

8 *Testamento effecto caduco per prædecessum hæredis instituti hæreditas debetur proximioribus etiam in testamento exclusis, num. 11.*

9 *Pater præteriens posthumum si potuit mutare testamentum, & non mutauit præsumitur voluisse decedere ab intestato.*

10 *Exclusus in testamento, si illud caducetur non intelligitur exclusus ab intestato.*

## DECISIO CCXLIII.

DOMINI censuerunt Turino legatum deberi, & Dominos de Christianis succedere ab intestato reseruato tamen altero dubii capite, an in domo comprehenderetur apotheca sub ea existens, quod particulari inspectione dignum iudicarunt & quod legatum debeatur nullam difficultatem cadere visum fuit considerata maximè dispositione Tulliæ Testatricis volentis relinquere vsumfructum prædictæ domus Turino, quæ cogitans etiam de prædecessu suæ hæredis Pantasileæ his verbis vsa est, *casu quo Turinus superuiueret Pantasilea hæredi*, qui casus cum euenerit meritò dispositio ipsius Testatricis tam clarè expressa suum debet sortiri effectum, quo ad legatum factum Turino.

1 Et licet Pantasilea hæres instituta prædecesserit Testatrici non ideo legatum irritatur, quia dispositio illa, *casu quo Turinus superuiuat*, continet compendiosam,

2 quæ omnia † exempla, & omnes casus comprehendit nolentis, vel impotentiæ hæredis, videlicet, vt quia noluit, vel non potuit, vt in hoc casu, cum hæres Pantasilea morte præuenta fuerit, *Bald. Soccin. in l. cum proponas, C. de hæred. instit. Dec. conf. 227. num. 3. circa med. Decian. conf. 1. n. 65. 75. 80. 81. lib. 1.* & fuit dictum in vna *Firmana hæreditatis 11. Decembris 1619. coram*

3 *me*, quod eo maximè procedit, quia † verba illa non stant conditionaliter ad existentiã hæredis, sed demonstratiuè ad prædecedentiã Pantasileç ante Turinum, quam solum considerauit, vt colligitur ex Testamenti lectura, vt in simili respondit Rota in vna *Romana hæreditatis de Aquilanis 28. Iunij 1600. coram Corduba.*

Nec pariter obstare iudicarunt Domi-

4 ni, quod dicebatur † per prædecessum hæredis Testamentum fuisse caducatum, & consequenter in eo relicta censeri debere caducata, quia huic obiectioni facilis est responsio. Nam etiam si Testamentum caducetur prædecedentia hæredis. Tamen hoc non impedit, quia ea, quæ in eo disponuntur à Testatore substineantur vigore clausulæ codicillaris, *& omni meliori modo*, vt tradit *Alex. conf. 17. nu. 18. & seqq. lib. 3. Soccin. conf. 18. num. 8. lib. 2. Bald. conf. 170. num. 2. lib. 5. Dec. conf. 241. num. 2. & conf. 369. num. 3.* quam opinionem reprobata contraria, *Oldrad. & Speculat.* sequuta est Rota *coram Seraphino*, & postea in dicta *Romana de Aquilanis*, in qua multæ auctoritates, & rationes adducuntur.

Quo ad id verò, quod prætenditur per Dominos de Christianis, posito quod le-

5 gatum debeatur, quod † illud debet capi de manu eorum iuxta *text. in cap. Rainaldus, vbi glos. de Testam. l. eam quam, C. de fideicomm.* Illud visum fuit extra dubium, cum solum quæratur, an debeatur vltra quod etiam si in præsenti hoc ponderare-

6 tur, notum est, † quod quando ex legato non est aliquid defalcandum, & legatarius reperitur in possessione rei legatæ etiam viuente Testatore, quæ vlterius mandauit legatarium à nemine posse expelli, vel alio

7 modo molestari, eo casu censetur data facultas capiendi possessionem propria au-

cto-

ctoritate, vt per *Riminal. instit. de donat. in princ. num.* 545. præsertim stante clausula, *omni meliori modo, Menoch. de adip. remed.* 2. *num.* 21.

Quo verò ad alteram partem dubij, an Domini de Christianis dicantur exclusi, Domini dixerunt eos non esse exclusos.
8 Nam cum Testamentum† nullum sortitum fuerit effectum ob caducitatem quæ superuenit per prædecessum Pantasileæ, *l. si nemo, ff. de Testam. tutel. l. eam quam, C. de fideicomm.* & postea non apparuerit, quod dicta Tullia voluerit mutare, aut conficere aliud Testamentum, & potuerit proculdubio censetur voluisse decedere ab intestato, & ita iure Dominis de Christianis, qui erant proximiores in gradu defertur hæreditas ab intestato, *l.* 1. §. *cum autem, C. de caduc. tollen. l. si quis, ff. de iur. codicill. l. conficiuntur in princip. ff. de codicill.* vt in simili
9 dicitur† de patre prætereunte posthumum qui si potuit mutare Testamentum, & non mutauit videtur voluisse decedere ab intestato, *l.* 3. *C. de inoff. donat. Castren. consil.* 200. *num.* 1. *&* 4. *lib.* 1. *Mantic. de coniect. vltim. vol. lib.* 12. *tit.* 1.

Neque obstat, quod sint exclusi in Testamento Tulliæ, quia exclusio illa non prouenit ex odio, quo prosequeretur nepotes, sed quia Pantasilea hæres scripta magis ei dilecta erat vti soror, & proxi-
10 mior, † sed in concursu aliorum censentur nepotes magis dilecti.

Nec obstant pariter verba illa, quod isti nepotes nihil aliud petere, vel prætendere possent. Nam illa fuerunt apposita viuente Pantasilea sorore hærede instituta in testamento, *Gab. cons.* 44. *num.* 11. *lib.* 2. quia
11 exclusio † tenet rebus sic stantibus, & causa testati subsistente, secus autem mutata causa, in qua voluntas ipsius Testatricis legibus vestita non est, hæreditasque deuoluitur ad proximiores ab intestato dictis iuribus.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## PAMPILONEN. BENEFICIORVM DE TAFALLA.

*Lunæ* 27. *Ianuarij* 1620.

## ARGVMENTVM.

Plures præsentantes possunt considerari personæ diuersæ quamuis omnes constituant vnum corpus.

## SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus in dubio censetur competere pluribus vti singulis nisi ex circumstantijs colligatur contrarium.*
2 *Patroni si simul in vno loco conueniunt ad præsentandum præsumitur ius præsentandi pertinere ad eos, vt ad vniuersos.*
3 *Actus præsumitur potius factus ex causa necessaria, quam voluntaria.*
4 *Patroni simul in vnum voces dantes non potest dubitari quin vnum corpus conficiant.*
5 *Patroni Ecclesiastici præsentantes simul cum officialibus laicis non præsentant vti vniuersitatis loci, sed vti priuati, & diuersi.*
6 *Maximè si in alijs actibus vniuersitatis laicorum non vocantur.*
7 *Vel deficiente vno Ecclesiastico subrogetur alius, & deficiente vno ex officialibus laicis subrogetur alius.*
8 *Corpus vnum constituere quo ad vnum actũ possunt personæ diuersæ, & separatæ.*
9 *Iurisdictio interdum est coniuncta, sed non vnita, vt quando collegæ non faciunt collegium, & omnes adesse oportet, interdum verò est coniuncta, & vnita, vt quando faciunt collegium.*

## DECISIO CCXLIV.

Proposito dubio dato per sacram Congregationem Illustrissimorum DD. Cardinalium Interpretum S. Conc. Trid. An tres Ecclesiastici præsentent, vt corpus vniuersitatis loci de Tafalla vna cum septem officialibus laicis illius, an vero vti priuati.

Domini existimarunt negari non posse quin isti tres Ecclesiastici dum simul conueniunt cum septem laicis ad præsentandum constituere vnum corpus licet enim
1 in dubio † iuspatronatus dicatur competere pluribus vti singulis, *Felin. in c. cum omnes num.* 46. *de constit. Lambert. de iurepatr. lib.* 2. *par.* 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *Cæsar. de Graf. decis.* 1. *num.* 2. *& decis.* 2. *num.* 2. *de iurepat.* & fuit dictum in *Calaguritana de Ali* 20. *Iunij* 1588. *corã Reuerendiss. Peruf.* Tamen in casu isto contrarium colligitur ex circumstantijs facti, & modo præsentandi, *Caccialup. in l. omnes populi n.* 141. *& seqq. ff. de iust. & iur. Abb. in cap. scriptum* 40. *num.* 6. *de elect. in cap. pastoralis num.* 7. *de rescript. & ibi Felin. num.* 9. respondit Rota in vna *Taurinen. iurispatronatus* 11. *Ianuarij* 1585.

1585. *coram Card. Pamphilio, & in Florentina Iurispatronatus de Ricasolis Mercurij 11. Februarij 1604. coram Illustrissimo Card. Lancellotto.*

Ex præsentationibus enim datis constat
2 occurrentibus vacationibus† omnes simul in vno loco conuenire ad præsentandum, *Abb. in d. cap. scriptum num. 6. de elect. & ibi Imol. numer. 6. Felin. in d. cap. pastoralis. num. 9. vers. adde Dec. post alios in cap. cum omnes num. 8. Bero. num. 84. de constit. Rocch. de iurepatronat. in ver. honorificum quæst. 60. num. 93. Lambert. eod. tract. art. 8. quæst. 2. part. 2. lib. 2. Silu. de benefic. 2. par. quæst. 17. num. 18. & 21. Mantic. decis. 268. num. 8.* fuit dictum in *d. Taurinen.* in qua etiam ponderatur, quod licet vbi etiam ius præsentandi spectet ad plures vti singulos possint ramen simul conuenire ramen in dubio potius est præsumendum simul conuenire vti vniuersos postquam hoc casu est notoria talis coaduaatio, & actus præsu-
3 mitur † potius factus ex causa necessaria, quam voluntaria, *Bart. in l. fin. per illum text. C. de alimen. pupil. præstan. in l. triticum, ff. de verb. oblig. Abb. cons. 116. in fin. vol. 2. Grauet. cons. 149. nu. 12.* & fuit etiam firmatum in *d. Florentina de Ricasolis, & in Sancti Seuerini parochialis 9. Febr. 1618. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno.*

4 Constat etiam ex eisdem † præsentationibus omnes simul in vnum voces dare, quo casu vnum corpus conficere dubitari non potest, *Abb. in d. cap. pastoralis in fin. prin. & ibi Dec. num. 17. Felin. in cap. cum omnes num. 18. in 8. fallen. de constit. Lambert. de iurepatr. lib. 1. p. 2. q. 1. art. 25. n. 18. vers. & faciunt, Cas. de Grass. decis. 1. nu. 4. de his, quæ fiunt à maior. par. cap. Gonzal. ad reg. 8. glos. 45. num. 66. Rota diuers. dec. 713. num. 10. par. 1.* fuit dictum in dicta *Taurinen. in dicta Florentina, & in dicta Sancti Seuerini.*

5 Verum Domini cēsuerunt † ex his non resultare prædictos Ecclesiasticos præsentare vti Vniuersitatis loci de Tafalla, sed vti priuatos, & diuersos ea moti ratione, quia cum Ecclesiastici sint disparis conditionis, & professionis non censentur simul conuenire ad faciendum vniuersitatem, *Clemen. 1. de elect. cap. duo sunt genera Christianorum, 12. quæst. 1. Abb. q. 6. num. 2. & sub num. 4. vers. secundo principaliter.*

6 Idque maximè, quia † in alijs actibus vniuersitatis laicorum dicti Ecclesiastici non vocantur prout vocari deberent, *cap. coram de elect. l. nulli, & l. planè, ff. quod cuiuscumque vniuers.*

7 Et hoc casu non conuenire vti eiusdem vniuersitatis, sed diuersi visum fuit clarè suaderi ex eo, quod deficiente vno Ecclesiastico subrogatur alius ab ipso Capitulo beneficiatorum, & deficiente vno ex officialibus laicis subrogarur alius ab ipsa
8 vniuersitate. Cum enim quælibet ex istis duabus speciebus ecclesiasticorum, & laicorum faciat suam distinctam subrogationem signum euidens est procedere vti diuersos, & separatos, & per consequens nō vti vniuersitatis d. loci ex deductis in dicta *Sancti Seuerini coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.*

Nec releuat, quod firmatum fuit illos
8 facere vnum corpus, † quia possunt simul stare, quod ad vnum actum constituat vnū corpus, & ramen remaneant personæ diuersæ, & separatæ, vt per *Calder. cons. 5. de his quæ fiunt à prælat. sin. consen. c. Gambar. de offic. leg. lib. 3. num. 374.* & in duabus vniuersitatibus Rota dixit in dicta *Sancti Seuerini,* & facit doctrina *Bald. in cap. fin. n. 14. vers. adde, & nota differentiam de re indic.*
9 dum dicit, † quod interdum iurisdictio est coniuncta, sed non vnita, vt quando Collegæ non faciunt Collegium, & omnes adesse oportet interdum verò est cōiuncta, & vnita, vt quando faciunt Collegium.

Nec visum fuit releuare, quod simul cōueniant in Camera Consilij, quia id potuit fieri pro maiori commoditate omnium interuenire debentium.

Mandata procuræ, & actiones impositionum non visæ fuerunt posse allegari pro interpretatione iurispatronatus adeo antiqui ne dum ex vulgata conclusione, quod
10 obseruantia debet esse proximè † non remota, sed quia deducitur ex actibus gestis tempore suspecto nempe post motam litem.

Et ex his Domini censuerunt tres Ecclesiasticos vti priuatos, & diuersos præsentare vna cum septem iuratis tanquam vnum corpus non tamen vniuersitatis laicalis quoad effectum dubij vtrum intret præsumptio vsurpationis rebus sic stantibus rursus erunt consulendi Illustrissimi Interpraetes Sacri Concilij Tridentini.

Et ita decisum vtraque parte informante.

LV-

LUCANA IURISPATR. DE PODIIS.

*Veneris 31. Ianuarij 1620.*

ARGUMENTUM.

Vsurpationis præsumptio in iurepatronatus intrat in familia, quæ maiorem partem Parochianorum ad quos spectat iuspatronatus absorbet, & quando id excludatur vna cum exclusione quod iuspatronatus spectet ad Parochianos.

SUMMARIUM.

1 *Iurispatronatus vsurpatio non præsumitur in familia priuata.*
2 *Iuspatronatus spectans ad Parochianos præsumitur vsurpatum.*
3 *Vsurpationis iurispatr. præsumptio non intrat in aliquæ familiæ alicuius parochiæ sint in quasi possessione præsentandi.*
4 *Diuersitas ex quibus probetur.*
5 *Præsentatio facta ab illis de familia excludit, quod non spectet ad Parochianos.*

DECISIO CCXLV.

VT satisfacere informantibus pro Beneficiatis tertia vice proposui idem dubium bis iam resolutum quo proposito Domini steterunt in decisis.

Existimarunt enim probationes factas per Dominos de Podijs Iurispatronatus esse sufficientes, cum simus in familia pri-
1 uata, † in qua non cadit præsumptio vsurpationis, vt multis rationibus fuit comprobatum in decisionibus in hac causa factis, & præcipuè in vltima sub die Lunæ 2. Decembris 1619.

Nec obstare visum fuit præcipuum, & maximum fundamentum, quibus Beneficiati ex nouiter deductis impugnat resolutiones in hac causa factas dum dicitur istud iuspatronatus prætendi non posse à Dominis Podijs, nisi tanquam ab Vniuersitate Parochianorum cum eorum familia contueret totam, aut saltem maximam partem
2 Parochianorum. Vnde resultat præsumptio vsurpationis, quia non præsumuntur vniti ad inuicem ad fundādam Ecclesiam, sed potius vti singuli obtulisse eleemosynam ad eum effectum, *Crescen. & Acchil. decis. 1. de iurepatr. Rota decis. 331. p. 2. diuers.* quæ regula habet locum etiam in vniuersitate parua, *Mantic. decis. 234. & decis. 253.* cum multis allegatis per *Gonzal. regul. 8. glos. 18. num. 63. Garz. de benef. par. 5. c. 9. num. 102.*

Quod autem ista familia propter eius numerositatem totam parochiam, aut illius maiorem partem antiquitus constitueret, vel saltem omnes Parochiani vocarentur de Podio, dicebatur constare ex Instrumento anni 1370. in quo legitur ipsos de Podio elegisse Consulem contratæ, & ad instar Vniuersitatis se adunasse in præsentando ad conuocationem Consulis, vt constat ex præsentationibus iuncto adminiculo Instrumenti die 10. Nouembris 1391. celebrati, in quo Leonardus Rector asserit vicinos Parochianos, & consortes nomine Ecclesiæ apprehendisse bona hæreditaria Presbyteri Coli sui prædecessoris.

4 Hæc obiectio tollitur penitus ex facto constat enim ex Instrumentis publicis visitationum præsentationum, & prouisionum, necnon per depositiones Testium istam Ecclesiam S. Laurentij de cuius iurepatronatus agitur non esse parochialem imo sitam esse in parochia S. Donati, idq; satis liquet ex eodem Instrumento anni 1370. per ipsosinet Beneficiatos producto. Vnde frustra contenditur istud iuspatronatus spectare ad Vniuersitatem parochianorum, qnia Beneficiati deberent probare vniuersitatem Parochianorum S. Donati concurrere in hac præsentatione. Nam
3 etiam † si aliquæ familiæ d. parochiæ essent in quasi possessione iurispatronatus non ideo requireretur probatio requisita à Sac. Conc. Trid. quod in hac parte nihil innouauit, *Rot. d. decis. 331. prope fin. par. 2. diuers.* & in terminis fuit decisum in vna *Lucana Cappellaniæ 14. Decembr. 109. coram bon. mem. Penia.*

Multoque minus subsistit aliud fundamentum desumptum ex eo, quod isti Domini de Podio constituere totam contratam, id enim Instrumentū electionis Consulis d. contratæ de anno 1570. non dicit quin imò ex eo apparet quatuor solum de familia de Podio interuenisse in electione Consulis, vt colligitur ex linea in scriptura originali considerata. Nam & electus fuit Alexius Consul quem non fuisse nobilis familiæ Podiorum conuincitur per Instrumenta publica idemque iustificatur de alijs, qui huic electioni interuenerunt, prout per scribentem in facto optimè deducitur.

Sed quicquid sit an in contrata S. Laurentij adessent aliæ familiæ, quam de agnatione Podiorum non ideo sequitur identitas domus de Podio, & contratæ S. Lauren-

rentij, nam ea penitus excluditur tam ex instrumentis electionum Consulum quam ex præsentationibus.

Consideratum enim fuit in dicto Instrumento electionis Consulis contratæ congregatos fuisse ad sonum campanæ habitantes dictæ contratæ, qui insimul crearunt Alexium Viuiani confinarium Consulem dictæ contratæ quindecim vero annis postea de anno scilicet 1385. congregati nõ ad sonum campanæ, sed per nuncium ad id destinatum vocati nobiles consortes familiæ de Podio repræsentantes totã agnationem dictæ Domus & progeniei elegerũt Consulem dictæ Domus, & progeniei, & ipsorum consortum Nicolaum Pesini della Perfetta de Podio eodemque modo anno 1513. ijdem Nobiles consortes Domus & familiæ elegerunt D. Laurentium Baptistã de Podio, idemque colligitur ex tenore instrumenti locationis factæ per dictum Nicolaum Consulem de quadam Turri
4 communi dictæ familiæ ex qua diuersitate nominis apparet diuersitas inter cõtratam & familiam de Podio tamquam inter rorum, & partem *argum. l. si idem C. de codic. cum simil.*

Idque clariùs demonstratur per præsen-
5 tationes factas in quibus disertissimis verbis legitur Dominos de Podio tanquam de familia & progenie præsentare, & non tamquam habitantes in dicta contrata de Podio & præcipuè in illa præsentatione facta de anno 1426. quæ datur in summario num. 6. quæ legitur facta in Monasterio Sancti Friderici in qua interuenit Dinus de Podio Prior dicti Monasterij tamquam vnus ex patronis de dicta familia, qui in d. Monasterio longè distante ab illa contrata habitabat & nunquam interuenire debuisset si ad incolas dictæ contratæ S. Laurentij hoc ius præsentandi spectasset prout patet ex lectura dictæ præsentationis in qua quinque tantum personæ enumerantur ex quo numerositas istius familiæ toties decantata excluditur illi enim quinque patroni, non potuerunt constituere vniuersitatem alicuius loci præcipuè in Ciuitate Lucana amplissima in qua familia ista non potuit acquirere tantam potentiam cõtra auctoritatem Episcopi cum aliæ familiæ complures æquè nobiles illi non assisterent in vsurpatione contra Episcopos.

Nec videtur obstare adminiculum deductum ex instrumento anni 1391. quia si Parochiani, & consortes apprehenderunt bona hæreditaria Rectoris demortui non ideo sequitur Parochianos fuisse patronos sed alio Iure bona Rectoris ad illos deuenisse vltra quod est vnica tantum enunciatiua ipsius Rectoris cuius error deprehenditur ex instrumento anni 1401. vbi nulla vicinorum & Parrochianorum facta mentione soli nobiles viri consortes domus & familiæ de Podio nominatur ex alienationibus Casaleni, & locationibus prout firmãt decisiones in hac causa factæ & præcipuè vltima in qua respõsum fuit obiectionibus factis super prętensa potentia istius familię quæ responsiones DD. placuerunt.

Cæteris alijs obiectionibus desumptis ex inuerisimilitudine cognominis Porci & della perfecta satis superque respondent informantes cum quibus Domini transierunt. Nam ex his alijs coniecturis leuissimis non eliditur probatio concludens, facta iurispatronatus gentilitij per Dominos Podios.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## BONONIEN. MOLENDINI.

*Veneris 21. Iunij 1620.*

## ARGVMENTVM.

Attentata sunt gesta lite pendenre in Rota, & plura traduntur de clausula quam & quas quando scilicet non se extendat vltra specificata & quando constet fuisse ad speciem deducta.

## SVMMARIVM.

1 *Noui operis nunciationis est vt non possit aliquid innouari.*
2 *Inhibitio causat attenta.*
3 *Clausula, quam & quas, non comprehendit iura, quæ non fuerunt in iudicium specificè deducta.*
4 *Inhibitio Rotalis non extenditur vltra specificata, aut coram primo Iudice, aut in Rota.*
5 *Aquæ Dominus, quoties ad flumen est reditura, tenetur eam vendere inferiori.*
6 *Aquæ Dominus non potest illam ad libitum diuertere si adsit litis pendentia super illo iure diuertendi.*

DE-

## DECISIO CCXLVI.

Dominis visum fuit constare de attentatis, quæ veniunt reuocanda quia D. Franciscus Parata lite pendente in Rota non potuit ea inconsulta auctoritate propria diuertere cursum aquæ à canali solito stante præcipuè natura primi Iudicij hinc & inde intentati in partibus nunciationis
1 noui operis cuius proprium est vt nō possit nec adducendo, nec diminuendo pristinę faciei rei controuersę immutari per *tex. expressam in l.1. §.inde quæritur & ibi gloss. ff. de non. oper.* præcipuè cum alterius incómodo & præiudicio.

Quod autem nuper lite pendente super vsu huiusmodi aquæ post vltimæ decisionis publicationem D. Parata eius cursum diuerterit à alueo solito satis visum fuit patere ex eius propria confessione per instrumentum publicum, quod datur in summario num. 5. & comprobatur ex attestatione Notarij in summario num. 4. Prout nec potest dubitari de lite cum causa appellationis à sententia Auditoris generalis fuerit in Rota commissa super eo, An liceret D. Equiti Bonfiolo ducere hanc aquā de cuius diuersione agitur ad Molendinū nouissimè à dicto Equite fabricatum cum omnibus annexis & clausula quā & quas
2 & toto negocio principali. Vnde stantibus inhibitionibus Rotalibus tam generalibus quam specificis sine vitio attentatorum nō potuit dictus Parata alueum aquæ immutare *tot. tit. vt lit. pend. in ff. & C.*

Nec obstat, quod dicitur clausulam *quam & quas* non comprehenderc iura quę
4 non fuerunt in iudicium specificè deducta Rotalesque inhibitiones non extendi vltra specificata, aut coram primo Iudice, aut in Rota coram qua solum pendebat causa super noui operis enunciatione, & non super diuersione, & dominio aquarum.

Nam hic obiecto penitus tollitur ex facti serie ex qua clarissimè apparet hoc ius dominij & facultatis diuersionis aquarum fuisse tam coram Iudice primæ instantiæ, quam in Rota deductum ad speciem vltra quod non potest negari hanc quæstionem esse de connexis.

Et primo datur præceptum factum à primo Iudice die 14. Martij 1616. d. Francisco Paratæ instante dicto Equite per quod inhibetur dicto Paratæ ne sub quocumque prætextu audeat cursum aquæ à solito alueo diuertere etiam si diuersio sit parui momenti in summar. dicti Equitis num. 1. littera C.

Deinde ex lectura istiusmet sententiæ id clarius apparet in qua apertis verbis motum super eo iudicium dicitur quod dictus Parata prætēdebat se posse dictam aquam dum fluit per suum terrenum diuertere quibus sic stantibus negari non potest Ius diuertendi aquam coram primo Iudice, fuisse deductum etiam in specie & cum toto negocio principali fuisse ad Rotam deuolutum in qua etiam super eodem Iure fuit cognitum, vt apparet in decisionibus in hac causa factis coram R.P.D. meo Verospio in quibus inter cætera firmatū fuit
5 posse D. Paratam etiam si esset Dominus aquæ cogi inferiori vendere quoties ad flumen sit reditura ex doctrina *Rip. in l. quo minus num. 87. ff. de flumin.* cum allegatis in *d. decis. sub die 3. Decembris 1618. in hac causa facta.*

Ex quibus satis remanet iustificatum decretum vltimo loco factum in facie loci in actu visitationis factæ præsentibus Procuratoribus & Aduocatis vtriusque partis cum neutri parti liceret contra eius formā stante litis pendentia supradicta cursum aquæ à solitis canalibus diuertere sine auctoritate Rotæ cuius inhibitio siue iusta, siue iniusta est timenda. Vnde eam debebant antequam aliquid innouarent consulere prout vtraque pars fecerat obtinendo licentiam fabricandi molendina ab ipsis nuper ædificata.

Nec etiam obstat, quod dicitur D. Paratam tanquam dominum aquæ potuisse illam ad libitum diuertere prout ipsemet fuit protestatus, quia quidquid sit vtrum de eius dominio constet ante rem iudicatā aut partis confessionem nihilominus non potuit stante litis pendentia super illo iure diuertendi auctoritate propria sibi ius dicere cum non implicet contradictionem aliquem esse dominum aquæ & obligatū esse iure venditionis seruitutis aut alio iure domino fundi inferioris liberum eiusdem aquæ vsum relinquere ex doctr. *Rip. sup. alleg.* & ipsemet D. Parata id agnouit cum obtulit se paratum aquę quam diuertit vsum pro maceratorijs D. Equiti libere dimittere.

Et ita decisum vtraque parte informante attentata esse reuocanda.

SVLMONEN. BENEFICII.

*Vener. 7. Februarij 1620.*

ARGVMENTVM.

Legalitas scripturæ in quibus consistat.

*SVMMARIVM.*

1 *Scripturæ collatio probatur ex subscriptione collatoris.*

2 *Recognitio manus non requiritur in scriptura excedenti tempus centum annorum, & num. 6.*

3 *Antiquitatem non probat sola data nisi ex oculari eius inspectione colligatur.*

4 *Inter Instrumentum continens rogitum Notarij, & transumptum cum subscriptione collatoris nulla est differentia.*

5 *Monachus Cisterciensis potest à beneficio etiam in perpetuum ei collato quandocumq; remoueri vigore obedientiæ.*

DECISIO CCXLVII.

POST resolutionem in hac causa factã coram bo:me: D. Andrea die 3. Iulij proxim. præter propositũ dubium reseruatũ super legalitate collationis santilli quo proposito & diligenter considerata dicta scriptura Domini responderunt eam esse in forma probanti, quia habet omnia requisita legalitatis nempè diem annum, & subscriptionem collatoris, quæ sola suffi-
1 cit ad approbandam huiusmodi collationem etiam absque Notario & testibus, vt in terminis *Rot. decis. 1. de probat. in non. & tradit Gonzal. super regul. 8. glos. 61. num. 24. & seqq.*

Nec visum fuit in hoc necessariam esse aliquam recognitionem manus dicti Abbatis Collatoris, quia agitur de scriptura
2 excedenti tempus 100. annor. quo casu nõ requiritur aliqua recognitio etiã sine alijs adminiculis *Afflict. decis. 251. num. 6. cum alleg. in vna Mediolanen. de Valisio 27. Ianuarij 1617. coram R.P.D. meo Pirouano*, & fuit firmatum in supradictis decisionibus in hac causa factis in quibus decisionibus
3 expressè dicitur licet sola data non probet antiquitatem tamen regulam fallere quando ex oculari eius inspectione colligitur eius antiquitas & habet speciem instrumẽti legalis prout in hoc casu subiecta oculis Dominorum scriptura fuit iudicatum.

Nec obstat, quod non versemur in publico instrumento, sed in priuata scriptu-
4 ra collationis, quia non probatur in iure talis differentia, nec vlla probabilis allegari potest inter instrumentum continens rogitum Notarij & litteras cantantes cum subscriptione collatoris, *glos. in l. comparationes in verbo ex forensi C. de fid. instrum.*
6 cum absque recognitione tota vis constat in antiquitate ex qua oritur difficultas recognitionis quę est causa vt illa non requiratur, vt per *Afflict. decis. 245. num. 3. & 251. num. 5.* quę ratio ità ad instrumentum sicut ad aliam antiquissimam scripturam applicatur ideo debet militare in omnibus eadem iuris dispositio iuribus vulgaribus.

Nec denique obstat inuerisimilitudo allegata Ordinis Cisterciensis, qui non so-
7 let conferre Monachis suis beneficia in perpetuum, quia istud solitum non probatur & licet probaretur conferendo Ab-
8 bas Monacho non tollit votum obedientiæ sibi debitum vigore cuius possunt à beneficijs quandocumque remoueri, *cap. 1. cum ibi notat. de capel. Monach.*

Quæ dicuntur contra collationem factã de anno 1560. sublata fuerunt in præcedenti decis. in qua Rota non asseruit instrumentum non egere recognitione, sed fuisse sufficienter recognitum per testes in curia formiter examinatos, prout fusius per informantes cum quibus Domini transierunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

ROMANA VINEAE.

*Veneris 7. Februarij 1620.*

ARGVMENTVM.

Spoliatus sua possessione à Iudice nequit manutentionem prætendere nisi probauerit concludenter Iudicem nulliter, ac iniustè processisse.

*SVMMARIVM.*

1 *Iudex potest per sententiam seruatis seruandis possessionem adiudicare, & ea remanet priuatus anterior possessor.*

2 *Immissus auctoritate Iudicis est in dubio manutenendus nisi ex aduersa clarè & concludenter probetur nullitas & iniustitia.*

3 *Commissio causæ appellationis cum clausula, quam & quas, & toto negotio principali non*

*non comprehendit ius in actis Iudicis à quo nunquam ad speciem deductum, & ideo potest in eo Iudex à quo procedere absque vitio attentatorum.*

4 *Attentare ut dicatur Iudex à quo debet esse talis connexitas causarum, ut sententia in una parte, vel capite pareat exceptionem rei iudicatæ in alia.*

5 *Possessio capta in vim sententiæ & rei iudicatæ reuocari non potest per viam manutentionis ex capite iniustitiæ, nisi sit patens & notoria, aut nullo velamine offuscari possit, sed reuocanda est per remedia ordinaria.*

6 *Aegidianæ ut in possessorio locus non sit requiritur Notorium grauamen.*

7 *Notorium ut inducatur requiritur confessio vel res iudicata.*

8 *Notorium grauamen ad excludendum sufficit quod sententia Iudicis possit aliquo iustitiæ colore velari, & oriri probabilis dubitatio, ubi exemplum.*

9 *Possessio capta in vim sententiæ de sui natura non appellabilis intra decem dies ad appellandum non est attentata, nisi constet in continenti de notorio grauamine, vel iniustitia ad effectum maximè manutentionis.*

## DECISIO CCXLVIII.

DOMINI dixerunt Ioanni Baptistæ mandatum de manutenendo non esse concedendum quoad medietatem Vi-
1 neæ, quia ea priuatus fuit auctore prætore, qui per sententiam potuit alteri seruatis seruandis possessionem adiudicare, *l. iuste possidet ff. de acquir. poss. & ibi Bart. & aly Angel. in l. clam. possidere §. qui ad nundinas numer. 2. in fin. & ibi Ias. num. 2. ff. eod. Rot. decis. 802. num. 6. & 7. part. 1. diuers.* Vnde Petrus & fratres Ioannis Baptistæ ex
2 fratre nepotes de mandato Iudicis immissi in possessionem in dubio sunt manutenendi nisi Ioannes Baptista clarè & concludenter probet nullitates & iniustitiam dictæ sententiæ, *Rot. decis. 802. num. 7. cum similibus.*

Nec visum fuit adduci nullitates consi-
3 derabiles quia illa quæ deducitur ex eo quod causa appellationis fuerat commissa in Rota à sententia restricta ad domos cum toto negocio principali. Vnde dici posset vigore clausulæ *quam, & quas* causam etiã super vinea fuisse commissam in Rota sicq; sine vitio attentatorum non potuisse A. C. prosequi iudicium super vinea. Tollitur obiectio enim ex eo, quod tale ius in actis nunquam fuit deductũ ad speciẽ quo stante potuit Iudex procedere in causa quæ continebat articulos diuersos, & diuersa
4 bona. Ad effectum siquidem attentatorũ debet esse talis connexitas causarũ ut sententia in una parte, seu capite lata pariat exceptionẽ rei iudicatæ in alia ut ex multis concludit *Lancellott. de attentat. cap. 12. de attentat. appellat. penden. limit. 2. num. 24.*
5 nec erat inconueniens ut Petrus & fratres succũberent in iudicio possessorio domus & in ea super vinea moto victoriam reportarent, ut considerauit *Rota in illa Lucana Molendini coram R. P. D. meo Verospio, relata per Farinacc. decis. 427. part. secunda in recentior.*

Nec etiam potest ex eo, quod in hac causa fuerit decisum sententiam vigore cujus Petrus & fratres fuerunt immissi in Possessionem Vineæ fuisse iniustam, quia agentes interdicto quorum bonorum non satis concludenter probauerant possessionẽ sui auctoris cum enim sententia lata esset
5 in mero possessorio & ab ea regulariter non daretur appellatio possessio vigore dictæ sententiæ capta nihilominus reuocari non potest nisi talis iniustitia probetur ut sit patens notoria & nullo velamine offuscari possit quia si Iudex aliquem habuit colorem ità iudicandi reuocabitur siquidem eius sententia ex capite iniustitiæ per remedia iuris ordinaria, sed non per viam manutentionis alias omnis tela iudiciorũ subuerteretur, ut fuit latissimè deductum & comprobatum in causa *Rom. de Bombellis 31. Maij 1613. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno,* & postea in una *Nepesina laudi 13. Februarij 1615. coram R. P. D. meo Canalerio,* & prius fuerat decisum in *decis. Seraphin. 867. num. 1. par. 1.* idque maxima ra-
6 tione, quia constitutio Aegidiana expressè requirit notorium grauamen & ad effe-
7 ctum inducendi notorium requiritur confessio vel res iudicata, *ut multoties Rota firmauit & præcipue in una Romana Melioramentorum 9. Decembris 1616. coram R. P. D. meo Vbaldo, in qua plures decisiones cumulantur.*

In hac autem facti specie non potest hæc notoria iniustitia satis colligi, quia licet Petrus & fratres in concursu probationum factarum per Ioannem Baptistam non satis probassent suam intentionem, ut fuit in hac causa decisum nihilominus nõ ade-

rat defectus totalis probationum quia vni-
8 cus testis vt firmat decisio prætensam com munionem probabat multaq; adminicula adducebatur pro ipsis quibus simul iunctis sententia Iudicis potuit aliquo iustitiæ colore velari oririque probabilis dubitatio, quod sufficit ad excludendum notorium grauamen vltraquod etiam dantur depositiones testium examinatorum ad perpetuã rei memoriam & Instrumenta census ex quibus probabilis fumus oriri potest pro toleranda sententia.

Nec placuit quod dicitur dictorum Pe-
9 tri & fratrum possessionem fuisse attentatam cum fuerit capta post appellationem vel saltem pendente termino dato ad appellandum. Placuit enim responsio nunquam pro parte Ioannis Baptistæ fuisse appellatum, nec probari infra decem dies fuisse captam possessionem, & si id probaretur semper incideret in idem cum vigore constitutionis Aegidianæ à sententia lata in mero possessorio non daretur appellatio eaque pendente etiam termino posset executioni demandari nisi constet in continenti denotorio grauamine, vel iniustitia euidenti dictæ sententiæ de qua non constat saltem ad effectum interdicti retinendæ ex supradictis.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## TOLETANA IVRISCELEBRANDI.

*Lunæ 10. Februarÿ 1620.*

### ARGVMENTVM.

Manutentio debetur possessori de tempore motæ litis etiam si superuenerit contraria sententia in iudicatum transacta canonizatoria Iuris partis quando restitutio in integrum aduersus d. sententiam reperitur commissa.

### *SVMMARIVM.*

1 *Possessio iunior tanquam clandestina & turbatiua non impedit manutentionem antiquiori possessori.*

2 *Restitutio in integrum suspendit effectum rei iudicatæ.*

3 *Vniuersitatem non constituunt singuli de vniuersitate nisi insimul ad aliquem actum faciendum conuenerint.*

4 *Vniuersitati non possunt præiudicare particulares nisi Vniuersitas collegialiter congregata id scienter approbauerit.*

5 *Rector solus nõ potest cedere ius sibi & Confraternitati simultaneè quæsitum.*

6 *Renunciatio iuris prædecessoris nulliter facta non præiudicat successori.*

7 *Decretum irritans tunc inficit titulũ & possessionem quando est appositum super certa re & corpore seens si casus est controuersus vtrum bulla eum comprehendat.*

8 *Confraternitas Sanctiss. nominis IESV potest institui de licentia Prioris Prouincialis quando in loco non sunt conuentus Fratrum Prædicatorum.*

9 *Rescriptum debet recipere interpretationem à iure.*

10 *Actus semel perfectus atque consummatus non vitiatur etiam si veniat ad casum à quo incipere non potuit.*

11 *Casus ommissus remanet sub dispositione iuris communis.*

12 *Constitutio non extenditur ad casus non expressos.*

13 *Constitutio futuris & non præteritis formam dant negotÿs præcipuè si sit cõcepta per verba de cætero n. 14.*

15 *Facultas probatur ex assertione Notarÿ dicentis talem facultatem vidisse, ex verisimilitudine, & obseruantia, præsertim de ea dubitetur incidenter, & numer. 16 & 17.*

### DECISIO CCXLIX.

ROTA vtraque parte informante censuit concedendum esse mandatum de manutenendo Confratribus in quasi possessione celebrandi festiuitatem Sanctiss. Nominis IESV in Ecclesia Parochiali cum retentione imaginis, & insignibus Confraternitatis hac maximè ratione quia de tali eiusdem Confraternitatis quasi possessione constat ex Testibus qui dantur in summar. Confratrum num. 4. Vnde sequitur dictis Confratribus existentibus in huiusmodi quasi possessione tempore litis motæ deberi manutentionem præcipuè cũ fuerit continuata per plurimos annos, vt probatur ex depositione dictorum Testium *§. retinendæ instit. de interd. l. 1. & 2. ff. vti possid. cum similibus*, idq; non obstante quasi possessione Fratrum & Conuentus S. Iacin-
1 thi quia vltra quod emanauit lite pendente vti iunior præsumitur clãdestina & turbati-

**batiua & ideo non est manutenibilis dictis Iuribus.**

Nec obstare visum fuit, quod dicitur Ius dicti Cõuentus S. Iacinthi fuisse canonizatum per sententiam., quæ transijt in rem iudicatam. Nam vltraquod ex antiquo & laudato Tribunalis stylo Rota non solet exequi sententias extra Tribunal latas nisi constito de earũ bono iure & multum ex infra dicendis dubitatum fuit de iustitia sententiarum. Placuit responsio causam restitutionis in integrum aduersus rem iudicatam reperiri mihi commissam. Et ideo non potest in gradu restitutionis in integrum possessori denegari manutentio
2 quia rei iudicatæ effectus reperitur suspẽsus per dictam commissionem, *Cæsar de Graff. decis. 4. de caus. possess. & propriet.* cum pluribus adductis in vna *Lucana bonorum 27. Febr. 1606. coram R.P.D. meo Pamphilio* in qua multæ aliæ decis. allegantur.

Nec etiam obstat prætensa approbatio Confratrum, quia illa non satis iustificatur Testes enim ad hoc inducti in summar. dicti Conuentus num. 12. solum afferunt, quod quando fuit celebrata festiuitas in Conuentu Ordinis Prædicatorum ibi interuenerunt multi de Vniuersitate ex quo non potest elici sufficiens approbatio Cõfraternitatis cum aliud sit Confraternitas
3 aliud singuli de Vniuersitate, qui non constituunt aliquod corpus nisi insimul ad aliquem actum faciendum conuenerint, *Abb. in cap. scriptum nu. 6. in fin. vers. si enim dantur de elect. & ibi Imol. num. 6. Felin. in cap. pastoralis num. 9. de constit.* Vnde sequitur,
4 particulares in amittenda possessione non potuisse præiudicare Vniuersitati nisi Vniuersitas Collegialiter congregata id scienter approbauerit ex deductis per *Surd. cons. 28. num.* 100. idque tanto magis quia possessio à Confraternitate non prætenditur priuatiuè, sed cumulatiuè.

Nec enim placuit quod dicitur Rectorem sine cuius assistentia & ministerio non potuit celebrari festiuitas acceptasse sententiam in fauorem Cõuentus latam. Huic enim obiectioni dupliciter respondetur Et
5 primo cum istud Ius fuerit simultaneè quęsitum Rectori, & dictæ Confraternitati ex quasi contractu *Card. cons.* 8. non potuit consensus præstitus per solum Rectorem priuare possessione & Iure suo dictos Confratres *DD. in cap. edoceri vbi Felin. num. 9. de rescript.* & fuit dictum in vna *Toletana Elemosynarum 24. Maij 1619. coram R.P.D. meo Pirouano.* Secundo cum ille Rector sit hodie mortuus & adsit in causa alius
6 successor in Rectoria renunciatio Iuris minus solemniter facta, & à Sede Apostolica minimè confirmata non pręiudicat successori, *cap. veniens & ibi glos. de præscript.* & millies fuit in Rota decisum.

Non obstat denio; præcipuum & maximũ fundamentum informantiũ pro d. Cõuentu quo iustitiam sententiarũ fulcire nititur stante Bulla Pij V. facta motu proprio cum decreto irritanti quod regulariter inficit titulum & possessionem non posse cõcedi mandatũ de manutenendo dictæ Confraternitati contra formam rescripti tot
7 clausulis prægnantibus vallati subsisteret enim obiectio si decretum irritans appositum esset super certa re & corpore, sed quando casus est controuersus vtrum Bulla eum comprehendat dum disputatur de comprehensione interim possessor est manutenendus vt fuit dictum in vna *Valentina Decimarum 24. Maij 1604. coram Cardinali Lancellotto, & in Paduana Prioratus 5. Decembris 5614. coram R.P.D. meo Pirouano,* & alias sæpè.

Quæ responsio tanto magis in hac proposita facti specie applicatur quia Domini examinato etiam bono Iure existimarunt Bullam Pij V. non cõprehendere casum de quo agitur nec posse pręiudicare possessioni & Iuri d. Cõfraternitatis, ea enim dispo-
8 nit quod in locis in quibus nõ adsunt Cõuentus Fratrum Præd. possint Confraternitates Sanctiss. Nominis IESV in alijs Ecclesijs institui de licentia tamen Prioris Prouincialis Conuentus viciniorís, & per consequens cum in dicto loco de quo quæritur non existeret Cõuentus legitimè fuit instituta Confraternitas huiusmodi cum licentia superioris habentis facultatem.

Nec placuit interpretatio quam informantes pro dicto Conuentu dare volunt quasi temporaliter hæc facultas fuerit cõcessa quousque scilicet in illis locis non adfuerit Conuentus dictorum Fratrum si enim verba Bullæ accuratè perpendantur nunquam poterit colligi huiusmodi interpretatio cum loquatur indefinitè quod instituantur huiusmodi Confraternitates, &
9 ideo rescriptum debet recipere interpretationem à iure Regulariter autem quan-
10 do actus semel perfectus est atque consumatus nõ vitiatur etiam siue veniat ad casum à quo incipere non potuit, *l. si pluribus §. & si placeat ff. de verbor. oblig. l. vt pomum* §. 1.

§. 1. *ff. de seruit. cap. factum legitimè de reg. iur. in 6. cum alleg. per Tiraq. cessante causa lim. 12. num. 1. cum seqq. & per Molin. de hisp. primog. l. 3. cap. 10. num. 12. & seqq. & lib. 3. cap. 6. num. 30.*

Ex quo sequitur Bullam Pij V. concessisse facultatem dictis Confratribus de licentia vicinioris Monasterij fundandi huiusmodi Confraternitates, sed quando superuenit. Monasterium in loco nihil su-
11 per hoc constitutum est remanetque casus tamquam omissus sub dispositione iuris communis, *l. commodissimè ff. de lib. & posth.*
12 Regulariter enim non extenduntur constitutiones ad casus non expressos, quia quod lex non dixit nec nos dicere debemus, *l. illam C. de collat. Paris. cons. 49. num. 63. vol. 3. Menoch. cons. 150. num. 121. Becc. consil. 4.*

Nec obstat constitutio quæ dicitur emanata in Capitulo generali, vt scilicet licentiæ de cætero non concedantur nisi ad prædictum tempus, vt in summario Fratrum num. 8. quia emanauit post erectionē huiusmodi Confraternitatis, & ita non comprehendit casus præteritos leges enim
13 & constitutiones futuris & non præteritis formam dant negocijs *l. leges C. de legib. & ibi DD. cap. 2. de constit.* præcipuè cum hęc constitutio sit concepta per verba *de cætero*
14 quo casu etiam declaratiua non extenderetur ad præterita, *Rot. decis. 248. numer. 4. par. 2. diuers.* quia imò ex hac constitutione Capitulari potius colligitur malum ius Conuentus si enim Bulla dicti Pij V. comprehendisset hunc casum inanis planè, & superuacua hæc constitutio reperiretur & sic illa restrictio ostendere videtur, quod absque ea licentia potuisset simpliciter concedi.

Nec obstat denique quod dicitur Confraternitatem fuisse concessam à quodam Fratre qui non habebat sufficientem facultatem, quia talis facultas in casu isto probatur ex pluribus Primo ex assertione Notarij, qui in ipso instrumento institutionis dicit talem facultatem vidisse, & quamuis
15 Notario non credatur nisi in his de quibus fuit coram Testibus rogatus tamen nō potest negari quin aliquid faciat simul cū
16 alijs. Secundo concurrit inuerisimilitudo, quod ille Frater interposuisset eius auctoritatem in tali institutione absque sufficiēti facultate, & ità voluisset decipere populum. Tertio obseruantia spatio 20. annorum quibus ibi Confraternitas fuit administrata etiam cum interuentu Fratrum qui ibi in festiuitatibus concionabantur concurrunt etiam alia ponderata per informantes ex quibus satis dicta facultas videtur probata præsertim cum hodie videatur de bono iure ad effectum manutē-
17 tionis & sic intrat quod vbi agitur de mā-
18 dato incidenter illud probatur ex indicijs & coniecturis vt multis auctoritatibus, & rationibus firmatur in vna *Fauentina Beneficij 20. Iunij 1623. coram R. P. D. meo Buratto, & in Romana pecuniaria de Columna coram me.*

Et ita conclusum vtraque parte informante.

## NEAPOLITANA PECVNIARIA.

*Veneris 4. Febr. 1620.*

Argumentum ex Summario.

### *SVMMARIVM.*

1 *Cambij litteras scribens, tenetur ad cambiata pecuniæ restitutionem, si litteræ redierint cum protestatione.*
2 *Debitor potest conueniri in loco in quo reperitur quando fuit in mora soluendi in loco destinato.*
3 *Cambij littera habent executionem partium.*

## DECISIO CCL.

CONCLVSVM fuit pro informante litteras scilicet cambij esse soluendas, quia per eas constat de obligatione Cæsaris soluendi ducatos mille in proximis ferijs luceriæ cum confessione expressa, quod receperit à Scipione valorem dictæ summæ mediante solutione facta per banchum nuncupatum del Popolo. Vnde cum Cæsar non compleuerit ordinem, & in nundinis luceriæ non fuerint solutæ, sed redierint cum protestatione de qua in
1 summario num. 2. absque dubio † tenetur scribens ad cambiatæ pecuniæ restitutionem, *Bald. cons. 190. lib. 2. Boer. decis. 282. num. 6. & seqq. Rot. diuers. decis. 1. nu. 3.* & ita cum scribens ex dictis nundinis in quibus solutionem destinauerat minimè fuit repertus vt constat ex diligentijs factis de quibus in summario num. 2. legitimè conuentus fuit Neapoli vbi fuit repertus stante mora soluendi in loco destinato,

*& cum*

*l. enim qui & ibi Bart. alijque scribentes ff. de iudic. l. 1. ff. de eo quod certo loco Rot. Iannen. decis. 161. num. 6.*

3 Quia etiam visum fuit comperere viam executiuam, quia † litteræ cambij habent executionem paratam, *Bald. cons. 349. n. 3. lib. 4. Zabarel. cons. 153. num. 1. Rot. Iannen. decis. 2. num. 9. Rot. apud Seraphin. decis. 533. num. 7.* vbi habetur seruari hoc vbique locorum, & *decis. 552. num. 2.* licet enim sint priuatæ scripturæ. Tamen de generali consuetudine in cambijs nundinarijs in quibus negocia Mercatorum non per apices iuris, sed ex bono & æquo celerem merentur executionem, vt per *Scach. de comerc. §. 7. glos. 5. n. 4.*

Et ita decisum vna parte tantum informante in magnam contumaciam alterius,

## CIVITATIS CASTELLI BONORVM.

*Lunæ 24. Febr. 1620.*

### ARGVMENTVM.

Requisita Saluiani assignantur, & quando dicantur illa non probari.

### SVMMARIVM.

1 *Aegidianæ non est locus stante nullitate, & iniustitia sententiæ.*
2 *Sententia lata contra sententiam, quæ transiuit in iudicatum est nulla.*
3 *Actio secundo loco intentata licet sit diuersa causa est eadem si lis sit super eadem re inter easdem personas, & ad eundem effectum.*
4 *Saluianum vt competat quæ requirantur, & num. 7. 11.*
5 *Hæredem se esse debet probare qui tanquam hæres agit.*
6 *Copiæ simplices extractæ parte non citata nulla præcedente recognitione non probant.*
8 *Referenti non creditur nisi constet de relato.*
9 *Possessio ratione vsufructus morte vsufructuarij expirat.*
10 *Possessio naturalis, quam habet vsufructuarius, nullum potest eius mortem potest effectum parere.*

### DECISIO CCLI.

DOMINI dixerunt non esse locum Aegidianæ stante nullitate, & no-
1 toria iniustitia sententiæ, *Bald. in fin. nu. 6. Cantard. limit. 9. num. 22. C. si de momenta poss. Rot. in recentior. decis. 18. numer. 1. par. 1. & decis. 391. num. 6. part. 2.* & fuit sæpè decisum.

Et ommissis nullitatibus alioquin claris, quæ concernunt defectum iurisdictionis, quia lata fuit à deputato ab A. C. de cuius deputatione non constat in actis & defectũ legitimationis personarum illa patens visa fuit quia fuit lata huiusmodi sentẽtia directè contra decis. Rotales & sententiam in Rota latam quæ transitũ fecerat in rem iu-
2 dicatam & ideo † non potuit sine vitio nullitatis, quæ sapit iniustitiam contra eam pronunciari cum res iudicata pro veritate habeatur, *l. 1. C. quan. prouoc. non est necesse Cassad. decis. 1. num. 4. de sequest. poss. & fusè Gabr. cons. 54. num. 5. lib. 1.*

Quod autem sit eadem causa satis apparet quia ex serie facti constat fuisse eamdem litem & super prætẽsione Dotis Thomasiæ inter easdem personas & ad eumdẽ effectum licet actio secundo loco intentata sit diuersa à prima, *l. singularis & l. seq. ff. de excep. rei iudic. Abb. cons. 50. nu. 2. lib. 1. Dec. cons. 96. num. 1.*

Nec solum inualidam fuisse sententiam
4 sed etiam iniustam visum fuit cum ex actis nullo modo iustificetur ex eorum enim reuolutione patet nullo modo prout erat necessarium verificari primum requisitum, nempe creditum Honorij *Rot. apud Pacif. de Saluian. decis. 13. num. 1. decis. 18. nu. 3. & decis. 26. num. 1.*

Licet enim fuerit productum instrumẽtum solutionis dotis Thomasiæ factæ Andreæ eius marito qui dotem hypothecauit
5 in omnibus eius bonis tamen † ex hoc non potest dici constare de credito Honorij dũ ipse non probauit hæreditatẽ Thomasiæ ei fuisse delatã & ab eo aditã prout in primis in actis corã Iudice qui concessit immissionem tenebatur probare, *Cagnol. in l. heredẽ 59. num. 6. ff. de reg. iur. Dec. cons. 61. num. 1. vers. vnde ille qui agit Natt. cons. 246. num. 6. Menoch. de adipiscen. remed. 3. nu. 164.* & fuit nuper in his terminis dictum in *Romana Domus de Gambarellis Mercurij 27. Nouembris. 1619. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.*

Nec potest vlla certa probatio colligi ex

6 ex iuribus ab ipso Honorio productis in iudicio immissionis per eum obtentæ cum sint simplices copiæ extractę parte non cita nulla præcedente recognitione, *glos. & Castren. in auth. si contractus C. de fid. instr. Caputaquen. decis. 173. parte prma cum similibus*.

7 Deinde † nec etiam fuit probatum primum extremum nempè possessio Andreæ debitoris, *Rol. cons. 14. nu. 13 lib. 1. Rot. apud Pacif. dicta decis. 26. num. 1.* Nam licet fuerit productum decretum immissionis obtentæ per Timbriam vigore dationis in solutum cum reseruatione vsusfructus facta per Andream ipsi Timbriæ, tamen ex hoc non potest dici probata possessio Andreæ non exhibito instrumento dationis in so-
8 lutum ex quo † non creditur referenti nisi constet de relato *auth. si quis in aliqu. C. de eden. & ibi Dec.* vt videri possit an & quomodo Andreas possideret cum fieri possit, vt non suo sed alieno nomine possideret, vel vt vsufructuarius, vel alio titulo. Pos-
9 sessio † enim ratione vsusfructus nihil releuaret, quia eius morte expirauit, *§. final. instit. de vsufr. Bald. in l. 1. quæst. 46. ff. de rer. diuis. Natt. cons. 419. num. 3.* quo casu non
10 agi posset hypothecaria † cum naturalis possessio quam habet vsufructuarius nullũ post eius mortem possit effectum parere, *Castren. cons. 396. nu. 2. p. 2.*

11 Deficit etiam secundum † extremum nempe possessio Timbriæ, quæ necessario requiritur in Saluiano *Rolan. dicto cons. 14. num. 13. Rot. dicta decis. 26. num. 1.* & fuit sæpissimè decisum quin imò potiùs apparet de contrario ex datis in Summario num. 5. pto Timbria.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## MELEVITANA HAEREDITATIS.

*Veneris 24. Februarij 1620.*

### ARGVMENTVM.

Remissoria in prophanis stante releuantia materiæ etiam si ista ex vnico articulo depromatur semper conceditur.

### SVMMARIVM.

1 *Remissoria nunquam denegatur etiam sine fumo quando causa est prophana & articuli sunt releuantes.*

2 *Scriptura etiam informi quando adsunt vehementissima adminicula vna cum obseruantia fides est adhibenda.*

4 *Articuli, qui in actis habentur pro verificatis, aut impertinentes à Iudice indicantur sunt resecandi.*

4 *Remissoria super omnibus articulis conceditur quando vnus illorum est releuans.*

## DECISIO CCLII.

VISUM fuit Dominis concedendam esse remissoriam Dominæ Lucretiæ
1 ea ratione quia † articuli sunt releuantes, & causa est merè prophana. Vnde intrat regula vulgaris etiam sine fumo remissoriam nunquam denegari, *Caputaq. decis. 68. par. 3. Seraph. decis. 294.* & millies fuit in Rota decisum præcipuè cum simus in prima instantia, quia in partibus solum actum fuit coram Iudicibus super compromisso faciendo, & non super meritis causæ nihilque imputari potest dictæ Lucretiæ si probationes suas non fecerit sicque eum sit
2 actrix † etiam quo minus per testes intentionem suam probare non possit minimè est impedienda.

Quod autem aliqui ex articulis sint multum releuantes & inter eos præcipè quartus quintus & sextus visum fuit non posse in dubium reuocari tendunt enim ad comprobationem scripturæ pactorum matrimonialium, quæ quamuis patiatur plurimos defectus, vt fuit vltimo loco in hac causa decisum, Tamen si per testes probaretur prout articulatur eius veritas, & quod fuerit stipulata partibus præsentibus & coram Testibus & fuisset reperta inter scripturas authenticas Placidi Abel Notarij sine difficultate fundamenta vltimæ decisionis ti-
3 tubarent † cum non sit dubium, quin scripturæ etiam informi quando adsunt vehementissima adminicula vna cum obseruãtia fides sit adhibenda, vt ex plutibus firmatum fuit in hac eadem causa tam coram Reu. P. D. meo Verospio quam coram me.

Nec obstat, quod dicitur adesse aliquos articulos continentes materias non controuersas, quæ in dubium non reuocantur, ac etiam fortasse non necessarias prout sunt illi qui concernunt identitatem bonorum Placuit enim responsio quoad articulos controuersos si in actis habeantur pro verificatis posse resecari, quoad alios licet hodie per partem non controuertantur poterunt forsan in progressu causæ reuocari in du-

dubium vt circa identitatem bonorum non debent isti articuli hodie denegari ne pars teneatur aliam remissoriam petere.

Deinde cessat omnis scrupulus quia regula indubitata huius Tribunalis obseruatur, vt dato vno articulo releuanti, cæteri
4 admittantur, & non resecentur nisi habeantur articuli pro verificatis, aut à Iudice causæ impertinentes iudicentur, vt sæpissimè fuit in Rota decisum.

Et ita conclusum vtraque parte informante.

## ROMANA CVRAE.

*Mercurij 11. Martij 1620.*

## ARGVMENTVM.

Rationes si semel per administratorem fuerint redditæ, & quidem rectè secundum iuris dispositionem, ac reportata fuit ampla liberatio, & cum remissione nonnullarum exceptionum, & quoque liberatio facta fuit cum iuramento, tunc cum id habeat vim transactionis, vt cogi possit ad iterum dd. rationes reddere, quid sit probandum, necnon amplia supradicta, si Dominus, cui fuit reddita ratio administrationis bonorum suorum erat maior, & in negocijs apprimè versatus.

## SVMMARIVM.

1 *Ratio, quando semel est reddita, non est amplius reddenda, nisi constet euidenter de erroribus.*

2 *Administrator quod reddiderit rationem suæ administrationis, ex quo doceri possit.*

3 *Rationes dicuntur reddita, si constat de confectione librorum, exhibitione illorum, reuisione computorum, seu calculo, ac restitutione reliquatus.*

4 *Rationes præsumuntur reddita, si ille, cuius bona fuerunt administrata, erat maior, & in negotijs optimè versatur.*

5 *Maximèque accedente multorum annorum acquiescentia.*

6 *Contractus cuius nomine concipiatur, non est attendendum, sed ipsius contractus effectus.*

7 *Rationes præsumuntur reddita, licet liberatio fuerit concepta sub nomine donationis.*

*Quia id fit ad tollendas scrupulositates, quæ solent oriri.*

8 *in Venditionum contractib. quando apponitur clausula, & si plus valet, donat, id solet fieri ad tollendas scrupulositates.*

9 *liberatio obtenta ab administratore post redditionem rationum, quando habeat vim transactionis.*

10 *Transactio nisi docto de dolo, & fraude retractari nequit.*

11 *Transactio tunc multo minus rectractanda venit, stante iuramento.*

12 *Administrator, si post redditas rationes, ac obtenta liberatione, iterum pulsetur ad rationes reddendas, tunc ad Dominum spectat exhibere libros, & scripturas consignatas ei à d. administratore.*

13 *Quod si facere recuset, non est audiendus.*

## DECISIO CCLIII.

PRoposito dubio, an D. Pirrhus teneatur ad vlteriorem rationis redditionem, vel potius D. Octauio sit deneganda audientia ob non consignationem omnium librorum, & scripturarum in casu, & ad effectum, de quo agitur, Domini responderunt pro D. Pirrho informante cum D. Octauius sæpe sæpius citatus non informauerit.

Et quad primam dubij partem stat clara iuris conclusio firmata in alia decisione
1 sub die 14. Ianuarij 1619. † rationem semel redditam non esse amplius reddendã, nisi ostendatur continere euidentes errores qui tamen in cursu tot annorum nempe ab anno 1606. quo D. Pirrhus reportauit suæ administrationis liberationem nunquam fuerunt ostensi.

2 Quod autem † ratio fuerit semel sufficienter reddita visum fuit DD. clarè constare ex duobus instrumentis ex quorum primo apparet confectos fuisse libros administrationis, illosque consignatos Domino Octauio cũ præfixione termini vnius anni ad effectum illos reuidendi, & quicquid voluisset opponendi; ex secundo verò apparet in d. termino D. Octauium opposuisse plures prætensiones, illisque non obstantibus fecisse quietantiam amplissimam de omnibus administratis, reseruando sibi eredita, & partitas in dictis libris ad
3 sui fauorem positas, & creatas, † ex quibus resultat interuenisse omnia requisita necessaria pro reddenda legitimè de administratis ratione nempe confectionem librorum exhibitionem, illorum reuisionem, computorum, seu calculum, ac restitutionem reliquatus in creditis, & partitis ad fauorem D. Octauij positis, *iuxta dispositionem text. in l. cum seruus, ff. de condit. & demon-*

*demonstr. Monuz. de ratiocin. cap. 3. num. 5. & seqq.*

Id etiam colligitur ex dicto secundo instrumento, nedum quia D. Octauius reseruauit actionem contra Marium qui rationem nõ reddiderat, sed etiam contra eumdem D. Pirrhum respectu administrationis ante mortem Alexandri, de qua admini-
4 stratione D. Pirrhus tunc non † reddidit. Concurrit etiam qualitas personę D. Octauij tunc maioris 20. annis in negocijs optimè versatus, *Ancharan. cons. 330. num. 5. ponderanda est qualitas personarum*, iuncta
5 maximè† acquiescentia tot annorum à die quietantiæ ad diem motæ litis, *Castr. cons. 126. num. 1. versic. tollitur etiam ex altera lib. 2. Cephal. cons. 240. num. 8. vers. tertio pro ista lib. 2.*

Non obstat liberationem factam fuisse
6 per viam donationis, quia † non attenditur, cuius nomine concipiatur contractus, sed attenditur effectus, *l. si olei, C. locat. leg. insulam, ff. de præscript. verb. cap. constitutus de religios. domib. Bald. in rubric. C. de iure emphit. in fin. latè Roman. cons. 509. num. 1. & 2. & seqq. Alex. cons. 107. num. 7. 8. & seqq. lib. 3. Natt. cons. 110. num. 17. Surd. con-*
7 *sil. 434. num. 28.* & † liberatio potuit concipi sub nomine donationis ad tollendas scrupulositates quæ potuissent fieri, prout
8 in instrumentis venditionum, quando apponitur clausula, *& si plus vales donat.*

Considerarunt etiam Domini, quod cũ Octauius dedisset plures prætẽsiones quas prætendebat deducere in iudicio, & illas
9 in dicto instrumento remiserit † talis liberatio habet vim transactionis, etiam si alio nomine concepta sit, *Dec. in rubr. C. de tran-*
10 *sact. Ias. in l. 1. numer. 7. C. de pact.* † quæ quidem non docto de dolo, & fraude retractari non potest, *gloss. in l. actione, in verb. transactum, vers. sed dico contra, C. de transact. Munoz. de ratioc. cap. 40. num. 17. Montan. de ratioc. cap. 38. num. 129.* & multo mi-
11 nus stante iuramento, *Paris. cons. 96. n. 84. lib. 1. Cephal. cons. 192. num. 32. & 46. lib. 2. Guttier. de iuram. confirm. cap. 40. nu. 6. Mont. loco alleg. nu. 124. & seqq.*

Quoad secundam partem dubij Domini moti fuerunt, quia iam Rota sub die 19. Ianuarij 1619. resoluit D. Octauium teneri ad exhibitionem omnium librorum, & scripturarum super quibus fuit reddita ra-
12 tio. Et quia informantes pro illo dicebãt non constare de consignatione omnium librorum. Rota vtraque parte informante sub die 29. Nouembris 1619. respondit
13 constare de consignatione omnium† dum igitur D. Octauius recusat illos exhibere, merito deneganda est audientia. *glos. in l. sed & si per prætorem, vers. si de certo, ff. ex quibus caus. in possess. Alex. cons. 3. num. 1. vers. & ipso actore non edente lib. 2. Franc. decis. 276. num. 10.*

Et ita decisum vna tantum parte informante.

## ELNEN. BENEFICII.

*Lunæ 17. Iunij 1620.*

### ARGVMENTVM.

Clausula, Arbitrio &c. quid importet, clausula, Constito &c. quando non requirat exactam probationem.

### SVMMARIVM.

1 *Arbitrium aliquid minuit de rigore iuris.*
2 *Fructus in fine litis solet Rota reseruare, stante clausula, Arbitrio, quando concurrit iusta causa.*
3 *Testes deponentes, quod aliquis reputatur pauper, & impotens ad soluendum probant paupertatem, præcipuè si agatur ad effectũ illum absoluendi ab excommunicatione, quam incurrit ob impotentiam soluendi, & num. 4.*
5 *Clausula, Constito de paupertate, requirit exactam, & concludentẽ probationem paupertatis ad certum effectum, limita nu. seq.*

### DECISIO CCLIV.

Conclusum fuit interponendum esse arbitrium ad effectum reseruationis fructuum in fine litis, licet enim clausula, *Arbitrio*, intelligi debeat, prout iuris ratio
1 postulat nihilominus† cum hoc rescriptum emanet à Principe aliquid minuit de rigore iuris vt millies fuit in Rota decisum.
2 Vnde † Rota solet stante clausula, *Arbitrio*, reseruare fructus in fine litis, quando concurrit iusta causa sicuti paupertatis, vt tenuit *Rota in causa Cesenaten. 4. Decembris 1609. coram R. P. D. meo Decano, & in Cesaraugustana distributionis relata inter rec. decis. 363. num. 2. par. 2.*
3 In casu autem, de quo agitur, † satis visum fuit constare de paupertate, quia vt patet ex testibus examinatis per Ioannem quorum

quorum dicta dantur in Summario num. 4. ipse reputatur pauper, & impotens ad soluendum aliquod debitum, & quamuis appareat ipsum habere in patrimonio quandam domunculam, & vineam tamen dicitur esse grauatas annuo censu, qui ascendit quasi ad earum redditus, & d. Ioannes offert se paratum eas consignare Antonio cum suis oneribus.

Quo verò ad beneficia ecclesiastica sunt tenuissimi valoris cum eorum fructus non excedunt scuta 12. annua, & licet distributiones cuiuslibet ascendant ad scuta 60. non propterea dici potest potens ad soluendum debitum, quia certum est ipsum non posse nisi in vno residere, & per consequens percipere distributiones illius quin
4 imò † cum in Curia reperiatur ad prosequendam causam, & actualiter iustam habeat causam non residendi nullas distributiones potest prætendere, ex quibus simul iunctis Domini interposuerunt arbitrium præcipuè cum agatur ad effectum absoluendi dictum Ioannem à vinculo excommunicationis quam incurrit ab impotentiam soluendi dictos fructus, nondum adhuc liquidatos.
5 Non obstat, quod dicitur † stante clausula, *constito de paupertate*, requiri exactam & concludentem probationem paupertatis ad certum effectum, vt in *Placentina Parochialis de Malpartida 26. Maij 1593. coram bon. mem. Litta, & in Camerinen. Legati 14. Martij 1595. coram bo. me. Orano*,
6 Nam obiectum tollitur ex facto, quia † ex lectura secundum partis commissionē, quæ datur in Summario num. 2. apparet fuisse totaliter remissum arbitrio Rotę iudicium an fructus litis essent in lite reseruandi, nec legi dictam clausulam, *constito*, vltra quod etiam omnibus simul iunctis existimarunt Domini ad effectum de quo agitur, satis constare de paupertate.

Et ita decisum vtraque parte informante &c.

## LEODIEN. PAROCHIALIS.

*Mercurij 17. Iunij 1620.*

## ARGVMENTVM.

Remissoria in Rota etiam contra instrumentum publicum articulatur, quando articulatur minus dictum, & plus scriptum: Simonia vt commissa dicatur præcæteris requiritur consensus.

## SVMMARIVM.

1 *Remissoria nunquam denegatur, vbi adest releuantia vnius articuli.*
2 *Rector inhabilis ad exercendam curam absque simonia labe potest deputare aliquem, qui curam animarum exerceat.*
3 *Probationes etiam contra publicum instrumentum, solet Rota admittere quando articulatur, minus dictum, & plus scriptum, maximè ad effectum excludendi crimen.*
4 *Scripturæ fides redditur suspecta si eadem die vnus ex contrahentibus abfuerit à loco celebrati instrumenti.*
5 *Consensus omnino necessarius est ad effectū incursus simoniæ.*
6 *Falsi suspicio in ciuilibus sufficit ed exclusionem criminis.*
7 *Remissoria conceditur ad probandum id, cuius contrarium deponunt testes partis.*
8 *Remissoria quando vnus obtinuit, venit etiam alteri concedenda vt æqualitas in iudicio seruetur.*

## DECISIO CCLV.

Dandam esse remissoriam, Domini responderunt ex regula generali, quod
1 vbi adest releuantia vnius articuli nunquā denegatur, *Cass. decis. 5. in fin. de sequestr. possess. Seraph. decis. 1364. num. 3. Rota decis. 677. nu. 1. par. 1. inter recent.* & millies fuit in Rota decisum.

In casu autem de quo agitur, videntur articuli, primus, secundus, & tertius releuantes dum articulatur grauis ætas, infirmitas, inhabilitas Aegidij Rectoris, qui propterea motus ex quærelis, & reclama-
2 tionibus Parochianorum † tractauit cum Ioanne Arnoldo ad hoc vt vellet assumere exercitium curæ cum certis pactis, & conuentionibus, & ita fuit conclusum, non autem de resignatione tituli parochialis, quo casu sine dubio absque simoniæ labe potuit hæc conuentio fieri, *cap. extra. §. qui vero, vbi glos. & DD. de præben.* Et quamuis ex instrumento appareat fuisse actum de resignatione, & collatione tamen prædicta articulantur ad ostendendum diuersam fuisse partium intentionē malè à Notario explicatam, vt ponitur in quinto articulo erat ignarus, & parum practicus; Vnde non potest excludi releuantia dicto-
3 rum articulorum. † Nec est nouum in Rota admitti probationes etiam contra instrumentum publicum, quando articulatur minus

nus dictum, & plus scriptum vt in *Turitana bonorum coram R. P. D. meo Vbaldo 23. February 1615.* idque præcipue cum agatur ad effectum excludendi criminis simoniæ.

Articuli etiam septimus, & octauus, visi fuerunt releuantes in quibus ponitur absentia Arnoldi à loco in quo legitur confectum instrumentum, & apocha cum eius residentia in Ciuitate Leodien eademmet die celebrati instrumenti. Et quod ista lo-
4 ca distat à se multis milliarijs; † vnde redderetur suspecta fides scripturarũ, defectus-
5 que consensus, qui omninò necessarius esset ad effectum incursus simoniæ, *Nauarr. cons. 60. nu. 2. de simon. Paris. de consid. q. 24. num. 44. cum alleg. in vna Albinganen. Confidentiæ Lunæ 6. Martij 1606. coram Reuerendiss. D. meo Lugdun.* qui articuli eo ma-
6 gis sunt admittendi, quia certum est † in ciuilibus solam suspicionem falsi sufficere præcipue ad exclusionem criminis, *DD. in cap. afferte mihi gladium extr. de præsumpt. Cephal. cons. 338. num. 22. & cons. 283. nu. 8. Archid. in canon. memoriam num. 5. distinct. 19. Alex. cons. 205. lib. 6. Dec. cons. 448. numer. 25. Rota apud Seraph. decis. 1259. nu. 4. & in vna Corduben. Coadiutoriæ 27. Nouembris 1619. coram me.*

Et quamuis in decisione coram R. P. D. meo Manzanedo in hac causa facta dicatur quod suspicio harum scripturarum tollitur ex testibus, qui deponunt de præsentia Arnoldi in d. loco.

Placuit tamen responsio quod propte-
7 rea † non debet excludi Arnoldus ad probandum contrarium similiter per testes cũ probario probationem non excludit vulgatis iuribus; Idque tanto magis quia-
8 iam Ioannes Vipoin obtinuit remissoriam ad probandam eius intentionem, & per consequens venit etiam concedenda Arnoldo vt æqualitas in iudicio, præsertim in faciendis probationibus seruetur.

Et ita decisum vtraque parte informante.

BAREN. ARCHIPRESBYTERATVS.

*Mercurij 11. Martij 1620.*

ARGVMENTVM.

Ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Actore non probante reus absoluitur.*
*In gratia omnia narrata sunt iustificanda.*
2 *Gratia iustificanda in totum venit quando agitur de priuatione beneficij.*

DECISIO CCLVI.

Domini sine vlla difficultate responderunt pro Marco Antonio informante ipsi scilicet dandam esse absolutionem, quia cum reperiatur in possessione Archipresbyteratus, de quo agitur, vigore tituli Apostolici, vt patet ex confessione ipsiusmet Ioannis Bernardi in litteris per ipsum obtentis contenta, & nihil pro parte dicti Ioannis Bernardi impetrantis fuerit probatum, intrat strictissima iuris re-
1 gula † Actore non probante reum debere absolui *vlgata l. quis accusare, C. de edend. cap. 2. §. sane, & ibi Abb. cæterique Canonistæ de iureiurando cum similibus.*

Pro parte siquidem Ioannis Bernardi in gratia per ipsum obtenta duo fuerunt narrata copulatiuè, scilicet falsò Marcum Antonium expressisse fructus, redditus, & prouentus Archipresbyteratus litigiosi 40. ducatos auri de camera secundum communem æstimationem non excedere, licet dicti fructus ascenderent ad valorem annuum 70. ducatorum similium, secundo narratum fuit d. Marcum Antonium resignationem per ipsum obtentam iuxta constit. felic. record. Gregorij XIII. minimè publicasse, nec publicari fecisse. Vnde d. Bernardus precisè tenebatur iustificare duplices vacationis modos in sua gratia
2 narratos, & ratione, quia cum non agatur solummodo ad priuationem, seu ad depositionem possidentis, sed ad effectum vt secuta priuatione beneficium impetranti adiudicetur omnia narrata, qualitatesque expressæ sunt iustificandæ, *cap. cum olim de rescriptis, & ibi id notat glos. in verbo ad omnia, & Abb. num. 3. cap. licet causam, cum ibi notat. de probat. c. 2. vbi post alios Rip. nu. 65. de rescript. Egid. decis. 374. alias 765. circa fin. Sarnen. de subrog. collitig. quæst. 7. num. 6.* vbi dicitur de stylo in Rota seruari cum multis allegatis in vna *Oscen. Archidiaconatus 19. Octobris 1901. corã Illustriss. Lancellotto*, & nuper in vna *Pampilonen. Parochialis 30. Martij 1618. coram R. P. D. meo Remboldo.*

Quod tantum abest vt id præstiterit di-

ctus

ctus Ioannes Bernardus impetrans quin potius apparet ipsum in tot terminis ipsi à Rota præscriptis, aut nihil ex narratis potuisse probare, aut non curasse; Vnde Marco Antonio reo, & possessori sententia absolutoria denegari non debet.

Et ita decisum vna tantum parte informante, altera sæpissimè citata.

TREVEREN. DECIMARVM.

*Veneris 13. Martij 1620.*

ARGVMENTVM.

Possessio de tempore motæ litis omnino requiritur, vt quis manuteneri valeat super exactione decimarum, & signanter quando qui decimas pretendit non habet causam vniuersalem possidendi.

*SVMMARIVM.*

1 *Possessio de tempore litis motæ omnino requiritur pro obtinenda manutentione.*
2 *Indefinita in testibus non æquipollet vniuersali.*
3 *Extensio fieri non potest ad fauorem eius, qui non habet aliquam vniuersalem causam.*
4 *Testis vnicus, famulus, & non concludens nihil probat.*
5 *Probatio semiplena tunc admittitur in iudicio manutentionis quando est adminiculis fulcita.*
6 *Probatio probationem excludit.*
7 *Manutentio datur etiam in gradu restitutionis in integrum.*
8 *Probatio informis difficilius admittitur pro obtinenda manutentione, quando adsunt in contrarium, sententiæ quæ in iudicatum transierunt.*

DECISIO CCLVII.

FVit resolutum non esse dandum mandatum de manutenendo Monasterio in quasi possessione percipiendi decimas ex vineis Capituli Palatiolen. quia deficit quasi possessio de tempore litis motæ omnino requisita pro obtinenda manutentione, §. *retinendæ instit. de interd. Rota in recent. decis. 63. num. 1. & decis. 605. num. 1. par. 1.* & fuit sæpissimè decisum.

Licet enim testes pro parte Monasterij examinati conentur deponere Monasterium percipere decimas in loco de Côda. Tamen non deponunt in specie in vineis Capituli

2 Palatiolen. Est autem recepta cõclusio indefinita non æquipollere vniuersali in testibus, *Innoc. in cap. auditis, vbi Abb. n. 16. Felin. num. 29. de præscript. Alex. cons. 100. num. 1. vers. non obstat, & nu. 2. lib. 1. Curt. iun. cons. 17. num. 4. vers. istam doctrinam, Rota in recent. decis. 687. num. 19. par. 2.* cum alijs in decis. huius causæ Veneris 5. Maij 1617. in qua etiam fuit firmatum Monaste-

3 rium non habere aliquam vniuersalem causam possidendi, vnde non potest ad eius fauorem fieri aliqua extensio.

Non obstat depositio decimi testis, qui videtur deponere de aliqua perceptione decimarũ etiam ex vineis Palatiolen. quia

4 est vnicus, & est famulus Monasterij, & iux. septimum dicit se nescire an vineæ Capituli sint exemptæ, nec loquitur respectu quotæ Capituli, & sic posset verificari in quota colonorum, & in contrarium dantur testes examinati pro parte Capituli deponentes de nõ solutione decimarum ex eius

5 vineis. Vnde licet in iudicio manutentionis soleat admitti probatio possessionis per vnicum testem tamquam semiplena, tamen hoc casu non debet admitti cùm non concurrant aliqua adminicula, nec testis sit omni exceptione maior, sed patitur plures exceptiones, & in contrarium adsunt plures probationes circa exemptionem Capi-

6 tuli, & clari iuris est probationem probatione excludi, vt post *Bart. Surd. cons. 135. num. 94. vol. 1.*

Et eo minus habendam rationem dicti testis, Domini censuerunt, quo reperiuntur plures sententiæ, quæ transitum fecerunt in iudicatum, & iam Rota dixit dandam absolutoriam ad fauorem Capituli, quæ licet non sint sufficientia ad denegan-

7 dam manutentionem, quæ datur etiam in gradu restitutionis in integrum, vt fuit sæpissimè decisum, tamen negari non potest quin difficilius sit admittenda informis probatio pro Monasterio deducta.

Et ita decisum vtraque parte informante &c.

TVDERTINA COMMENDAE.

*Lunæ 4. Maij 1620.*

ARGVMENTVM.

Sequestrum nulliter absque citatione relaxatum non sustinetur, & est reuocãdum etiam si agatur inter Equites Hierosolymitanos, & de-

& declarantur nonnulla stabilimenta eiusdem Religioni.

*SVMMARIVM.*

1 *Citatio necessaria est in quolibet iudicio, & in quolibet actu, in quo cadere potest praeiudicium.*
2 *Citatio in dubio non censetur remissa maximè vbi requiritur causa cognitio.*
3 *Receptor Religionis Hierosolymitanae facto proprio potest apprehendere possessionem Commendarum pro satisfactione communis aerarij.*
4 *Citatio omnino requiritur vbi aditur Iudex.*
5 *Mandatum habet à lege frater pro fratre, limita in causis spiritualibus, vel spiritualitati annexis, num. 6.*
7 *Etiam in spiritualibus admittitur, quando agitur de simplici defensione.*

## DECISIO CCLVIII.

DOMINI censuerunt sequestrũ A.C. esse reuocandum etiam ad instantiam R.P.D. Benini, & quo ad primam partem ratio Dominorum fuit, quia sequestrum fuit nulliter per A.C. relaxatum
1 absque aliqua partis citatione, † quae necessaria est in quolibet iudicio, & in quolibet actu, in quo potest cadere praeiudiciũ, *l. de vnoquoque, ff. de re iudic.* & in terminis relaxationis sequestri, *Curt. de sequestr. q. 7. num. 40. Rebuff. super constit. Regn. tom. 3. tit. de sequestr. art. 1. glos. 1. num. 22. Angel. cons. 107. numer. 1. vers. primò quia, Alex. cons. 6. n. 9. & 10. lib. 4.*

Nec contrarium visum fuit disponi in Breue Sixti V. quia licet in eis disponatur, quod stabiliméta Religionis praecipuè circa solutiones faciendas cõmuni aerario mandentur per Iudices executioni, non tamen ibi dicitur hoc fieri absque partis citatio-
2 ne, quae in dubio † non censetur remissa maximè vbi requiritur causae cognitio, *l. in causa, §. causa cognita, ff. de minor. l. 3. §. causa cognita, ff. de bonor. possess. Angel. d. cons. 107. sub num. 1. Curt. loco alleg. num. 4.* Permittuntur enim tales executiones contra contumaces, & per consequens debet praecedere citatio partis ad effectum vt Iudex videre possit, an conuentus, vt contumax habeat aliquid quod contumaciam excludat.
3 Non obstat, quod in stabilimentis permittatur receptoribus Religionis apprehensio possessionis Commendarum facto proprio pro satisfactione cõmunis aerarij, & illis credatur absque alia probatione circa creditum aerarij, quia quicquid esset dicendum, vbi receptor cepisset possessionem propria auctoritate vnum est, quod in illis non disponitur, quod per Iudices possent relaxari sequestra absque partis ci-
4 tatione, † quae omninò requiritur vbi aditur Iudex, *Bart. in l. creditores in quaest. 5. num. 6. C. de pign. Bald. in l. 1. in 10. quaest. C. de seruit. & alij per Gabr. de citat. concl. 1. ampliat. 52. num. 223. Corb. de priuat. ob non solut. canon. q. 13. circa fin.*

Quo verò ad secundam partem ratio
5 Dominorum fuit, quia † frater habet mandatum à lege, *l. sed & ea persona, ff. de procurat. Alex. & Ias. in l. exigendi C. de procurat.*
6 Non obstat id, † non habere locum in causis spiritualibus, vel spiritualitati annexis, in quibus coniuncta persona non
7 admittitur. Nam vbi † agitur de simplici defensione, prout hic cum R.P.D. Beninus defendat eius fratrem ne illi occupetur commenda bene admittitur coniuncta persona, vt per *Rot. decis. 35. de procurat. in nonis, & decis. 34. eodem tit. in antiqu.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CREMONEN. BENEFICII.

*Lunae 6. Aprilis 1620.*

## ARGVMENTVM.

Possessio anterior manutenenda: Et ex quibus non dicatur beneficium litigiosum.

*SVMMARIVM.*

1 *Possessio instrumentalis alio non possidente sufficit ad manutentionem.*
2 *Tertius non attentat.*
3 *Lis super exequutione breuis non facit beneficium litigiosum.*
4 *Possessio iunior praesumitur clandestina, & turbatiua, & non manutenibilis in praeiudicium illius qui non habuit se pro spoliato.*
5 *Iudex nulliter procedens non dicitur priuare aliquem sua possessione.*

DE-

DECISIO CCLIX.

1 PRO informante Domini responderunt nempe dandum esse mandatum de manutenendo Thomæ de cuius anteriori possessione constat ex publico instrumento cum de illo tempore alius non existeret in possessione, *Rot. in recent. dec.106. n.1. par.1. & dec.761. n.1. par.2.*

2 Non obstat si dicatur, quod tunc beneficium esset litigiosum, quia cum Thoma esset tertius non attentauit, *cap. Romana §. in alium de appell. in 6. Rot. d. cis. 3. vt lit. pend. in nou. & decis. 2. eodem tit. in antiq. Achil. decis. 28. de appell. Mohed. decis. 10. vt lit. pend. & decis. 21. de caus. possess. & propriet. Mantic. decis. 321. n. 15. Rot. in rec. decis. 293. n. 10.*

3 Sed nec beneficium dici poterat litigiosum, quia lis non erat super titulo beneficij, sed solum super exequutione Breuis coram A.C. quæ non facit beneficium litigiosum, *Cassad. decis. 4. vt lit. pend. Lancell. de attent. par. 1. cap. 3. num. 135. & seq. & par. 2. cap. 4. n. 491. & in 2. limit. n. 15. Rot. in recent. decis. 341 num. 2. & decis. 618. num. 4. par. 1.*

4 Non obstat possessio postea capta per Laurentium, quia illa † tanquam iunior præsumitur clandestina, & turbatiua, quæ non est manutenibilis in præiudicium Thomæ, quæ non habuit se pro spoliato, *cap. licet causam, & ibi DD. de probat. Rot. diuers. decis. 27. numer. 7. par. 1. & in recent. decis. 111. num. 1. decis. 555. num. 1. & decis. 652. num. 1. par. 1.* Et quamuis fuerit capta

5 Iudicis auctoritate tamen † cum nulliter Iudex processerit non citato Thoma possessore, cum non priuauit sua possessione, *Abb. in cap. conquerente num. 8. de restit. spoliat. Rot. diuers. decis. 802. num. 7. par. 1. & in recent. d. decis. 555. nu. 2. par. 1.* fuit dictum in *Rhegien. beneficij, Veneris 15. Nouembris 1615. coram me*, & alias sæpe.

Et ita decisum.

CAMERINEN. SPOLII.

*Veneris 30. Martij 1620.*

ARGVMENTVM.

Legatum argentorum nō dicitur ademptum per illorum alienationem, quando loco illorum apparet Testatorem subrogasse pecuniam illis correspondentem. Et quando non dicatur impugnata voluntas Testatoris, vt huiusmodi legatum adhuc debeatur.

*SVMMARIVM.*

1 *Legatarius habet fundatā intentionem suam in testamento.*
2 *Legatum videtur ademptum per alienationem, limita n. 3. & 4.*
5 *Legatum non debetur Legatario, qui impugnauit testamentum.*
6 *Pœna vt euitetur quælibet causa sufficit, & omnis interpretatio recipitur.*
7 *Procurator non habens speciale mandatum non potest impugnare testamentum.*

DECISIO CCLX.

CVM per q. Equitem Viuianum in suo testamento fuerit relictum eius religioni Hierosolymitanæ legatum argentorum. Dedi dubium an deberetur,
1 & quia † religio habebat fundatam intentionem suam in testamento, *l. legatum, ff. de leg. 1. §. leg. instit. eod. tit.* Informantes pro hærede prætendebant non deberi ex pluribus.

Et primo ex eo, quod d. Eques alienauit ferè omnia argenta legata, per quam
2 alienationem dicebatur legatum fuisse ademptum ex deductis per *Card. Mant. de coniect. vlt. vol. lib. 12. tit. 6. num. 1. & seq.* Sed placuit responsio Testatorem non se restrinxisse ad argenta dum enim legato argentorum adiecit, quod si illa non ascenderent ad scut. 500. hæres teneretur supplere ad dictam summam apparet eius intentionem fuisse relinquere Religioni scut. 500. in argenteis si adessent sin minus
3 in pecunia, † & per consequens subrogauit pecunias in locum argentorum venditorum, *Roman. sing. 430. Card. Mantic. d. lib. 12. tit. 6. sub num. 25.* Quod maxime
4 procedit hoc casu fauore piæ causæ, *Roman. d. sing. 430. Tiraq. de priuil. piæ caus. priuil. 63. in fin. Card. Mantic. loco allegato num. 26.*

5 Secundo dicebatur non deberi legatum. Quia Religio iam impugnauerat testamentum ex *tex. in l. quæsitum, ff. de acq. hæredit. in l. filium, §. omnibus autem, ff. de leg. præst. Bart. in auth. ex causa num. 19. C. de lib. præter.* cum alijs alleg.

Huic obiecto plures fuerunt datæ responsiones pro parte Religionis, quæ Dominis placuerunt. Non enim visum fuit

subsistere, quod Religio impugnauerit te-
stamentum, nam licet obtinuerit describi
bona tamen talis descriptio poterat peti,
vel ad effectum consequendi legatum, vel
consequendi bona quæsita ex redditibus
Religionis, quæ non remanebant in hære-
ditate cum essent exceptuata in facultate
6 testandi, † & ad effectum euitandi pœnam
sufficit quælibet causa, & omnis interpre-
tatio recipitur, *Dec. in l. quod te, num. 23. ff. si cert. pet, Put. decis. 484. in fin. lib. 2.*

Quo verò ad causam iactationis intro-
ductam pro parte hæredis non potest dici
Religionem impugnasse testamentum, &
6 in omnem † casum omnia fuisse gesta per
Procuratorem non habentem aliud specia-
le mandatum ad id, vt in terminis Religio-
nis est decisum, *Card, Mant. 230. n. 9.*

Verum quia non est licitum, vt Religio
impugnet testamentum, & eodem tempo-
re petat legatum, Domini resoluerunt fa-
cta renunciatione per Religionem deberi
legatum.

Et ita decisum vtraque parte infor-
mante.

## ROMANA PECVNIARIA.

*Mercurij 17. Iunij 1620.*

## ARGVMENTVM.

Rei iudicatæ non est locus attenta nullitate
sententiæ, & referuntur nonnullæ nullita-
tes substantiales.

## SVMMARIVM.

1 *Sententias aliorum Iudicum Rota non solet exequi nisi cognita, & degustata validitate, & iustitia sententiarum.*

2 *Sententia transit in iudicatum ob non prorogationem fatalium.*

3 *Sententia nulla nunquam transit in iudicatum.*

4 *Causa appellationis deserta, non censetur decerta causa nullitatis, quæ durat per annos 30.*

5 *Sententia lata in causa commissaria durante tempore feriarum est nulla.*

6 *Rescriptum, & non petitio partis attendi debet.*

7 *Clausula, prout de iure, restringit totam commissionem ad terminos iuris communis.*

8 *A.C. nullam habet iurisdictionem inter Giues Romanos.*

9 *Sententia lata non seruatis terminis substantialibus est nulla.*

10 *Sententia est nulla si sit lata die sequenti post præsentatam commissionem.*

11 *Nullitas potest opponi etiam post lapsum plurium annorum à die sententiæ, quando agitur de executione illius.*

12 *Productio non probatur ex annotatione Notarij asserentis Instrumentum fuisse in actis productum.*

13 *Contractus minoris sine solemnitatibus statutarijs non valet.*

14 *Notario asserenti aliquid ab alio gestum non creditur.*

15 *De Curatoris deputatione in contractu minoris debet in actis constare.*

## DECISIO CCLXI.

PRoposito dubio vtrum constaret de re
iudicata quæ veniret exequenda Do-
mini negatiuè responderunt ea moti ratio-
ne, quia ex antiquo, & laudabili Tribuna-
1 lis stylo Rotæ † non solet exequi senten-
tias aliorum iudicum nisi cognita, & de-
gustata validitate, & iustitia sententiarum,
vt fuit millies decisum.

In hac autem facti specie licet senten-
2 tia de qua agitur † ob non prorogationem
fatalium videatur transitum fecisse in rem
iudicatam, *auth. si quis, & l. fin. C. de temp. appell.* Nihilominus durat semper tempus
ad proponendas nullitates, quod est 30.
3 annorum † cum regulariter sententia nul-
la non transeat in rem iudicatam, *l. ea quæ C. quom. & quand, Iud. Seraph. decis. 342.*
4 *num. 7. & decis. 493.* Præcipuè cum [illegible]
principaliter commissa sit causa nullitatis,
vt fuit in terminis decisum in vna *Carthaginen. pensionis 14. May 1600. coram Lancellotto, & postea in causa Elboren. Iuriscon-ferendi 24. Ianuarij 1614. coram R.P.D. meo Manzanedo.*

Plures autem nullitates magnæ consi-
deratione dignæ pro parte Iuliani fuerunt
5 adductæ, & primo defectus † iurisdictionis
cum fuerit lata in causa commissaria du-
rante tempore feriarum; vnde censetur in-
ualida, *l. 2. in fin. C. de ferijs cap. fin. eod. [illegible] Vant. de null. & defect. iurisd. num. 129. & seqq.* Nec petitio derogationis feriarum
potest suffragari ad euitandam nullitatem,
6 quia † petitio facta in corpore commissio-
nis dum non fuit concessa censetur dene-
gata attendi enim debet rescriptum Si-
gnaturæ, & non petitio partis, *Bald. in l.*

pra-

*præscriptione num.*42.*C. si contra ius, Paris. cons.*507.*num.*21. *& seqq.lib.*4. *Barbat.cons.* 38.*numer.*18. *lib.*2. *Rot. decis.*18. *de rescript.* Stante præcipuè † clausula in rescripto apposita, *prout de iure*, quæ restringit totam commissionem ad terminos iuris communis, *Caput. decis.*162.*par.*1.

Nec etiam placuit alia responsio data ad tollendam huiusmodi nullitatem dum dicitur A.C. fuisse Iudicem Ordinarium qui processit vigore monitorij,& ita commissio non fuit nisi excitatoria iurisdictionis. Nam hæc obiectio tollitur ex facto, quia constat ex actis causam huiusmodi introductam coram A. C. vigore Monitorij fuisse reassumptam à Curia Capitolina, &
8 merito quia † dum ageretur inter Ciues Romanos nullã A.C. habebat iurisdictionẽ nisi ea quæ vigore rescripti ei fuit concessa, & sic causa erat commissaria.

9 Secunda nullitas ex eo deducitur, quod non fuerunt seruati habili tempore, & & à legitimo procuratore termini substantiales, *Cass.decis.*8.*nu.*6. *de rescript. Seraph. decis.*1134.*num.*1.*Rot. diuers.decis.*105.*n.*1. *part.*1.

Tertia verò nullitas, quia sententia de qua agitur lata reperitur die sequenti post quam fuit præsentata in actis commissio.
10 Vnde ex breuitate† temporis dicitur nulla, vt in specie tradit *Put. decis.*344.*lib.*1. *Cas. de Grass.decis.*13.*num.*2.*tit. de sent. & re iudic.*

Nec obstat, quod dicitur non posse hodie opponi huiusmodi nullitates stante statuto Vrbis cap. 191. lib. 1. & lapsu tot annorum,placuit enim responsiõ statutum
11 non impedire † dum agitur de executione sententiæ, quo minus possit excipi de nullitate quicquid sit agendo, vel replicando, vt per *Ath. decis.*6.*num.*1. *de constit. Put.decis.*164. *num.*1. *lib.*2. cum cumulatis per *Modern.super statuti Rubrica num.* 40. *vers. sed dubitatur.*

Nec solum validitas sententiæ, sed etiã iustitia fuit à Dominis reuocata in dubiũ. Non enim apparet fuisse in actis productum instrumentum vigore cuius egit Antonina, & ita sententia non iustificatur ex actis,nec vlla fides ex annotatione Notarij
12 dari potest †. cum debeat regulariter in actis constare de actuali productione.

Et quatenus productum fuisset huiusmodi instrumentum nihilominus multum dubitabant Domini si obligatio Iuliani tunc minoris contenta in d. Instrumento posset sustineri, quia non interuenerũt solemnitates statutariæ in minorum contractibus requisitæ. Debebant siquidem interesse consanguinei, vel saltem depu-
13 tandus † erat legitimus Curator minori, vt validè inter tutorem, & minorem computa possent solidari de cuius curatoris deputatione in ijsdem actis constare debebat, vt per *Moder. ad dictum statutum Vrb. cap.*151. *lib.*1.*glos.*20. *num.*1. & de iure communi debebat Curator deputari ad petitionem minoris, *l.*2.*§.Curatores autem ff. qui pet. tut.Bald. in l.curatorem, numer.*2. *ff.de negoc.gest. Gabr.cons.*25.*num.*12.*lib.*2. Nec euitatur obiectum ex assertione Notarij, qui asserit curatorem fuisse deputatum per acta alterius Notarij; Tum quia
14 Notario asserenti aliquid ab alio gestum non creditur; tum quia huiusmodi depu-
15 tatio erat † necessario Iudici exhibenda & in ijsdem actis de ea constare debebat, vt per *Bart. Socc. aliosque scribentes in auth. si quis in aliquo, C.de edendo.* Idque tanto magis, quia non leuis suspicio oritur huiusmodi calculum esse erroneum, & per subsequentem factum post mortem Lazari tutoris fuisse correctum, & emendatum.

Ex quibus visum fuit Dominis pro nũc firmare non constare de re iudicata,quæ sit exequenda reseruantes Antoninæ postquam instrumentum de quo agitur in actis produxerit actionem quæ pendet à reuisione vtriusq. computi ad hoc vt sciri possit vtrum prima partita contenta in instrumento sit comprehensa in secundo calculo, quæ inspectio requireret relationem alterius periti.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

## TREVIREN. BONORVM.

*Veneris 26. Iunij 1620.*

### ARGVMENTVM.

Venditio quando dicatur consumpta.

### SVMMMARIVM.

1 *Instrumentum facit probationem probatam, & concludentem.*
2 *Et habet pro se præsumptionem veritatis.*
3 *Litteræ patentes communita sigillo capituli probant ad instar instrumentorum.*

4 *Decretum capituli probat aliquid fuisse gestum.*

DECISIO CCLXII.

COmmissa mihi causa ad instantiam Capituli Sancti Seruatij super nullitate alienationis quorundam bonorum ipsius Capituli in Pago Gulsæ vsque de anno 1595. more Treuireñ factæ in Rectorem, & Collegium Conflueñ RR. PP. Societatis Iesu. Dedi dubium an Ecclesia Sancti Seruatij sit reintegranda, quo sæpius proposito, & non resoluto ob plures difficultates hinc inde excitatas. Visum fuit Dominis prius firmandum, quod ab agentibus Capituli controuertebatur, An constaret de venditione, & pretij solutione, & sub die 26. Iunii 1610. resolutum fuit affirmatiuè.

Ex serie namq; facti constat Capitulum post plures tractatus, & deliberationẽ factam de vendendo bona Gulsæ, de quibus in Summario Collegii *num*.3.4.5. constituisse Procuratores ad illa vendenda in eodem Summario *num*.6. & à Procuratoribus iuxta decretum Capituli in Summario *num*.7. apparet fuisse vendita bona prædicta sub die 11. Ianuarii 1595. more Treuireñ Rectori, & Collegio Confluen̄ pro pretio florenorum 7. mil. aureorum, cum conditionibus quod per Rectorem obtineretur confirmatio, & solueretur pretium in Ciuitate Coloniæ, quo pretio soluto Capitulum promisisse tradere eidem Rectori litteras patentes emptionis, & venditionis sigillo Capituli Communitas in eod. Summario *num*.8.

Constat etiam Capitulum postea constituisse Procuratores ad transportandum bona prædicta in possessione Collegii, seu ad tradendum Collegio possessionem dictorum bonorum præuia tamen solutione pretii, cum facultate quietandi Rectorem, & Collegium de habita, & recepta pecunia, & cum facultate substituendi alios ad transportandum bona, seu ad illorum possessionem tradendam in Summario *num*.9. Dictosque Procuratores apparet præuia confessione realis numerationis pretii florenorum 7. mil. aureorum Rhenensium quietasse Rectorem, & Collegium, & cessisse, & transportasse bona iuxta contractus venditionis formam, & substituisse alios qui effectualiter, & realiter possessionem tradiderent, prout substitutos tradidisse constat ex iuribus in Summario *num*. 10.

Et licet hæc facti series probetur per
1 publica † documenta, quæ sola faciunt probationem probatam, & concludentem, *Bart. in l.1. in princip. num.8. ff. de nou. op. nunc. Dec. cons.*488.*num*.1. *Surd. cons.*192.
2 *num*.13.*lib*.2. & habent † pro se præsumptionem veritatis, *Bald. per illum text. in l. cum precibus, C. de probat. & in l. quamuis C. si quis alt. vel sibi, Socc. sen. cons.*213.*n*.7. *lib*.2. *Dec. cons.*36.*num*.6. *& cons.*187. *nu*.1. *vers. Et hoc idem, Bec. cons.*52. *num*.3. Tamen vlterius fuit comprobata ex litteris
3 patentibus sigillo Capituli communitis in Summario *num*.11. quæ probant ad instar instrumentorum, *Host. per illum text. in cap. patentibus litteris nu*.1. *de priuileg.* In quibus Capitulum attestatur in certam, & euidentem, ac necessariam vtilitatem accedente etiam consensu Sedis Apostolicæ vigore litterarum desuper obtentarum vendidisse prædicto Rectori, & Collegio dicta bona pro pretio florenorum 7. mill. aureorum Rhenensiũ, quam pecuniæ summam, moneta integra, & optimè numerata rectè accepisse eamque in certam Ecclesiæ S. Seruatii vtilitatem expositam, & versam, & dictorum bonorum possessionem traditam fuisse.

Non obstat prædictas litteras habere datam sub die 11. Ianuarii 1595. quo tempore nec beneplacitum Apostolicum fuerat obtentum, nec solutum pretium, nec tradita possessio. Nam huic obiecto quo præcipuè nitebantur agentes pro Capitulo ad reddenda suspecta alia iura, ac etiam ipsas litteras, quibus facti series probatur. Placuit responsio non mirum expeditas fuisse litteras sub dicta data, quia fuerunt expeditæ in executionem promissionis Capituli factæ adimpletis conditionibus in dicto instrumento venditionis sub die 11. Ianuarij per Rectorem, & Collegium promissis.

Et quia verum verò consonat, & veritas
4 non est veritati † contraria comprobata redditur veritas venditionis, & solutionis pretij tam ex decreto eiusdem Capituli in eodem Summario *num*.12. quo Capitulum ordinauit, vt ex pretio bonorum venditorum Gulsæ extingueretur quidam redditus Abbatiæ Stuferdieñ. Quam ex alio decreto facto pro mouenda lite contra Collegium, in quo Capitulum ordinauit interpellandos esse Patres Societatis Collegij

legij Confluentini ad restituenda d. bona præuia restitutione pretij.

Ex quibus Domini vnanimi consensu firmarunt constare de venditione, & solutione pretij, de reliquis verò videatur.

## ROMANA DEPOSITI.

*Veneris 15. Martij 1620.*

### ARGVMENTVM.

Fideiussor contra quem possit, & teneatur suam actionem dirigere si debitum illius pro quo fideiussit soluit.

### SVMMARIVM.

1 *Fideiussor secundum formam suæ obligationis soluens dicitur proprium debitum, & non alienum soluere, nec valet actionem dirigere nisi contra principalem pro quo intercessit, & n.3.*

2 *Fideiussor in forma depositi sibi imputare debet si passus sit depositum distrahi à principali.*

4 *Decretum Iudicis habet præsumptionem pro se.*

5 *Iudex non potest relaxare mandatum nisi sibi prius constito de credito pro quo relaxatio mandati fuit petita.*

### 1 DECISIO CCLXIII.

DOMINI responderunt sententiam vltimo loco extra Rotam latam reuocatoriam duarum priorum esse confirmandam. Nam quo ad validitatem iudicii nihil opponitur, & de iustitia visum fuit constare ex tota serie facti.

Ex qua primo Domini pro indubitato habuerunt Thomam de Marchis conductorem vineæ de qua agitur fuisse vere debitorem canonum, quæ Capitulo S. Petri debebantur siue habeatur ratio primi Instrumenti, quod datur in Summario Pauli Brilii *num.* 1. siue secundi in dicto Summario *num.* 2.

Vnde sequestratis fructibus vineæ pendentibus 12. Decembris 1615. à Procuratore Capituli cum dictus Thomas debitor obtinuisset dictum sequestrum reuocari, & vineæ fructus sibi consignari data fideiussione in forma depositi de consignādo vinum, vel soluendo canones debitos Ioannes firmus, qui se constituit depositarium, & pro Thoma debitore dictorum canonum

1 nonum † se tamquam principalis obligauit in forma Cameræ dum secundum formam suæ obligationis soluit scut. 83. capitulo iure proprium debitum soluisse dicitur, & non alienum, nec potest actionem dirigere nisi contra Thomam pro quo intercessit, *l. nulla, C. de solut.*

Et licet pro parte dicti Ioannis dicatur obligationem ab ipso factam fuisse alternatiuam de tenendo in depositum vinum ex d. vinea de anno 1615. recolligendum, vel de soluendo canonem debitum Canonicis, quo casu potuit vel deponere vinū, vel summam debitam soluere nihilominus quocumque se vertat semper debitum Thomæ, & ita proprium soluisse dicetur.

Aut enim ipse vinum sequestratum à Capitulo habuit prout est verisimile cum obtinuerit inhibitionem contra emphyteutam ne super vindemia molestaretur, & eo casu frustra petit, quod intus habet, aut dictus Thomas verus debitor illud vinum

2 collegit, † & sibi imputare debet Ioannes si à Thoma vinum ex cuius retractu soluendi erant ab ipso Thoma canones distrahi passus est cum id ex tenore restuationis indemnitatis impedire posset.

Si verò ipse Ioannes aliam viam elegit, vt profitetur, & soluit canones debitos secundum formam alternatiuæ obligationis, & obtinuit cessionem iurium à Capitulo, & ipsi obstat exceptio cedendarum si enim vti cessionarius à Brilio summam solutam exigeret contra semetipsum teneretur eadem iura cedere, quia ex supradictis constat Thomæ debitū fuisse ab ipsomet Ioan-

3 ne solutum, † quod suum effecit dum se pro dicto Thoma in forma Cameræ obligauit contra quem debet actiones suas dirigere, & non contra Brilium, qui fructus annorum subsequentiū, scilicet anno 1617. recollectos tamquam creditor Pauli Blodii emphyteutæ potuit legitimè sequestrare, qui vineam suam locauerat d. Thomæ colono, cum pactis expressis, vt Capitulo canones solueret de proprio pro duobus annis, & pro aliis annis solueret ad computum pensionis.

4 Nec obstat, quod dicitur D. Paulo Brilio has exceptiones non competere cum se constituerit depositarium fructuum dicti anni 1617. & se in forma Cameræ obligauerit ad illorum restitutionem ad omne mandatum Domini ex deductis in vna

Ro-

*Romana dotis coram R.P.D. meo Caualerio 29. Nouemb. 1618.*

Respondetur enim obligationem Brilii in fauorem Firmi factam fuisse de consignando vinum Firmo tamquam creditori
5 Blodii ad omne mandatum † Iudicis, qui non potuit, nec debuit relaxare mandatū ad fauorem Firmi nisi docto prius de ipsius Firmi credito, & interesse de quo non docuisse iam ex supradictis firmatum fuit.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA DOMORVM.

*Luna 16. Martij 1620.*

### ARGVMENTVM.

Immissio Iudicis, quando est nulla, & attentata non est habenda in consideratione, cum non patiat iuris effectum. Sententia lata etiam in mero possessorio si simus in bonis Ecclesiæ non intrat Aegidiana, & ideo Iudex tenetur deferre appellationi, alias procedendo ea reiecta, nulliter, & attentatè procedit.

### SVMMARIVM.

1 *Manutentio datur ei, qui auctore Pratore possidet.*
2 *Quod tamen intellige, quando ille ritè, & rectè processit alias secus.*
3 *Immissio concessa à Iudice dicitur nulla, & attentata, si data sit intra terminum datum ad appellandum.*
4 *Sententia quando est lata in mero possessorio non datur appellatio, & sic executioni potest mitti absque vitio attentatorum.*
*Appellationi Iudex nō tenetur deferre quando sumus in mero possessorio.*
5 *Aegidiana non intrat, quando agitur de bonis Ecclesiæ.*
6 *Signatura quando admittit appellationem ad vtrumque effectum, tunc causa sine dubio dicitur appellabilis.*
7 *Signatura quando dubitat, an intret Aegidiana necne, qualiter soleat rescribere.*
8 *Statutum, si continuet possessionem patris in filios huius vigore potest eis dari manutentio.*
9 *Statutum continuans possessionem patris in filios, vt in ea manuteneantur, debent iustificare possessionem patris.*
10 *Manutentio quando frustra petatur.*

### DECISIO CCLXIV.

DVBITAVI vtrum Ioanni Baptistæ, vel potius Petro, & fratribus de Zacconis dandum esset mandatum de manutenendo in possessione domorum controuersa, quo dubio proposito reseruata inspectione quoad manutentionem Ioanni Baptistæ Petro fratribusque denegandum esse mandatum de manutenendo, Domini
1 responderunt † licet enim regulariter debeatur manutentio illi, qui auctore Pratore possidet hæc regula tunc demum militat
2 quando Iudex rectè, & ritè seruato iuris tramite processit, *l. 4. §. conclamatum, ff. de re iudic. cum similib. l. fin. C. si per vim Abb. in cap. conquerente num. 9. de restit. spoliat.* alias dicitur spoliare.

3 In hac autem facti specie visum fuit immissionem concessam à Iudice fuisse nullam, & attentatam tamquam factam per interiectam appellationem, & pendente termino ad appellandum, *cap. non solum de appellat.* & fuit millies in Rota decisum.

Nec obstat, quod dicitur sententiam esse latam in mero possessorio. Vnde sequitur eam potuisse sine vitio attentatorū
4 executioni demandari † cum Iudex non teneretur deferre appellationi vigore constitutionis Aegidianæ in terris Ecclesiæ obseruatæ.

5 Huic enim obiectioni † responsum fuit quo ad vnam domum subiectam emphyteusi Ecclesiasticæ nō intrare Aegidianam ex deductis in vna *Romana de Scapuccijs coram R.P.D. meo Decano 19. Ianuary 1611.* Quo verò attinet generaliter ad omnes domos in Signatura vtraq; parte informante fuisse admissam appellationem quo ad
6 vtrumque effectum, † & ita stante hoc rescripto hodie non potuisse amplius controuerti vtrum deferendum sit appellationi necne, stylus siquidem Signaturæ notissimus est in his causis, quando controuertitur inter partes si sit locus Aegidianæ ap-
7 ponere clausulam directam Iudici, † cui causa committitur; *constito quod locus sit Aegidiana exequatur sin minus causam appellationis cognoscat*, sed dum vult simpliciter causam iudicare appellabilem committit causam appellationis sine alia clausula, sicut inter easdem partes dum ageretur de possessione vineæ fuit rescriptum.

Nec

Nec etiam obstat, quod dicitur Petrum fratresq; cõtinuasse possessionem istarum domuum quam habebat ipsorum pater
8 & sic† vigore statuti Vrbis ipsi danda esset manutentio nam vltraquod ipse fratresque non probarunt incolatum multumque fuit dubitatum si possessio paterna satis esset iustificata certum est dictum Petrum fratresque si quam prætendere poterant pos-
9 sessionem vigore statuti Vrbis illam amisisse dum omisso remedio retinendæ intẽtarunt iudicium adipiscendæ petentes à Iudice immissionem quam concessam ra-
10 tam habuerunt cum vigore dictæ sententiæ possessionem domuum fuerant adepti, & ita frustra petunt manutentionem ex deductis per *Couar. pract. quæst. cap. 17. num. 3. Caputaq. dec. 43. lib. 3.* fuit dictum in vna *Ciuit. Castelli de Medioraschis 20. Iunij 1587. coram Platto, & postea in vna Hispalen. præeminentiarum 16. Iunij 1606. coram R. P. D. meo Pamphilio.*

Et ita decisum vtraque parte informantę &c.

## LVCANA IVRISPATRONATVS DE PODIIS.

*Lunæ 23. Martij 1620.*

### ARGVMENTVM.

Ecclesia de iurepatronatus gentilitio, vt mutet statum & acquirat libertatem, quæ requirantur.

### SVMMARIVM.

1 *Mutatio status Ecclesiæ fit assensu superioris cum quadragenaria.*
2 *Libertas Vrbanæ seruitutis fit ex facto contrario seruitutis.*
3 *Libertas Ecclesiæ acquiritur per factum positiuum contrarium seruituti iurispatronatus.*
4 *Mutatio status Ecclesiæ per prouisionem Apostolicam non præsumitur in patronorum præiudicium.*
5 *Clausula, dummodo ad nos hac vice præseruat iuspatronatus.*
6 *Rescripta Papæ sunt intelligenda sine alterius iniuria.*
7 *Iurispatronatus expressio in litteris excludit patronorum præiudicium.*
8 *Ordinarius non præsumitur velle mutare statum beneficij.*
9 *Nec id facere potest in præiudicium patronorum.*
10 *Vnio simoniaca non iuuat ad præscribendum.*
11 *Immemorabilis requiritur, vel quadragenaria cum titulo ad præscribendum beneficium tanquam vnitum.*
12 *Gratia est subreptitia si non fiat mentio iurispatronatus cum sit tale.*
13 *Papa non solet patronis inauditis iuspatronatus auferre.*
14 *Gratia quando præsumitur iustificata respectu non existente iurisp.*
15 *Sententia quando dicatur lata super statu Ecclesiæ.*
16 *Verba posita in narratiua sententia non trãseunt in dispositionem.*
17 *Sententia verba strictè sunt intelligenda.*
18 *Patroni si prius non probarunt iuspatronatus possunt de nouo illud probare.*

## DECISIO CCLXV.

VISVM fuit Dominis statum Ecclesię S. Laurentij ab anno 1614. ad hunc vsque diem non fuisse mutatum cum enim ter fuerit in hac causa decisum iam fuisse subiectam Iuri patronatus gentilitio familiæ Dominorum de Podijs, per centum quinquaginta & amplius annos antedictũ annum 1514. postea dicta Ecclesia non potuit acquirere libertatem nisi constet de
1 mutatione status † ad quam inducendam duo copulatiuè requiruntur superioris auctoritas & voluntas vna cum cursu quadraginta annorum, *cap. cum de beneficio de præben. in 6. & ibi omnes canonistæ Rot. decis. 2. eodem tit. & apud Seraph. decis. 1277. num. 3. & decis. 950. num. 2. & 3. & in vna Perusina 13. Martij 1588. coram bo: me: Card. Pamphilio*, & nuper in vna *Gerunden. vnionis prima Iunij 1616. coram Reu. P. D. meo Pamphilio*,
2 Sicut enim † ad acquirendam libertatem seruitutis vrbanę non sufficit non vsus siue negligentia non vtentis, sed requiritur factum directè contrarium seruituti, *l. hoc autem & ibi scribent ff. de seruit. vrban.*
3 *præd.* ita† ad acquirendam libertatem Ecclesiæ aduersus seruitutem Iurispatronatus non sufficit negligentia patronorum in presentando, sed requiritur factum positiuum eiusdem collatoris directè contrarium seruituti Iurispatronatus, *Geminian. in dicto cap. cum de beneficio n. 9. Rot. decis. 109. nu. 1, par. 2. diuers.*

In

In proposita autem facti specie neutrũ ex dictis duobus requisiris satis sufficienter probatur distinguendo enim tempora apparet non adfuisse talem mutationem status ex qua Ecclesia seruitutis iurispatro
4 natus iugum excussisse dici possit. † Nam prouisiones Apostolicæ, quæ ab ann. 1512 vsque ad annum 1558. continuatæ repeciuntur tamquam factæ ad supplicationem partis, & ex causa resignationum non possunt inseruiri pro mutatione status cum Papæ collatoris deficiat volũtas, qui nunquã præsumitur velle mutare naturam beneficij in præiudicium patronorum, *Calderin. cons. 26. in fin. de praben. Rot. decis. 379. nu. 8. par. 1. diuers. Achil. decis. 13. de iurepatronatus* cum multis cumulatis in illa *Papien. Archipresbyteratus 9. Aprilis* 1601. *coram bon. me. Card. Pamphilio*, stante præcipuè clau-
5 sula † in litteris prouisorum Apostolicorum expressa *Dummodo collatio ad nos hac vice pertineat*, quæ præseruat ius patronorũ imò si non esset apposita deberet subintel-
6 ligi † cum Papæ rescripta semper sint intelligenda sine alterius iniuria, *l. 2. §. si quis à Principe ff. ne quid in loc. public. cap. super eo de offic. deleg. Bal. in l. nec auus per illum tex. C. de emancip. liber. Dec. cons. 11. num. 4.*

Et quod omnem scrupulum tollere vi-
7 sum fuit in omnibus supplicationibus exhibitis oculis Dominorum authenticis super quibus expeditæ fuerunt litteræ ab anno 1514. vsque ad dictum annum 1558. facta legitur mentio iurispatronatus nobilium cum derogatione dicti iurispatronatus quatenus de eo constet pro illa vice. Vnde infertur expressa volũtas Papæ quod noluerit conferendo præiudicium patronis afferre, *Lap. alleg. 96. Achil. d. decis. 13. de iurepatronatus, Felin. in tract. quando litteræ Apostolicæ noceant patronis ante num. primum in principio.*

Quo ad secundum tempus (quo durante spatio paulo minus duorum annorum ordinarius istud beneficium tamquam liberum bis contulit) † illud non esse attendendum ad effectum mutationis status Domini iudicarunt cum deficiat cursus temporis requisitus ad imprimendum nouum statum in beneficio, *Felin. in cap. cum in nostra num. 41. in 2. notab. de rescript. Rebuff. in concor. in rubric. de collat. 9. volum. in verb. regularia num. 3. Seraphin. decis. 950.*
8 *num. 2. & 3.* † & animus ordinarij mutare statum & prçiudicare patronis volentis qui non præsumitur intra tam breue temporis spatium, *Caputaq. decis. 189. par. 3.* & fuit consideratum in *dicta Perusina S. Benignatis coram Card. Pamphilio*, in qua dicitur requiri scientiam patronorum, quæ non præsumitur tum quod non constat de effectuatione primæ collationis ordinarij, & non fuerunt affixa edicta & factæ solitæ diligẽtiæ ex quibus scientia patronorum possit
9 inferri tum etiam quia † deficit etiam facultas in ordinario, qui non potest in præiudicium patronorum statum Ecclesiæ immutare, *Rot. decis. 1. de renunc. in antiq.*

10 Multo minus attendi debet tempus primæ vnionis, quod incipit anno 1560. & durauit vsque ad diem 17. Martij 1579. quo tempore Beneficiati possessionem per eos adeptam in manibus Ordinarij iuxta præcisam formam vltimæ vnionis per Procuratores in vim specialis mandati liberè dimiserunt, vt apparet ex Summario Dominorum de Podijs num. 3. 4. & 5. Vnde sequitur de ea tamquam simoniaca, & vitiosa nullam habendam esse rationem, nec ex illa posse sumi aliquod initium prçscriptionis ad effectum coniungendi possessionem captam vigore primæ cum secunda vnione, *Calder. cons. 29. in prin. de præbend.*
11 *Oldrad. cons. 229.* † Ad præscribendum enim beneficium tamquam vnitum requiritur immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo, *Rot. decis. 338. lib. 1. diuers. Felin. in cap. cum contingat num. 4. ad fin. de for. competen. Rebuff. in prax. tit. de vnion. num. 35 cum alleg. per Garz. part. 12. cap. 2. num. 245. & seqq.*

Deficit etiam titulus, & bona fides sine qua nulla incipere, aut currere potest præscriptio cum per confessionem Beneficiatorum in litteris expressam constet in dicta prima vnione interuenisse pacta simoniaca effectuata cum scientia, & participatione Beneficiatorum, vt pleniùs continetur in vltimæ vnionis litteris per ipsos Beneficiatos coram Ordinario productis, vt in Summar. num. 6. vltraquod earum vigore dimissa prima possessione vt vitiosa nouam possessionem d. ann. 1579. adepti sunt vt iustificatur ex instrumentis publicis.

Nec denique potest suffragari dictis Beneficiatis ad effectum de quo agitur tempus, quod intercessit à dicta die 17. Martij 1579. vsque ad mensem Augusti 1618. quo lis cçpta fuit in partibus quia non adest tempus 40. annorum à lege necessariò requisitum iuribus supradictis ad immutandum statum beneficij prçcipuè quia vltima

gra-

12 gratia † vnionis notoriè est subreptitia & nulla cum in ea non fuerit facta mentio iurispatronatus laicalis vt in terminis tradit, *Card.conf.96.col.penult. verf.quoad causam secundam, Felin.in cap.postulasti num. 3. de rescript. Abb.conf.101. in princ.lib.1.* cumcumulatis per *Parif.de resignat. lib.2. qu.4. num.11.Garz.de benefic.par.12.cap.2.tit. de*
13 *vnion.num.202. & seqq.* Nec enim solet Papa patronis inauditis iuspatronatus auferre. Vnde remanet vnio vltima omnino nulla *Caputaq.decis.346.lib.3.* fuit dictum in vna *Gerunden. vnionis 23. Ianuarij coram Card.Ludouisio, & alias sæpissimè.*

14 Neque obstat, quod spatio triginta annorum præsumatur iustificata gratia respectu non existentiæ iurispatronatus, quia si hæc qualitas fuisset narrata in litteris bene potuisset cursus temporis implere probationem, vt narrata præsumerentur iustificata secus vero in nõ expressis tunc enim præsumptio nihil potest operari remanetque gratia subreptitia, vt animaduertit, *Grauet.de antiquit.temp.par.2.cap.1.nu.27. Cabr.conclus.1.de præscript.num.53.*

Nec obstat denique præcipuum, & maximum fundamentum quo nitebantur informantes pro Beneficiatis dum asserunt de anno 1514. fuisse latam sententiam à Vicario Episcopi Lucen.per quam fuit mutatus status & canonizata libertas Ecclesiæ contra præsentatum à patronis & ipsosmet patronos dum fuit dictum ipsis scientibus non probari iuspatronatus à quo tempore Ecclesia non fuit collata ad præsentationẽ dictorum prætensorum patronorum qui à centum & amplius ab hinc annis non reclamando videntur dictę sententię acquieuisse.

Huic enim obiectioni responsum fuit nõ probari dictam sententiam fuisse latam cõtra patronos ipsosque fuisse in causa, sed solum contra Vincentium de Podio præsentatum, & Angelum eius Procuratorem quem non docent habuisse mandatum pro curæ ipsorum patronorum cum præcipuè in ea causa non ageretur principaliter de ipsorum interesse, quia Hieronymus Philippi Petri in fauorem cuius fuit prouũciatum erat prouisus à Sanctissimo per resignationem Michaelis cum derogatione iurispatronatus pro hac vice per quam patronorum ius erat præseruatum, vt superius multis fuit comprobatum,

Et quamuis exhiberetur mandatum patronorum ita vt posset dici ipsos fuisse in
15 causa sententia tamen non esset lata super statu huius Ecclesiæ ex quo non est adiudicatoria, sed absolutoria super denegatione institutionis Vincentij, & sic videndum esset quem statum dederit cessio illa facta per Michaelem ad fauorem Hieronymi eius nepotis, quæ cum emanasset ex prouisione Apostolica cum derogatione iurispatronatus non mutauit, aut alterauit pristinum statum ad effectum inducendi nouum libertatis necessarius enim fuisset actus institutionis, quia per eum acquiri posset possessio non autem ex declaratione non iuris præsentari ex supradictis.

Consideratis etiam verbis ipsius sententiæ visum fuit Dominis non fuisse pronunciatum super iure ipso patronatus, nec vlla verba dirigi contra patronos, aut contra
16 iuspatronatus. Illa enim † verba quæ leguntur in narratiua non transeunt in dispositionem, & cum sententiæ siut stricti iuris non dicuntur verba sententiæ, *Cantar. de momentar.possess.limit.2.§.5.num.12.Rot. decis.34.num.12. par.2. diuers.* Tum enim quia illa verba. *Maximè quia nobis non cõstat de aliquo iurepatronatus*, sunt concepta per illam dictionem *Maximè*. Vndè infertur non fuisse illam præcipuam & finalem causam dictæ sententiæ, *Gemin.conf.16.n.4 Alex.conf.47.num.5. lib.7.*

Et re vera ratio præcipua qua fuit motus Iudex ad denegandam institutionem præsentato ea fuit quia non vacabat beneficium per obitum Michaelis cum constaret de resignatione facta in fauorem Hieronymi admissa per Papam ante mortem dicti Michaelis, & hoc in effectu verba dispositiua sententiæ continent, quæ non
17 sunt † trahenda ad mutationem status sed strictè semper intelligenda prout verba sonant, *Bart.in l.Iulianus num.5. ff. de cond. indeb.Caputaq.decis.148.par.3. & 132. p.2. Cas.de Grass.decis.3.num.9. & seqq.de restit. in integr:*

Placuit & alia responsio licet tunc Iu-
18 dici non constitisset de Iurepatronatus nõ propterea sequi Ecclesiam remansisse liberam, nam patroni non prohibebantur postea suas probationes facere prout hodie præstiterunt cum fuerit in hac causa firmatum per continuas præsentationes visitationes concurrentibus alijs coniecturis põderatis in prima decisione, in hac causa facta ab anno 1358. vsq; ad annum 1514. constare de dicto iurepatronatus.

Et ita decisum vtraque parte informante.

ARE-

ARETINA PLEBANIAE.

*Veneris 27. Martij 1620.*

ARGVMENTVM.

Litteræ Apostolicæ subrogationis gratiosæ, vt executioni demandentur, quid tantum veniat probandum. Contra subrogatum gratiosè excipiens de iurepatronatus, vt impediat illius immissionem, qualiter illud probare teneatur. Enunciatiuæ, & præsentationes vltra centum annos habent vim famæ.

*SVMMARIVM.*

1 *Litteræ Apostolicæ subrogationis gratiosæ sunt executioni demandandæ, probato clericatu, possessione defuncti, & reseruatione.*

2 *Possessio defuncti Rectoris in possessione beneficij probatur si vtraque pars veniat ex eadem vacatione.*

3 *Mensis Augusti est vnus de reseruatis Papæ vigore regulæ octauæ, hodie nonæ Cancellar.*

4 *Subrogato gratiosè sufficit probare reseruationem de facto.*

5 *ad Contradicendum, qui venit, vel dicit prius se immittendum, quam ille, qui postulat, tunc summatim de iure vtriusque cognoscitur, & ille immittitur, cuius potiora, & clariora sunt iura.*

6 *Contra Subrogatum gratiosè excipiens de iurepatronatus in incontinenti probare debet illud clarè, & apertè, vt excludatur reseruatio.*

7 *Alias non potest impedire immissionem ad fauorem subrogati.*

8 *Reus in sua exceptione est actor, ideoque eam concludenter probare tenetur.*

9 *Iuspatronatus vt concludenter dicatur probatum debent exhiberi instrumenta dotationis, & fundationis.*

10 *Exceptionis notorietas vt appareat debet apparere de re iudicata, aut de confessione partis.*

11 *Enunciatiuæ supra centum annos habent vim famæ.*

12 *Præsentationes supra centum annos possunt dare titulum præsumptæ dotationis, & fundationis iurispatronatus.*

13 *Enunciatiuæ & Præsentationes supra centum annos, sunt quidem iura apta ad canonizandum iuspatronatus non autem, vt iam pro canonizato habeatur ad impediendum processum exequutiuum, & amplia, n. 14.*

14 *Subrogationis gratiosæ exequutioni non est locus, nisi pro notoria, & indubitata reseruatione.*

15 *Iurispatronatus quando magnus fumus datur est sufficiens ad impediendam subrogationem gratiosam, & quando id sit verum num. 16.*

18 *Litteræ Apostolicæ subrogationis gratiosæ nõ solum possunt exequi per viam immissionis, sed etiam per manutentionem, & qua ratione, num. 19.*

20 *Sequestrum iudiciale regulariter non priuat quem sua possessione.*

DECISIO CCLXVI.

1 DOMINI censuerunt † litteras gratiosæ obtentas per Dominicum prouisum Apostolicum esse exequendas cum probauerit tria requisita pro executione suæ gratiæ clericatum possessionem defuncti, & reseruationem, *Mobed. decis. 1. & vt lit. ponden. Put. decis. 2. num. 1. lib. 1. cum similib.*

Et quod ad clericatum attinet probatur ex litteris patentibus Ordinarij † possessio quoque defuncti quia tam subrogatus, quam præsentatus veniunt ex eodem genere vacationis, & adsunt plures confessiones partis, quæ dicto Dominico suffragantur, *Egid. dec. 268. & 595. Put. dec. 300. lib. 1.* Iustificatur etiam reseruatio ex eo, quod probatur defunctum decessisse in mense Augusti † qui est vnus de reseruatis vigore regulæ 8. Vnde redditur notoria reseruatio, vt respondit *Rota in vna Astoricen. Archidiaconatus 6. Nouembris 1602. coram Illustriss. Lancellotto,* † cum sufficiat subrogato probare reseruationem de facto *Rot. decis. 8. de elect. in antiq.* & ideo bene applicatur doctrina *Bart. in l. fin. nu. 21. C. de edict. Diu. Adr. toll.* quod † ille qui venit ad contradicendum, vel dicit prius se immittendũ, quam ille qui postulat, & tunc non impeditur summaria cognitio, sed sũmatim de iure vtriusque cognoscitur, & ille immitti debet à Iudice qui potiora, & clariora iura habet.

Vnde cum Dominicus fundauerit intentionem suam se præsentatũ à patronis ipsique Patroni excipientes † fundare volunt intentionem quoque suam ad impediendam immissionem debent eam incontinenti probare docendo de iurepatronatus clarè, & apertè vt excludatur reseruatio alias

non

non possunt impedire immissionem ad fauorem eius qui immitti postulat vigore
8 sui tituli indubitati ipsique † patroni debent æquè plenè & cōcludenter exceptionem probare cum in ea sint actores, *l. 1. C. de probat. Bart. in l. non solum §. sed vt proba re ff. de nou. oper. nunciat. Graff. decis. 145. n. 2 Rot. dec. 25. de iudc. in antiq.*

Huiusmodi autem probatio iurispatronatus eo modo quo nunc deducitur non visa fuerit Dominis sufficiens ad constituendos Dominos Cerretanos præsentatūque ab illis in paritate tituli, quia non
9 dantur instrumenta fundationis, & dotationis per quæ excipiens cogatur suam exceptionem probare aliunde quam ex ventre ipsius Instrumenti prout requireretur, *Caputaq. decis. 39. & 324. lib. 1. in manuscrip.* fuit dictum in vna *Cæsaraugustana Parochialis 10. Iunij 1566. coram Gropperio, & in vna Virdunen. Cappellaniæ 5. Decembris 1601. coram Illustriss. Lancellotto, & alias sæpissimè.*

Nec etiam apparet da re iudicata, aut
10 de confessione partis † vnde posset deduci notorietas exceptionis, sed totum iuspatronorum deducitur ex enunciatiuis su-
11 pra centum annos† quæ habent vim famę & ex præsentationibus supra cētum & amplius annos, quæ possunt dare titulum prę-sumptæ fundationis, & dotationis, sed hęc omnia iura sunt quidem apta ad canonizandum iuspatronatus non autem vt iam
12 pro canonizato habeatur ad impediendū processum executiuum eius qui habet titulum indubitatum ex vacatione in mense
13 vltraquod d. enunciatiuæ & præsentationes patiuntur aliquos defectus cū iura pro ducta fuerint extracta parte non citata, & sine compulsorialibus Rotæ lite pendente.
14 Nec obstat, quod dicitur † non esse locum executioni subrogationis gratiosę nisi pro nototia, & indebitata reseruatione sufficereque obscurari reseruationem quando datur magnus fumus iurispatronatus, vt in
15 ijsdem terminis iurispatronatus, *Rota coram R. P. D. meo Pirouano. in vna Aquilana exequutionisBreuis 29. Maij 1612. quæ est 413. p. 1. inter recent.* Placuit enim respon-
16 sio veram esse propositionem quando exceptio oritur ex ventre eiusdem reseruationis, sed quando aliunde est probanda ad effectum impediendi reseruationē tunc debet esse clara & notoria quicquid sit ad effectum supersedendi in executione Breuis, vt dictum fuit *in alia decis. 381. par. 1.* idque maximè quia præsentatus à patro-
17 nis non est constitutus in possessione, & ità non potest dici legitimus contradictor ad impediendam immissionem subrogati eo enim casu posset supersederi etiā si iura producta non essent in forma probanti, vt ex multis in simili casu firmauit, *Rota in vna Elnen. beneficij coram me Veneris 19. Decembris 1614. cum cumulatis per Gonzal. ad reg. 8. in præm. §. 7. num. 216. & seq.*

Nec solum per viam immissionis, sed etiam per manutentionem exequi posse litteras subrogationis gratiosæ Domini iu-
18 dicarunt ea ratione, quia cum possessio sit vacans superueniencia noui tituli potest
19 mutare causam possidendi sine dimissione, noua apprehensione iuxta opinionem quā seruat *Rota vt apud Put. decis. 441. lib. 1. Achil. decis. 4. de caus. possess. & propriet.* fuit dictum in vna *Brixien. Prioratus 4. Iulij 1604. coram R. P. D. meo Decano*, idque nō
20 obstante sequestro Rotali † quod regulariter non priuat possidentem sua possessione, *cap. examinata vbi Abb. nu. 14. de iudic. Mohed. decis. 14. nu. 14. de restit. spoliat. Mantic. decis. 252. num. 6.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## FVLGINATEN. PRAETENSI MATRIMONII.

*Veneris 18. Decembris 1620.*

### ARGVMENTVM.

Attentata sunt omnia gesta appellatione pendente & post istam interpositam.

### SVMMARIVM.

1 *Gesta pendente termino ad appellandum vel post interpositam appellationem sunt attentata nulla & iniusta, & quæ veniunt reuocanda.*
2 *à Sententia lata super validitate matrimonij, & super denegatione facultatis ingrediendi Monasterium datur appellatio suspensiua.*
3 *Appellatio suspensiua regulariter nunquam denegari solet nisi in casibus à iure expressis.*
4 *Appellatio quando datur etiam ad effectum suspensiuum non sufficit si sit admissa cum clausula non retardata executione.*
5 *Maximè si executio tollat appellationem, vel perimat ius partis.*

6 *Mulier, quæ cohabitauit cum eius viro, non potest postea ingredi monasterium.*

7 *Matrimonij consumatio præsumitur ex sola cohabitatione.*

## DECISIO CCLXVII.

1 Domini censuerunt † præcepta & alia gesta per Vicarium Fulginatem tam pendente termino ad appellandum quam post interpositam appellationem esse attẽtata nulla iniusta & quæ veniunt reuocanda, *cap. non solum de appellat. cap. 1. & 2. vt lit. pend. in 6. Rot. decis. 6. numer. 4. parte 2. diuers.*

Nec dubitarunt Domini quin à sentententia per d. Vicarium contra Catharinam
2 lata † tam super validitate matrimonij quã super denegatione facultatis ingrediendi Monasterium daretur appellatio suspensi-
3 ua † quæ regulariter nunquam denegari solet nisi in casibus à Iure exceptis, *l. & in maioribus C. de appellat. cap. ad Romanam 2. quæst. 6.*

Non obstat, quod dictus Vicarius admiserit appellationem cum clausula *non re*
4 *tardata executione*, quia † hoc non potuit facere dum erat in casu in quo de iure dabatur appellatio etiam ad effectum suspensiuum iuxta notata *in cap. de priori de appellat. Cassador. decis. 8. & 10. eod. tit.* & maximè
5 in † hac facti seriè in qua executio dictæ sententiæ & obseruatio pręcepti de redeũdo ad virum non solum tollebat appellationem, sed totaliter perimebat Ius Catha-
6 rinæ † quæ nunquam postea potuisset ingredi Monasterium si cohabitasset cum
7 eius viro cum † per solam cohabitionem præsumatur consumatio matrimonij, *Rota dec. 95. n. 10. & seqq. p. 2. diuers. cap. litteris de præsumptionibus.*

Ex quibus Domini ordinarunt mihi vt quanto citius omnia præcepta emanata à Vicario aliaque gesta à die latæ sententiæ tanquam notoriè attentata per Decretum reuocarem.

Et ita decisum.



## NEAPOLITANA LITTERARVM CAMBII.

*Veneris 13. Nouembris 1620.*

### ARGVMENTVM.

Remissoria concurrente suspicione calumniæ denegatur.

### SVMMARIVM.

1 *Remissoria solet denegari stante suspicione calumniæ.*

2 *Simulatio non videtur admittenda sine assignatione causæ simulandi.*

3 *Articuli redduntur suspecti si in partibus fuit instructa causa, lataque sententia, & nihil vnquam simile fuit à parte allegatum.*

4 *Litteræ cambij habent executionem paratam.*

5 *Exceptiones ad retardandam executionem iam paratam non admittuntur nisi incontinenti probentur.*

6 *Iudex à quo potest procedere ad executionem suæ sententiæ non obstante inhibitione, si causa sit commissa cum clausula, sine præiudicio.*

## DECISIO CCLXVIII.

Conclusum fuit pro denegatione remissoriæ ea maximè ratione, quia in effectu articuli dati non continent nisi pactum de non petendo ex eo quod pecuniæ datæ ad cambium nõ inseruierunt pro D. Abbate Cæsare, sed ipse nomen suum simulatè accommodauit in fauorem cuiusdam Præsidis Concilij Regis Neapolitani, & tamen hodiè ex partitis Banchi quarũ copia datur clarè iustificatur verè & realiter easdem pecunias fuisse ipsimet Abbati solutas, & ipse receptis pecunijs litteras cambij confecit, vnde resultat maxima su-
1 spicio calumniæ, † qua stante Rota semper solet denegare remissoriam, *Seraphin. dec. 1470. Rota in recent. decis. 589. nu. 2. p. 2.* & nuper in vna *Bononien. Molendini die 2. Maij 1619. coram me.*

2 Deinde † non admittenda videtur simulatio nominis sine vlla causæ allegatione, *Rot. decis. 677. num. 5. par. 2. in recent. & decis. 241.* nec vlla allegatur causa verisimilis qua motus Abbas voluerit fictè suum nomen interponere.

Con-

Consideratum etiam fuit causã in partibus coram Ordinario fuisse instructam, latamque fuisse sententiam, & nihilominus. Abbas ipse nihil vnquam simile, allegauit, tantum abest vt probauerit, & ita
3 redduntur præcipuè in illis partibus multum suspecti articuli huiusmodi.

In quam sententiam tanto libentius iuerunt Domini, quia hodie petitur probatio in iudicio executiuo cum iam fuerit in hac
4 causa decisum coram me dictas † litteras cambij habere executionem paratam ex
5 quo sequitur † non esse admittendas exceptiones nisi incontinenti probentur ad retardandam executionem iam paratam, *Beer decis. 295 num. 7. ad fin. Scacc. de appell. lib. 3 cap. 2. q. 17 limit. 9. num. 57.* fuit dictũ in vna *Perusina hæreditatis 28. Nouembris 1616 coram R. P. D. meo Buratto, & alias sæpe*, quod sentiens Signatura commisit causam in Rota cum clausula *sine præiudi-*
6 *cio legitimè executionis* qua † stante potuit, & debuit Iudex à quo fuerat appellatum procedere ad executionem suæ sententiæ non obstante inhibitione Rotali.

Et ita decisum.

## BONONIEN. OCCVLTATIONIS PROCESSVS.

*Veneris 26. Iunij 1620.*

### ARGVMENTVM.

Notarius quando possit se excusare à non exhibitione processus & quando dicatur cõstare de interesse d. exhibitionem petentis.

### SVMMARIVM.

1 *Tertius admissus ad causam cum clausula, constito de interesse, de eo docere debet citata parte.*

2 *Interesse sufficit quod sit apparens ad effectum vt quis teneatur exhibere scripturas.*

3 *ad exhibendum processus non potest cogi Notarius, quos non habet, nec culpa, nec dolo desiit habere.*

4 *Notarius exhibendo obligationem illius, cui accommodauit processus de stylo Bononiæ ad nihil aliud tenetur.*

5 *Ab exhibitione Notarius non excusatur nisi probauerit scripturas fuisse ammissas ex causa adeo verisimili, vt cum iuramento amissionem probaret.*

6 *Bart. cons. 293. explicatur.*

7 *Suspicio collusionis aut negligentiæ inexcusabilis oritur si Notarius distulit executioni demandare mandatum pro restitutione processuum contra illum cui illos accommodauerat.*

### DECISIO CCLXIX.

Conclusum fuit non posse excusari Drusum Notarium ab exhibitione processus ex fusè deductis in decisione in hac causa corã me facta die 10. Maij 1619. à qua Domini recedere noluerunt, nõ obstantibus obiectionibus tam pro parte dicti Notarij quam D. Com. Alexandri deductis quæ ad duo præcipuè capita rediguntur.

Et primo opponitur non satis clarè constare de interesse petentium exhibitionem præcipuè D. Isottæ quæ solum prætendit dotem sibi debitam quæ nihil habet commune cum dictis processibus, licet enim ipsa obtinuerit commissionem admissionis
1 ad causam nihilominus † cum commissio habeat clausulam *constito de interesse* de eo docere debet citato Druso Notario.

Verum hæc obiectio facilè ex facto tollitur, quia ipsa D. Isotta iam fuit in Rota admissa, docuitque de suo interesse, & hodie docet dum ipsa tanquam filia q. Co. Georgij Manzoli senioris vnius ex fideicommittentibus prætendat detrahendam esse legitimam ex bonis subiectis fideicõmisso, & inter dictos processus petitos ad sunt multæ transactiones inter ipsam Isottam factas de quibus in Summario dictæ Isottæ num. 6. & ex dictis processibus apparet Co. Vlissem vti cessionarium Isottæ matris egisse pro recuperatione bonorum d. Co. Georgij. Et quoad D. Co. Franciscũ ex filio nepotem d. D. Isottæ de eius interesse vti vocati ad fideicommissum Georgij senioris nullo modo dubitari potest & hodie non controuertitur.

2 Quin imò † etiam si istud interesse non ita clarè iustificaretur, sed solum esset apparens ad effectum de quo agitur admitteretur argumento, *c. veniens. il 2. vbi DD. de testib. & ibi Felin. num. 13. Paris. cons. 57. lib. 1. num. 7. Roland. cons. 5. num. 2. lib. 2. Seraph. decis. 906. in princ. Rot. dec. 250. num. 1. & 2. par. 1. in recent.*

3 Secundo opponitur d. † Notarium non posse cogi ad exhibendum processus quos stante stylo Bononiæ hodie præsupposito

non habet, nec culpa nec dolo desijt habere *l. vbi exigitur ff. de edend. & ibi scribentes*, cum ipse iustificet se illos accommodasse prout poterat q. Com. Vlissi, & sic
4 obligationem † d. Co. Vlissis exhibendo ad nihil aliud tenetur ex deductis per *Bar. c. ns. 239. lib. 1.* quem sequuta fuit Rota in vna *Bononien. redditionis rationis 17. Februarij 1616. & 22. Iunij 1609. coram bon. me. Penia*.
5 Placuit enim responsio ideo † nō excusari Notariū à d. exhibitione nisi probauerit scripturas fuisse amissas ex causa adeo verisimili vt cum iuramento amissionem probaret, *Bald. in l. fin. num. 15. ff. de eden. Ias. in l. huiusmodi §. si ita num. 11. vers. item tenet ff. de leg. 1. Felin. in cap. sicut num. 8. de re indic. cum allegatis per Tiraquell. in l. si vnquam C. de reuoc. donat. in præfat. nu. 315.* Licet enim Notarius licitè accommodauerit dictos processus non propterea probauit ipsos fuisse deperditos cum possit hæredes d. Com. Vlissis cogere ad eorum exhi-
6 bitionem, & ita † non applicatur doctrina *Bart. d. cons. 293.* quæ loquitur in eo qui posuerat res in inuentario asserendo esse in hæreditate non tamen affirmando fuisse in possessione earum, sed cum ipse Notarius ratione officij esset obligatus custodire dictas scripturas, si ipse sponte tradidit nec postea recuperare curauit debet imputare suæ negligentiæ.

Et quod maximè mouit Dominos illud est, quia d. D. Isottæ & Co. Francisco nulla competit actio contra hæredes Co. Vlissis, sed ipsi soli Notario, qui id iam agnouit dum obtinuit mandatum executiuum contra d. Co. Vlissem tunc viuentem pro restitutione dictorum processuum, quod
7 distulit ad hunc vsq; diem executioni demandare non sine collusionis suspicione, aut saltem negligentiæ inexcusabilis.

Nihilominus DD. ex solita Tribunalis benignitate præscripserunt mihi vt terminum vnius mensis in prima decisione datū prorogarem ad 4. menses proximè futuros quo pendente termino poterit d. Notarius petere & obtinere executionem contra hæredes, aut salem bona hæreditaria d. Co. Vlissis.

Et ita decisum informante etiam d. Co. Alexandro vna cum Druso Notario.

NEAPOLITANA BENEFICII.

*Mercur. 1. Iulij 1620.*

ARGVMENTVM.

Sententia lata eadem die qua fuit executa citatio ad sententiam dicitur carere citatione iuspatronatus, vt probatum dicatur quæ sint necessaria.

*SVMMARIVM.*

1 *Sententia lata eadem die, qua executa fuit citatio, est nulla.*
2. *Enunciatiuæ duæ vltra centum annos, & præsentationes 25. annorum non videntur sufficientes ad probandum iuspatronatus.*
3 *Iuspatronatus probatur ex centenaria, vel quadragenaria in antiquis.*
4 *Iurispatronatus probatio non suffragatur Monasterio nisi iustificet quo iure iuspatronatus fuerit ad se deuolutum præcipuè cum agatur contra Ordinarium.*

DECISIO CCLXX.

Domini dixerunt sententiam Vicarij Neapolitani ex capite nullitatis esse infirmandam, sed iustam. Et quoad pri-
1 mum caput attinet † constat ex actis citationem ad sententiam fuisse executam die 27. Iulij pro prima die, quæ saltem cadebat pro die sequenti & tamen sententia lata eadem die 27. vt in Summario num. 6. sicque remanet sine citatione vnde nullitas manifesta resultat, *glos. in cap. sæpe de verb. signif.* & fuit millies decisum.

Quo vero ad secundum caput, satis visum fuit constare de iustitia sententiæ in eo quod d. Vicarius declarauit non constare de vllo iure patronatus Ecclesiamque tanquam liberam esse cōferendam ab Ordinatio. Nam ex iuribus deductis in summario non potest dici adesse sufficientem
2 iurispatronatus probationē, † dantur enim in effectu duæ enunciatiuæ vltra centū annos, vt in Cronicis in Summario num. 1. & in testamento in Summario num. 2. nec nō præsentationes ab anno 1527. vsque ad annum 1552. quæ non videntur sufficientes ad probandum patronatum etiam si non
3 adesset præsumptio vsurpationis † Requirerentur enim præsentationes spatio 100. annorum, vel vbi versamur in antiquis requiritur possessio 40. annorū adminus vna cum publica voce & fama, vt ex pluribus de-

declarationibus sacri Concilij, & decisionibus Rotæ relatis in vna *Fanen. Capellania coram bo. me. Penia 27. Iunij 1608.* fuit firmatum, & nuper in vna *Lucana prætensi Iurispatronatus Mercurij 27. Iunij 1619. coram me*, vbi multæ rationes, & authoritates adducuntur.

Vltra quod etiam Domini, etiamsi adesset aliqua probatio Iurispatronatus existimarunt Fratres S. Augustini
4 ✝ nullo modo iustificare, quo iure quaue ratione istud prætensum iuspatronatus fuerit ad eorum Monasterium deuolutum, præcipuè cum agatur contra libertatem Ecclesiæ, & contra Ordinarium habentem intentionem fundatam de iure communi.

Et ita decisum informante solum Ioanne Baptista Montanario.

## ELNEN. DISTRIBVTIONVM.

*Lunæ 15. Iunij 1620.*

### ARGVMENTVM.

Declaratoriæ non est locus quando non constat de contumacia in parendo, & quando de ista dicatur non constare.

### SVMMARIVM.

1 *Declaratoria non datur nisi contra contumaces.*

2 *Contumacia beneficiatorum non videtur inducta ex intimatione exequutorialium facta quibusdam officialibus non repræsentantibus integram communitatem beneficiatorū, præcipue cum agatur ad effectum excommunicandi.*

3 *Communitas aliud est, aliud singuli de communitate.*

5 *Contumacia non incurritur quando quis non obtemperat non contentis in sententia.*

### DECISIO CCLXXI.

1 Denegandam esse declaratoriam Domini responderunt, ✝ quia nunquam datur nisi contra contumaces, & rebelles executionibus Rotalibus, *cap. 1. in fin. vt lit. non contest. cap. Episcopis 2. quæst. 3. cap. nemo Episcoporum 11. quæst. 3. & fuit sæpissimè decisum.*

2 Non enim existimatunt ✝ intimationem factam quibusdam officialibus, quos non constat habuisse potestatem repræsentandi integram Communitatem posse inducere contumaciam Beneficiatorum, præcipue cum agatur ad effectum infligendæ grauissimæ excommunicationis pœnæ.

In sententia enim Rotali non fuerunt condemnati Officiales, sed communitas Beneficiatorum, vnde sequitur non posse dici contumacem nisi executoriales iisdem
3 insimul conuocatis fuerint intimatæ ✝ aliud enim est Communitas, aliud singuli de communitate, *l. sicut, §. sicut, ff. quod cuiusque vniuers. com.* Nam licet Bursarij, & Syndici sint agentes, & administratores Communitatis, tamen non validatur inti-
4 matio eis facta, quia ✝ non sufficit scientia administratoris, vbi requiritur scientia Domini, *l. item venit, §. petitam, vbi Angel. ff. de petit. hæred. Alex. cons. 84. col. 2. vol. 1. Natt. cons. 636. num. 190.*

Vltra quod etiam aliqui ex DD. multū
5 dubitabant ✝ etiamsi intimatio esset legitimè facta, si dicta Communitas Beneficiatorum posset dici contumax cum obtulerunt soluere distributiones Canonicis interessentibus, & si aliqui ex Canonicis eas recusārint, non inde sequitur Beneficiatos esse contumaces cum non reperiatur expressum in sententia, quod Beneficiati teneantur soluere quotam distributionum spectantem Canonicis ipsi Capitulo, non autem singulariter Canonicis diuino officio interessentibus.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CREMONEN. BENEFICII.

*Veneris 16. Nouembris 1620.*

### ARGVMENTVM.

Possessio anterior manutenenda etiam absque tituli iustificatione, vtpotè non necessaria in iudicio summarijssimo retinendæ.

### SVMMARIVM.

1 *Possessio anterior est manutenibilis, iunior vero vti posterior censetur clandestina.*

2 *Possessio instrumentalis alio existente in possessione tamquam vitiosa, & à lege improbata non est manutenibilis.*

3 *Tituli iustificatio non est necessaria in summarijssimo iudicio retinendæ.*

4 *Sententia præsumitur iusta nisi in continenti contrarium probetur.*

5 *Manutentio in quasi possessione præsentandi post sacr. Concil. Trident. non datur vniversi-*

*uersitatibus nisi probato prius iuridicè patronatu.*

## DECISIO CCLXXII.

Domini recedendo à decisis coram me sub die 6. Aprilis proximè præteriti censuerunt Dño Laurentio Turricellæ dandum esse mandatum de manutenendo ex eadem regula firmata in decisione supradicta in fauorem D. Thomæ Frameni,
1 quod anterior possessio est manutenibilis iunior vero vti posterior censetur clandestina.

Hodie enim sublato æquiuoco, quod consistebat in modo numerandi annum ab Incarnatione Domini, & non à Natiuitate illarum partium apparet Commissarium Cameræ authore Iudice fuisse immissum in possessionem beneficij litigiosi die 24. Iulij 1616. vt in Summario num. 1. qui eam cessit in fauorem Laurentij die 9. Fe-
2 bruarij 1617. ex quo sequitur † possessionem ipsius merè instrumentalem d. Commissario existente iam in possessione nullo modo posse manuteneri tamquam vitiosam, & à lege improbatam, *l. quod in eo §. fin. ff. de acquir. possess. Mohed decis. 4. de restit. spoliat.*

Nec obstat ea quæ deducuntur de non iure Laurentij, qui obtinuit immissionem sub nomine Commissarij non iustificata clausula, constito, in Breui apposita, nam
3 placuit responsio † in hoc summarijssimo iudicio retinendæ non esse necessariam iustificationem tituli per quem fuit apprehensa possessio, *l. 5. §. ex contrario, ff. de acquir poss.* & ideo in alio rimedio erunt
4 discutienda, vltra quod semper pro Iudice præsumitur, nisi in continenti contrarium ita probaretur, vt Iudicis sententia nullum posset habere colorem iustitiæ ex deduct. in illa *Romana de Bombellis 31. Maij 1613. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno toties à Rota canonizata.*

Prout ea quæ dicuntur de quasi possessione præsentandi patronorum indigent
5 particulari inspectione cum hodie † post sacr. Concil. Tridentinum non detur talis manutentio vniuersitatibus, nisi probato prius iuridicè patronatu, vt pluries fuit decisum.

Et ita conclusum.

## BONONIEN. PECVNIARIA DE BONVISIS.

*Veneris 4. Maij 1620.*

### ARGVMENTVM.

Creditum quando ex epistolis, ac libris mercatorum dicatur sufficienter probatum.

### SVMMARIVM.

1 *Epistola probat contra scribentem, eiusque creditores.*
2 *Libri mercatorum, qui de iure communi non probant contra tertium, iunctis adminiculis possunt etiam tertio præiudicare.*
3 *Tertij non sunt, sed singulares successores venientes ex persona sui debitoris à quo in ipsos translata fuerunt iura, quibus vtuntur.*
4 *Confessio debitoris cessante fraude nocet eius creditoribus.*
5 *Assumpti acceptando cessionem factam à decocto agendo, & diuidendo effectus, & bona eiusdem dicuntur curatores dati bonis decocti ad instar curatoris dati bonis furiosi, vel minoris.*
6 *Creditores ad hoc vt vti tertij habeantur, debent subhastare bona debitoris iuxta formam requisitam in l. à diuo Pio, § in venditione, & §. si quis, ff. de re iudic.*
7 *Successor ex titulo oneroso non tenetur approbare factum antecessoris, secus ex titulo lucratiuo.*
8 *Scriptura quæ facit fidem contra scribentem faciet etiam fidem contra quemlibet successorem, siue vniuersalem, siue particularem, tam ex causa lucratiua, quàm onerosa.*
9 *Debitor non prohibetur alios creditores constituere nisi interdicta illi sit bonorum administratio, aut tempore suspecto in fraudem creditorum, id fecisse conuincatur.*
10 *Libri, & litteræ socij non probant pro socio in præiudicium alterius.*
11 *Probatio probationem non excludit.*
12 *Creditores hypotecarij de iure communi præferuntur alijs.*
13 *Creditores qui fundant creditum in solis libris rationis bancariæ in effectu censendi sunt chirographarij.*
14 *Scriptura continens negocia noua, & extra tempus societatis facta à ministro, vltra facultates ei concessas præsumitur facta in fraudem creditorum.*

DE-

DECISIO CCLXXIII.

Visum fuit Dominis sufficienter probari creditum DD. Bonuisiorum contra Caitum, eiusque creditores tam ex deductis in alia positione, quàm ex litteris de nouo formiter recognitis, & ita steterunt in decisis.

1 Existimarunt enim † epistolam scriptã & subscriptam manu Benedicti Mariani institoris, seù complementarij nomine sociali (vt apparet ex subscriptione & cæterata, quæ idem importat, ac si diceret, & compagni, vt deponunt testes) insertamque in libro, *copia di lettere*, dicto ex se sufficere ad probandum creditum contra ipsum scribentem, eiusque creditores, *l. litteras, C. mandabo, cap. 2. extr. de fid. instrum. vbi Abb. num. 6. l. publica, §. vlt, ff. deposit. Bart. in l. nuda num. 10. ff. de donat. cum simil.* Multoque magis dicta epistola inseruit pro adminiculo ad augendam fidem libro-

2 rum † cum libri mercatorum, qui de iure communi non probant contra tertium iunctis adminiculis possint etiã tertio præiudicare, vt in terminis *Rota decis. 373. nu. 2. 3. & 4. par. 1. diuers.*

Nec visum fuit obstare, quod dicebatur ab informantibus pro assumptis creditorum, nec libros, cum non sit in his forma à statuto præscripta ad vnguem obseruata, nec epistolã posse aliquo modo ipsis præiudicare, cum sint tertij, nec habeant causam vniuersalem ab ipso Caito, quippe qui iustificato ritè eorum credito bona sui debitoris in solutum acceperint. Placuit

3 enim responsio data in decisione, † ipsos nullo modo posse dici tertios cum pernecesse habeant causam ab eorum creditore de cuius bonis satisfacti sunt, & sic sunt eius singulares successores cum veniant ex illius persona nullam enim habuissent actionem in bonis Caiti nisi ipse cum ijs contrahendo ius quo vtuntur illis concessisset, *Rota d. decis. 375. num. 1. & num. 6. par. 1. diuers. Angel. in l. à diuo Pio, §. si quoque, ff. de re iudic. num. 2.* inde sequitur vt

4 confessio debitoris cessante fraude noceat eius creditoribus, *Castr. in l. 1. propè finem, ff. solut. matrim. Rolan. cons. 20. nu. 18. lib. 4. cum alijs per Rotam decis. 324. num. 3. par. 2. in recent.*

Placuit, & alia responsio data in decisi-

5 ne, quod † assumpti acceptando cessionem factam ab ipso Caito agendo, & diuidendo effectus, & bona dicti Caiti dicuntur curatores dati bonis decocti adinstar curatoris dari bonis furiosi, vel minoris, *l. 2. & ibi gloss. & l. final. C. curat. bon. dand. cũ alleg. in d. decis.* quod obseruantia decla-

6 rauit si enim † vti tertij creditum suum exegissent debebant iuris ordine seruato, qui in subhastandis bonis, & iuribus creditorum, requiritur secundum formam requisitam *in l. à diuo Pio, §. in venditione, & §. si quos, ff. de re iudic.* id facere.

Nec placuit distinctio facta de successore ex titulo lucratiuo, vel ex titulo oneroso, ex traditis per *Alex. cons. 12. nu. 6. lib. 4.*

7 quia † ista conclusio procederet quando ageretur de approbatione facti antecessoris, iuxta regulam *l. cum à matre, C. de rei*

8 *iudicat.* secus autem † quando agitur de vi & natura probationis semper enim scriptura priuata quæ faciebat fidem contra debitorem scribentem faciet etiam fidem contra quemlibet successorem siue vniuersalem, siue particularem, *Socc. cons. 68. n. 6. lib. 4. vers. priuata scriptura, Aret. cons. 112. ad fin.* licet per euidens nascatur præiudi-

9 cium alijs creditoribus nullo enim iure prohibetur debitor alios creditores constituere, aut per chirographum, aut etiam per instrumentum publicum nisi interdicta illi sit bonorum administratio, aut tempore suspecto in fraudem creditorum id fecisse conuincatur, nec habent iustam causam conquerendi priores creditores, licet in casum decoctionis omnes creditores nõ hipothecarij concurrant, *l. 1. §. 1. ff. de separat.* ex quibus apperet creditores cõcurrentes pro exactione sui crediti non posse reputari tertios.

Nec obstat non posse suffragari hanc regulam DD. Bonuisijs cum ipsi dederint mensæ nummulariæ Caiti in qua d. Marianus erat institor, libras 7500. in accom-

10 menditam, † qua stante habentur vt socij alias sequeretur absurdum vt liberi, & litteræ socij probarent pro socio in præiudicium alterius.

Hæc obiectio tollitur ex facto distinguẽdo personam Dominorum Bonuisorum, qui non solum tamquam accommendatarij non agunt, sed cum ratio illa in qua pecunias suas apposuerant remanserit non soluendo declarant se nihil prætendere in capitali, quod deperditur non abnuunt sed cum ijdem Domini Bonuisi habeant aliam rationem bancariam constitutam in Ciuitate Placentiæ distinctam, & separatam sub eorum solo nomine cantantem

potuit

potuit dicta ratio Placentiæ contrahere cũ ratione bancharia dicti Caiti, & in hoc nõ possunt dici socij, sed creditores prout eo nomine litem intentarunt pro exactione crediti spectantis ad rationem banchariam cantantem sub eorum nomine Placentiæ.

Nec etiam obstat quod dicitur durum esse, & iniquum vt Domini Bonuisi concurrant cum creditoribus Caiti, quorum aliqui iustificauerunt crediuum suum per instrumenta publica alij per libros alrerius rationis banchariæ, in quibus exactè seruata fuit forma requisita à statuto Bononien. Placuit enim responsio quidquid sit de eo, de quo in actis non constar non hodie agi de concursu, aut prælatione facienda, sed solummodo quæri vtrum legitimè
11 probatum fuerit creditum, † probatio siquidem probationem non excludit, æquè enim in iure admittuntur probationes, seu per scripturas, seu per testes, nec refert in iure quomodo facta fuerit, dummodo sufficiens detur probatio crediti, qui enim probauit intentionẽ per instrumentum publicum habet quidem probationem probatam, sed propterea non sequitur alios non posse probare credita sua alio genere
12 probationis † licet enim creditores hypothecarij de iure communi præferantur, alijs tamen non repelluntur ab exactione sui crediti.

13 Et quoad † creditores qui fund ant creditum in solis libris rationis banchariæ in effectu censendi sunt chirographarij, nec conqueri possunt si Domini Bonuisi cum his concurrant, de quorum credito constat non solum per libros, sed per chirographum, seu epistolam quæ vt supra firmatũ fuit sola sufficeret, nec minus habent priuilegij, quam habent illi qui solis libris intentionem suam probarunt.

14 Nec obstat denique quæ dicuntur contra veritatem epistolæ (quam Domini sufficienter recognitam censuerunt) quod fuerit facta in fraudem creditorum à Mariano vltra facultates ei concessas quippe quæ contineat negocia noua, & extra tempus societatis contra formam vltimæ prorogationis; istæ enim exceptiones tolluntur ex facto, nam apparet ex data epistolæ eam scriptam fuisse tempore non suspecto ante suspicionem decoctionis ex cuius epistolæ lectura constat etiam non fuisse negocia noua, sed antiqua ante vltimam prorogationem cum sit epistola responsiua ad negocia tractata in nundinis intra tempus prorogationis, vt fusiùs deducitur in facto per informantes cum quibus Domini transierunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CIVITATIS CASTELLI FIDEICOMMISSI.

*Veneris 12. Iunij 1620.*

## ARGVMENTVM.

Fideicommissum quandoque inducitur etiã per verbum instituit, quamuis directum, & quando excludatur quem non esse vocatum per solam vulgarem.

## SVMMARIVM.

1 *Verbum, instituit, est directum, sed quandoque obliquatur ex clara voluntate Testatoris.*
2 *Verba directa, quæ iure directo valere non possunt, trahuntur ad fideicommissum.*
3 *Verba, fecit, & esse voluit, sunt precaria.*
4 *Substitutio fideicommissaria non compatitur cum vulgari.*
5 *Substitutio vulgaris expirat post aditam hæreditatem.*

## DECISIO CCLXXIV.

Domini dixerunt constare de fideicommisso ad fauorem D. Marchionis Chiapini Vitellij purificato vigore testamentorum Pauli Vitellij, & Gentilinæ, & quoad fideicommissum Pauli res visa fuit clara, quia vt patet ex eius testamento cuius copia datur in Summ. num. 2. ipse instituit Chiapinum eius fratrem, & post eius mortem Ioannem Vincentium filium naturalem dicti Chiapini, & post Ioannis Vincentij mortem filium masculum legitimum & naturalem primogenitum, & dicti primogeniti primogenitos, & successiuè de primogenito in primogenitum, & semper primis ex primogenitis nasciturum, & nascituros in infinitum. Vnde cum ex Ioanne Vincentio fuerit natus Nicolaus, & ex Nicolao Marchio Chiapinus, & tam Ioannes Vincentius quam Nicolaus decesserint, vt deponunt testes in Summ. num. 1. sequitur Marchionem Chiapinum vti primogenitum Nicolai filij Ioannis Vincentij esse vocatum ad fideicommissum d. Pauli, & illud ad eius fauorem esse purificatum

per

per obitum d. Ioannis Vincentij, & Nicolai, nec istud controuertitur.

Quo vero ad testamentum Gentilinæ visum fuit non posse in dubium reuocari vocationem Marchionis Chiapini, nam post vocationem filiorum masculorum legitimorum eorum linea legitima deficiente, (prout defecisse non controuertitur) vocauit Ioannem Vincentium eiusque descendentes, vtendo his verbis (*Illustrissimum D. Io. Vincentium filium illegitimum Ioannis Lisii alias Chiapini, ac alios filios sibi hæredes vniuersales ex nunc, prout ex tunc, & è contra instituit fecit, & esse voluit, & post mortem dicti Vincentij substituit filios masculos legitimos, & naturales, ac de legitimo matrimonio natos, & procreatos dicti Vincentij, & eius descendentium.*) Ex quibus primò colligitur dictum Ioannem Vincentium expresse vocatum fuisse per fideicommissum post mortem Pauli Chiapini senioris mortui sine filijs, & descendentibus, licet Te-

1 statrix vsa fuerit verbo *instituit*, † quod de sui natura est merè directum, quia non est inconueniens illud obliquari ex clara voluntate Tastatricis quæ vocauit Vincentium post mortem filiorum, & descendentium,

2 sic pernecesse per fideicommissum, † nam verba directa quæ iure directo valere non possunt trahuntur ad fideicommissum, *l. ex facto in princ. ff. ad trebell. & ibi Bart. Cuiac. cons. 50. per tot.* qui id multis legibus comprobat *Io. de Anan. cons. 7. num. 1. & 2. Bald. cons. 305. lib. 3. Soccin. cons. 12. num. 13. lib. 3. Ruin. cons. 174. nu. 2. lib. 3. & cons. 570. lib. 4.* cum multis cumulatis in vna *Romana de Gabriellibus 19. Nouemb. 1587. coram Gipsio, & in Viterbien. fideicommissi 24. Nouembris 1603. coram Reuerendissimo Attrebaten.*

Et quod tollit omnem scrupulum illud est, quod non solum vsa fuit verbo, *insti-*

3 *tuit*, sed addidit alia † verba, *fecit*, *& esse voluit*, quæ sunt verba præcaria, *l. 2. C. com. delegat. Bald. cons. 120. col. fin. vers. est enim facta lib. 2. Sim. de Prat. de interpr. vlt. vol. lib. 3. interpr. 2. dub. 1. sol. 3. num. 2. fol. mihi 229.*

Inde sequitur post mortem dicti Ioannis Vincentij ex filio nepotem D. modernum Marchionem Chiapinum pernecesse vocatum cum filij descendentium masculorum sint expressè vocati, nec placuit quod dicitur substitutionem hanc intelligi debere per solam vulgarem non autem fideicommissariam ex adductis per informantes pro hæreditate q. D. Saluſtiæ quæ non possunt applicari casui, de quo agitur cum Nicolaus prædecesserit patri Ioanni Vincentio relicto D. Marchione moderno cui Ioannes Vincentius auus grauatus erat per fideicommissum restituere, & non per solam vulgarem fuit enim grauatus post mortem, & sic adita iam hæreditate, quod est

5 incompatibile cum vulgari, † quæ post aditam expirat, & ita sumus extra terminos Doctrinæ *Cuman. in l. cum ita, §. in fideicommisso num. 4. ff. de legat. 2.* quæ habuisset locum post primam restitutionem factam ab ipso Ioanne Vincentio Nicolao filio si ipse superuiuixisset qui casus cum non euenerit Domini superfluum existimarunt ingredi quæstionem iuris satis difficilem.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA CANONVM.

*Lunæ 11. Maij 1620.*

## ARGVMENTVM.

Substitutio reciproca inter vocatos benè dicitur introducta tribus concurrentibus. Primo quod omnes sint à Testatore honorati. Secundo quod substitutio sit facta vltimo morienti. Tertio quod sit facta in tota hæreditate. Substitutio reciproca, quando possit habere locum per coniecturas.

## SVMMARIVM.

1 *Hæres conditionalis adit hæreditatem purificata conditione.*

2 *Mors alicuius probatur ex libro mortuorum Ciuitatis.*

3 *Filius legitimus, & naturalis alicuius, an aliquis sit, probari potest ex fide baptism.*

4 *Testes quando probent filiationem legitimam & naturalem.*

5 *Substitutio fit sit facta per nomen collectiuum plurium personarum, hoc casu inter vocatos censetur inducta reciproca.*

6 *Substitutio reciproca vt inter vocatos inducatur tria sunt necessaria.*

7 *De substitutione reciproca quando non possit dubitari.*

8 *Sine filijs quod quis obierit, quando verificetur.*

9 *Inter vocatos ex quibus dicatur, substitutionem esse factam vltimo morienti.*

10 *Et ad hoc non requiruntur verba expressa, sed æquipollentia.*

*Testa-*

11 *Testator quoties non exprimit à quo velit hæreditatem restitui intelligitur onus impositum vltimo morienti, ampla num. 12.*
13 *Inter substitutos quando semper intelligatur adesse reciprocam.*
14 *Substitutio inter vocatos, quando dicatur facta in tota hæreditate.*
15 *Verbum hæreditas simpliciter prolatum, licet non importet totam hæreditatem.*
16 *Fallit tamen si constet de contraria mente Testatoris.*
17 *Dimidiæ duæ constituunt totum.*
18 *Totum id, quod dicit, nihil excludit.*
19 *Integrum secundum Grammaticos idem sonat, quam totum.*
20 *Prohibitio expressa alienationis, vt bona deueniant in omnes vocatos, est sufficiens ad inducendam reciprocam, & num. 21.*
22 *Hæreditatem totam, quis nō poterit restituere, nisi eam habuerit in totum.*
23 *Ad substitutionem reciprocam inducendam tacita mente Testatoris sufficiunt coniectura perneceße id concludentes.*
24 *Consequens qui voluit, censetur pariter voluisse antecedens.*
25 *Hæres grauatus quandiu viuit, facit fructus suos, nec illos vocatis ad fideicommissum restituere tenetur.*

## DECISIO CCLXXV.

Postquam in hac causa decisum fuit canones esse debitos hęredibus D. Annę eius exhibito testamento, dubitaui vtrum DD. Antonij Francisci Soderini legitimata esset persona, quo dubio proposito Domini affirmatiuè responderunt.

Et quoad medietatem hæreditatis Dominæ Annæ visum fuit inspectis verbis testamenti sine vlla penitùs difficultate eam pertinere ad D. Antonium Franciscum, quia Testatrix in omnibus bonis suis postquam vocauit Alexandrum patrem dicti Antonij Francisci ad semissem ipso moriente cum filijs masculis legitimis, & naturalibus expressè substituit maiorem na-
1 tu qualis est D. Antonius Franciscus † qui purificata conditione hæreditatem sibi delatam adiuit, *l. fin. §. 1. ff. de vulgar. cum similibus.*

Quod autem Alexander iampridem obierit probatur ex partita extracta formiter à libro mortuorum Ciuitatis Florentiæ,
2 de qua in Summ. num. 3. † quæ probatio satis superque ad hunc effectum sufficit, *Rebuff. de registr. baptism. art. fin. vers. & sic patet tom. 3. constit. cum deductis in vna Romana Palatij 5. Aprilis 1604. coram bo. me. Card. Pamphilio*, prout etiam iustificatur Antonium Franciscum esse filium primogenitum legitimum, & naturalem d. Ale-
3 xandri † non solum ex fide baptismatis, sed etiam ex testibus hic in Curia formiter exa-
4 minatis, † qui optimè probant filiationem legitimam, & naturalem cum omnibus requisitis, & qualitatibus, de quibus per *Bart. in l. filium num. 3. ff. de ijs qui sunt sui, vel alien. iur. Dec. in cap. per tuas num. 8. & 40.* dum probat *glos. in cap. transmisse, in verb. indicys, & ibi Alexan. num. 10. qui fil. sint legitim.*

Respectu verò alterius medietatis etiam legitimam esse personam DD. censuerunt nam existimarunt inter duos primogenitos re & verbis coniunctos inductam fuisse reciprocum fideicommissum, grauatumque vltimum morientem superuiuenti hæredi-
5 tatem restituere † substitutio enim reperitur facta per nomen collectiuum plurium graduum, & personarum, quo casu inter vocatos censetur inducta reciproca, *Anch. cons. 27. col. 2.* quem citat, & sequitur *Tiraq. in l. boues, §. hoc sermone licuit 12. nu. 5. ff. de verb. signif. cum allegat. per Surd. cons. 336.*
6 *num. 11. Laderch. cons. 80. num. 4.* præcipuè cum in hac facti specie concurrant illa tria requisita ad inducendam tacitam, & expressam reciprocam fideicōmissariam substitutionem. Primum quod omnes illi sint à Testatore honorati inter quos prætenditur facta reciproca substitutio, secundum quod substitutio facta sit vltimo morienti,
7 tertium quod sit facta à tota † hæreditate quibus tribus simul stantibus cōmunis DD. opinio est non posse de reciproca dubitari, *in l. titia seio, §. seia libertis per illū tex. ff. de leg. 2. & in l. hæredes mei, §. cū item, ff. ad treb.* cum cumulatis per *Mart. de coniect. vlt. vol. lib. 7. tit. 5. num. 15. Menoch. cons. 85. n. 41. & seqq. Surd. cons. 329. num. 6. lib. 3. Seraphin. decis. 339. num. 23. & in vna Bononien. de Poetis 10. Maij 1617. coram R. P. D. meo Vbaldo.*

Quoad primum requisitum de eo satis constat ex verbis claris testamenti, nam post institutos hæredes Io: Victorium, & Alexandrum vnumquemque pro dimidia, & factam inter eos reciprocam substitutionem in casum, quo dicti primi instituti cum filiis legitimis, & naturalibus decederent, (qui casus euenit) dictis, vel dicto sic morienti in d. parte hæredes substituit, & instituit

stituit hæredem maiorem natu masculum cuiuslibet dictorum suorum nepotum, & dicti primogeniti, seu primogenitorum, filium, seu filios respectiuè, ex quibus testamenti verbis ita conceptis apparet non solum post mortem primorum hæredum Petrum Thomam filium Ioannis Victorij, & Antonium Franciscum filium Alexandri fuisse per fideicommissariam vocatos cum qualitate primogenituræ, sed eorũ etiam filios, & cũ inter istos duos substitutos prætendatur facta reciproca pernecesse cõstat adesse primum requisitũ ad effectum inducendæ reciprocæ substitutionis cum etiam in facto iustificetur mors Petri Thomæ pri-
8 mogeniti, vt in Summ. num.4. † & quod decessetit sine filijs satis ex eo probatur, quod non constat ipsum aliquos habuisse filios, vt per *Bart. & alios in l. ex facto*, §. *si quis autem, & ibi Rip. num. 9. ff. ad trebell.* cum multis cumulat. per *Surd. consf. 92. n. 16* vbi de veriori, & magis communi testatur *lib. 1. Seraph. decis. 1468. num. 3.* fuit dictum in vna *Ferrarien. bonorum 1617. coram R. P. D. meo Pamphilio.*

Quod etiam adsit secundum requisitum
9 satis colligitur ex eisdem verbis superius descripis testamenti, & præcipuè ex illis (dictis, vel dicto morienti substituit) & in vltima particula testamenti dum post mortem institutorum, vel substitutorum sine filijs, aut descendentibus vocat loca pia expresse hęc verba habentur Vltimo ex eis sie decedenti substituit Argentinam donec vixerit solum, & postea hospitalia quæ verba referuntur ad proximè præcedentia in quibus facit mentionem de descendentibus, & posteris primogenitorum vocatis.

Ex quo verborum tenore satis apparet factam fuisse substitutionem expressè vlti-
10 mo morienti vltra quod † nec esset necesse eam verbis expressis fieri, sed per æquiua-
11 lens, *Socc. iun. consf. 110. num. 35. lib. 3.* † quoties enim Testator nõ exprimit à quo velit hereditatẽ restitui intelligitur onus impositũ vltimo morienti, *Bart. in l. qui duos in fin. & ibi Castr. & alij de vulg. Alex. & Ias.* quos refert, & sequitur *Decian. consf. 244. nu. 73. lib. 3.* cum allegatis in d. Bonon. de Poetis. Quod eo magis est dicendum in hac facti
12 specie † in qua post mortem nepotum, eorumque descendentium masculorum substituta sunt loca pia in rota hæreditate quæ verisimiliter Testatrix noluit præferre dilectissimis nepotibus, eorumque filijs descendentibus, de quibus toties mentionem
13 fecit; Vnde † etiam si non esset facta expressè morienti semper intelligitur inter substitutos adesse reciprocam, *Paris. consf. 43. num. 23. vol. 2. cum alijs alleg. per Mant. d. tit. 5. num. 14.* præcipuè cum concurrant omnia alia requisita, vt latissimè explicat *Surd. consf. 309. num. 17. lib. 3. cum deductis in d. Bonon. de Poetis*, vbi respondetur decisioni *Rauennaten. fideicommissi coram Orano 1596.* alijsque iuribus quæ in contrarium solent adduci.

14 Quo ad tertium requisitum attinet visum fuit ex tenore totius testamenti constare substitutionem factam fuisse in tota hæreditate, ponderando initium, medium, & finem testamenti, in principio enim dum DD. Io. Victorium, & Alexandrum ad hæreditatem vocat, his verbis vtitur *In omnibus autem alijs bonis suis, iuribus, & actionibus præsentibus, & futuris sibi eos heredes vniuersales instituit*, sub quibus verbis totam hæreditatem comprehendi nemo sanæ mentis reuocare potest in dubium. Deinde eumdem tenorem sequens ijsdem primis institutis morientibus ad eadem bona substituit ipsorum primogenitos primogenitorumque filios; Et deinde prouidens pronepotibus, & cæteris vocatis in minori ætate constitutis bis de sua hæreditate indefinitè mentionem fecit. Et postmodùm omnibus sine filijs masculis legitimis descendentibus substituit ex dicta hæreditate pro dimidia Hospitale S. Mariæ Nouæ pro altera dimidia Hospitale S. Bonifacij de Florentia, argumentando igitur à prima parte testamenti, in qua mentionem totius hæreditatis fecit ad vltimam, in qua indefinitè locuta est dicendum est Testatricem
15 intellexisse de tota hæreditate † licet forsan hoc verbum *hæreditas*, simpliciter prolatum non importaret totam hæreditatem ex deductis per *Gabr. de substit. concl. 1. n. 3.*
16 nihilominus † quando aliunde apparet de voluntate Testatricis contrarium est dicendum, vt per *Gabr. ibidem num. 10.* quod clarius inde deducitur dum Testatrix substi-
17 tuit duo loca pia pro dimidia, nam duæ dimidiæ constituunt totam hæreditatem, *Castr. consf. 280. col. 1. lib. 2.* cum multis cumulatis per *Menoch. præsumpt. 72. num. 5. lib. 4. Rot. apud Seraph. decis. 934. n. 16. & in dicta Bononein. de Poetis coram R. P. D. meo Vbaldo*, in qua idem in terminis deciditur.

Et si quæ esset dubitatio ea facilè tollitur ex sequentibus testamenti verbis, ex quibus demonstratur Testatricem pernecesse

11 *Testator quoties non exprimit à quo velit hæreditatem restitui intelligitur onus impositum vltimo morienti, ampla num.12.*

13 *Inter substitutos quando semper intelligatur adesse reciprocam.*

14 *Substitutio inter vocatos, quando dicatur facta in tota hæreditate.*

15 *Verbum hæreditas simpliciter prolatum, licet non importet totam hæreditatem.*

16 *Fallit tamen si constet de contraria mente Testatoris.*

17 *Dimidiæ duæ constituunt totum.*

18 *Totum id, quod dicit, nihil excludit.*

19 *Integrum secundum Grammaticos idem sonat, quam totum.*

20 *Prohibitio expressa alienationis, vt bona deueniant in omnes vocatos, est sufficiens ad inducendam reciprocam, & num.21.*

22 *Hæreditatem totam, quis nō poterit restituere, nisi eam habuerit in totum.*

23 *Ad substitutionem reciprocam inducendam tacita mente Testatoris sufficiunt coniecturæ pernecesse id concludentes.*

24 *Consequens qui voluit, censetur pariter voluisse antecedens.*

25 *Hæres granatus quandiu viuit, facit fructus suos, nec illos vocatis ad fideicommissum restituere tenetur.*

## DECISIO CCLXXV.

POstquam in hac causa decisum fuit canones esse debitos hęredibus D.Annę eius exhibito testamento, dubitaui vtrum DD. Antonij Francisci Soderini legitimata esset persona, quo dubio proposito Domini affirmatiuè responderunt.

Et quoad medietatem hæreditatis Dominæ Annæ visum fuit inspectis verbis testamenti sine vlla penitùs difficultate eam pertinere ad D. Antonium Franciscum, quia Testatrix in omnibus bonis suis postquam vocauit Alexandrum patrem dicti Antonij Francisci ad semissem ipso moriente cum filijs masculis legitimis, & naturalibus expresè substituit maiorem na-
1 tu qualis est D. Antonius Franciscus † qui purificata conditione hæreditatem sibi delatam adiuit, *l. fin. §. 1. ff. de vulgar. cum similibus.*

Quod autem Alexander iampridem obierit probatur ex partita extracta formiter à libro mortuorum Ciuitatis Florentiæ,
2 de qua in Summ. num. 3. † quæ probatio satis superque ad hunc effectum sufficit, *Rebuff. de registr. baptim. art. fin. vers. & sic patet tom. 3. consilt. cum deductis in vna Romana Palatij 5. Aprilis 1604. coram bo. me. Card. Pamphilio*, prout etiam iustificatur Antonium Franciscum esse filium primogenitum legitimum, & naturalem d. Ale-
3 xandri † non solum ex fide baptismatis, sed etiam ex testibus hic in Curia formiter exa-
4 minatis, † qui optimè probant filiationem legitimam, & naturalem cum omnibus requisitis, & qualitatibus, de quibus per *Bart. in l. filium num. 3. ff. de ijs qui sunt sui, vel alien. iur. Dec. in cap. per tuas num. 8. & 40. dum probat glos. in cap. transmissæ, in verb. indicys, & ibi Alexan. num. 10. qui fil. sint legitim.*

Respectu verò alterius medietatis etiam legitimam esse personam DD. censuerunt nam existimarunt inter duos primogenitos re & verbis coniunctos inductam fuisse reciprocum fideicommissum, grauatumque vltimum morientem superuiuenti hæredi-
5 tatem restituere † substitutio enim reperitur facta per nomen collectiuum plurium graduum, & personarum, quo casu inter vocatos censetur inducta reciproca, *Anch. cons. 27. col. 2.* quem citat, & sequitur *Tiraq. in l. boues, §. hoc sermone licuit 12. nu. 5. ff. de verb. signif. cum allegat. per Surd. cons. 336.*
6 *num. 11. Laderch. cons. 80. num. 4.* præcipuè cum in hac facti specie concurrant illa tria requisita ad inducendam tacitam, & expressam reciprocam fideicōmissariam substitutionem. Primum quod omnes illi sint à Testatore honorati inter quos prætenditur facta reciproca substitutio, secundum quod substitutio facta sit vltimo morienti,
7 tertium quod sit facta à tota † hæreditate quibus tribus simul stantibus cōmunis DD. opinio est non posse de reciproca dubitari, *in l. titia seio, §. seia libertis per illū tex. ff. de leg. 2. & in l. hæredes mei, §. cū item, ff. ad treb.* cum cumulatis per *Mart. de coniect. vlt. vol. lib. 7. tit. 5. num. 15. Menoch. cons. 85. n. 41. & seqq. Surd. cons. 329. num. 6. lib. 3. Seraphin. decis. 339. num. 23. & in vna Bononien. de Poetis 10. Maij 1617. coram R. P. D. me Vbaldo.*

Quoad primum requisitum de eo satis constat ex verbis claris testamenti, nam post institutos hæredes Io: Victorium, & Alexandrum vnumquemque pro dimidia, & factam inter eos reciprocam substitutionem in casum, quo dicti primi instituti cum filiis legitimis, & naturalibus decederent, (qui casus euenit) dictis, vel dicto sic morienti in d. parte hæredes substituit, & instituit

stituit

stituit hæredem maiorem natu masculum cuiuslibet dictorum suorum nepotum, & dicti primogeniti, seu primogenitorum, filium, seu filios respectiuè, ex quibus testamenti verbis ita conceptis apparet non solum post mortem primorum hæredum Petrum Thomam filium Ioannis Victorij, & Antonium Franciscum filium Alexandri fuisse per fideicommissariam vocatos cum qualitate primogenituræ, sed eorũ etiam filios, & cũ inter istos duos substitutos prætendatur facta reciproca pernecesse cõstat adesse primum requisitũ ad effectum inducendæ reciprocæ substitutionis cum etiam in facto iustificetur mors Petri Thomæ pri-
8 mogeniti, vt in Summ. num.4. † & quod decesserit sine filijs satis ex eo probatur, quod non constat ipsum aliquos habuisse filios, vt per *Bart. & alios in l. ex facto, §. si quis autem, & ibi Rip. num. 9. ff. ad trebell.* cum multis cumulat. per *Surd.cons.92.n.16* vbi de veriori, & magis communi testatur *lib.1. Seraph.decis.1468.num.3.* fuit dictum in vna *Ferrarien. bonorum 1617. coram R. P. D. meo Pamphilio.*

Quod etiam adsit secundum requisitum
9 satis colligitur ex eisdem verbis superius descriptis testamenti, & præcipuè ex illis (dictis, vel dicto morienti substituit) & in vltima particula testamenti dum post mortem institutorum, vel substitutorum sine filijs, aut descendentibus vocat loca pia expressè hęc verba habentur Vltimo ex eis sic decedenti substituit Argentinam donec vixerit solum, & postea hospitalia quæ verba referuntur ad proximè præcedentia in quibus facit mentionem de descendentibus, & posteris primogenitorum vocatis.

Ex quo verborum tenore satis apparet factam fuisse substitutionem expressè vlti-
10 mo morienti vltra quod † nec esset necesse eam verbis expressis fieri, sed per æquiua-
11 lens, *Socc.iun.cons.110.num.35.lib.3.*† quoties enim Testator nõ exprimit à quo velit hereditatẽ restitui intelligitur onus impositũ vltimo morienti, *Bart.in l.qui duos in fin. & ibi Castr.& alij de vulg.Alex.& Ias.* quos refert, & sequitur *Decian. cons.244. nu. 73. lib.3.* cum allegatis in d.Bonon.de Poetis. Quod eo magis est dicendum in hac facti
12 specie † in qua post mortem nepotum, eorumque descendentium masculorum substituta sunt loca pia in tota hæreditate quæ verisimiliter Testatrix noluit præferre dilectissimis nepotibus, eorumque filijs descendentibus, de quibus toties mentionem
13 fecit; Vnde † etiam si non esset facta expressè morienti semper intelligitur inter substitutos adesse reciprocam, *Paris.cons. 43.num.23.vol.2. cum alijs alleg. per Mant. d. tit.5. num.14.* præcipuè cum concurrant omnia alia requisita, vt latissimè explicat *Surd.cons.309.num.17.lib.3. cum deductis in d. Bonon. de Poetis*, vbi respondetur decisioni *Rauennaten. fideicommissi coram Orano 1596.* alijsque iuribus quæ in contrarium solent adduci.

14 Quo ad tertium requisitum attinet visum fuit ex tenore totius testamenti constare substitutionem factam fuisse in tota hæreditate, ponderando initium, medium, & finem testamenti, in principio enim dum DD. Io.Victorium, & Alexandrum ad hæreditatem vocat, his verbis vtitur *In omnibus autem alijs bonis suis, iuribus, & actionibus præsentibus, & futuris sibi eos hæredes vniuersales instituit*, sub quibus verbis totam hæreditatem comprehendi nemo sanæ mentis reuocare potest in dubium. Deinde eumdem tenorem sequens ijsdem primis institutis morientibus ad eadem bona substituit ipsorum primogenitos primogenitorumque filios; Et deinde prouidens pronepotibus, & cæteris vocatis in minori ætate constitutis bis de sua hæreditate indefinitè mentionem fecit. Et postmodum omnibus sine filijs masculis legitimis descendentibus substituit ex dicta hæreditate pro dimidia Hospitale S. Mariæ Nouæ pro altera dimidia Hospitale S. Bonifacij de Florentia, argumentando igitur à prima parte testamenti, in qua mentionem totius hæreditatis fecit ad vltimam, in qua indefinitè locuta est dicendum est Testatricem
15 intellexisse de tota hæreditate † licet forsan hoc verbum *hæreditas*, simpliciter prolatum non importaret totam hæreditatem ex deductis per *Gabr.de substit. concl.1.n.3.*
16 nihilominus † quando aliunde apparet de voluntate Testatricis contrarium est dicendum, vt per *Gabr.ibidem num.10.* quod clarius inde deducitur dum Testatrix substi-
17 tuit duo loca pia pro dimidia, nam duæ dimidiæ constituunt totam hæreditatem, *Castr. cons.280. col.1.lib.2.* cum multis cumulatis per *Menoch. præsumpt. 72. num.5. lib.4. Rot.apud Seraph.decis.934.n.16.& in dicta Bononien. de Poetis coram R. P. D. meo Vbaldo*, in qua idem in terminis deciditur.

Et si quæ esset dubitatio ea facilè tollitur ex sequentibus testamenti verbis, ex quibus demonstratur Testatricem pernecesse

cesse

cesse disposuisse inter substitutos de integra hæreditate; nam ipsa dum expresse prohibet hæredibus institutis, & substitutis alienationem, & pignorationem bonorum suæ hæreditatis rationem subdit, quia *voluit omnia sua bona deuenire, & perpetuo permanere in omnes vocatos, & substitutos de*
18 *gradu in gradum*, ex quo sequitur dum de omnibus bonis mentionem fecit intellexisse totam hæreditatem restitui debere substitutis, *Zacch. in l. hæredes mei*, §. *cum ita*, *ff. ad trebell. Menoch. præsumpt.* 705. *nu.* 5. Quod eo euidentius apparet ex subsequentibus verbis dum in certum conuentionis casum vult integram hęreditatē deuolui ad Capitulum S. Petri de Vrbe dū ergo dixit
19 integram idem est, ac si dixisset totam secundum etiam regulas grammaticæ, *Gabr. conclus.* 5. *&* 6. *tit. ad trebell. Crass. in* §. *trebellianica quæst.* 8. *num.* 4. *&* 5. & patet ad sensum;

Et licet concurrentibus istis tribus requisitis non sit recurrendum ad alias coniecturas (prout verè concurrunt) nihilominus si aliquæ etiam deficerent tot, tantæque deducuntur ex ipsismet verbis testamenti præsumptiones, vel potius probationes, vt etiam dici possit inductam fuisse reciprocam inter ipsos descendentes toties
20 expresse vocatos, nam adest prohibitio expressa alienationis ad hoc vt bona deueniant in omnes institutos, & substitutos de gradu in gradum, de tempore in tempus, adiectis pœnis priuationis quæ coniectura videtur sufficere, ex trad. per *Imol. in l. codicillis*, §. *instituto num.* 5. *ff. de legat.* 2. *Alex. in l. filius familias de legat.* 1. *cum alleg. per Mant. num.* 17. Considerata etiam fuit
21 verisimilis mens Testatricis, quæ voluisse præsumitur præferre masculos prædictos fœminis, & locis pijs alias deterioris essent conditionis, quam fœminæ, & loca pia contra regulam, si vinco vincentem te *Aym. cons.* 175. *num.* 8. *Mant. ibid. tit.* 6. *n.* 11. & fuit dictum in *dicta Bononien. de Poetis*. Quinimò alias substitutioni locorum piorum locus esse non posset nisi omnes substituti per fideicommissum vocati cense-
22 rentur cum vltimus moriens non possit restituere integram hæreditatem nisi prius ad eum peruenerit, vnde in consequentiā grauaminis iniuncti hoc casu fideicommissaria substitutio resultat, vt in *d. l. titia seio*, §. *seia libertis*, *ff. de legat.* 2. *& ibi Bart. Bald. Alber. & alij scribent, & præpuè Castr.* cum multis cumulatis per *Peregr. art.* 13. *de fideicomm. num.* 14. & fuit in terminis decisum in vna *Romana fideicommissi de Surdis* 11. *Maij* 1618. intratque regula quā om-
23 nes DD. admittunt † coniecturas tunc demum ad inducendam reciprocam ex tacita mente Testatricis admitti quando perneccesse concludunt, *l. Lucius*, §. *tres hæredes*, *vers. non proponi rogatum*, *ff. ad trebell.*
24 Dum † enim voluit Testatrix consequens intelligitur voluisse omne necessarium antecedens, *l. denique*, §. *interdum*, *ff. de pecul.* cum adductis per *Odd. de compend. par.* 5. *art.* 5.

Verum quoniam dictus D. Antonius Franciscus non potest prætendere sibi deberi dictos canones nisi à die obitus Petri Thomæ per cuius mortem factus fuit locus reciprocæ substitutioni ad eius fauorem purificatæ. Ideo Domini firmarunt (licet super hoc non fuerit informatum) ipsum non posse agere ad integros canones pro medietate nisi à die obitus d. Petri Thomæ
25 cum regulariter † hæres grauatus quamdiu viuit faciat fructus suos, nec illos vocatis ad fideicommissum restituere teneatur, *l. fideicommissaria*, *l. ita tamen*, §. *ex asse*, *ff. ad trebell. cum similibus*.

Et ita decisum.

## ANCONITANA REPETITIONIS INDEBITI.

*Veneris 5. Iunij 1620.*

### ARGVMENTVM.

In iudicio conditionis indebiti quæ probatio sit necessaria.

### SVMMARIVM.

1 *Testes proxenetæ tamquam de facto proprio deponentes probant.*
2 *Testis vnicus proxeneta facit plusquam semiplenam probationem.*
3 *Testes nulliter examinati, ac suspecti admittuntur quando agitur de re difficillimæ probationis.*
4 *Soluens pro altero, non potest exigere nisi summam solutam.*
5 *Nemo debet locupletari cum alterius detrimento.*
6 *Soluens debitum ignoranter scienter repetere debet.*
7 *Indebiti conditio conceditur soluentibus ex falso præsupposito.*

8 In

8 *In indebiti conditionis iudicio requiritur talis probatio vt etiam per impossibile fieri non possit Actores non fuisse debitores.*

9 *Testes deponentes, ita, & non aliter fuisse coarctant negatiuam maximè si sint adminiculati.*

10 *Indebiti conditio non competit ex causa iudicati.*

11 *Indebiti repetitio, etiam contra sententiam latam ex æquitate datur docto de erronea obligatione.*

12 *Vsuras quis repetere non prohibetur, qui vigore iuramenti eas soluit.*

## DECISIO CCLXXVI.

DVM anno 1596. ager Picenus à prędonibus, & perduellibus infestaretur accidit vt Ioannes Angelus de Inuitis, & Mutius Locatellius mercaturam exercentes, naufragio facto ad littus Firmamanum impulsi inciderent in manus dictorum prædonum, quibus notabilem pecuniarum summam pro pretio redemptionis soluere sunt coacti, & eo soluto liberi dimissi; Vnde in patriam post liminio reuersi quia totum pretium fuerat solutum à dicto Io. Angelo de Inuitis Mutius falsa credulitate inductus nimis facilis ad credendum assertioni d. Ioannis Angeli cum præsupposito, quod dictum redemptionis pretiū ascenderet ad scuta tria millia vltra expensas, aliaque ducibus prædonum soluta promisit, & se obligauit etiam in forma cameræ ad solutionem medietatis vigore cuius obligationis præuio mandato executiuo ab A.C. emanato actualiter soluit scuta 1642. sed Postea dictus Mutius certior redditus falso errore ductum ad tantam pecuniarum summam se obligasse coram eodem A. C. egit conditione indebiti factisque probationibus obtinuit à R. P. D. Sacchetto deputato ab A. C. sententiam fauorabilem à qua pro parte Ioan. Angeli fuit appellatum, causaque mihi commissa dubitaui vtrum dicta sententia esset confirmanda, nec ne quo dubio proposito Domini responderunt tertiam solum partem scutorum 1700. debitam fuisse à d. Mutio vltra expensas, reliquam verò pecuniarum summam vlterius exactam posse repeti, & in hoc sententiam fuisse iustam, & confirmandam.

Existimarunt enim sufficienter probatum esse, solummodo fuisse conuentum inter mediatores, & dictos perduelles, & pro pretio redemptionis publicæ dictis viarū grassatoribus scuta mille quingenta, & secretò scuta 200. inter Faustum Masseum, & Antonellum duces alijs inscijs diuidenda soluerentur cum hac conuentione, vt Io. Angelus quem ditiorem credebant prædones duas tertias partes aliam verò tertiam Mutius persolueret.

Dantur enim depositiones duorum testium contestium, qui vti proxenetæ istius redéptionis de proprio facto deponūtillud ingenuè recēsentes qui vigore remissorialis fuerūt à Iudice remissoriali examinati cū pręsupposito tamen quod testes fuerint rectè & ritè examinati, quib. depositionib. ſtátibus negari nō potest adesse cōcluden-
1 tē probationem, quia in ore duorū testium stat omne verbum, præcipuè cum deponant de facto proprio, & negocio quod
2 ipsi tractarunt, & perfecerunt, & † ipsorū singuli facerent plusquam semiplenā probationem, *Gabr. de testib. concl. 4. n. p. Cas. de Grass. decis. 2. in fin. de empt. & vend.* cum multis alijs cumulatis in *decis. 147. num. 6. & 15. par. 1. in nouiss.*

Nec visum fuit releuare, quod dicitur duos istos testes sibi inuicem contradicere qui vnus dicit pro Mutij redemptione fuisse soluta scuta 500. solum ex mille & quingentis numeratis, quia istorum duorū testium dicta in idem reincidunt, licet alijs verbis deponant, vt apparet ex lectura depositionis, quæ datur in Summ. num. 3. pro parte Mutij.

Et licet dicta duorum testium sufficerent nihilominus pro adminiculo datur depositio tertij proxenetæ ad perpetuam rei memoriam examinati, & Antonelli vnus ex dictis ducibus prædonum iunctis litteris Fausti Massei alterius ducis.

Quæ omnia simul iuncta inseruiunt pro adminiculo, præcipuè cum agatur de re difficillimæ probationis tamquam facta
3 inter loca deserta, & syluas, † quo casu etiam testes nulliter examinati, & quorum pesonæ sunt suspectæ admittantur, *Bart. in l. 2. n. 4. C. de naufr. lib. 11.* quem allegat, & sequitur *Alex. in l. dies cautioni, §. prætor ait num. 21. ff. de damn. infect.*

Facti seriè sic stante non dubitarunt DD. constare de indebita exactione, quia dicti
4 Inuiti † non potuerunt à Mutio Locatello exigere nisi eandem summam solutā dictis perduellibus, *l. fin. C. de captiu. & post lim. reuers. Bald. per illum text. in l. 1. C. de Epi-*
5 *scop. aud. Fulgos. & Castr. ibid. n. 2.* æquum

enim est ex natura neminem cum alterius derrimento fieri locupletiorem, *l. num hoc*
6 *ff. de cod. ind.* & ita soluens debitum ignoranter scienter repetere debet, *l. 1. ff. eod. & l. 1. C. eod.*

Quod autem Mutius se cum falso præsupposito obligauerit, & postea vigore mandati soluerit ex facto superius firmato
7 patet; vnde † iura simplicibus hominibus circumuentis, & qui nimiam aliorum assertioni fidē adhibuerunt subueniunt concedendo ignorantibus condirionem indebiti *d. l. 1. vbi Alex. num. 20. ff. de cond. indeb. Ias. in l. errore, C. de iur. & fact. ignor.*

8 Nec obstat, quod † in iudicio conditionis indebiti requiratur talis probatio, vt etiam per impossibile fieri non possit actores non fuisse debitores, quod in hoc casu dici non potest cum testes non coarctent negatiuam, quia ex lectura depositionum dd. testiū, qui fuerunt proxenetæ conuentionis factæ inter prædones contrariji colligitur cum ipsi disertè dicant, ita & non aliter fuisse conuentum pecuniasque eodem modo iuxta conuentionem fuisse so-
9 lutas, † quæ depositiones adminiculum recipiunt ex dicto, & litteris vtriusque ducis prædonum.

10 Nec etiam obstat † non competere conditionem ex causa iudicati *l. 1. C. de condit. indeb.* quæ lex huic casui applicatur, quia vigore mandati executiui à quo non fuit appellatum Mutius, eiusque fideiussores soluerunt præuia obligatione Camerali bis repetita, & iuramento vallata; nam cum hæ exceptiones requirerent altiorem indaginem, & nondum factæ essent probationes rectè & ritè relaxatum fuit mandatum ab A.C. & propterea Mutius frustra appellasset, tenebaturque soluere prout soluit, sed propterea non sequitur eum in petitorio prohiberi docto de erronea obligatione repetere, quod ignoranter soluit
11 propter enim factum emergens, & probatum oritur æquitas, quæ repetitionem præstat etiam contra sententiam antea latam, *Bald. in l. 1. num. 3. C. de condit. indeb. Ias. in l. Iulian. num. 18. ff. eod.* alias nunquam daretur conditio indebiti, sicuti *in c. debito-*
12 *res de vsuris,* dicitur † eum qui iurauit teneri praeisè ad soluendas vsuras, sed non prohibetur postea eas repetere, *vt in dicto cap. omnes Canonistæ.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA HAEREDITATIS DE TOGNINIS.

*Luna prima Iunij 1620.*

## ARGVMENTVM.

præbet Summarium.

## SVMMARIVM.

1 *Testes probant aliquas esse sorores deponentes illas vti tales se nominasse, tractasse, & habuisse.*
2 *Filiatio probatur ex tractatu, nominatione, & communi reputatione.*
3 *Cognationis probatio ex quibus resultet.*

## DECISIO CCLXXVII.

1 Victoriam & Hieronymam fuisse sorores, probatur ex testibus deponentibus illa se inuicem vti tales nominasse, tractasse, & habuisse, *Bald. in l. non epistolis num. 2. C. de probat. Ca. tr. cons. 151. num. 1. vers. sed ad hoc respondeo lib. 1. Alex. consil. 181. num. 6. vers. fortificantur lib. 7. Cran. cons. 249. num. 2. vers. potest, & aliud fundamentum, Alb. Mandel. cons. 83. sub num. 20. & num. 21. Rota diuers. decis. 220. nu. 2. par. 2.*

3 Ex Victoria natam fuisse Iuliam, ex Iulia Papirium, ex Papirio Petrum, † probant ijdem testes deponentes de tractatu, nominatione, & communi reputatione, *Bartol. in l. quod Senatus, §. idem per contrarium, ff. de liber. agnoscen. in l. 1. §. ad quæstionem, ff. de quæst. & in l. non epistolis, C. de probat. Anchar. cons. 22. num. 6. Paris. cons. 36. nu. 6. vol. 1. & cons. 10. num. 60. lib. 2. Gozzadin. cons. 12. num. 22. Natt. consil. 473 num. 14. Mandell. dicto consil. 83. num. 12. versic. & quemadmodum, Surd. consil. 1. num. 53. & 54. Menoch. de arbitr. cas. 89. num. 96. & seqq.*

Ex Hieronyma verò natam fuisse Catherinam, quam etiam nominasse, tractasse, & habuisse dictam Iuliam vti consobrinam, easque vti tales fuisse tentas, & reputatas ab alijs, deponunt etiam concludenter te-
3 stes † ex quibus resultat probatio cognationis Petri per gradus distinctos *iux. c. licet ex quadam, & ibi Abb. num. 12. & alij de testib. Alex. cons. 25. num. 8. lib. 4.*

Ex ex his Domini dixerunt probari cognationem, reseruato dubio quis veniat in cōcursu consanguinitatis præferendus.

FVL-

FVLGINATEN. FIDEICOMMISSI.

*Lunæ 22. Iuly 1620.*

ARGVMENTVM.

Negocium principale quando omisso articulo præiudiciali sit discutiendum, & quæ clausulæ id importent.

*SVMMARIVM.*

1 *Clausula*, arbitrio, *intelligitur prout de iure.*
2 *Præiudicialis articulus in iudicio prius tractari debet.*
3 *Clausula*, arbitrio, *stante, potest Iudex omisso articulo præiudiciali, procedere in negotio principali.*
4 *Præiudicialem articulum potest Iudex omittere, & cognoscere de causa principali, si demandata sit vtraque cognitio, maximè stante clausula tàm coniunctim, quàm diuisim, & n. 5.*
6 *Statutū de compromisso faciendo cessat, quando agitur de mero iuris articulo.*

DECISIO CCLXXVIII.

1 LICET clausula, *arbitrio*, intelligatur prout de iure, *Bart. in extrauag. ad reprimendum in verb. videbitur num.* 8. *Card. Seraph. decis.* 29. *num.* 4. Et de iure prius sit
2 terminandus articulus præiudicialis qualis est super compromisso faciendo à quo fuit interposita appellatio, *cap. tuam, & ibi glos. & DD. de ord. cognit. Grauet. cons.* 79. *n.* 7. *& cons.* 280. *num.* 2. Tamen & de iure, &
3 de æquitate, quam sequi Iudicem posse vigore d. clausulæ est *decis.* 4. *de testib.* Domini censuerunt esse locum arbitrio ad effectum vt sit procedendū in negocio principali omisso articulo compromissi.
4 De iure id Iudicem posse vbi est demandata vtraque cognitio latè deducit, *Surd. decis.* 175. *num.* 9. *& seqq.* Quod maximè procedit vbi causa est deuoluta ad curiam, & reperitur commissa, prout hæc cum clausula, *tam coniunctim, quam diuisim, Ruin. cons.* 114. *num.* 1. *in fin. & num. seqq. lib.* 4. *Couar. pract. qq. cap.* 9. *n.* 5. *in* 3. *&* 4. *concl.* & in simili rescripto Signaturæ idem firmar, *Stafil. de litter. iust. in tit. Decretum irritans, an necess. appon. fol.* 341. *numer.* 4. *vers. si diuersæ causæ alias in antiq. impress. fol.* 151.

In quam sententiam eo libentius ierunt Domini quo acta sunt iam transportata, & agitur de iure accrescendi, quod consistit
6 in mero iuris articulo, † quo casu cessare statutum de compromisso faciendo firmarunt *Alex. cons.* 62. *num.* 6. *lib.* 2. *& cons.* 62. *num.* 5. *lib.* 7. *Soccin. cons.* 59. *numer.* 3. *lib.* 3. *Ias. cons.* 26. *num.* 5. *lib.* 1. *alij per Decian. respon.* 19. *n.* 20. *lib.* 4.

Cōcurrebat etiam magna æquitas, quia statutum, vt eius lectura apparet emanauit vt citius causæ inter consanguineos expediātur citius autem hęc causa expeditur in curia, & præcipuè in supremo Rotę Tribunali cum consistat in d. iuris articulo postquam in partibus fuit pluries compromissa, & nunquam terminata.

Et ita decisum vtraque parte informante.

BONONIEN. PECVNIARIA.

*Lunæ 16. Nouembris 1620.*

ARGVMENTVM.

Contractus resolutio inducitur ob non implementum conditionum sub quibus contractum esse resolutum inter partes fuit conuentum.

*SVMMARIVM.*

1 *Peritorum ab vtraque parte electorum relationi standum est.*
2 *Contractus resolutioni est locus non adimpleto pacto contractus resolutiuo.*
3 *Vendita præsumitur fabrica, quæ non est distincta, sed incorporata domui vendita.*
4 *Solutio præsumitur facta in causam debitam non autem in causam voluntariam, num.* 5.

DECISIO CCLXXIX.

DOMINI censuerunt contractum esse resolutum, quia ex concordi Peritorum ab vtraque parte electorum rela-
1 tione, † cui standum esse clari iuris est, *Rota in recentior. decis.* 531. *num.* 1. *&* 540. *num.* 1. *par.* 1. & fuit alias sæpissimè decisum. Constat pretium domorum ascendere ad libras 19385. Creditum verò Gioli constat ex decisione sub die 4. Iulij 1618. coram bon. mem. Andrea ascendere ad libras 13179. Cum igitur pacto fuerit con-

uentum, quod si infra octo annos cessante negociatione Giolus ad computum pretij per Peritos æstimandi non soluerit libras 2. mil. & residuum non excomputauerit mediantibus laborerijs per ipsum faciendis in apotheca Buccorum venditorum pro tribus ex quatuor partibus contractus venditionis resolueretur, & prerium solu-
2 tum, † & excomputatum restitueretur sequitur fuisse locum resolutioni dum de tempore cessationis negociationis Giolus non soluerit, nec excomputauerit nisi dictas libras 13179. cum non ascendant ad tres ex quatuor partibus pretij æstimati, quæ ascendunt ad libras 14539. Nec per ipsum Giolum stetit quominus plura laboreria conficeret, sed per decoctionem dictorum de Bucchis non potuerit illa perficere.

Non obstat Peritos æstimasse fabricam factam propè domos vendita ascendentem ad libras 878. quam informantes pro Bucchis prætendebant nō venire in venditione. Nam fuerunt datæ duæ responsio-
3 nes, prima, quod ista fabrica venit in ventione, quia non est distincta à domibus, sed cum illis incorporata, idque clarissimè ostendit subscriptio Sigismundi vnius ex fratribus venditoribus in apocha venditionis dum dixit in æstimatione domorum facienda habendam esse rationem melioramenrorum, & bonificamentorum factorum in fabricandis dictis domibus.

Secunda responsio, quod etiam dempta d. partita librarum 878. adhuc non posset dici fuisse solutas tres ex quatuor partibus, quia tunc pretium ascenderet ad libras 18507. quarum tres partes essent libræ 13881. & sic deficeret libræ 702.

Non obstat, quod Giolus non soluerit dictas libras 2. mil. infra statutum tempus 8. annorum, & propterea illas esse habendas pro solutis, ne eius mora sibi commodum, & vtilitatem afferat. Nam hoc obiectum non visum fuit subsistere in facto,
4 quia † dum constat Giolum soluisse libras 1671. illæ præsumuntur in causam debitam dictarum librarum 2. mil. non autem in causam voluntariam solutæ, *Grauet. conf. 158. numer. 13. Rota in recentior. decis. 301. num. 3. par. 1. & decis. 1245. par. 2.*

Maxime quia dum in apocha venditionis fuit conuentum, quod si Giolus voluisset soluere maiorem quantitatem dictarum librarum tenerentur Bucchi reci-
5 pere non potest dici Giolum voluisse soluere dictas libras 1671. in causam maioris quanritatis voluntariam antequam soluisset libras 2. mil. debitas.

Quo verò ad alias libras 329. quæ deficiunt ad constituendam summam librarū 2. mil. licet haberētur illæ pro solutis, quod tamen posset controuerti ex deductis per informantes pro Giolo. Tamen additæ libris 13179. non facerent nisi summam librar. 13498. quæ nec etiam ascendunt ad tres ex quatuor partibus, vt fuit supra ostensum.

Non obstat esse excomputandas partitas laboretiorum factorum per Giolum in apotheca Balestræ; quia non constar Bucchos habere aliquod interesse in illa apotheca ratione prætensæ societatis cum expressè in Instrumento cautum sit excomputanda solum laboreria apothecæ socialis, aut alterius ab ipsis Bucchis dependentis, quæ dependentia, & scientia Gioli debuit concludenter probari.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA SOCIETATIS OFFICII.

*Veneris 26. Ianuarij 1620.*

## ARGVMENTVM.

Fideiussor non dicitur liberatus per renouationem societatis officij, quando in tali renouatione non fuit præsens principalis debitor, nec renouans habebat facultatem fideiussorem liberandi.

## SVMMARIVM.

1 *Obligatio Cameralis habet executionem paratam.*
2 *Liberatus quis non dicitur à tali obligatione per renouationem eiusdem contractus sine interuentu creditoris, vel procuratoris, etiamsi in hac renouatione fuerit expressè à dicta obligatione liberatus.*
3 *Mandatum procura generale, licet amplissimum non sufficit ad liberandum obligatos, sed requiritur speciale.*
4 *Dicto vnius Notarij non est standum.*
5 *Testi salariato à parte, pro quo testimoniū fert, non est danda fides, & n. 8.*
6 *Maximè si deponit inuerisimilia.*
7 *Quis non dicitur ratificare id, de quo non habuit notitiam.*

Te

9 *Testis probat contra producentem, maximè quando deponit verisimilia.*

10 *Recusatio Notarij dandi fidem Instrumenti, arguit non bonam fidem illius.*

DECISIO CCLXXX.

DOMINI dixerunt mandatum A.C. esse exequendum cum fuerit relaxatum contra Crisantē in vim obligationis
1 Cameralis † quæ habet executionem paratam, *Rota apud Modern. de oblig. Camer. decis. 12. num. 1. decis. 70. num. 2. & decis. 98. num. 1.*

2 Non obstat Crisantem † fuisse liberatum non solum ex renouatione eiusdem societatis absque illius obligatione, sed ex expressa liberatione. Quia placuit responsio non interfuisse in confectione instrumenti renouationis, nec Angelinum principalem creditorem, nec Curtium eius Procuratorem, *l. debitorum pactionibus, C. de pactis, & ibi DD.*

Non obstat renouationem cum liberatione Crisantis fuisse factam de consensu Curtij, vt deponit Barberius Notarius de
8 dicta renouatione rogatus. Nam vltra, quod Curtius in mandato procuræ non habebat facultatem liberandi Crisantem, & reseruatio per ipsum apposita in instrumento societatis officij restricta ad facultatem nominandi, & transferendi periculū vitæ, disdicendi, exigendi, & quietandi non videbatur comprehendere facultatem liberandi obligatos, *l. non abstulit, C. de nouat. Rota in recent. decis. 149. numer. 3. par. 1.*

4 Fuit responsum † non esse standum dicto Notarij cum sit vnicus, *l. vbi numerus ff. de testibus l. iusiurandi C. eod. tit. Gabr. de test. concl. 1. num. 1. & seqq. Rota in recent. d. decis. 149. num. 6. & decis. 343. numer. 5.*
5 *par. 1.* Et eo minus, quia erat iuuenis salariatus, & habitabat in domo Crisantis, *cap. in litteris de testib. Gabr. eod. tit. conclus. 10. nu. 1. & seq. Put. decis. 3. vers. dubitabatur etiam lib. 1. in nou.* Vltra quod deponit inuerisimilia cum non sit probabile creditorem voluntariè vnum ex Correis, & debitoribus ab obligatione minus cautè agendo liberare.

Non obstat ratificatio deducta ex perceptione fructuum, nam vltra quod rece-
6 ptio fructuum potius excludit renouationem vti petiti iuxta formam primæ societatis. Respondetur ex tali receptione fructuum etiam in vim secundæ societatis nō
7 probari scientiam liberationis Crisantis, prout requiritur ad hoc, vt censeatur liberatio Crisantis ratificata, *glos. in c. concertationi in ver. non consenserit de appellat. in 6. Alex. cons. 114. num. 4. vol. 1. cum alijs per Surd. cons. 183. num. 32. lib. 2. Rota in recent. decis. 51. num. 5. decis. 95. num. 4. decis. 149. num. 7. par. 1.* maximè quia Curtius potuit credere renouationem fuisse factam cum præseruatione prioritatis obligationum prout ipse mandauit, vt in eius dispositione dicit.

Nec scientia potest deduci ex receptione cedulæ renouationis societatis, quia non probatur cedulam renouationis, in qua fuisset apposita liberatio Crisantis, fuisse consignatam Curtio, & Angelino, & licet Barberius Notarius deponat de con-
8 signatione tamen † illi non creditur nedum, quia erat iuuenis, & salariatus Crisantis, ex supra allegatis, sed quia contra-
9 rium deponit Curtius † qui licet esset procurator, & nepos Angelini tamen cum sit inductus à Crisante magis illi credendum est, *l. si quis testibus C. de testib. Rota in rec. decis. 167. num. 27. decis. 182. num. 2. par. 1. & decis. 747. num. 6. par. 2.* Maximè quia magis verisimilia deponit, *Corn. cons. 123. num. 2. lib. 4. Alex. cons. 27. nu. 4. lib. 2. Cranett. cons. 6. num. 65. & cons. 35. num. 7. Curt. iun. cons. 178. num. 4. Rota in recent. dec. 747. num. 6. par. 2.*

Non est enim verisimile Barberium dedisse Curtio cedulam renouationis, in qua esset apposita liberatio Crisantis, dum Curtius contrarium mandasset, & multo minus est verisimile Angelinum dictam cedulam habuisse, & non reclamasse, imo ex litteris Angelini productis per Crisantem constat de renitentia Barberij dandi
10 fidem, † quæ renitentia arguit non bonam fidem illius, ad *text. in l. si quis forte, §. 1. ibi, nec enim debebant tam magnam rem tandiu detinere, ff. de pæn. Crauet. cons. 28. numer. 6. vers. ex qua etiam tarditate, Ceph. cons. 281. num. 3. & seq. Menoch. præsumpt. 122. num. 94. lib. 3.*

Et ex his ita decisum vtraque parte informante.



CIVITATIS CASTELLI BONORVM.

*Veneris 12. Iunij 1620.*

ARGVMENTVM.

Sententia in saluiano, vt sustineatur requiritur creditum cum hypotheca, & ex quibus dicatur ista deficere.

SVMMARIVM.

1 *Sententia, quæ non iustificatur ex actis, est notoriè iniusta.*
2 *Enunciatiua inter alios facta regulariter non potest tertio præiudicare.*
3 *Hæreditatis aditio non præsumitur nisi probetur.*
4 *Clausula*, constituti, *non releuat contra tertium possessorem.*
5 *Probatio possessionis, & hypothecæ necessaria est tanquam basis iudicij saluiani.*
6 *Obligatio Cameralis comprehendit etiam bona, & iura futura.*
7 *Quarentigia, quæ nihil auget vltra superius expressa contenta in dispositiua, nihil aliud est nisi præceptum quoddam factum in confessum de obseruando promissa, cuius vigore competit remediũ executiuum etiam de iure communi.*
8 *Possessio probatur ex immissione si sit iuncta cum litis subsecutatione, limita num. seq.*

DECISIO CCLXXXI.

DOMINI steterunt in decisis quicquid enim sit de nullitatibus in eo omnes conuenerunt sententiam extra Rotam latam esse notoriè iniustam quippe
1 quæ † non iustificatur ex actis tanquam lata in saluiano non iustificato credito, aut hypotheca, nec probatis duobus extremis requisitis in hoc iudicio.

Et quo ad creditum, & hypothecam attinet dicitur pro parte Timbriæ obligationem Andreæ mariti Thomasiæ esse restrictam, & hypothecam solum ad summã florenorum 400. sed quicquid sit de eo nõ inde sequitur D. Equitem dici posse creditorem dicti crediti dotalis, aut saltem id coram Iudice fuisse iustificatum licet se hæredem fuisse dictæ Thomasiæ probare nitatur ex eo, quod ex d. Instrumento constat Lancellottum fuisse fratrem Thomasiæ, & ex alio Instrumento probet se esse filium d. Lancellotti per præsentationem factam à d. Lancelloto ipsius Equitis Honorij patre prætendendo sibi vti hæredi patris, aut saltem vti nepoti debitam ab intestato hæreditatem amitæ de iure communi.

Verum hæc probatio non visa fuit sufficiens, tum quia dictum Instrumentum præsentationis non esse in forma probanti, vt firmatum fuit in decisione in hac causa coram me facta, tum quod continet simplicem enunciatiuam inter alios factam,
2 quæ regulariter non potest tertio præiudicare, *DD. in l. optimam, C. de contrahen. & comm. stipul.* Vltra quod nullibi iustificatur Equitem Honorium adiuisse vnquã
3 hæreditatem dictæ Thomasiæ amitæ, quæ cum sit quid facti nunquam præsumitur iuribus vulgaribus.

Et quatenus verificaretur legitimatio personarum Domini vnanimiter iudicarunt nullo modo fuisse iustificatum primũ extremum possessionem videlicet Andreæ debitoris respectu bonorum, pro quibus data fuit immissio cum detur sola confessio Timbriæ iudicialiter facta, quod huiusmodi bona ipsi data fuerint insolutum à quondam Andrea debitore dotis Thomasiæ amitæ Honorij Equitis etiam cũ clausula, *consti-*
4 *tuti*; Nam si Honorius agit ex dicta clausula illa non releuat contra tertium possessorem secundum opinionem, quam tenuit Rota *in d. decis. coram bon. mem. Penia*, & fuit iudicatum per sententiam Rotalem ex eadem clausula associationem fuisse inualidam, aut verò se fundat in confessione eiusdem Timbriæ, quod bona ista acceperit in solutũ ab Andrea, & hoc etiam casu deficit concludens probatio posses-
5 sionis, & hypothecæ, † quæ necessaria est tanquã basis iudicij saluiani, ex quo apud Andream potuerunt esse ista bona ex aliquo titulo hypothecæ, vt fuit consideratũ in decisione in hac causa facta coram me 24. Februarij huius anni.

Et quod omnem difficultatem Dominis sustulit illud est, quod confessio Timbriæ emanata per Procuratorem anno 1608. non probat bona de quibus agitur fuisse possessa à d. Andrea de anno 1584. prout expressè requirebatur, quia ex lectura dicti Instrumenti non sunt hypothecata bona futura, sed obligatio est restricta ad bona præsentia tantum, quæ tunc Andreas possidebat. Nec verum est adesse obligationem in forma Cameræ in d. Instrumen-
6 to, † quæ comprehenderet etiam bona, & iura futura, sed adest solummodo guarentigia

7 tigia quę nihil auget vltra superius expressa contenta in dispositiua, nihil enim aliud est nisi præceptum quoddam factum in confessum de obseruando promissa, cuius vigore competit remedium executiuum etiam de iure communi, *Menoch. de arbitr. cas. 17. num. 5. & 6.*

Quo verò ad secundum extremum deficiunt similiter probationes cum adducatur sola immissio obtenta per Timbriam,
8 quæ absque dubio esset sufficiens cum litis substetatione nihilominus in casu isto
9 constat Timbriam iam de anno 1614. ante motam hanc litem in saluiano transtulisse in Antonium Lignanum huiusmodi bona eorumque possessionem, vt in Summario primæ positionis *num.* 5. & ipsa substinet litem pro defensione dicti Lignani. Ideo stante hac veritate cessat coniectura, quæ alias solet oriri ex litis substentatione iuribus vulgaribus.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## FIRMANA HAEREDITATIS.

*Veneris 6. Nouembris 1620.*

### ARGVMENTVM.

Substitutionis vulgaris ea est natura, ac virtus, vt si primus institutus, vel substitutus non possit, vel nolit consequi hæreditatē, aperiatur via successori secundo loco vocato, & sic ille efficitur primo loco institutus. Substitutio vulgaris quando dicatur à Testatore facta, qua occasione plura habentur circa interpretationem verbi, recedat, an sit directum vel obliquum, & item vtrum verbum, volo, importet fideicommissum, vel substitutionem vulgarem.

### SVMMARIVM.

1 *Substitutio omnis vulgaris dicitur institutio.*

2 *Substitutio, quando est vulgaris, tunc caducato primo gradu per mortem hæredis viuo testatore hæreditas defertur substituto.*

3 *Substitutio compendiosa, quando est facta per verbum commune, sub ea comprehenditur etiam vulgaris.*

4 *Verbum, recedat, est commune.*

5 *Verbum omne, quod alterius ministerium excludit æquè propriè potest stare in sensu directo, & in obliquo, semper est commune.*

*Et hoc maximè si sit adiectum vniuersitati bonorum.*

6 *Substitutio vulgaris præsupponit modum immediatè ex testatore deferri ad hæredem.*

7 *Verbum, de facto, est merè executiuum, & excludit factum alterius,*

8 *Inter verbū ipso facto, vel de facto, non adest differentia, sicut ipso iure, vel de iure.*

9 *Testator quod voluerit facere substitutionem vulgarem ex quibus appareat.*

10 *Argumentum enixæ voluntatis testatoris, vt substitutiones non caducentur ex quo sumatur.*

11 *de Voluntate testatoris, quando apparet benigna interpretatio sumi debet pro ea substinenda.*

*de Voluntate testatoris, quando constat, scrupulosè non est attendenda subtilitas verborum, num. 11.*

12 *Verba sunt interpretanda secundum mentem testatoris.*

13 *Verba in dubio potius debent accipi in sensu directo, quam in obliquo.*

14 *Testatoris voluntas suprema lex esse debet, nec anxiè in verborū cortice est insistendū, quod est verum etiam ex antiquo iure ff. quod requirebat certas verborum formulas.*

15 *Testator si scribat, Lucius hæres, licet non adijciat, esto, creditur plus nuncupatum, quam scriptum.*

16 *Idemque intellige, si dicat Lucius, esto, & nō adiecerit verbum hæres.*

17 *Mortuorum suprema iudicia, vt irritentur propter inanem verborum formulam, id indignum iudicauit Constantinus Magnus.*

18 *Clausula codicillaris posita in fine testamenti quid operetur.*

19 *Clausula, omni meliori modo, posita in fine testamenti, aliquando habet vim institutionis.*

20 *Substitutio compendiosa facta ter verba merè obliqua hoc casu non continet vulgarem, sed solum fideicommissariam.*

21 *Verbum, recedat, est inflexum, & non commune, & n. 24. declara, n. 21.*

22 *Verbum, recedat, est compositum ex dictione ex & verbo cadat, & sic reintegrationem videtur importare.*

23 *Verbum, recedat, si non dirigatur magis ad institutum, quam ad substitutum est commune.*

25 *Verbum, cadat, habet duplicem significationem vnam acquisitiuam, & alteram priuatiuam.*

26 Ruin.

26 *Ruin. cons. 47. n. 4. lib. 2. & alij dum dicunt verbum, cadere, esse obliquum, quo casu loquantur.*

27 *Verbum, cadat, quando stat acquisitiuè, tunc semper est directum, vel saltem commune.*

28 *Verba composita, quod non possint esse directa, vel communia, est sententia quæ repugnat communi DD. opinioni optimè in iure fundata, num. 29.*

30 *Verbum, cadat, & recedat, in eodem sensu recipi debet.*

31 *Verbo, recedat, quando verbum de facto est adiunctum est sine dubio directum.*

32 *Verbum, volo, est merè obliquum, & precarium.*

33 *Verbum, recedat, commune adiectum verbo, volo, de sui natura inflexum, non potest importare substitutionem vulgarem, sed fideicommissariam.*

34 *Constantinus Magnus substulit antiquas formulas requisitas de iure ff. in institutione hæredum.*

35 *Verbum, volo, à testatore prolatum, idem se habet, ac fideicommitto.*

36 *Verbum, volo, si semper induceret fideicommissum esset contra textum in l. Imperatores, ff. de manumiss. & alios.*

37 *Verbum, volo, tunc inducit fideicommissum, quando verbum cui adycitur est obliquum, & non aliter.*

38 *L. quoniam C. de testam. licet loquatur in institutione facta verbis directis nihilominus habet etiam locum in vulgari.*

39 *Verbum, volo, vt non importet fideicommissum, sufficit esse iniunctum verbo communi.*
*Substitutio vulgaris habet eandem vim, quã institutio, n. 39.*

40 *Inter substitutionem vulgarem factam de per se, vel vulgarem factam comprehensam in fideicommissaria non adest differentia.*

41 *L. quoniam C. de testam. dum dicitur, quod non loquitur de substitutionibus, intelligitur de fideicõmissarys substitutionibus inductis per verba merè pracaria, & non communia.*

42 *Verbum, volo, ex sui proprietate est informe, & determinatur ratione verbi adiuncti.*

43 *Verbum, volo, enim est directum, vel obliquum de se, nisi propter verbum adiunctum.*

44 *Verbum, volo, aptitudine potest esse directum.*

45 *Verbum, volo, nihil importat, nisi habita ratione adiuncti, vndè si iungatur verbis obliquis, importat fideicommissum, si verbis directis, aut communibus directam substitutionem.*

46 *Verbum, volo, si reperiatur adiectum verbo, recedas, quod est commune, substitutio vales in vim directè.*

47 *Ruin. cons. 128. num. 16. lib. 3. declaratur, & quo casu loquatur n. 48.*

49 *Substitutio compendiosa facta per verba cõmunia reiterationem denotantia comprehẽdit tantum directam pupillarem, ac militarem, & an hoc sit verum.*
*in Substitutione pupillari, & militari non verificatur recasus, n. 49.*

50 *in Substitutione vulgari nullo modo verificari potest recasus.*

51 *in Substitutionibus fideicommissarys continetur vulgaris, quam DD. anomolam vocant, & cuius sit virtutis, & nu. 52.*

53 *in Substitutione qualibet fideicommissaria inducta per verbum commune, potest habere locum vulgaris, nisi verba essent omnino, & semper obliqua.*

## DECISIO CCLXXXII.

ROTA sæpius auditis partibus & causa maturè discussa omnibus DD. vorantibus censuit testamentum q. Isidori nõ fuisse caducatum, & ita stetit in decisis coram me sub die 11. Decembris anni præteriti existimarunt enim Domini præcipuũ decisionis fundamentum subsistere nempe Alexandrum fuisse vocatum per vulgarem & perinde esse ac si primo loco fuisset in-
1 stitutus, quia † omnis vulgaris substitutio dicitur institutio, *l. in ratione §. quod vulgo,*
2 *ff. ad l. falcid.* ita vt † caducato primo gradu, per mortem Mandricardi viuo Testatore hæreditas delata censeatur substituto per vulgarem, *l. vnica §. pro secundo C. de cad. tollen. l. 3. in fin. ff. de lib. & posth. Bart. & alij in l. 1. ff. de vulg. & pupill.*

Vocatio autem Alexandri satis elicitur ex compendiosa facta per verbum commu-
3 ne † sub qua semper contineri vulgarem apud S. C. non controuertitur vt multis rationibus & auctoritatibus fuit firmatum in supradicta decisione in qua etiam compro-
4 batum fuit † verbum illud *Recadat*, quo vsus est Testator esse commune tam ex vsu loquendi quam ex sensu & proprietate verbi iuxta regulam quam tradit, *Bald. in l. fin. C. de sacros. Eccles. num. 21.* vbi dicit omne

5 ne † verbum quod alterius ministerium excludit, & æquè propriè potest stare in sensu directo, ac in obliquo præcipuè si sit adiunctum vniuersitati bonorum super esse commune, *Bart. in l. centurio num.* 22. *ff. de vulg. & pupill. Honded. conf.* 28. *numer.* 20. *& seqq. vol.* 2. & sic importare acquisitionē
6 dominij recta via † cū vulgaris substitutio præsupponat bona immediatè ex Testatore deferri ad hæredē, *l.* 1. *ff. de vulg. & pupill.* quam opinionem secuta iam fuit Rota in illa *Romana successionis coram Card. Pamphilio in decisione allegata cum auctoritate Simon. de Pret. loco in dicta decisione citato.*

Consideratum etiam fuit verbo *Recadat*
7 esse adiunctum verbum de facto † quod vt merè executiuū semper dirigitur & importat vt per se, & nō per manum alterius hæreditatem hæres substitutus capere possit, *Bart. & Alex in l.* 1. *ff. de his qui notant infam. Aretin. in d. l. centurio numer.* 18. *& ibi Rip. num.* 182. *Soccin. iun. num.* 333. *&* 334. *Cephal. conf.* 68. *num.* 31. *& conf.* 393. *num.* 29 *Bero. conf.* 11. *num.* 12. cum alijs Auctoribus in decisione allegatis.

Nec vllam Domini existimarunt adesse differentiam inter verbum ipso facto, vel de facto sicut non differt ipso iure, vel de iure vt post *Io. Andr. Tiraquell. in l. si vnquā in verbo reuertatur num.* 140. *&* 143. *Rip. in d. l. centurio num.* 182. 183. *&* 184. vbi notat omnia ista verba esse mere ciuilia, & executiua per quæ etiam verba alioquin obliqua diriguntur *Cephal. conf.* 66. *n.* 3.

Et quod maximè mouit Dominos illud
9 est quod ex † tota seriē Testamenti apparet id voluisse Testatorem, vt in familia sua omnia bona permanerent, nam ipse expressè prohibuit alienationes detractiones legitimæ & Trebellianicæ exclusis pet petuò fœminis in fauorem lineæ masculinæ legitimæ Mandricardi & Alexandri primo & secundo loco hæredum scriptorum cum declaratione expressa quater repetita, quod volebat & mentis suæ erat, quod omnia bona sua conseruarentur in familia & agnatione dictorum hæredum vnde elicitur argumentum sufficiens enixæ volunta-
10 tis Testatoris † quæ sine dubio corrueret si præmortuo Mandricardo testamentum caducaretur.

11 Dum igitur clarè constat de voluntate Testatoris omnis benigna interpretatio sumi debet pro ea substinēda, nec scrupulosè attendenda subtilitas verborum maximè,
12 quia † in dubio verba sunt interpretanda secundum Testatoris mentem optimè, *Alberic. in l. si precibus num.* 47. *C. de impub. & alijs substit. Bart. & Bald. in l. cum proponebatur num.* 2. *Angel. nu.* 1. *ff. de milit. Test. Alex. l. verbis ciuilibus ff. de vulg. Rip. in d. l. centur. ff. eod. num.* 100. cum cumulat per *Mantic. de coniect. vltim. vol. lib.* 5. *tit.* 7. *num.* 16. 17.
13 *& seqq.* & † in dubio verba debent accipi potius in sensu directo quam obliquo *c. si pater de Testam.*

14 Et quod † Testatoris voluntas suprema lex esse debeat & verborum non sit habēda nimis scrupulosa ratio etiam ex antiquo iure digestorum, quod requirebat certas
15 verborum formulas colligitur, nam † si Testator scripsisset Lucius hæres, licet nō adiecisset estò credebatur plus nuncupatum quam scriptum, *l.* 1. *ff. de hæred. instit. l. errore C. de testam.* Et si solum Lucius esto
16 tantundem erat, & cum quidam portiones inter hæredes distribuisset, ille ex parte, ille ex tota nec adiecisset hæres esto à Diuo Pio rescriptum fuit, valere substitutionem.

Quod Ius tantò magis militat dum Cōstantinus Magnus indignum iudicans ob inanem verborum obseruationem irritas fieri tabulas, & iudicia mortuorum sanxit
17 institutioni † hæredis non esse necessariā verborum obseruantiam, *l. quoniam C. de Testam.* quam Constitutionem, vt humano generi necessariam, & vtilem magnis extollit laudibus, *Euseb. Cæsar. lib.* 4. *de vita Constantini.*

Considerarunt denique aliqui ex Dominis in fine Testamenti adesse aliam clausulam (ità voluit iussit, & mandauit non solum prædicto, sed etiam *omni alio meliori*
18 *modo*) † ex qua eliciebant voluntatem Testatoris vtroque modo substituere volentis, *Gabr. conf.* 169. *num.* 50. *lib.* 1. *Rip. in d. l.*
19 *centurio num.* 87. nam talis † clausula *omni meliori modo* aliquando vim habet institutionis, *Bart. in l. quoties num.* 3. *C. de hæredib. instit. Alex. conf.* 112. *num.* 3. *lib.* 3.

His positis non obstant fusè, & accuratè deducta per informantes ad ostenden-
20 dum, quod hæc † substitutio compendiosa facta fuit per verba merè obliqua quo casu non contineret vulgarem, sed solum fideicommissariam, iux. doctr. *Bart. in d. l. Centurio num.* 3. cum allegatis, quod pro-
21 bare nituntur ex eo, quod asserunt † verbum illud *Recadat*, esse inflexum, & non commune siuè attendatur proprietas ipsius

verbi

verbi *Cadat* à quo deriuatur siuè composi-
22 tio, quia † est compositum ex dictione,
*re* & verbo *cadat* & sic iterationem videtur
importare, ità vt plures actus,& non vnum
contineat, & non immediatè à Testatore,
sed mediante persona primi instituti hære-
ditatem recipere debeat, vt per *Bald.cons.*
*495.n.3.lib.1.* & colligitur,ex *glos.in l.siue*
*contra §.quia ff. de lib.agnosc.*cũ alijs sufficiẽ-
mè cumulatis per informãtes proD.Enea.

Huic obiectioni patet responsio, ex su-
pradictis nempè non ideo sequi substitu-
tum debere capere de manu primi hære-
23 dis cum verbum *Recadat* non dirigatur
magis ad institutum,quam ad substitutum
& ità est commune iuxta doctrinam, *Bald.*
*in l.fin.C.de sacrosf.Eccles.Bart.cons.70.nu.1.*
*verf.dum in proposito lib.2.*cũ cumulatis per
*Odd.de compend.par.3. q.2. art.1. in princip.*
24 Nec subsistit † verbum *Cadat* à quo de-
riuatur verbum *Recadat* sæpiùs esse obli-
quum ex doctrina *Ruin.cons.47.nu.4. lib.2.*
*Cephal.cons.274.nu.29. & 30. Honded.cons.*
*59.num.74.lib.1.& cons.68. numer.3. lib.3.*
25 Nam istud† verbum *cadat* habet duplicem
significationem vnam acquisitiuam alterã
priuatiuam vt cumTestator vult vt si hæres
non adimpleat suam voluntatẽ hæreditate
*cadat* & eo modo accipitur in contractibus
26 feudalibus & emphyteoticis in illo sensu
priuatiuo loquũtur omnes supradicti DD.
sed non ideo infertur idem esse dicendum
cum est prolatum à Testatore acquisitiuè
27 vt in hac facti specie† tunc enim verior est
opinio istud verbum, aut semper esse di-
rectum, aut saltem commune, *Calderin.*
*cons.6.de iudic.cum alleg.per Sim. de Pret. de*
*interpret vlt.volunt.lib.3. interpret.2. dub.1.*
*solut.4. Tiraq. in dicta l. si vnquam in verbo*
*reuertatur n.186.*

Et licet istud verbum *Recadat* sit com-
28 positum † non desinit habere sensum com
munem alias sequeretur omnia verba cõ-
posita qualia sunt *remaneat reuertatur re-*
*grediatur redeat deueniat deuoluatur*, & alia
similia uon posse esse, aut directa, aut cõ-
munia, sed semper esse obliqua, quod re-
pugnat communi DD. opinioni, vt post
*Aretin.in d.l.centurio num.20.Rip.num.183.*
*Alex.cons.139.num.2.lib.3. Tiraq.in d. ver-*
*bo reuertatur num.6.& 7.& num.160.Simon.*
*de prat. loco pracitato Odd.de compend.par.4.*
*quæs.2. art.1. Trentacinq. de substit. par.4.*
*cap.4.num.19.21.& 28. Rot. decis.1.num.3.*
*par.2.in recentior.& decis.231.num.2. dicta*
29 *par.* Quæ DD. opinio comprobatur non
solum ex *text. in l. siuè contra §. quia ibi ff.*
*de liber.agnoscen.in decis. allegato*, *sed ex tit.*
*quib.mod.Ius patr.potest.soluat.in prin.*in quo
30 Imperator † in eodem sensu accipit verbũ
*cadere*, & *recadere*, ibi enim mortuo Auo,
Nepotes ita demum sui Iuris fiant si in po-
testate patris sui recasuri non sunt, vt quia
eorum pater sit mortuus, vel emancipati
sint in hoc casu præcipuè ponit verbum,
*recasuri*, quia nepotes erant in potestate
Aui,& eo mortuo recidunt in potestatẽ pa-
tris si viuat, si vero sit mortuus, vel eman-
cipatus subdit tex. tunc hi qui in potestatẽ
patris cadere non possunt sui iuris fiunt &
tamen illud non erat cadere, sed recadere
31 tolliturque omnis difficultas † ex verbo
*de facto* adiuncto stante voluntate enixa
Testatoris, vt superiùs firmatum fuit.

Nec etiam obstat præcipuum argumen
tum quo decisio impugnatur desumptum
32 ex natura & proprietate verbi *volo*† quod
esse merè obliquum, & præcarium proba-
tur ex *l. fideicommissa §.filio ff. de legat.3. l.*
*illud §.tractari & ibi Ciriac.lib. 10.quæst.Pa-*
*pin.de Iur.Cod.l. haredes mei §. cum ita ff. ad*
*Trebel.l.2.C.commun.de legat. §.fin. Instit.de*
*sing.reb.per fideicomm.* ex quibus Textibus
dicitur apparere non solum antiquos Iu-
risconsultos, qui certas verborum formu-
las requirebant ad institutionem hæredis,
sed etiam Imperatores post Constantini
constitutionem vsurpasse illud verbum ad
inducenda fideicommissa, sed non ad in-
stitutiones faciendas. Vndè inferunt † non
33 potuisse verbum *recadat* commune adie-
ctum dicto verbo *volo* de sui natura præca-
rio, & inflexo importare vllam institutio-
nem per vulgarem, sed simplicem fidei-
commissariam substitutionem cum verba
communia iuncta verba *volo* mutent natu-
ram suam & remaneant obliqua semper &
necesse sit. vt adsint verba merè imperati-
ua, & directa quæ non possunt inflecti pro
vt si dictum fuisset volo, vt Mandricardus
sit hæres, qui est casus, *l. si quoniam C.de*
*Testam.* vt in terminis *Ruin.cons.128.n.16.*
*lib.3.cum allegatis pro D.Enea.*

Huic enim obiectioni responsum fuit
hodie non esse examinandas præcisas for-
mulas de iure Digestorum requisitas cum
34 non intersit stante constitutione Constan-
tini quibus verbis fiat institutio, sed si exa
minentur verba Imperatoris,in *d.§.fin.inst.*
*de singul.reb.per fideic.* & verba *l.2.C.comm.*
35 *de legat.* vbi inducuntur † fideicommissa
apparebit non ideo determinasse semper
hæc

hæc verba inducere fideicommissum itaut semper remaneant inflexa, & obliqua, sed Imperat. intentionē fuisse tollere formulas iure antiquo requisitas ad facienda fideicommissa, in quibus requirebantur certa verba sæpiùs repetita eumdem sensum habentia, vt doctè aduertit, *Ciriac. obseruat. lib.11.cap.25.* alias si semper verbum volo
36 induceret fideicōmissum esset directè cōtra *Text. in l. Imperatores ff. de manumiss. l. quoniam indignum C. de testam.* vt aduertit *Aret.in §.fin.Instit.de sing.reb.* vbi dicitur ità
37 intelligi hunc tex. tunc demū† verbū *volo* inducere fideicōmissum, quando verbū cui adijcitur est obliquum, & non aliter, quia nō sunt cōsideranda disiunctim sed coniun
38 ctim hæc verba & † licet *d.lex quoniam* loquatur in institutione facta verbis directis nihilominus locum habet in vulgari, vt per
39 *Castren.ibi num.2.Corn.num.7.* † cum sufficiat, quod verbum volo sit adiunctum verbo communi, vt in terminis *Alberic. in d.l.precibus n.47. Dec. consf.26. n.25.& 27.*
40 *lib. 2.* † cum vulgaris substitutio habeat eandem vim quam institutio, & nulla solida fieri possit differentia inter vulgarem factam de per se, vel vulgarem comprehēsam in fideicommissaria, & ideo DD. alle-
41 gati † qui dicunt *dictam l. quoniam* non loqui de substitutionibus intelligendi sunt de substitutionibus fideicommissarijs inductis per verba merè præcaria, & non communia.
42 Existimarunt enim Domini † verbum istud *volo* ex sui proprietate esse informe, & determinari ratione verbi adiuncti secūdum doctrinam *Bartol. in l. apud Aufidium num.2.vers.respondeo verbum ff.de opt. legat. vt in l.cunctos populos nu.3. C.de summ.Trinit.& in l.serui electione num 4.ff.de leg.1.& clarius in l.verbis ciuilibus num.5. vers.præ-*
43 *terea ff.de vulg.* vbi ait † verbum *volo* non esse directum, vel obliquum de se nisi propter verbum adiunctum quam doctrinam *Bart.probat. & sequitur Alex.in d. l.quoniam indignum num.3. Ias.in d. l.cunctos populos, num.14.& in d. l.quoniam indignum num.1. vers. ego autem puto*, vbi dicit Bart. optimè
44 dicere† verbum *volo* aptitudine posse esse directum, *Alber.d. l.precibus*, & ibi *Caccialup.in fin.in verbo volo, C. de impub. Bero.d. consf.11.num.12 lib.2.Ang.Aret.in d. §.final. Inst.de singul.reb.Bal.in l.illud §.tractari, ff. de iur. Cod.Franc.in cap. cum pater num.62.*
45 *de testam.* vbi ex Bald. concludit † istud verbum nihil importare nisi habita ratione adiuncti vnde si iungitur verbis obliquis importat fideicommissum si verbis directis aut communibus directam substitutionem, & id tenuit *Rota in vna Bononien. fideicommissi de Poetis 17. Iunij 1611.coram R.P.D. meo Vbaldo*.

46 Cum igitur istud † verbum *volo* in proposita facti specie reperiatur adiunctum verbo *Recadat*, quod est commune substitutio valet in vim directæ tanquam concepta per verba communia, quæ occurrente casu in vim directè operantur, ex doctrina in terminis, *Alberic.in d. l. precibus Decian.consf.26.num.25.lib.2. & consf.21. nu.3. lib.3.* eum fusissimè cumulat per *Mantic. de coniect.vlt.volunt.lib.5.tit.1.num.3.*

Ex his patet responsio ad *consf.Ruin.128*
47 nam ex lectura totius consilij non figit pedem, quod verbum *volo* adiectum verbo communi illud faciat semper obliquum, sed id obiter, & incidenter dicit respondo Raphaeli quem allegat quin imò in sui casus contingentia sustinet directam substitutionem factam per verbum commune in minus fortibus terminis, quam sunt verba testamenti de quo agitur vbi verbo cōmuni adiecta dictio *de facto* aliter Ruin. contra communem opinionem DD. loqueretur.

Nec placuit Dominis distinctio facta per informantes pro Enea, quod scilicet
49 compendiosa facta per verba communia reiterationem denotantia comprehendat tantum directam pupillarem exemplarem & militarem in quibus verificatur recasus non autem directam vulgarem in qua recasus nullo modo potest verificari, quia
50 ista distinctio nullo Iure probatur† & certi Iuris est in ipsis fideicommissarijs substitutionibus contineri vulgarem quam
51 DD. anomalam vocant cuius virtus est si primo institutus, vel substitutus non possit vel nolit consequi relictum aperiatur via
52 successori secundo loco vocato, & sic ille efficiatur primo loco institutus, *Bartol. ab omnibus receptus in l.quandiu ff.de acquir.hæredit.Molin.de primogen.lib.2.cap.11.nu.39.* cum ibi allegat. & fuse per informantes,
53 quin imò † in qualibet fideicommissaria inducta per verbum commune potest habere locum vulgaris nisi verba essent omnino, & semper obliqua, vt plenè per *Gabriel consf. 119. num. 11.* cum pluribus sequentibus *Peregrin.art.15.num.14.*& fusissimè

simè per *Ioseph. de Sesse decis. 50. num. 4. & seqq.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

BONONIEN. AFFRANCATIONIS.

*Veneris 20. Nouembr. 1020.*

ARGVMENTVM.

Venditionis contractus, vt arguatur fuisse fictum, seu simulatum, & habere maculam prauitatis vsurariæ tria simul concurrere debent, & primo reconductio illico facta, ita vt venditor in possessione remanserit, secundo redimendi facultas, & tertio vilitas pretij, circa quod vltimum requisitum plura deducuntur ad probandum, quando in venditione adfuit modicitas pretij, nec ne, & quid nam in his terminis perpendi, ac considerari debeat, simulatio de persona ad personam, quando vtraque persona potest contrahere à iure expressè est permissa.

SVMMARIVM.

1 *Instrumentum publicum facit probationem probatam.*

2 *Contractus si sit approbatus per transactionem perindè est, ac si per rem iudicatam esset confirmatus.*

3 *Ad contractum annullandum, requiruntur probationes concludentes.*

4 *In venditione vt arguatur ad fuisse prauitatem vsurariam, necesse sunt perfecta probationes.*

5 *Contractus venditionis, vt arguatur esse pignoratitius, tria copulatiuè requiruntur.*

6 *Venditio præsumitur simulata, quando statim facta emptor non permanserit in venditione.*

*Et hoc est maximum argumentum simulatæ venditionis.*

*Alienare nemo præsumitur id, quod possidere non desinit.*

7 *Venditio præsumitur simulata, ex pacto de retrouendendo, quæ coniectura tamen non sufficit, nisi alia concurrant.*

8 *Pretij vilitas in venditione arguit simulationem in ea,*

9 *Contrahentibus licitum est inuicem sese decipere, dummodo tamen ea, quæ à iure constituta sunt non excedantur.*

10 *In venditione modica pretij vilitas, quid arguat.*

11 *Vilitas pretij in venditione, ex quo probari possit.*

12 *Læsio vltra dimidiam est valens ad rescindendum contractum venditionis.*

13 *Venditio vt ex modicitate pretij euanescat, requiritur, vt sit vltra dimidiam iusti pretij.*

14 *In venditione, vt constituatur verum pretiũ, plura sunt consideranda.*

15 *Pacti de retrouendendo valorem Rota extendit ad sextam partem.*

16 *In venditione, si non sit præstita cautio de euictione, id minuit valorem rei, & maximè quando venditio fit à muliere.*

17 *Mulieres facilè restituuntur in integrum.*

18 *Contractus vt rescindantur, non sufficit probatio per possibile, sed per necesse.*

19 *Periti per inspectionem rei de præsenti non possunt arguere qualitatem eius de tempore præterito.*

20 *Ad peritorum electionem deuenitur in subsidium, & quando aliæ probationes haberi non possunt.*

21 *Periti, licet ex statu præsenti, possint etiam arguere in præteritum, tamen facilè possunt decipi.*

22 *Terræ, quando sunt paludosæ & incultæ, id minuunt earum valorem.*

23 *Peritus si asserat se habere cognitionem rei, cuius valorem æstimat, à multis annis citra, id potest intelligi de quatuor, vel sex annis.*

24 *Periti æstimatio, si fundata sit super aliorum relatione, quid id indicet.*

25 *Rem non fuisse magni valoris argui potest, si ea posita subhasta modica oblatio fuerit reperta.*

26 *Ex quantitate pretij arguitur quid veniat in venditione.*

*Ex quantitate affictus perpenditur quid veniat in locatione.*

27 *Emptor fatuus esset, si rem magni valoris, & magno pretio ab eo emptam, postea modica pensione illam locasset.*

*Iactare suum nemo in dubio præsumitur. n. 27*

28 *Simulatio de persona ad personam, quando vtraque persona potest contrahere, à iure expressè permittitur.*

29 *Administrator vniuersalis bonorum, & hæreditatis, an possit emere ea bona, & num. 30.*

31 *Simulatio tollitur ex transactione, & maximè*

. mè si prætendatur solum super nomine.

32. *Simulationis contractus non potest opponi sine causa simulandi.*

## DECISIO CCLXXXIII.

Dubitaui vtrum contractus venditionis factæ per D. Emilium D. Capitaneo Paulo Zambeccario sustineretur quo dubio proposito Domini affirmatiuè responderunt ea moti ratione, quia de illo contractu constat per instrumentum publi-
1 cum, † quod facit probationem probatam *l.fin.vbi glos. in verb. manifestum* C. *de reb. cred.* & fuit millies decisum, tanto magis,
2 quia † fuit approbatus per transactionem inter partes initam quæ eumdem effectum sortitur, ac si esset per rem iudicatam confirmatus, *l.non minorem, C.de transact. Mantic. de contract.lib.26.tit.7.num.1.& seqq.& num.21.*

3 Ex quo sequitur quod † ad annullandum huiusmodi contractum requirantur probationes concludentes præcipuè cum filiæ & hæredes dictæ Emiliæ prætendant dictam venditionem crimine vsurariæ pra-
4 uitatis redargüere, & ex illo capite rescindere quasi medietas possessionis fuerit in pignus simulata venditione tradita & sic in effectu mutuum palliatum.

Ad quod probandum tria dicunt simul in hoc contractu concurrere quæ sufficiunt
5 vt censeatur pignoratitius, & primo, recõductio illicò facta ita vt venditor in possessione remanserit, quod est maximum ar-
6 gumentum simulatæ venditionis, † quia nemo velle alienare præsumitur, qui possidere non desinit, *l.sicut §.superuacuum ff. quibus mod.pig.vel hipoth.l.cum manu sola §. fin.ff. de contrah.empt.* Secundo redimendi
7 facultas quæ licet sola non sufficiat, *l.2. C. de pact. inter empt. & vendit. l.2. ff. de diem add.* iuncta tamen cum alijs præsumptionibus multum facit præcipuè cum adest
8 vilitas pretij, nam † quamuis in emptione & venditione contrahentibus liceat inui-
9 cem se se circonuenire non tamen ea facultas modum à lege definitum excedere
10 debet nam immodica pretij vilitas verisimiliter indicat contrahenses non tam de vendendo quam de pecunia credenda, & prædio in causam securitatis obligando cogitasse.

Et quoad vilitatem pretij in quo consistit fundamentum annullandi contractus, quia ea deficiente reliquæ præsumptiones tolluntur. Informantes pro dictis filijs præ-
11 tendunt † eam satis sufficienter probatum ex relatione tertij Periti, concorditer à partibus electi, qui æstimauit valorem domus & possessionis venditæ ad libras 26285. cuius medietas est librarum 13392. & in hac relatione electo pro parte dictorum fi-
12 liorum concordat. Nam stante dicto valore etiam deducta sexta parte, pro pacto affrancandi remaneret læsio vltra dimidiam.

Verum DD. existimarunt vilitatẽ hanc pretij non satis adhunc effectum probatam esse ex relatione dicti tertij Periti, & supradictum computum factum per informantes pro dictis filijs non subsistere, re-
13 quiritur enim probatio modicitatis vsque ad dimidiam iusti pretij. *Iason. cons. 151. & cons.153.num.13.Corn.cons.347. lib.primo Cephal.* qui dicit omnes ita tenerè, *cons.189.num.5.Honded.* qui de communi, *cons.33. num.62. lib.2.* cum alleg. in vna *Bononien.de Ballis 8. Iunij 1607. coram Reuerendiss.D. meo Lugdunen. & postea in vna Romana fideicommissi 13.Martij 1617.coram bo.me.Andrea.*

14 Et † pro constituenda hac dimidia habenda est ratio pacti de retrouendendo & diminutionis quæ propter illud facienda, est vt ex pluribus firmatur in dicta decisione *Bononien. de Ballis*, vbi in specie reprobatur, *Gabr.cons.74. lib.1.* quem valorem
15 pacti † de retrouendendo Rota etiam extendit vltra sextam partem, vt *decis.446. num.5.par.1.in recent.Surd.cons.226.nu.21. Honded.dicto cons.33.num.62 & seqq.lib.2. & Roland. cons. 96.* ad rationem 30. pro quolibet centenario, *num.39. & seq. lib.2. Maluas.cons.106.nu.11.& seqq.vol.1.Ioseph. Ludouic.decis.Perus.97.cum allegatis.*

16 Considerandum etiam † in æstimatione pretij non fuisse præstitam cautionem de euictione & contractum factum à muliere,
17 quæ † de facili restitui poterat, *Bart. in l. 1.§.si hæres num.2.ff.ad Trebell.Pinel.in l.2. cap.4.num.18. & seqq. C. de rescind. vendit.* cum allegatis in dicta *Romana fideicommissi coram bo.me.Andrea.*

His stantibus visum fuit non probari vilitatem pretij duabus præcipuè rationi-
18 bus, & primo quia † ad effectum rescindendi contractus requiritur concludens probatio & non per possibile. Nec admittitur probatio per æstimationẽ Peritorum
19 quia † æstimatores ex inspectionẽ rei non possunt iudicare qualitatem eius de tem-

pore præterito, & quatenus etiam appareret, quod possent habere notitiam rei de tempore præsenti debent examinari tāquam testes, non autem inducenda eorum probatio, & iudicium tanquam Peritorum
20 maxime ✝ cum ad istam deputationem non soleat deueniri nisi in subsidium, & quando non possunt haberi aliæ probationes iuxta *decisionem Verall. 65. incipit ad electionem lib. 1. in manuscript. allegatam in Romana rescissionis contractus 26. Martij 1593. coram bon. mem. Penia.*
21 Licet enim ✝ Periti forsan ex præsenti possint etiam arguere in preteritum ex cōmuni valore rerum etiam de tempore præterito, tamen possunt decipi in qualitate rei cum possit esse, quod fortasse de tempore prædicto terræ essent paludosæ, in-
22 cultæ & similes quæ minuunt valorem, vt post *Alex. Cagnol. & alios firmatur in d. decis. coram Penia*.

Imo nec ex relatione exhibita in actis constat, quod tertius Peritus habuerit notitiam huius prædij de anno 1593. sed so-
23 lum ✝ dicit quod habet longam cognitionem à multis annis retro quod potest intelligi de quatuor, vel sex annis non autem concludit de viginti, prout esset necesse, vt pertingat tempus contractus, & ex eadem relatione colligitur dictum Peritum de illo tempore non habuisse cognitionē, quia dum exprimit tempus contractus dixit se cæpisse informationem ab alijs ibi habitantibus. Vnde sequitur istam relationem, seu æstimationem esse fundatam
24 super dicto aliorum ✝ daturque magnus fumus istas terras æstimatas non esse tanti valoris relatis à Peritis, quia dum fue-
25 runt positæ subhasta non fuit reperta alia oblatio quam scut. centum pro tornatura.

Secundo excluserunt Domini probationem vilitatis pretij prætensam, quia ex instrumento venditionis apparet medietatem solum possessionis tornaturarum 80. vel circiter, vna cum medietate domus fuisse venditam pro pretio librarum 4800. Et tamen Periti, retulerunt adesse tornaturas 172. in dicta possessione ex quo sequitur non comprehendi in dicta venditione tornaturas 40. vel circiter, nec posse hodie extendi ad maiorem numerum tornaturarum sub prætextu, quod claudantur incertis designatis finibus, nihilque mirum est si pretium auxerit tertius Peritus vsque
26 ad libras dictas 26285. ✝ cum ex quantitate pretij arguatur, quid veniat in venditione prout etiam ex quantitate affictus, quid veniat in locatione vulgatis iuribus alias vero si fuisset comprehensa in venditione medietas tornaturarum 172. cuius
27 medietatis valor erat, vt referunt Periti 13382. fatuus fuisset emptor eas postea locare pro tam modica pensione, quæ vix ascenderet ad rationem duorum pro centenario, quia ✝ nemo in dubio præsumitur iactare suum.

Nec obstat dictum Paulum Zambeccarium nomen suum accommodasse simulate D. Comiti Maluasiæ, nam simulatio de
28 persona ad personam, quando vtraque persona potest contrahere à iure expressè permittitur, *l. si filij his C. de donat. inter vir. vxor. l. 4. & ibi. Bald. C. plus val. quod agatur*.

Prout non obstat, quod dicitur non
29 potuisse dictum Comitem, qui erat administrator vniuersalis bonorum, & hæreditatis emere à dicta Emilia, *l. si in emptione §. fin. ff. de contrah. empt.* cum cumulatis fusissimè per *Menoch. cons. 459. per totum*. quia tollitur obiectio ex facto cum Co.
30 Maluasia nunquam fuerit administrator, sed fideiussor pro Rugerio administratore, & vti talis conuentus in Rota & condemnatus ad soluendum pro dicto Rugerio, vt apparet ex multis decisionibus in hac causa factis tam coram bon. mem. Pe-
31 nia, quam coram me. Vltraquod ✝ transactio subsequens tollit omnem simulationem nominis præcipuè cū nulla esset causa simulandi sine qua non potest opponi
32 simulatio contractus, vt ex multis decidit Rota *in vna Bononien. de Monterentijs tam coram bon. mem. Penia, quam coram me 2. Decembris 1613*.

Reliquis alijs coniecturis ad inducendam simulationem dicti contractus, satis respondent informantes facilè enim tollūtur quando non est satis sufficienter probata prout in hoc casu vilitas pretij.

Et ita decisum vtraque parte informante.



RO-

ROMANA DOMVS.

*Veneris 5. Iunij 1620.*

## ARGVMENTVM.

Falſa cauſa quando non dicatur probata ob reuolutionem actorum ad effectum annullandi decretum Iudicis, & ſic reſoluendi retrouenditionem factam à muliere.

## SVMMARIVM.

1 *Contractus mulieris ſubſtinetur ſeruatis ſolemnitatibus quæ à ſtatuto Vrbis cap. 151. lib. 1. deſiderantur.*

2 *Decretum Iudicis interpoſitum ex falſa cauſa eſt nullum.*

3 *Negatiua ad hoc, vt probetur per diligentias neceſſe eſt, quod probetur extra prothocolla, in quibus eſt facta diligentia non conſeruari inſtrumenta Notariorum.*

4 *Inſtrumentum, quo quis vſus fuit, non poteſt amplius impugnare.*

## DECISIO CCLXXXIV.

Domini dixerunt retrouenditionem ſuſtineri, quia de ea conſtat ex pu-
1 plico inſtrumento ſeruatis ſolemnitatibus quæ à ſtatuto Vrbis cap. 151. lib. 1. deſiderantur.

Non obſtat Victoriam in d. Inſtrumento retrouenditionis narraſſe Iudici ſe ad faciendam retrouenditionem deueniſſe ex eo, quod ipſa prorogaſſet antea tempus redimendi domum emptam à Caſtellis, de
2 qua tamen prorogatione dum non conſtat remanet decretum Iudicis interpoſitum ex falſa cauſa, & per conſequens retrouenditio nulla, *l. etſi præſes, C. de præd. & alys reb. min. Curt. iun. conſ. 170. num. 2. verſ. ergo ſuccedit, Rot. diuerſ. deciſ. 529. nu. 1. & ſeq. par. 1.* fuit dictum *in Romana ſocietatis officij Lunæ 17. Iunij 1602. coram Penia apud Moder ad dictum ſtatutum Vrbis deciſ. 34.*

Nam placuit reſponſio, quod falſitas cauſæ non poſſit dici probata ex diligentia facta in actis Notarij, qui in Inſtrumento retrouenditionis enunciatur rogatus de
3 dicta prorogatione, licet enim negatiua probetur per diligentias, *Veral. deciſ. 192. p. par. Rot. diuerſ. deciſ. 64. ſub num. 1. verſ. hoc ſtante par. 1.* Tamen ad hoc, vt ex reuolutione chartarum probetur negatiua neceſſarium eſt, quod probetur extra illas ſilſas, & prothocolla, in quibus eſt facta diligentia *natus beneficia non ſubiacent con-* Notariorum.
tarius omittere
per ſegnitiem or I O CCLXXXVI.
prothocollis, vt c
*lib. 4. Crauet. conſ. 1.* Domini Dominico pro-
gentiæ fuerunt factæ ro vigore gratioſæ ſub-
tum, ſed & fuit exhi dam eſſe immiſſio-
conceſſionis prorogatio eludenter probauit
ſa falſitas cauſæ penitus prout fuſius de-
cet contra dictum inſtru c cauſa facta ſub
4 defectus opponerentur, tam ua quoad hoc
Victoria ad cuius fauorẽ null iudicarunt.
ducta, dicta prorogatione ſit na ſerie pro
Iudice, & Curatore in inſtrume præſenta-
uenditionis, & de falſitate cauſæ n d tria ca-
dici conſtare ex prædicta diligenti.
mini cenſuerunt retrouenditionem r ſub-
neri eum concurrant omnes ſolemni ibus
ſtatuti. ur,

Et ita deciſum. er

BONONIEN. FIDEICOMMISSI.

*Lunæ 14. Decembris 1620.*

## ARGVMENTVM.

Voluntas Teſtatoris quando fuerit non comprehendendi bona filiorum in fideicommiſſo per ipſum ordinato.

## SVMMARIVM.

1 *Teſtator poteſt fideicommiſſo particulari ſubÿcere bona hæredis.*

2 *Hæres hæredis, qui hæreditatem ſine beneficio legis, & inuentarÿ adiuit tenetur reſtituere prædium ſubiectum fideicommiſſo particulari.*

3 *In Fideicommiſſo vniuerſali veniunt tantummodo bona Teſtatoris, non autem ea, quæ ſubiacent reſtitutioni.*

4 *Ratificatio diuiſionis bonorum facta à patre ſemper referenda videtur ad fideicommiſſum paternum non autem ad bona propria filiorum.*

5 *Diſpoſitio, quæ non poteſt referri niſi ad vnum tantum, illud continet.*

6 *Taciti, & expreſſi eadem eſt vis.*

7 *Teſtatorem voluiſſe de re hæredis diſponere ad hoc, vt dicatur requiritur plena, & concludens probatio.*

8 *Negatiua, in qua quis ſe fundat, eſt concludenter probanda.*

9 *Ex præſenti non præſumitur in perpetuum vbi non adeſt cauſa ita præſumendi.*

10 *Reo, & possessori sufficit per possibile elidere intentionem actoris.*
11 *Referens restringitur ad terminos relati.*

## DECISIO CCLXXXV.

DOMINI steterunt in decisis coram me sub die 8. Iunij 1618. ex rationibus deductis in dicta decisione, & præcipuè ex primo fundamento.

Non enim reuocarunt in dubium propositionē firmatam ab informantibus pro
1 Monasterio S. Georgii Franciscum Testatorem potuisse fideicommisso particulari subiicere rem, & bona Io: Baptistæ,& Iulii filiorum, & hæredum Scriptorum, §. *post autem, instit. de sing. reb. per fideic.* Ita vt Io:
2 Baptista Agueeius† hæres hæredis,qui hæreditatem sine beneficio legis, & inuentarij adiuit teneatur præstare, & restituere substituto prædium istud,quod dicitur subiectum fideicommisso particulari, *l. fin. C. de iure delib.* eum fusissimè deductis in illa *Viterbien. Castrorum coram Reuerendiss. D. meo Damasceno.*

Prout non dubitabant prædium de quo agitur non fuisse in bonis Francisci Testaris, sed ipsum fuisse grauatum illud restituere filijs, & descendentibus; quia ipsi de anno 1514. fuerat donatum à Hieronymo, & Iacobo cum onere illud restituendi dictis filijs, & descendentibus inter quos comprehenditur Io. Baptista Aguccius eiusque filij, & filiæ, quæ dicuntur extare ex rationibus deductis in dicta decisione quæ rursus examinatæ placuerunt.

Sed existimarunt Domini deficere voluntatem, nec satis iustificari intentionem Francisci Testatoris ad inducendum hoc particulare fideicommissum in re hæ-
3 redis stante regula iuris, † quod in generali fideicōmisso facto à Testatore veniant tantummodo bona ipsius non autem ea, quæ subiacent restitutioni, *Peregr. de fideic. art. 6. num. 13. Mantic. de coniect. lib. 2. tit. 2. num. 1.* cum allegat. in d. decis. quod procedit nisi contrarium in testamento legatur. Ex quo fundamento patet non constare de voluntate patris vinculandi bona quæ ad filios spectabant ex donatione Hieronymi, & Iacobi de Pasijs, neque etiā
4 obstare ratificationem factam per Io. Baptistam, & Iulium filios dicti Francisci in diuisione, quia illa semper referenda videtur ad fideicommissum paternum iuxta eius voluntatem non autem ad talia propria bona, quæ filijs alio iure, quam hæreditario erant quæsita.

Neque obstat præcipuum,& maximum fundamētum Monasterij ex eo deductum, quod testator facta substitutione in fauorem Fratrum Sancti Georgij prohibuerit in dicto testamento hæredibus alienationem terrenorum ruralium existentium in guardia, & Comitatu Bononiæ, in quo cum nulla bona d. testator haberet præter prædiū controuersum prætenditur pernecesse sequi voluntatem d. Testatoris claram, &
5 specificam vinculandi dictum prædium, quia ad alia bona referri non possit huiusmodi dispositio, *Handed. cons. 63. num. 91. lib. 1.* eum ibi cumulatis, & per informan-
6 tes fusius allegatis, quia eadem est vis taciti, ac expressi.

Placuit enim Dominis responsio data
7 in dicta decisione requiri plenam, & concludentem probationem ad hoc, vt à præsumptione iuris supra firmata recedatur, & dicatur Testatorem voluisse de re hæredis disponere, nec sufficit præsumptiua
8 probatio qualis est hæc negatiua, † in qua cum consistat totum fundamentum intentionis Monasterij actoris debet ad vindicanda à reo,& possessore bona concludentius iustificari, *l. ei incumbit, ff. de probat. l. actor. C. eodem Seraph. decis. 1307. num. 4.* cum alleg.

Quod autem hæc negatiua non sit verificata patet ex eo,quod licet Testator non haberet bona tempore testamenti in d. Comitatu, & Guardia non inde sequitur ipsum non potuisse habere tempore mortis. Deinde nec ex diuisione facta in codicillo emanato de anno 1581. potest inferri ad testamentum, quod emanauit iam antea de anno 1564. & ideo cum inter has dispositiones intercessertint anni 17. hoc tēporis spatio potuit Testator vendere ruralia, quæ fortasse habebat tempore testa-
9 menti, nam ex præsenti non præsumitur in perpetuum vbi non adest causa ita præsumendi dum præcipuè debet adesse proba-
10 tio concludens sufficitque reo, & possessori per possibile elidere intentionem agentis.

Nec facit, quod in codicillis innouauerit institutiones, substitutiones, fideicommissa, & probationes alienandi, quæ cum verba sint relatiua ad testamentum si fideicommissum specificum rei alienæ in eo non continebatur non potest dici de nouo indu-

11 inductum in codicillis, quia referens restringitur ad terminos relati iuxta notata in *auth. si quis in aliquo C. de edend.*

Vnde cum Dominis primũ fundamentum decisionis placuerit defectus, scilicet voluntatis Testatoris visum fuit non opus esse pro nunc ingredi vltimam partem decisionis maximè cum aliis obiectionibus satisfaciat decisio in hac causa facta cum qua Domini transierunt.

Et ita decisum &c.

## ARETINA PLEBANIÆ.

*Veneris 15. Maij 1620.*

### ARGVMENTVM.

Immissio subrogato gratiosè, ex quibus concedenda.

### SVMMARIVM.

1 *Immissio concedenda est subrogato, qui probauit tria requisita necessaria.*
2 *Subrogatio extracta ex gratia subreptitia eidem vitio subiacet.*
3 *de Subreptione non potest dari in iudicio immissionis vigore gratiosæ subrogationis, sed in petitorio.*
4 *Exceptio dominij in continenti probati admittitur in remedio subrogationis.*
5 *Appellatio remanet deserta si intra annum post causæ commissionem non fuerit intimata, & reproducta citatio.*
6 *Executio litterarum gratiosæ subrogationis non impeditur per sententiam, de cuius iustitia Rota non gustauit.*
7 *Causa nullitatis durat per triginta annos.*
8 *Nullitatis causa pendente non denegatur possessio prouiso Apostolico.*
9 *Citatus legitimè non dicitur si citatio fuit executa in domo paterna dimissa copia.*
10 *in Iudicio adipiscenda admittuntur exceptiones dominij per quascumque legitimas probationes siue per testes, siue per scripturas, secus in iudicio recuperanda, vel retinenda.*
11 *ad Immissionis exclusionem sufficit obscurare reseruationem.*
12 *Iurispatronatus sufficiens fumus ad offuscandam reseruationem, ex quibus constare dicatur.*
13 *Iurispatronatus probatio, quæ constituat statum seruitutis Ecclesiæ.*
14 *Ecclesiæ status non mutatur per prouisiones Apostolicas.*
15 *Iurispatronatus beneficia non subiacent concursui.*

### DECISIO CCLXXXVI.

1 Existimarunt Domini Dominico prouiso Apostolico vigore gratiosæ subrogationis concedendam esse immissionem, qui plenè, & concludenter probauit tria requisita necessaria prout fusius deducitur in decisione in hac causa facta sub die 27. Martij præteriti, à qua quoad hoc caput non esse recedendum iudicarunt. Non obstantibus his, quæ magna serie pro parte prætensorum patronorum præsentatique ab illis deducuntur quæ ad tria capita præcipuè deducuntur.

Opponitur primo litteras gratiosæ subrogationis fuisse desumptas ex visceribus primæ gratiæ, vt ex earum data colligitur, quam fuisse nullam, & subreptitiam per confessionem ipsiusmet Dominici expressam in litteris perinde valere obtentis dubitari non potest. Vnde infertur dictam
2 subrogationem extractam ex gratia subreptitia eidem vitio subiacere, *Rebuf. in prax. tit. de subrog. num. 18. & seq.* fuit dictum in vna *Giennen. præstimonij* 15. Febr. 1593. *coram Card. Blanchetto.*

Huic obiectioni responsum fuit cum litteræ gratiosæ subrogationis fuerint expeditæ ad partes omnia superius deducta posse inseruire in iudicio petitorio vbi agetur de canonizatione gratiæ non autem in hoc iudicio immissionis vigore gratiosæ subrogationis, vt fuit in terminis decisum in vna *Lucana Mainsculatus* 13. *Octob.* 1586 *coram Orano*; vbi quod taliter subrogato
3 detur immissio absque alia iuris discussione ex quo inde nulli fit præiudicium irreparabile, quia in petitorio detecta nullitate tituli possidentis facilis est à possessione eius amotio.

Opponitur secundo quatenus præcipuũ decisionis fundamentum subsisteret de quo infra non posse concedi immissionem cum constet canonizatum fuisse iuspatronatus per sententiam Ordinarij, quæ sententia transiuit in rem iudicatam, vnde intrat
4 conclusio totius à Rota † firmata in huiusmodi remedio subrogationis admitti exceptionem dominij incontinenti probati.

Quod autem huiusmodi sententia transitum fecerit in rem iudicatam dicebatur dubitari non posse, tum quia ab ea d. Do-

minicus nunquam appellauit. Et licet prætendat adhærere in terminis, in quibus causa reperiebatur appellationi per Procuratorem Fiscalem interiectæ non potest impedire rem iudicatam, licet enim Procurator Fiscalis appellauerit commissaque causa R.P.D. meo Vbaldo, & obtenta citatio cum inhibitione per Procuratorem, de cuius mandato non constat, quam fuisse intimatam in partibus nullibi docetur minusque reproductam intra annum appellatio remanet deserta, *Fastol. dub. 37. num. 1. Cassad. decis. 6. nu. 8. vers. quod procedit de appellat. Vestr. in prax. lib. 7. cap. vltimo num. 9. Ach. decis. 11. de appellatt. Rot. inter recent. decis. 156. num. 1. per totum par. 2.*

Placuit tamen Dominis responsio data per informantes, quod hæc res iudicata nondum fuerit per Rotam canonizata, nec fuisse examinata iura super quibus iustitia dictæ sententiæ prætenditur si enim per hanc sententiam impediretur executio litterarum gratiosæ subrogationis indirectè

6 contra laudatissimum Tribunalis stylum daretur executio sententijs iudicum de partibus non degustata earum iustitia, & non posset opponi de libertate beneficij, *Rota diuers. decis. 438. num 4. par. 1.* vltra

7 quod etiam remanet commissa causa nullitatis, quæ durat per triginta annos, qua

8 pendente indecisa in Rota prouiso Apostolico deneganda non est possessio, qui pro parte sua omnia requisita ad eam obtinendam adimpleuit. Vltra quod non constat in iudicio facto coram Ordinario dictum Dominicum fuisse legitimè cita-

9 tum, sed in domo paterna dimissa copia, vt fusius per informantes pro d. prouiso Apostolico.

Opponebatur tertio contra præcipuum

10 decisionis fundamentum † non posse applicari doctrinam *Bart. in l. fin. numer. 21. C. de edict. Diu. Adr. toll.* quia non sumus in iudicio recuperandæ, aut retinendæ possessionis, sed adipiscendæ, in quo admittuntur exceptiones dominij per quascunque legitimas probationes siue per testes, vel scripturas, *Menoch. lib. 1. recup. quæst. 17. num. 229. & quæst. 18. num. 226.* cum alleg. in vna *Legionen. Prioratus 12. Nouemb. 1584*

11 *coram fel. recor. Clem. VIII.* sufficitque obscurare reseruationem ad exclusionem immissionis, *Rota in recent. decis. 13. num. 2. par. 1.*

12 Quod verò daretur sufficiēs fumus iurispatronatus ad offuscandam reseruationem dicebatur constare ex tot continuatis reseruationibus effectum sortitis enunciationis antiquis Testibus de publica voce, & fama insignibus armorum familiæ Domi-

13 norum de Cerretanis, quæ omnia saltem simul iuncta constituunt statum seruitutis Ecclesiæ, qui per prouisiones Apostolicas non immutatur, vt ex multis firmauit Rota *in vna Lucana iurispatronatus 26. Iunij 1619. & 23. Martij proximè præteriti coram me.*

Fuit etiam à quibusdam ex Dominis excitata alia difficultas, quia inter prouisio-

14 nes Apostolicas quæ regulariter non immutant statum adest prouisio facta per concursum de dicta Ecclesia per quem videtur inturbidari iuspatronatus, & constitui statum considerabilem super quo Ordinarij sententia potuit esse fundata cum ex dispositione S. Concilij Tridentini benefi-

15 cia iurispatronatus non subiaceant concursui.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## BONONIEN. MOLENDINI.

*Lunæ 11. Ianuarij 1621.*

## ARGVMENTVM.

Rota quandoque solet subdelegare aliquem Iudicem in partibus, vt cognoscat, & summariè examinet si quid fuerit innouatum quoad faciem aluei alicuius canalis, vt restitutis in pristinum attentatis procedatur ad vlteriora.

## SVMMARIVM.

1 *Articuli irrelevantes non sunt admittendi.*
2 *Attentasse quis non dicitur ex gestis in causa, super qua nulla pendet lis.*
3 *Articuli continentes materiam extra punctum sunt omnino reyciendi.*
4 *Attentata sunt gesta post inhibitionem Rotalem, & præceptum per Auditorem factum.*
5 *Remissoria ad probanda attentata non datur absque fumo sufficienti.*
6 *Remissoria vt denegetur sufficit fumum contrarijs probationibus elidi.*
7 *Remissoria non datur ad probanda attentata iam purgata, sed sufficit eis cedere iudicialiter, & se obligare ad refectionem damno.*

*norum, & interesse qua ratione illorum euenerunt.*

DECISIO CCLXXXVII.

PRætendentibus informantibus pro filio, & hærede quon: D. Francisci Paratæ fuisse nuper à D. Equite Bonfiolo commissa attentata quæ in primis, & ante omnia sunt purganda ad quæ probandas datis articulis petita fuit remissoria. Vnde proposito dubio vtrum dicta remissoria concedenda esset necne Domini firmarunt omnes articulos pro parte dicti Paratæ datos duobus exceptis, de quibus infra nullo modo esse admittendos. Tum quia maior pars dictorum articulorum ex capite irrelenantiæ, & præsumptæ calumniæ fuit reiecta, vt patet ex decisione corā me facta 2. Maij 1619. Tum etiam quia
1 dicti articuli nouiter dati non percutiunt materiam attentatorum, & sic tamquam irreleuantes non sunt admittendi, *l. ad probationem*, C. *de probat. Cassad. decis.* 2. *& 3. num. 1. de dilat. Veral. decis. 66. par. 3. cum alleg. in d. decis.*

Licet enim probatum esset factam fuisse clusam in flumine publico à dicto Equite, & excauatum fuisse nouum canale in agris ipsiusmet Equitis, itaut impeditus es-
2 set vsus viæ publicæ † non ideo sequeretur ipsum attentasse, quia super hoc nulla pendet lis, sed solummodo super iure diuertendi aquam à canali veteri ad nouum
3 eiusque aquæ dominio, & sic articuli extra punctum attentatorum materiam continentes sunt omnino reijciendi, *Rota decis.* 500. *par.* 1. *num.* 10.

Quo verò ad sextum articulum, & septimum, in quibus ponitur, quod dictus Eques fecit excauare nouum canale pendente lite ad effectum extrahendi aquam à flumine incidendo ripas canalis veteris, Domini concorditer resolucrunt ipsum
4 non posse ab attentatis excusari, quia stante inhibitione Rotali generali, & præcepto per me facto iuxta mentem Rotæ partibus ne aliquid innouarent in canali tam veteri, quam nouo non licuit d. Equiti attingere ripas d. canalis veteris prout non poterat facere, vt reimplerentur reseruatorij existentes in canali d. Paratæ, quia super vtroque actu pendebat lis, vt fuit firmatum in decisione in hac causa facta sub die 31. Ianuarij dum canonizata fuerunt attentata dicti Paratæ.

5 Sed quia † ad probanda attentata quæ sapiunt delictum requiritur fumus sufficiens, *Rota decis.* 10. *de appellat. in antiq. Put. decis.* 212. *num.* 2. *lib.* 1. & millies fuit in Rota decisum. Aliqui ex Dominis dubitabant vtrum ex Testibus ad perpetuam rei memoriam à d. Parata examinatis daretur sufficiens fumus, quia etiam pro parte d. Equitis alij Testes fuerunt examinati, ex quibus probatur omnia hodie restituta in pristinum statum adestque fides Notarij qui fuit præsens dum per me facta fuit
6 visio loci vna cum experimento, ex qua probatione videtur elidi ea quæ facta fuit à dicto Parata cum vtraque sit informis, & minus legitimè facta, *Rota dec.* 567. *num.* 3. *vers. si tamen p.* 3. *& decis.* 491. *n.* 5. *par.* 2. *in recentior.* Nec attendi debet tempus prætetitum, sed præsens, de quo de-
ε ponunt Testes d. Equitis.

In hoc tamen omnes Domini conuenerunt ad euitandos circuitus non opus esse expeditione remissoriæ quatenus si quæ facta sunt attentata ea nunc fuerint iam purgata tam quo ad intercisam ripam antiqui canalis, quam ratione reimpletionis reseratoriorum. Vnde Domini iudicarunt dictum Equitem debere pro maiori, & sufficienti purgatione attentatorum iudicialiter cedere dictis duobus actis per ipsum factis, & quia potuit aliquod damnum euenisse dicto Paratæ. Ideo etiam visum fuit Equitem debere se obligare in actis ad refectionem damnorum, & interesse quatenus dictus Parata ea legitimè probauerit, & liquidauerit.

Statuerunt etiam Domini dandam esse subdelegationem alicui Iudici in ciuitate Bononień degenti, qui vna cum Notario, & peritis siue alijs qui fuerunt per me in visione loci, & experimento facto electi vocati, vel fuerunt præsentes accedat ad dictum locum examinetq; summariè vtrum hodie quo ad ripas vtriusque canalis, & dictus reseratorios fuerit aliquid innouatum, & res sit in eodem statu, in quo existebat de tempore accessus, & præcepti per me in facie loci facti.

Quibus factis Domini mandarunt procedi in causa ad vlteriora nulla habita ratione attentatorum allegatorum in statu, & terminis, in quibus causa hodie reperitur.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

ROMA-

ROMANA PECVNIARIA.

*Veneris 27. Nouembris 1620.*

## ARGVMENTVM.

Assignans loco alimentorum censum, si postea idem alimenta præstet non indè sequitur, quod teneatur restituere fructus census per ipsum percepti, & quem loco alimentorum assignauerat.

### SVMMARIVM.

1 *Affinitas probatur ex nominatione, tractatu, & alijs.*
2 *Soluens vnum pro alio censetur soluisse animo compensandi cum vero debito.*
3 *Probatio nulla est maior propria oris confessione.*
4 *Factum maiorem deliberationem ostendit, quam verba.*
5 *Geminatio demonstrat deliberationem.*
6 *Compensatio non intrat in eo, quod non est perpetuo permansurum penes creditorem.*
7 *Rector Ecclesiæ legatum factum Ecclesiæ non recipit a testatore, sed ab Ecclesia.*
8 *Datum pro sustentatione censetur datum pro alimentis.*
9 *Datum ob liberalitatem excludit compensationem.*
10 *Limita si liberalitas esset correspectiua ad obligationem præcedentem.*
11 *Confessio hæredis non nocet legatario maximè cum hæres adiuit hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij.*

## DECISIO CCLXXXVIII.

DOMINI steterunt in decisis sub die 14. Iunij 1619. ex fundamentis decisionis quæ de nouo perpensa, & diligenter examinata placuerunt Dominis non obstantibus deductis in hac propositione pro D. Equite Bartholomæo.

Licet enim Bonifacius teneretur præstare alimenta Bartholomæo, prout prætenditur ex eo, quod agnouerit illum in
1 nepotem, † quæ agnitio dicitur à d. Equite Bartholomæo probata ex tractatu nominatione legitimatione facultate testandi, & alijs ponderatis per informantes ex deductis in illa *Romana de Bonellis 13. Nouembris 1613. coram R.P.D. meo Vbaldo, & in recentior. decis. 137. num. 1. par. 1.* Et licet etiam diei posset eamdem obligationem præstandi alimenta adesse in vim testamenti, & transactionis. Tamen exinde non sequitur, quod dum Bonifacius ei præstitit alimenta teneatur etiam ad restitutionem censuum pro alimentis assignatorum,
2 & per Bonifacium perceptorum. Quia dum Bonifacius assignauit censum pro alimentis debitis ex deductis in alia decisione, & postea præstitit alimenta censetur illa præstitisse in compensationem fructuũ dicti census quos ipse percipiebat *argum. l. filia legator. C. de legat. l. Lucius la 1. ff. de legat. 2.* cum alijs allegatis in decisione, in qua id fuit comprobatum ex intentione vtriusq; partis nempe Bonifacij ex declaratione per ipsum facta in Testamento, & Bartholomæi qui non solum tacuit per 17. annos, sed quod plus est ipsemet exegit fructus census, & ad creditum ipsius Bonifacij posuit si enim nulla maior proba-
3 tio, quam propria oris confessio, *l. cum precum, C. de liber. caus. l. cum te, C. de transact.* Multò magis debet nocere confessio quæ oritur ex proprio facto cum ma-
4 ior deliberatio † concurrat in faciendo, quam in loquendo, & ideo maioris efficaciæ est factum quam verba, *l. paulus, ff. rem*
5 *rat. habet.* Maximè cum toties fuit reiterata exactio, & pecuniæ positæ ad creditum Bonifacij *ad l. Balista, ff. ad Trebellianum.*

6 Non obstat censum fuisse datum Religioni non autem Bartholomæo, & compensatio non intret in eo, quod non est perpetuò permansurum penes creditorem, *Dec. in auth. præterea num. 12. vers. tertio limit. C. vnde vir. & vxor. Phanuc. de lucr. dot. glos. 8. num. 66. Capr. cons. 143. num. 6. Menoch. præsumpt. 109. num. 53. lib. 4.* Quia hoc obiectum procedere potest vbi fructus census non fuissent assignati pro sustentatione toto tempore vitæ Bartholomæi, sed cum fuerint dati ad hunc effectum, & alimenta non deberentur nisi ad vitam ipsius benè intrat compensatio.

Non obstat Bartholomæum non recipere fructus à Bonifacio debitore, sed à Religione, & per consequens non posse intrare compensationem exemplo legati relicti Ecclesiæ, quod Parochus non reci-
7 pit à Testatore, sed ab Ecclesia, *Dec. in d. auth. præterea nu. 13. & Ias. num. 26. Couar. in cap. officij de Testamen. num. 3. & nu. 12. Menoch. d. præsumpt. 109. num. 56.* Quia obiectum procedere posset si assignasset simpliciter censum Religioni pro Commenda, & illa deuenisset ad Bartholomæum,

maƒum, vel iure antianitatis, vel aliqua alia de causa, sed hic census fuit assignatus Religioni nominatim, & expressè intuitu Bartholomæi, & vt ipse posset sustinere gra-
9 dum Equestrem, quæ verba æquipollere congruitati alimentorum, ex Gig. *de pens. quæst. 51. num. 2. Surd. de alim. tit. 2. q. 2. n. 19. & 20.* fuit firmatum in alia decisione.

Non obstat dictam assignationem cen-
9 sus fuisse factam liberè, & ex mera liberalitate qui titulus excludit compẽsationem *Alex. cons. 12. num. 7. & 8. lib. 2. & cons. 7. in fin. lib. 6.*

10 Nam & † ille titulus habet causam expressam, scilicet pro sustentatione gradus equestris, atque ita supposita etiam liberalitate, illa tamen est respectiua ad suam causam alimentorum quæ potest recipere compensationem.

Plauit & aliquibus Dominis fundamentum primæ decisionis de præsumpta satisfactione, cui non obstat quietio facta per hæredem quia illa non potest tertio præ-
11 iudicare iuribus vulgaribus, & in specie confessionem hæredis non præiudicare legatario, tradit *Butr. cons. 20. vers. item ex quo*, maximè cum hæres vt in hoc casu adiuit hæreditatem cum beneficio legis, & Inuentarij.

Quæ dicuntur de absentia ab Vrbe dicti Equitis Bartholomæi per triennium, quo tempore asserit se nulla omnino percepisse alimenta si videbitur Dominis hanc obiectionem non esse sublatam ex fundamentis duarum decisionum poterunt particulariter videre.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CONCHEN DECIMARVM DE BELMONTE.

*Veneris 20. Nouembris 1620.*

### ARGVMENTVM.

Decima debent persolui ex omnibus fructibus, iura ex quibus dicantur esse in forma probanti.

### *SVMMARIVM.*

1 *Præscriptio exigẽdi decimas super certis fructibus non est extendenda ad alios diuersæ speciei.*

2 *Capitulum quando habet fundatam intentionem, & ius in decimis coæquale cum Rectoribus debet participare de decimis omnium specierum.*

3 *Episcopus potest legitimè assignare Capitulo pro dote partem decimarum prædialium ante diuisionem Parochiarum cum beneplacito Apostolico.*

4 *Citandus non est in extractione scripturarum is, ad cuius instantiam fit extractio.*

5 *Allegans nullitatem processus ad eius instantia facti non est audiendus.*

6 *Iura canonizata in alijs causis in Rota, non debent amplius in dubium reuocari.*

7 *Maximè quia possunt dicta iura de processibus aliarum causarum in vim Innocentianæ extrahi, & produci.*

8 *Ius decimarum mutatione fructuum tolli non potest.*

9 *Rectores habent fundatam intentionem super omnibus decimis prædiorum existentiũ intra limites suæ parochiæ.*

10 *Præscriptio est ad mensuram possessionis, quia tantum præscriptum, quantum possessum.*

11 *Ius decimarum concessum ab Episcopo cum beneplacito Papæ sustinetur etiam contra Rectores.*

12 *Et istud ius extenditur ad decimas subrogatas in locum aliarum.*

## DECISIO CCLXXXIX.

Postquam die 28. Iunij 1616. fuit coram R.P.D. Verospio resolutum Capitulum Concheñ non debere participare de decimis olei, & croci in locis, de quibus agitur, ea præcipuè ratione, quia non apparebat dicta loca sita esse in Diœcesi Conchen. postea ex iuribus nouiter deductis, & productis fuit coram me sub die 3. Iulij 1619. decisum hodie probari eadem loca sita esse in finibus dictæ Diœcesis. Vnde præsupposita pro nunc vltima decisione proposui supradictum dubium corã R.P.D. meo Verospio resolutum, quo proposito, Domini inhærendo multis decisionibus in fauorem Capituli factis contra Rectores, aliosq; Ecclesiasticos curam animarum in dicta Diœcesi exercentes, vnanimiter responderunt, Capitulum habere intentionem fundatam super omnibus speciebus decimarum in locis controuersis tamquam sitis in d. Diœcesi.

Non enim Capitulum nititur præscri-
1 scriptione contra Rectores † quo casu eius possessio percipiendi certos fructus, non esset extendenda ad alios diuersæ speciei in præ-

simè per *Ioseph. de Sesse decis. 50. num. 4. & seqq.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

BONONIEN. AFFRANCATIONIS.

*Veneris 20. Nouembr. 1020.*

ARGVMENTVM.

Venditionis contractus, vt arguatur fuisse fictum, seu simulatum, & habere maculam prauitatis vsurariæ tria simul concurrere debent, & primo reconductio illico facta, ita vt venditor in possessione remanserit, secundo redimendi facultas, & tertio vilitas pretij, circa quod vltimum requisitum plura deducuntur ad probandum, quando in venditione adfuit modicitas pretij, nec ne, & quid nam in his terminis perpendi, ac considerari debeat, simulatio de persona ad personam, quando vtraque persona potest contrahere à iure expresè est permissa.

SVMMARIVM.

1 *Instrumentum publicum facit probationem probatam.*

2 *Contractus si sit approbatus per transactionem perindè est, ac si per rem iudicatam esset confirmatus.*

3 *Ad contractum annullandum, requiruntur probationes concludentes.*

4 *In venditione vt arguatur ad fuisse prauitatem vsurariam, necesse sunt perfecta probationes.*

5 *Contractus venditionis, vt arguatur esse pignoratitius, tria copulatiuè requiruntur.*

6 *Venditio præsumitur simulata, quando statim facta emptor non permanserit in venditione.*

*Et hoc est maximum argumentum simulata venditionis.*

*Alienare nemo præsumitur id, quod possidere non desinit.*

7 *Venditio præsumitur simulata, ex pacto de retrouendendo, quæ coniectura tamen non sufficit, nisi alia concurrant.*

8 *Pretij vilitas in venditione arguit simulationem in ea,*

9 *Contrahentibus licitum est inuicem sese decipere; dummodo tamen ea, quæ à iure constituta sunt non excedantur.*

10 *In venditione modica pretij vilitas, quid arguat.*

11 *Vilitas pretij in venditione, ex quo probari possit.*

12 *Læsio vltra dimidiam est valens ad rescindendum contractum venditionis.*

13 *Venditio vt ex modicitate pretij euanescat requiritur, vt sit vltra dimidiam insti pretij.*

14 *In venditione, vt constituatur verum pretium, plura sunt consideranda.*

15 *Pacti de retrouendendo valorem Rota extendit ad sextam partem.*

16 *In venditione, si non sit præstita cautio de euictione, id minuit valorem rei, & maximè quando venditio fit à muliere.*

17 *Mulieres facilè restituuntur in integrum.*

18 *Contractus vt rescindantur, non sufficit probatio per possibile, sed per necesse.*

19 *Periti per inspectionem rei de præsenti non possunt arguere qualitatem eius de tempore præterito.*

20 *Ad peritorum electionem deuenitur in subsidium, & quando aliæ probationes haberi non possunt.*

21 *Periti, licet ex statu præsenti, possint etiam arguere in præteritum, tamen facilè possunt decipi.*

22 *Terræ, quando sunt paludosæ & inculta, id minuunt earum valorem.*

23 *Peritus si asserat se habere cognitionem rei, cuius valorem æstimat, à multis annis citra, id potest intelligi de quatuor, vel sex annis.*

24 *Periti æstimatio, si fundata sit super aliorum relatione, quid id indicet.*

25 *Rem non fuisse magni valoris argui potest, si ea posita subhasta modica oblatio fuerit reperta.*

26 *Ex quantitate pretij arguitur quid veniat in venditione.*

*Ex quantitate affictus perpenditur quid veniat in locatione.*

27 *Emptor fatuus esset, si rem magni valoris, & magno pretio ab eo emptam, postea modica pensione illam locasset.*

*Iactare suum nemo in dubio præsumitur. n. 27*

28 *Simulatio de persona ad personam, quando vtraque persona potest contrahere, à iure expresè permittitur.*

29 *Administrator vniuersalis bonorum, & hæreditatis, an possit emere ea bona, & num. 30.*

31 *Simulatio tollitur ex transactione, & maximè*

*mè si prætendatur solum super nomine.*
32. *Simulationis contractus non potest opponi sine causa simulandi.*

## DECISIO CCLXXXIII.

Dubitaui vtrum contractus venditionis factæ per D. Emilium D. Capitaneo Paulo Zambeccario sustineretur quo dubio proposito Domini affirmatiuè responderunt ea moti ratione, quia de illo contractu constat per instrumentum publi-
1 cum, † quod facit probationem probatam *l. fin. vbi gloss. in verb. manifestum C. de reb. cred.* & fuit millies decisum, tanto magis,
2 quia † fuit approbatus per transactionem inter partes initam quæ eumdem effectum sortitur, ac si esset per rem iudicatam confirmatus, *l. non minorem, C. de transact. Mantic. de contract. lib. 26. tit. 7. num. 1. & seqq. & num. 21.*
3 Ex quo sequitur quod † ad annullandum huiusmodi contractum requirantur probationes concludentes præcipuè cum filiæ & hæredes dictæ Emiliæ prætendant dictam venditionem crimine vsurariæ pra-
4 uitatis redarguere, & ex illo capite rescindere quasi medietas possessionis fuerit in pignus simulata venditione tradita & sic in effectu mutuum palliatum.

Ad quod probandum tria dicunt simul in hoc contractu concurrere quæ sufficiunt
5 vt censeatur pignoratitius, & primo, recōductio illicò facta ita vt venditor in possessione remanserit, quod est maximum ar-
6 gumentum simulatæ venditionis, † quia nemo velle alienare præsumitur, qui possidere non desinit, *l. sicut §. superuacuum ff. quibus mod. pig. vel hipoth. l. cum manu sola §. fin. ff. de contrah. empt.* Secundo redimendi
7 facultas quæ licet sola non sufficiat, *l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit. l. 2. ff. de diem add.* iuncta tamen cum alijs præsumptionibus multum facit præcipuè cum adest
8 vilitas pretij, nam † quamuis in emptione & venditione contrahentibus liceat inui-
9 cem se se circonuenire non tamen ea facultas modum à lege definitum excedere
10 debet nam immodica pretij vilitas verisimiliter indicat contrahenses non tam de vendendo quam de pecunia credenda, & prædio in causam securitatis obligando cogitasse.

Et quoad vilitatem pretij in quo consistit fundamentum annullandi contractus, quia ea deficiente reliquæ præsumptiones tolluntur. Informantes pro dictis filijs præ-
11 tendunt † eam satis sufficienter probatum ex relatione tertij Periti, concorditer à partibus electi, qui æstimauit valorem domus & possessionis venditæ ad libras 26285. cuius medietas est librarum 13392. & in hac relatione electo pro parte dictorum fi-
12 liorum concordat. Nam stante dicto valore etiam deducta sexta parte, pro pacto affrancandi remaneret læsio vltra dimidiam.

Verum DD. existimarunt vilitatē hanc pretij non satis adhunc effectum probatam esse ex relatione dicti tertij Periti, & supradictum computum factum per informantes pro dictis filijs non subsistere, re-
13 quiritur enim probatio modicitatis vsque ad dimidiam iusti pretij. *Iason. cons. 151. & cons. 153. num. 13. Corn. cons. 347. lib. primo Cephal.* qui dicit omnes ita tenerè, *cons. 189. num. 5. Honded.* qui de communi, *cons. 33. num. 62. lib. 2.* cum alleg. in vna *Bononien. de Ballis 8. Iuny 1607. coram Reuerendiss. D. meo Lugdunen. & postea in vna Romana fideicommissi 13. Marty 1617. coram bo. me. Andrea.*
14 Et † pro constituenda hac dimidia habenda est ratio pacti de retrouendendo & diminutionis quæ propter illud facienda, est vt ex pluribus firmatur in dicta decisione *Bononien. de Ballis*, vbi in specie reprobatur, *Gabr. cons. 74. lib. 1.* quem valorem
15 pacti † de retrouendendo Rota etiam extendit vltra sextam partem, vt *decis. 446. num. 5. par. 1. in recent. Surd. cons. 226. nu. 21. Honded. dicto cons. 33. num. 62 & seqq. lib. 2. & Roland. cons. 96.* ad rationem 30. pro quolibet centenario, *num. 39. & seq. lib. 2. Maluas. cons. 106. nu. 11. & seqq. vol. 1. Ioseph. Ludouic. decis. Perus. 97. cum allegatis.*
16 Considerandum etiam † in æstimatione pretij non fuisse præstitam cautionem de euictione & contractum factum à muliere,
17 quæ † de facili restitui poterat, *Bart. in l. 1. §. si hæres num. 2. ff. ad Trebell. Pinel. in l. 2. cap. 4. num. 18. & seqq. C. de rescind. vendit.* cum allegatis in dicta *Romana fideicommissi coram bo. me. Andrea.*

His stantibus visum fuit non probari vilitatem pretij duabus præcipuè rationi-
18 bus, & primo quia † ad effectum rescindendi contractus requiritur concludens probatio & non per possibile. Nec admittitur probatio per æstimationē Peritorum
19 quia † æstimatores ex inspectionē rei non possunt iudicare qualitatem eius de tempore

pore præterito, & quatenus etiam appareret, quod possent habere notitiam rei: de tempore præsenti debent examinari tanquam testes, non autem inducenda eorum probatio, & iudicium tanquam Peritorum
20 maxime † cum ad istam deputationem non soleat deueniri nisi in subsidium, & quando non possunt haberi aliæ probationes iuxta *decisionem Verall. 65. incipit ad electionem lib. 1. in manuscript. allegatam in Romana rescissionis contractus 26. Martij 1593. coram bon. mem. Penia.*
21 Licet enim † Periti forsan ex præsenti possint etiam arguere in preteritum ex cõmuni valore rerum etiam de tempore præterito, tamen possunt decipi in qualitate rei cum possit esse, quod fortasse de tempore prædicto terræ essent paludosæ, in-
22 cultæ & similes quæ minuunt valorem, vt post *Alex. Cagnol. & alios firmatur in d. decis. coram Penia.*

Imo nec ex relatione exhibita in actis constat, quod tertius Peritus habuerit notitiam huius prædij de anno 1593. sed so-
23 lum † dicit quod habet longam cognitionem à multis annis retro quod potest intelligi de quatuor, vel sex annis non autem concludit de viginti, prout esset necesse, vt percutiat tempus contractus, & ex eadem relatione colligitur dictum Peritum de illo tempore non habuisse cognitionẽ, quia dum exprimit tempus contractus dixit se cæpisse informationem ab alijs ibi habitantibus. Vnde sequitur istam relationem, seu æstimationem esse fundatam
24 super dicto aliorum † daturque magnus fumus istas terras æstimatas non esse tanti valoris relatis à Peritis, quia dum fue-
25 runt positæ subhasta non fuit reperta alia oblatio quam scut. centum pro tornatura.

Secundo excluserunt Domini probationem vilitatis pretij prætensam, quia ex instrumento venditionis apparet medietatẽ solum possessionis tornaturarum 80. vel circiter, vna cum medietate domus fuisse venditam pro pretio librarum 4800. Et tamen Periti, retulerunt adesse tornatutas 172. in dicta possessione ex quo sequitur non comprehendi in dicta venditione tornaturas 40. vel circiter, nec posse hodie extendi ad maiorem numerum tornaturarum sub prætextu, quod claudantur incertis designatis finibus, nihilque mirum est si pretium auxerit tertius Peritus vsque
26 ad libras dictas 26285. † cum ex quantitate pretij arguatur, quid veniat in venditione prout etiam ex quantitate affictus, quid veniat in locatione vulgatis iuribus alias vero si fuisset comprehensa in venditione medietas tornaturarum 172. cuius
27 medietatis valor erat, vt referunt Periti 13382. fatuus fuisset emptor eas postea locare pro tam modica pensione, quæ vix ascenderet ad rationem duorum pro centenario, quia † nemo in dubio præsumitur iactare suum.

Nec obstat dictum Paulum Zambeccarium nomen suum accommodasse simulate D. Comiti Maluasiæ, nam simulatio de
28 persona ad personam, quando vtraque persona potest contrahere à iure expressè permittitur, *l. si filij his C. de donat. inter vir. vxor. l. 4. & ibi. Bald. C. plus val. quod agatur.*

Prout non obstat, quod dicitur non
29 potuisse dictum Comitem, qui erat administrator vniuersalis bonorum, & hæreditatis emere à dicta Emilia, *l. si in emptione §. fin. ff. de contrah. empt.* cum cumulatis fusissimè per *Menoch. cons. 459. per totum.* quia tollitur obiectio ex facto cum Co.
30 Maluasia nunquam fuerit administrator, sed fideiussor pro Rugerio administratore, & vti talis conuentus in Rota & condemnatus ad soluendum pro dicto Rugerio, vt apparet ex multis decisionibus in hac causa factis tam coram bon. mem. Pe-
31 nia, quam coram me. Vltraquod † transactio subsequens tollit omnem simulationem nominis præcipuè cũ nulla esset causa simulandi sine qua non potest opponi
32 simulatio contractus, vt ex multis decidit Rota *in vna Bononien. de Monterentijs tam coram bon. mem. Penia, quam coram me 2. Decembris 1613.*

Reliquis alijs coniecturis ad inducendam simulationem dicti contractus, satis respondent informantes facilè enim tollũtur quando non est satis sufficienter probata prout in hoc casu vilitas pretij.

Et ita decisum vtraque parte informante.



RO-

ROMANA DOMVS.

*Veneris 5. Iunij 1620.*

ARGVMENTVM.

Falsa causa quando non dicatur probata ob reuolutionem actorum ad effectum annullandi decretum Iudicis, & sic resoluendi retrouenditionem factam à muliere.

SVMMARIVM.

1 *Contractus mulieris sustinetur seruatis solemnitatibus qua à statuto Vrbis cap. 151. lib. 1. desiderantur.*

2 *Decretum Iudicis interpositum ex falsa causa est nullum.*

3 *Negatiua ad hoc, vt probetur per diligentias necesse est, quod probetur extra prothocolla, in quibus est facta diligentia non conseruari instrumenta Notariorum.*

4 *Instrumentum, quo quis vsus fuit, non potest amplius impugnare.*

DECISIO CCLXXXIV.

Domini dixerunt retrouenditionem sustineri, quia de ea constat ex publico instrumento seruatis solemnitatibus
1 quæ à statuto Vrbis cap. 151. lib. 1. desiderantur.

Non obstat Victoriam in d. Instrumento retrouenditionis narrasse Iudici se ad faciendam retrouenditionem deuenisse ex eo, quod ipsa prorogasset antea tempus redimendi domum emptam à Castellis, de
2 qua tamen prorogatione dum non constat remanet decretum Iudicis interpositum ex falsa causa, & per consequens retrouenditio nulla, *l. etsi præses, C. de præd. & alys reb. min. Curt. iun. cons. 170. num. 2. vers. ergo succedit, Rot. diuers. decis. 529. nu. 1. & seq. par. 1.* fuit dictum *in Romana societatis officij Luna 17. Iunij 1602. coram Penia apud Moder ad dictum statutum Vrbis decis. 34.*

Nam placuit responsio, quod falsitas causæ non possit dici probata ex diligentia facta in actis Notarij, qui in Instrumento retrouenditionis enunciatur rogatus de
3 dicta prorogatione, licet enim negatiua probetur per diligentias, *Veral. decis. 192. p. par. Rot. diuers. decis. 64. sub num. 1. vers. hoc stante par. 1.* Tamen ad hoc, vt ex reuolutione chartarum probetur negatiua necessarium est, quod probetur extra illas filsas, & prothocolla, in quibus est facta diligentia non conseruari instrumenta Notariorum maximè quia, & potuit Notarius omittere, vel per obliuionem, vel per segnitiem omittere descriptionem in prothocollis, vt dicit *Corn. cons. 210. nu. 4. lib. 4. Crauet. cons. 112. num. 7.* Et quia diligentiæ fuerunt factæ de tribus annis tantum, sed & fuit exhibitum instrumentum concessionis prorogationis ex quo prætensa falsitas causæ penitus excluditur, & licet contra dictum instrumentum plures
4 defectus opponerentur, tamen cum & ipsa Victoria ad cuius fauorē nullitas est introducta, dicta prorogatione sit vsa coram Iudice, & Curatore in instrumento retrouenditionis, & de falsitate causæ non potest dici constare ex prædicta diligentia, Domini censuerunt retrouenditionem sustineri cum concurrant omnes solemnitates statuti.

Et ita decisum.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI.

*Luna 14. Decembris 1620.*

ARGVMENTVM.

Voluntas Testatoris quando fuerit non comprehendendi bona filiorum in fideicommisso per ipsum ordinato.

SVMMARIVM.

1 *Testator potest fideicommisso particulari subijcere bona hæredis.*

2 *Hæres hæredis, qui hæreditatem sine beneficio legis, & inuentarij adiuit tenetur restituere prædium subiectum fideicommisso particulari.*

3 *in Fideicommisso vniuersali veniunt tantummodo bona Testatoris, non autem ea, quæ subiacent restitutioni.*

4 *Ratificatio diuisionis bonorum facta à patre semper referenda videtur ad fideicommissum paternum non autem ad bona propria filiorum.*

5 *Dispositio, quæ non potest referri nisi ad vnum tantum, illud continet.*

6 *Taciti, & expressi eadem est vis.*

7 *Testatorem voluisse de re hæredis disponere ad hoc, vt dicatur requiritur plena, & concludens probatio.*

8 *Negatiua, in qua quis se fundat, est concludenter probanda.*

9 *Ex præsenti non præsumitur in perpetuum vbi non adest causa ita præsumendi.*

10 *Reo, & possessori sufficit per possibile elidere intentionem actoris.*
11 *Referens restringitur ad terminos relati.*

DECISIO CCLXXXV.

DOMINI steterunt in decisis coram me sub die 8. Iunij 1618. ex rationibus deductis in dicta decisione, & præcipuè ex primo fundamento.

Non enim reuocarunt in dubium propositioné firmatam ab informantibus pro
1 Monasterio S. Georgii Franciscum Testatorem potuisse fideicommisso particulari subiicere rem, & bona Io: Baptistæ, & Iulii filiorum, & hæredum Scriptorum, §. *post autem, instit. de sing. reb. per fideic.* Ita vt Io:
2 Baptista Aguccius † hæres hæredis, qui hæreditatem sine beneficio legis, & inuentarij adiuit teneatur præstare, & restituere substituto prædium istud, quod dicitur subiectum fideicommisso particulari, *l. fin. C. de iure delib.* cum fusissimè deductis in illa *Viterbien. Castrorum coram Reuerendiss. D. meo Damasceno.*

Prout non dubitabant prædium de quo agitur non fuisse in bonis Francisci Testatoris, sed ipsum fuisse grauatum illud restituere filijs, & descendentibus; quia ipsi de anno 1514. fuerat donatum à Hieronymo, & Iacobo cum onere illud restituendi dictis filijs, & descendentibus inter quos comprehenditur Io. Baptista Aguccius eiusque filij, & filiæ, quæ dicuntur extare ex rationibus deductis in dicta decisione quæ rursus examinatæ placuerunt.

Sed existimarunt Domini deficere voluntatem, nec satis iustificari intentionem Francisci Testatoris ad inducendum hoc particulare fideicommissum in re hæ-
3 redis stante regula iuris, † quod in generali fideicõmisso facto à Testatore veniant tantummodo bona ipsius non autem ea quæ subiacent restitutioni, *Peregr. de fideic. art. 6. num. 13. Mantic. de coniect. lib. 2. tit. 2. num. 1.* cum allegat. in d. decis. quod procedit nisi contrarium in testamento legatur. Ex quo fundamento patet non constare de voluntate patris vinculandi bona quæ ad filios spectabant ex donatione Hieronymi, & Iacobi de Pasijs, neque etiã
4 obstare ratificationem factam per Io. Baptistam, & Iulium filios dicti Francisci in diuisione, quia illa semper referenda videtur ad fideicommissum paternum iuxta eius voluntatem non autem ad talia propria bona, quæ filijs alio iure, quam hæreditario erant quæsita.

Neque obstat præcipuum, & maximum fundamẽtum Monasterij ex eo deductum, quod testator facta substitutione in fauorem Fratrum Sancti Georgij prohibuerit in dicto testamento hæredibus alienationem terrenorum rutalium existentium in guardia, & Comitatu Bononiæ, in quo cum nulla bona d. testator haberet præter prædiũ controuersum prætenditur pernecesse sequi voluntatem d. Testatoris claram, &
5 specificam vinculandi dictum prædium, quia ad alia bona referri non possit huiusmodi dispositio, *Honded. cons. 63. num. 91. lib. 1.* cum ibi cumulatis, & per informan-
6 tes fusius allegatis, quia eadem est vis taciti, ac expressi.

Placuit enim Dominis responsio data
7 in dicta decisione requiri plenam, & concludentem probationem ad hoc, vt à præsumptione iuris supra firmata recedatur, & dicatur Testatorem voluisse de re hæredis disponere, nec sufficit præsumptiua
8 probatio qualis est hæc negatiua, † in qua cum consistat totum fundamentum intentionis Monasterii actoris debet ad vindicanda à reo, & possessore bona concludentius iustificari, *l. ei incumbit, ff. de probat. l. actor. C. eodem Seraph. decis. 1307. num. 4.* cum alleg.

Quod autem hæc negatiua non sit verificata patet ex eo, quod licet Testator non haberet bona tempore testamenti in d. Comitatu, & Guardia non inde sequitur ipsum non potuisse habere tempore mortis. Deinde nec ex diuisione facta in codicillo emanato de anno 1581. potest inferri ad testamentum, quod emanauit iam antea de anno 1564. & ideo cum inter has dispositiones intercessetint anni 17. hoc temporis spatio potuit Testator vendere ruralia, quæ fortasse habebat tempore testa-
9 menti, nam ex præsenti non præsumitur in perpetuum vbi non adest causa ita præsumendi dum præcipuè debet adesse proba-
10 tio concludens sufficitque reo, & possessori per possibile elidere intentionem agentis.

Nec facit, quod in codicillis innouauerit institutiones, substitutiones, fideicommissa, & probationes alienandi, quæ cum verba sint relatiua ad testamentum si fideicommissum specificum rei alienæ in eo non continebatur non potest dici de nouo indu-

11 inductum in codicillis, quia referens restringitur ad terminos relati iuxta notata in *auth. si quis in aliquo C. de edend.*

Vnde cum Dominis primū fundamentum decisionis placuerit defectus, scilicet voluntatis Testatoris visum fuit non opus esse pro nunc ingredi vltimam partem decisionis maximè cum aliis obiectionibus satisfaciat decisio in hac causa facta cum qua Domini transierunt.

Et ita decisum &c.

## ARETINA PLEBANIÆ.

*Veneris 15. Maij 1620.*

## ARGVMENTVM.

Immissio subrogato gratiosè, ex quibus concedenda.

## SVMMARIVM.

1 *Immissio concedenda est subrogato, qui probauit tria requisita necessaria.*

2 *Subrogatio extracta ex gratia subreptitia eidem vitio subiacet.*

3 *de Subreptione non potest dari in iudicio immissionis vigore gratiosæ subrogationis, sed in petitorio.*

4 *Exceptio dominij in continenti probati admittitur in remedio subrogationis.*

5 *Appellatio remanet deserta si intra annum post causæ commissionem non fuerit intimata, & reproducta citatio.*

6 *Executio litterarum gratiosæ subrogationis non impeditur per sententiam, de cuius iustitia Rota non gustauit.*

7 *Causa nullitatis durat per triginta annos.*

8 *Nullitatis causa pendente non denegatur possessio prouiso Apostolico.*

9 *Citatus legitimè non dicitur si citatio fuit executa in domo paterna dimissa copia.*

10 *in Iudicio adipiscendæ admittuntur exceptiones dominij per quascumque legitimas probationes siue per testes, siue per scripturas, secus in iudicio recuperandæ, vel retinendæ.*

11 *ad Immissionis exclusionem sufficit obscurare reseruationem.*

12 *Iurispatronatus sufficiens fumus ad offuscandam reseruationem, ex quibus constare dicatur.*

13 *Iurispatronatus probatio, quæ constituat statum seruitutis Ecclesiæ.*

14 *Ecclesiæ status non mutatur per prouisiones Apostolicas.*

15 *Iurispatronatus beneficia non subiacent concursui.*

## DECISIO CCLXXXVI.

1 EXistimarunt Domini Dominico prouiso Apostolico vigore gratiosæ subrogationis concedendam esse immissionem, qui plenè, & concludenter probauit tria requisita necessaria prout fusius deducitur in decisione in hac causa facta sub die 27. Martj præteriti, à qua quoad hoc caput non esse recedendum iudicarunt. Non obstantibus his, quæ magna serie pro parte prætensorum patronorum præsentatique ab illis deducuntur quæ ad tria capita præcipuè deducuntur.

Opponitur primo litteras gratiosæ subrogationis fuisse desumptas ex visceribus primæ gratiæ, vt ex earum data colligitur, quam fuisse nullam, & subreptitiam per confessionem ipsiusmet Dominici expressam in litteris perinde valere obtentis dubitari non potest. Vnde infertur dictam 2 subrogationem extractam ex gratia subreptitia eidem vitio subiacere, *Rebuf. in prax. tit. de subrog. num. 18. & seq.* fuit dictum in vna *Giennen. prastimonij 15. Febr. 1593. coram Card. Blanchetto.*

Huic obiectioni responsum fuit cum litteræ gratiosæ subrogationis fuerint expeditæ ad partes omnia superius deducta posse inseruire in iudicio petitorio vbi agetur de canonizatione gratiæ non autem in hoc iudicio immissionis vigore gratiosæ subrogationis, vt fuit in terminis decisum in vna *Lucana Mainsculatus 13. Octob. 1586 coram Orano*; vbi quod taliter subrogato 3 detur immissio absque alia iuris discussione ex quo inde nulli fit præiudicium irreparabile, quia in petitorio detecta nullitate tituli possidentis facilis est à possessione eius amorio.

Opponitur secundo quatenus præcipuū decisionis fundamentum subsisteret de quo infra non posse concedi immissionem cum constet canonizatum fuisse iuspatronatus per sententiam Ordinarij, quæ sententia transiuit in rem iudicatam, vnde intrat 4 conclusio totius à Rota † firmata in huiusmodi remedio subrogationis admitti exceptionem dominij incontinenti probati.

Quod autem huiusmodi sententia transitum fecerit in rem iudicatam dicebatur dubitari non posse, tum quia ab ea d.Do-

minicus nunquam appellanit. Et licet prætendat adhærere in terminis, in quibus causa reperiebatur appellationi per Procuratorem Fiscalem interiectæ non potest impedire rem iudicatam, licet enim Procurator Fiscalis appellauerit commissaque causa R.P.D. meo Vbaldo, & obtenta citatio cum inhibitione per Procuratorem de cuius mandato non constat, quam fuisse intimatam in partibus nullibi docetur minusque reproductam intra annum appellatio remanet deserta, *Fastol. dub. 37. num. 1. Gassad. decis. 6. nu. 8. vers. quod procedit de appellat. Vestr. in prax. lib. 7. cap. vltimo num. 9. Ach. decis. 11. de appellat. Rot. inter recent. decis. 156. num. 1. per totum par. 2.*

Placuit tamen Dominis responsio data per informantes, quod hæc res iudicata nondum fuerit per Rotam canonizata, nec fuisse examinata iura super quibus iustitia dictæ sententiæ prætenditur si enim per hanc sententiam impediretur executio litterarum gratiosæ subrogationis indirectè
6 contra laudatissimum Tribunalis stylum daretur executio sententijs iudicum de partibus non degustata earum iustitia, & non posset opponi de libertate beneficij, *Rota diuers. decis. 438. num 4. par. 1.* vltra
7 quod etiam remanet commissa causa nullitatis, quæ durat per triginta annos, qua
8 pendente indecisa in Rota prouiso Apostolico deneganda non est possessio, qui pro parte sua omnia requisita ad eam obtinendam adimpleuit. Vltra quod non constat in iudicio facto coram Ordinario dictum Dominicum fuisse legitimè cita-
9 tum, sed in domo paterna dimissa copia, vt fusius per informantes pro d. prouiso Apostolico.

Opponebatur tertio contra præcipuum
10 decisionis fundamentum † non posse applicari doctrinam *Bart. in l. fin. numer. 21. C. de edict. Diu. Adr. toll.* quia non sumus in iudicio recuperandæ, aut retinendæ possessionis, sed adipiscendæ, in quo admittuntur exceptiones dominij per quascunque legitimas probationes siue per testes, vel scripturas, *Menoch. lib. 1. recup. quæst. 17. num. 229. & quæst. 18. num. 226.* cum alleg. in vna *Legionen. Prioratus* 12. *Nouemb.* 1584
11 *coram fel. recor. Clem. VIII.* sufficitque obscurare reseruationem ad exclusionem immissionis, *Rota in recent. decis. 13. num. 2. par. 1.*
12 Quod verò daretur sufficiens fumus iurispatronatus ad offuscandam reseruationem dicebatur constare ex tot continuatis reseruationibus effectum sortitis enunciatiuis antiquis Testibus de publica voce, & fama insignibus armorum familiæ Domi-
13 norum de Cerretanis, quæ omnia saltem simul iuncta constituunt statum seruitutis Ecclesiæ, qui per prouisiones Apostolicas non immutatur, vt ex multis firmauit Rota *in vna Lucana iurispatronatus 26. Iunij 1619. & 23. Martij proximè præteriti coram me.*

Fuit etiam à quibusdam ex Dominis excitata alia difficultas, quia inter prouisio-
14 nes Apostolicas quæ regulariter non immutant statum adest prouisio facta per concursum de dicta Ecclesia per quem videtur inturbidari iuspatronatus, & constitui statum considerabilem super quo Ordinarij sententia potuit esse fundata cum ex dispositione S. Concilij Tridentini benefi-
15 cia iurispatronatus non subiaceant concursui.

Et ita decisum vtraque parte informante.

BONONIEN. MOLENDINI.

*Lunæ 11. Ianuarij 1621.*

ARGVMENTVM.

Rota quandoque solet subdelegare aliquem Iudicem in partibus, vt cognoscat, & summariè examinet si quid fuerit innouatum quoad faciem aluei alicuius canalis, vt restitutis in pristinum attentatis procedatur ad vlteriora.

*SVMMARIVM.*

1 *Articuli irreleuantes non sunt admittendi.*
2 *Attentasse quis non dicitur ex gestis in causa, super qua nulla pendet lis.*
3 *Articuli continentes materiam extra punctum sunt omnino reijciendi.*
4 *Attentata sunt gesta post inhibitionem Rotalem, & præceptum per Auditorem factum.*
5 *Remissoria ad probanda attentata non datur absque fumo sufficienti.*
6 *Remissoria vt denegetur sufficit fumum contrarijs probationibus elidi.*
7 *Remissoria non datur ad probanda attentata iam purgata, sed sufficit eis cedere iudicialiter, & se obligare ad refectionem damno.*

*narum, & interesse quæ ratione illorum euenerunt.*

## DECISIO CCLXXXVII.

PRætendentibus informantibus pro filio, & hærede quon: D. Francisci Paratæ fuisse nuper à D. Equite Bonfiolo commissa attentata quæ in primis, & ante omnia sunt purganda ad quæ probanda datis articulis petita fuit remissoria. Vnde proposito dubio vtrum dicta remissoria concedenda esset necne Domini firmarunt omnes atticulos pro parte dicti Paratæ datos duobus exceptis, de quibus infra nullo modo esse admittendos. Tum quia maior pars dictorum articulorum ex capite irreleuantiæ, & præsumptæ calumniæ fuit reiecta, vt patet ex decisione cotã me facta 2. Maij 1619. Tum etiam quia

1 dicti articuli nouiter dati non percutiunt materiam attentatorum, & sic tamquam irreleuantes non sunt admittendi, *l. ad probationem*, *C. de probat. Cassad. decis. 2. & 3. num. 1. de dilat. Veral. decis. 66. par. 3. cum alleg. in d. decis.*

Licet enim probatum esset factam fuisse clusam in flumine publico à dicto Equite, & excauatum fuisse nouum canale in agris ipsiusmet Equitis, itaut impeditus es-

2 set vsus viæ publicæ † non ideo sequeretur ipsum attentasse, quia super hoc nulla pendet lis, sed solummodo super iure diuertendi aquam à canali veteri ad nouum

3 eiusque aquæ dominio, & sic articuli extra punctum attentatorum materiam continentes sunt omnino reijciendi, *Rota decis. 500. par. 1. num. 10.*

Quo verò ad sextum atticulum, & septimum, in quibus ponitur, quod dictus Eques fecit excauate nouum canale pendente lite ad effectum extrahendi aquam à flumine incidendo ripas canalis veteris, Domini concorditer resoluerunt ipsum

4 non posse ab attentatis excusari, quia stante inhibitione Rotali generali, & præcepto per me facto iuxta mentem Rotæ partibus ne aliquid innouarent in canali ram veteri, quam nouo non licuit d. Equiti attingere ripas d. canalis veteris prout non poterat facere, vt reimplerentur reseruatorij existentes in canali d. Paratæ, quia super vtroque actu pendebat lis, vt fuit firmatum in decisione in hac causa facta sub die 31. Ianuarij dum canonizata fuerunt attentata dicti Paratæ.

5 Sed quia † ad probanda attentata quæ sapiunt delictum requiritur fumus sufficiens, *Rota decis. 10. de appellat. in antiq. Put. decis. 212. num. 2. lib. 1.* & millies fuit in Rota decisum. Aliqui ex Dominis dubitabant vtrum ex Testibus ad perpetuam rei memoriam à d. Parata examinatis daretur sufficiens fumus, quia etiam pro parte d. Equitis alij Testes fuerunt examinati, ex quibus probatur omnia hodie restituta in pristinum statum adestque fides Notarij qui fuit præsens dum per me facta fuit

6 visio loci vna cum experimento, ex qua probatione videtur elidi ea quæ facta fuit à dicto Parata cum vtraque sit informis, & minus legitimè facta, *Rota dec. 567. num. 3. vers. si tamen p. 3. & decis. 491. n. 5. par. 2. in recentior.* Nec attendi debet tempus præteritum, sed præsens, de quo deponunt Testes d. Equitis.

In hoc tamen omnes Domini conuenerunt ad euitandos circuitus non opus esse expeditione remissoriæ quatenus si quæ facta sunt attentata ea nunc fuerint iam purgata tam quo ad intercisam ripam antiqui canalis, quam ratione reimpletionis reseratoriorum. Vnde Domini iudicarunt dictum Equitem debere pro maiori, & sufficienti purgatione attentatorum iudicialiter cedere dictis duobus actis per ipsum factis, & quia potuit aliquod damnum eueniffe dicto Paratæ. Ideo etiam visum fuit Equitem debere se obligare in actis ad refectionem damnorum, & interesse quatenus dictus Parata ea legitimè probauerit, & liquidauerit.

Statuerunt etiam Domini dandam esse subdelegationem alicui Iudici in ciuitate Bononien degenti, qui vna cum Notario, & peritis siue alijs qui fuerunt per me in visione loci, & experimento facto electi vocati, vel fuerunt præsentes accedat ad dictum locum examinetq; summariè vtrum hodie quo ad ripas vtriusque canalis, & dictus reseratorios fuerit aliquid innouatum, & res sit in eodem statu, in quo existebat de tempore accessus, & præcepti per me in facie loci facti.

Quibus factis Domini mandarunt procedi in causa ad vlteriora nulla habita ratione attentatorum allegatorum in statu, & terminis, in quibus causa hodie reperitur.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

ROMA-

ROMANA PECVNIARIA.

*Veneris 27. Nouembris 1620.*

## ARGVMENTVM.

Assignans loco alimentorum censum, si postea idem alimenta præstet non indè sequitur, quod teneatur restituere fructus census per ipsum percepti, & quem loco alimentorum assignauerat.

## SVMMARIVM.

1 *Affinitas probatur ex nominatione, tractatu, & alijs.*

2 *Soluens vnum pro alio censetur soluisse animo compensandi cum vero debito.*

3 *Probatio nulla est maior propria oris confessione.*

4 *Factum maiorem deliberationem ostendit, quam verba.*

5 *Geminatio demonstrat deliberationem.*

6 *Compensatio non intrat in eo, quod non est perpetuo permansurum penes creditorem.*

7 *Rector Ecclesiæ legatum factum Ecclesiæ non recipit a testatore, sed ab Ecclesia.*

8 *Datum pro substentatione censetur datum pro alimentis.*

9 *Datum ob liberalitatem excludit compensationem.*

10 *Limita si liberalitas esset correspectiua ad obligationem præcedentem.*

11 *Confessio hæredis non nocet legatario maximè cum hæres adiuit hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij.*

## DECISIO CCLXXXVIII.

DOMINI steterunt in decisis sub die 14. Iunij 1619. ex fundamentis decisionis quæ de nouo perpensa, & diligenter examinata placuerunt Dominis non obstantibus deductis in hac propositione pro D. Equite Bartholomæo.

Licet enim Bonifacius teneretur præstare alimenta Bartholomæo, prout prætenditur ex eo, quod agnouerit illum in
1 nepotem, † quæ agnitio dicitur à d. Equite Bartholomæo probata ex tractatu nominatione legitimatione facultate testandi, & alijs ponderatis per informantes ex deductis in illa *Romana de Bonellis 13. Nouembris 1613. coram R.P.D. meo Vbaldo, & in recentior. decis. 137. num. 1. par. 1.* Et licet etiam dici posset eamdem obligationem præstandi alimenta adesse in vim testamenti, & transactionis. Tamen exinde non sequitur, quod dum Bonifacius ei præstitit alimenta teneatur etiam ad restitutionem censuum pro alimentis assignatorum,
2 & per Bonifacium perceptorum. Quia dum Bonifacius assignauit censum pro alimentis debitis ex deductis in alia decisione, & postea præstitit alimenta censetur illa præstitisse in compensationem fructuũ dicti census quos ipse percipiebat *argum. l. filia legator. C. de legat. l. Lucius la 1. ff. de legat. 2.* cum alijs allegatis in decisione, in qua id fuit comprobatum ex intentione vtriusq; partis nempe Bonifacij ex declaratione per ipsum facta in Testamento, & Bartholomæi qui non solum tacuit per 17. annos, sed quod plus est ipsemet exegit fructus census, & ad creditum ipsius Bonifacij posuit si enim nulla maior proba-
3 tio, quam propria oris confessio, *l. cum precum, C. de liber. caus. l. cum te, C. de transact.* Multò magis debet nocere confessio quæ oritur ex proprio facto cum ma-
4 ior deliberatio † concurrat in faciendo, quam in loquendo, & ideo maioris efficaciæ est factum quam verba, *l. paulus, ff. rem*
5 *rat. habet.* Maximè cum toties fuit reiterata exactio, & pecuniæ positæ ad creditum Bonifacij *ad l. Balista, ff. ad Trebellianum.*

6 Non obstat censum fuisse datum Religioni non autem Bartholomæo, & compensatio non intret in eo, quod non est perpetuò permansurum penes creditorem, *Dec. in auth. præterea num. 12. vers. tertio limit. C. vnde vir. & uxor. Phanuc. de lucr. dot. glos. 8. num. 66. Capr. cons. 143. num. 6. Menoch. præsumpt. 109. num. 53. lib. 4.* Quia hoc obiectum procedere potest vbi fructus census non fuissent assignati pro substentatione toto tempore vitæ Bartholomæi, sed cum fuerint dati ad hunc effectum, & alimenta non deberentur nisi ad vitam ipsius benè intrat compensatio.

Non obstat Bartholomæum non recipere fructus à Bonifacio debitore, sed à Religione, & per consequens non posse intrare compensationem exemplo legati relicti Ecclesiæ, quod Parochus non reci-
7 pit à Testatore, sed ab Ecclesia, *Dec. in d. auth. præterea nu. 13. & Ias. num. 26. Couar. in cap. officij de Testamen. num. 3. & nu. 12. Menoch. d. præsumpt. 109. num. 56.* Quia obiectum procedere posset si assignasset simpliciter censum Religioni pro Commenda, & illa deuenisset ad Bartholomæum,

mæum, vel iure antianitatis, vel aliqua alia de causa, sed hic census fuit assignatus Religioni nominatim, & expressè intuitu Bartholomæi, & vt ipse posset substinere gra-
9 dum Equestrem, quæ verba æquipollere congruitati alimentorum, ex *Gig. de pens. quæst. 51. num. 2. Surd. de alim. tit. 2. q. 2. n. 19. & 20.* fuit firmatum in alia decisione.

Non obstat dictam assignationem cen-
9 sus fuisse factam liberè, & ex mera liberalitate qui titulus excludit compēsationem *Alex. cons. 12. num. 7. & 8. lib. 2. & cons. 7. in fin. lib. 6.*

10 Nam & ✝ ille titulus habet causam expressam, scilicet pro substentatione gradus equestris, atque ita supposita etiam liberalitate, illa tamen est respectiua ad suam causam alimentorum quæ potest recipere compensationem.

Plauit & aliquibus Dominis fundamentum primæ decisionis de præsumpta satisfactione, cui non obstat quietio facta per hæredem quia illa non potest tertio præ-
11 iudicare iuribus vulgaribus, & in specie confessionem hæredis non præiudicare legatario, tradit *Butr. cons. 20. vers. item ex quo*, maximè cum hæres vt in hoc casu adiuit hæreditatem cum beneficio legis, & Inuentarij.

Quæ dicuntur de absentia ab Vrbe dicti Equitis Bartholomæi per triennium, quo tempore asserit se nulla omnino percepisse alimenta si videbitur Dominis hanc obiectionem non esse sublatam ex fundamentis duarum decisionum poterunt particulariter videre.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CONCHEN DECIMARVM DE BELMONTE.

*Veneris 20. Nouembris 1620.*

### ARGVMENTVM.

Decima debent persolui ex omnibus fructibus, iura ex quibus dicantur esse in forma probanti.

### SVMMARIVM.

1 *Præscriptio exigēdi decimas super certis fructibus non est extendenda ad alios diuersæ speciei.*

2 *Capitulum quando habet fundatam intentionem, & ius in decimis coæquale cum Rectoribus debet participare de decimis omnium specierum.*

3 *Episcopus potest legitimè assignare Capitulo pro dote partem decimarum prædialium ante diuisionem Parochiarum cum beneplacito Apostolico.*

4 *Citandus non est in extractione scripturarum is, ad cuius instantiam fit extractio.*

5 *Allegans nullitatem processus ad eius instantia facti non est audiendus.*

6 *Iura canonizata in alijs causis in Rota, non debent amplius in dubium reuocari.*

7 *Maximè quia possunt dicta iura de processibus aliarum causarum in vim Innocentianæ extrahi, & produci.*

8 *Ius decimarum mutatione fructuum tolli non potest.*

9 *Rectores habent fundatam intentionem super omnibus decimis prædiorum existentiū intra limites suæ parochiæ.*

10 *Præscriptio est ad mensuram possessionis, quia tantum præscriptum, quantum possessum.*

11 *Ius decimarum concessum ab Episcopo cum beneplacito Papæ substinetur etiam contra Rectores.*

12 *Et istud ius extenditur ad decimas subrogatas in locum aliarum.*

## DECISIO CCLXXXIX.

Postquam die 28. Iunij 1616. fuit coram R.P.D. Verospio resolutum Capitulum Concheñ non debere participare de decimis olei, & croci in locis, de quibus agitur, ea præcipuè ratione, quia non apparebat dicta loca sita esse in Diœcesi Conchen. postea ex iuribus nouiter deductis, & productis fuit coram me sub die 3. Iulij 1619. decisum hodie probari eadem loca sita esse in finibus dictæ Diœcesis. Vnde præsupposita pro nunc vltima decisione proposui supradictum dubium corā R.P.D. meo Verospio resolutum, quo proposito, Domini inhærendo multis decisionibus in fauorem Capituli factis contra Rectores, aliosq; Ecclesiasticos curam animarum in dicta Diœcesi exercentes, vnanimiter responderunt, Capitulum habere intentionem fundatam super omnibus speciebus decimarum in locis controuersis tamquam sitis in d. Diœcesi.

Non enim Capitulum nititur præscri-
1 scriptione contra Rectores ✝ quo casu eius possessio percipiendi certos fructus, non esset extendenda ad alios diuersæ speciei in præ-

in præiudicium Rectorum habentiū intentionē fundatam de iure communi, *c. cū contingat de decim. cū alleg.* sed vtitur iure reali 2 coæquali cum Rectoribus, & æquè habet intentionem fundatam de iure communi, ac ipsi Rectores in omnibus prædijs decimalibus cum illud ius decimandi habeat æquè principaliter vigore priuilegij Apostolici, & donationis Ioannis Episcopi, qui post recuperatam Ciuitatem Conchen. à Mauris vigore rescripti Lucij Tertij Summi Pōtificis ante diuisionem parochiarum assignauit Capitulo pro dote medietatem decimarum prædialium totius Diœcesis,

3 quod voluit, & potuit Episcopus legitimè facere vt multoties fuit in similibus causis viginti ab hinc annis in fauorem Capituli decisum, vt in specie *die 7. Maij, 27. Iunij & 22. Octobris 1601. coram bo. mem. Card. Pamphilio, & 5. Decembris 1612. 10. Maij 8. Nouembris 1613. 11. Maij 1615. coram R.P.D. meo Pironano*, necnon *coram bo. me. Andrea 1. Decembris 1614. quæ est dec. 604. in recen. par. 2.* In quibus decisionibus multis rationibus firmatur ius reale, & coæquale Capituli, & respondetur prætensionibus Rectorum toties decantatis, & per Rotam refutatis.

Nec obstare visum fuit, quod dicitur Breue Lucij Tertij, & donationem Episcopi non fuisse legitimè extractam ex Archiuio Capituli, sine requisitis citationibus interesse habentium. Nam vltra quod dicitur obiectionem in facto non subsistere, placuerunt DD. duæ responsiones datæ per informantes pro Capitulo quarum prima est, quod dicta iura fuerunt extracta à Iudice compulsoriali ad instantiam Capituli Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi de Belmonte, & Rectorum Abbatiæ de Tresunicas, & consortium in lite: vnde † nec ipsi,

4 quibus instantibus fiebat extractio erant citandi, † nec sunt audiendi dum nullitatem processus ad eorum instantiam facti allegare contendunt, *Dec. in auth. si quis in aliquo num. 14. Cod. de eden. Rolan. cons. 52. num. 16. & seq. lib. 1. Rota decis. 8. num. 1. de testam. in antiq. & decis. 2. de fid. instrum. in nouis.*

5

6 Secunda verò responsio ea est, † quod hæc iura toties in alijs causis in Rota per tot decisiones Rotales canonizata fuerunt & per sententias Rotales executioni demandata vt amplius in dubium reuocari non debeant, vt fuit dictum in vna *Oriolen. Iuris sedendi 22. Aprilis 1594. coram Blanc*

7 *chetto*, tum maximè quia † possent d. iura de processibus aliarum causarum in vim Innocentianæ extrahi, & produci *Caputaq. decis. 351. num. 5. par. 2. Mantic. decis. 75. in princip.*

Nec placuit Dominis distinctio allegata per informantes pro dicto Capitulo de Belmonte, & litis consortibus quasi versemur extra terminos dd. decisionum, quia deficit in hoc casu obseruantia interpretatiua, & allegatur concordia antiquissima, quæ tamen non probatur existimarunt enim Domini esse distinctionem merè verbalem & non substantialem, quia Capitulum Cōchen. ex cuius parte tamquam Actoris ius est metiendum fundat suam intentionem in iure reali, & coæquali super omnibus prædijs decimalibus sitis in Diœcesi Conchen. sibi pro dote sine vlla distinctione, aut limitatione assignatis ab Episcopo in vim rescripti Apostolici à quo fonte cum deriuet omnes suas prætensiones militat eadem ratio contra omnes Ecclesias speciales Diœcesis, & contra omnes Rectores mutatur enim nomen Rectorū, & locorum, sed rationes, & iura pro parte actorum, & reorū immutari non possunt, idem-

8 que dicendum de mutatione † fructuum, quæ non tollit ius reale, & radicatum *cap. in tua, cap. commissum de decimis*, cum allegatis in vna *Conchen. Decimarum de Xarra 2. Aprilis 1608. coram Iusto, & in simili Conchen. coram R. P. D. meo Pironano 11. Maij 1608.*

Ex quibus corruit aliud fundamentum dictæ decisionis coram R.P.D. meo Vero-

9 spio, quod Rectores habeant fundatam intentionem super omnibus decimis prædiorum existentium intra limites suæ paro-

10 chiæ. Vnde † Capitulum non potuit præscribere nisi quantum monstrauerit se legitimè possedisse, *cap. auditis, & ibi Felin. num. 19. de præscri.* quia non versamur in terminis iuris communis, sed iuris æqualiter constituti inter Capitulum, & Rectores ex prædicta donatione Ioannis Episcopi, qui authoritate Apostolica dotauit ab initio istas Ecclesias ex qua acquiritur ius

11 reale, † quod etiam contra Rectores substinetur, *cap. 1. de præscript. Put. decis. 221. num. 3. lib. 2. Verall. decis. 306. par. 3.* Vn-

12 de infertur istud † ius reale extendi ad istas decimas croci, & olei subrogatas in locum aliarum semper ab ipso Capitulo perceptarum, vt firmant supradictæ decisiones.

Ad

Ad ea quæ magna verborum serie deducuntur de defectu potestatis, & voluntatis Episcopi Ioannis donantis de prætensa distinctione parochialium ante dictam donationem de decimis minutis cum fuit satis superque responsum in tot decisionibus allegatis super eadem re mutatis nominibus factis, vt Domini superfluum iudicauerint his obiectionibus de nouo respondere.

Verum quia pro parte Capituli Collegiatæ de Belmonte, & litis consortium prætenditur eas decimas crocei, & olei etiam postquam excreuerunt in magna quantitate legitimè cum omnibus requisitis præscripsisse, idque probari per testes; Ideo Domini hoc reseruarunt particulari dubio disputandum.

Et ita decisum vtraque parte informante &c.

## BONONIEN. FIDEICOMMISSI

*Merc. 2. Februarij 1621.*

### ARGVMENTVM.

Identitas bonorum fideicommissariorum ex quibus dicatur probari.

### SVMMARIVM.

1 *Fideicommissarius ad obtinendam immissionem vigore l. fin. C. de edict. Div. Adrian. toll. tenetur probare res petitas fuisse in bonis testatoris.*

2 *Identitatis materia est difficilis probationis.*

3 *Identitas in antiquis probatur coniecturis, & præsumptionibus.*

4 *Tempus antiquum quando dicatur in materia probationum, remittitur arbitrio Iudicis.*

5 *Identitas probatur leuioribus probationibus, quando agitur contra hæredem hæredis grauati, secus quando agitur rei vendicatione contra tertium possessorem.*

6 *Bona possessa per descendentes à fideicommittente in loco, vbi ipse bona possidebat, etiam nullis designatis confinibus, præsumuntur fuisse de ratione ipsius fideicommittentis iunctis adminiculis, num. 7.*

8 *Possessio testatoris non probatur ex possessione 19. annis ante eius obitum.*

9 *Possessio retro probata præsumitur continuata in possidente.*

10 *Regula illa filius ergo hæres non militat contra filium, limita num. 11.*

12 *Possidere ex titulo iusto, & præambulo, quis præsumitur.*

12 *Identitas iustificatur ex duabus demonstrationibus, nec attenditur alia alteratio, nec nominis mutatio, & num. 15. 16. & 17. maximè si sit adminiculata ex depositionibus testium, num. 8.*

14 *Nominis demonstratio inducit probationem confinium.*

19 *Singula, quæ non prosunt iuncta iuuant.*

### DECISIO CCXC.

Postquam fuit in hac causa decisum constare de fideicommisso Antenoris, & purificatum esse ad fauorem Rodulphi de Lana, & eius nepotum prosequendo disputationem, dubitaui vtrum constaret de identitate prædij, seu possessionis Sancti Thomæ sitæ in Comitatu Villæ Fontanæ, quo dubio proposito Domini affirmatiuam sunt amplexi ex multis rationibus infra deducendis.

Pro quarum dilucidatione Domini fir-
1 marunt, primo quod † licet fideicommissarius ad obtinendam immissionem vigore *l. fin. C. de edict. diu. Adr. toll.* teneatur probare res petitas fuisse in bonis Testatoris, cum hoc sit fundamentum suæ intentionis, *vulg. l. ei incumbit, ff. de probat. l. actor. C. eod.* Nihilominus nō requirūtur exactissimæ il-
2 le probationes, quia de sui natura materia identitatis est difficilis probationis, *glos. in cap. si Papa, in verb. probata de priuil. in 6.* præcipuè quando agitur de re antiqua, quæ memoriam hominum excedit, impossibileque est reperiri testes viuos, qui de ea
3 identitate deponant † tunc enim sufficiunt coniecturæ, & præsumptiones, *Rimin. consil. 254. num. 11. Silu. cons. 57. num. 3. & n. 9.* aut ad minus sufficit semiplena probatio, *Card. in Clem. 1. in 3. oppos. de probat. Bald. in cap. cum causam col. 3. de probat. Dec. cons. 109.* cum cumulatis per *Paris. cons. 107. col. 2. lib. 1.*

Et quicquid sit de illa quæstione controuersa inter DD. vtriusque iuris vtrum
4 tempus † antiquum in materia probationū dicatur 100. annorum. Placuit conclusio Iuris approbata in illa *Bononien. fideicommissi de Rubeis 12. Februarij 1618. coram R. P. D. meo Vbaldo*, quod hoc totum sit positum in iudicantis arbitrio, *Alex. cons. 90. num. 8. lib. 6.* cum cumulatis in dicta decisione, qua conclusione stante sicut in dicta causa Bononien. de Rubeis Rota interposuit

fuit arbitrium existimans materiam esse antiquam, licet à die mortis fideicommittentis, vsque ad diem motæ litis non adessent nisi 63. anni, ita in hac facti specie in qua à die obitus Antenoris fideicommittentis vsque ad diem motæ litis interuenerunt 88. anni idem arbitrium interponendum esse censuit.

Secundo firmatum fuit non agi in hac causa rei vindicatione contra tertium pos-
5 sessorem, † quo casu exactiores requiruntur probationes, sed contra hæredem hæredis grauati, & descendentem ad quem effectum sufficiunt leuiores probationes, quinimò non defuerunt grauissimi Doctores, qui facta probatione per scripturas Te-
6 statorem in aliqua Villa possedisse agros, & prædia, si nunc reperiantur hæredes, & descendẽtes ab hæredibus possidere agros in dicta Villa, & res sit antiqua censuerint præsumi ea prædia fuisse de bonis fideicommittentis etiam nullis designatis confinibus, vt post *Bald. aliosque Peregr. de fideicomm. art. 44. num. 22.* & ipsemet consoluit in terminis *cons. 48. per tot.*

7 Et quamuis Rota hanc doctrinam Peregrini simpliciter non admiserit nihilominuscũ adsunt aliqua adminicula in re antiqua quæ coniungi possint leuiores coniecturas admisit, vt in terminis decisum fuit in illa *Vrbeuetana fideicommissi de Corbara coram Reuerendiss. D. meo Decano Veneris 2. Decembris 1619. & in eadem die 27. Nouembris proximè præteriti.*

Quod autem agatur contra hæredem, & descendentem pronepotem Antenoris fideicommittentis patet ex serie facti, ex qua etiam colligitur possessionem S. Thomæ, de qua agitur fuisse in bonis Antenoris fideicommittentis.

Et primo patet ex instrumento diuisionis factæ inter d. Antenorem, & nepotes de anno 1508. in qua in parte d. Antenoris obuenit possessio dicta S. Thomæ cuius possessionem continuasse probatur vsque ad annum 1526. paucis mensibus ante ipsius obitum ex instrumento locationis factæ per d. Antenorem, quod datur num. 3. eo verò mortuo dicta possessio prouenit ad Matthæum filium, & hæredem scriptum, & grauatum, vt patet ex lectione quæ datur num. 4. Postmodum Flaminium d. Matthæi filium dictã possessionẽ probatur possedisse de anno 1591. dicto Summ. num. 5. Et tandem eadem possessio deuenit ad Hippolytam ream vti Flaminiæ hæredem, vt ipsamet fassa est in responsionibus ad interrogatiua præparatoria.

8 Nec obstat, quod dicitur ex d. diuisione facta 19. annis ante obitum Antenoris non probari hanc possessionem fuisse in bonis Testatoris, quia potuit tanto temporis spatio eam alienare, *Decian. cons. 76. num. 9. cum seqq.* Nam placuit responsio non esse necesse vt fideicommissarius, ita exactè probet Testatorem possedisse dictã
9 possessionem de tempore mortis, quia possessio retro probata præsumitur continuata in possidente, *glos. Bald. Salicet. in l. fine possidetis, C. de probat. cum allegat. per Natt. cons. 98. num. 6. & per Peregr. de fideicomm. art. 44. num. 16.*

Quod eo magis est dicendum, quia ex deducta serie facti apparet paulò ante mortem fideicommittentis ipsum possedisse dictam possessionem cum vti suam eam locauerit, eamdemque peruenisse ad Matthæum filium grauatum Flaminium nepotem, & Flaminiã pronepotem penes quam hæc possessio reperitur.

Nec obstat non probari Matthæum fuisse hæredem Antenoris fideicommittentis,
10 Flaminiumque fuisse hæredem Matthæi cum regula illa filius ergo hæres non militet contra filium iuribus vulgatibus. Nam cum dictus Matthæus immiscuerit se bonis paternis ea locando vt sua neces-
11 sario dicendus est hæres, certumque est ex titulo defuncti præcedente, & ab eo in filios præsumi continuatam possessionem bonorum tamquam eã habuerint titulo successionis, & hæreditario maiorum suorum, vt in terminis *Bald. cons. 89. num. 3. & 4. lib. 1. per text. in l. quædam mulier, ff. de rei vindic. & in l. 2. C. de acquir. possess. Bart. in l. cum solus ad fin. ff. de vsucap.* Tritum est enim
12 axioma iuris præsumi eum qui possidet ex titulo iusto, & præambulo possidere ne inducatur occupationis delictum, *Bald. cons. 89. num. 4. Alberic. cons. 6. num. 8. Natt. cons. 235. Socc. cons. 46. in princ. lib. 3. Rim. iun. cons. 23. num. 81.*

Nec solum coniecturis generalibus visum fuit probari hanc identitatem, † sed etiam per demonstrationes speciales quæ non solum inseruire possunt pro adminiculo, sed etiam pro probatione ad hunc effectum sufficienti si est vera doctrina *Bart.* ab omnibus approbata *in l. falsa demonstratio num. 7. de condit. & demonstr.* toties à Rota canonizata, vt in *decis. coram bon. mem. Card. Mantica 297. num. 1. & in recent.*

*recent. decis.406. num.1. par.1. & dec.407.*
13 *num.2. par.2.* quod quando duæ demonstrationes ex pluribus conueniunt tunc sufficiunt pro iustificatione identitatis rei de qua agitur, vt per *Rol. cons.67. num.4. cum seqq. lib.2.* In petitione siquidem ponitur possessio dicta S. Thomæ ex diuisione anni 1508. & ex locationibus annorum 1526. 1588. & 1591. quam demonstrationem
14 magni fecit, *Aretin. cons.102. vers. secundum col.3.* vbi dicit per eam induci probationem confinium.

Vltra dictum titulum, & denominationem S. Thomæ omnes quatuor petiæ ex quibus conflatum est hoc prædium, seu possessio habent suos confines specificatos & quoad primam plures demonstrationes enunciantur in petitione, & in dicta diuisione, & locationibus, quarum duæ sunt conformes cum sint immobiles nempe via publica, & riuus dictus Lolmadello. Et licet non probetur arborata dicta possessio & in ea adesse duos casonos puteum, &
15 furnum, nihilominus cum huiusmodi qualitates quæ respiciunt culturam non sint perpetuæ non impediunt quominus per duas probationes probetur identitas secundum *Bart. in dicta l. falsa demonstratio.*

Secunda est petia terre nuncupatæ della
16 Guardina, pro cuius verificatione dantur duæ demonstrationes, nempe flumen Gaiauæ à fero, & bona Hieronymi Castellani. Vltra quod in petitione, & d. diuisione conuenit nomen della Gardina conuenit etiam nomen della Gaiana, prout confine bonorum Castellani; & quamuis istud confine hodie non extet propter mutationem vicinorum, nihilominus optimè iustificatur in Summario Rodulphi num.9. 10. & 11. quod Hieronymo Castellano successit Alexander filius, qui dictas terras vendidit cuidam Roeno cui successit Rainerius, & ipsi Matalianus, tandemque Pataracius hodie possidet hæc bona, quæ de anno 1508. possidebat dictus Hieronymus Castellanus, quod eo tanto magis est dicendum, quia omnia instrumenta quæ dantur in Summ. ad iustificandam hãc seriem ponunt pro confine modo Matthæi nunc Flaminij de Lana possessionem.

Quoad tertiam petiam terræ nullã habent difficultatem cum dentur tres confines immutabiles, nempe via publica conductus Gardæ, & Olmadellus, qui tam in petitione, quam in diuisione verificatur.

Neque obstat, quod alij confines non sint verificati, & quod sint maioris numeri tornaturarum quam descripti in diuisione, quia non propterea obscuratur identitas probata etiam si minor numerus tornaturarum petatur, & alij confines incerti propter tractum temporis vti mutati non iustificeatur.

Idemque dicendum de quarta petia terræ cum similiter tres dantur demonstrationes tam in petitione, quam in diuisione nempe via à duobus lateribus, & ab alio latere riuus Gardæ, neque releuat quod non iustificetur locus detto il Donega, ne-
17 que via dicta del Perdono, quia † nomina ista possunt variari tractu temporis, sed non tam facilè viæ publicæ.

Placuit etiam Dominis adminiculum sumptum ex depositionibus testium, quæ
18 dantur num. 5. † qui vno ore deponunt hanc possessionem S. Thomæ in specie fuisse possessam à Matthæo filio Antenoris, & Flaminio nepote, & de familia de Lana à 30. 40. & 50. ab hinc annis, optimamque rationem redduut, & verisimilia deponunt quia per locationes ab ipsis factas de eo constat ex quo sequitur cum non appareãt alij de dicta familia de Lana, & solos superstites fuisse dictos Rodulphum, & nepotes propter defectum lineæ Testatoris, vt fuit firmatum die 14. Iunij coram me in hac causa non leuem probationis gradum facere. Ex quibus omnibus simul iunctis
19 quæ forsan singula non iuuarent visum fuit in materia difficilis probationis antiqua satis probari identitatem contra Hippolytam neptem, & hæredem Matthæi primi hæredis grauati.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## MELEVITANA FIDEICOMMISSI.

*Mercurij 9. Decembris 1620.*

### ARGVMENTVM.

Sententia contra mortuum lata quando sustineatur fideicommissum tam ex verbis quàm ex coniecturis inducitur.

### SVMMARIVM.

1 *Sententia lata contra mortuum est nulla.*
2 *Limita primo si in actis non constet de eius morte.*

3 *Limita secundo quando adest in actis procurater dominus litis effectus.*

4 *Sententia in casu mortis principalis licet sit concipienda contra procuratorem, tamen de iure canonico sustinetur etiam si feratur contra Dominum.*

5 *Sententia nulla quoad mortuos sustinetur quoad viuos.*

6 *Non tamen potest executioni demandari propter indiuiduitatem materiæ.*

7 *Actus vt sustineatur omnis benigna facienda est interpretatio.*

8 *à Cons. Oldrad. 21. non receditur nisi ex urgentissimis coniecturis.*

9 *Fideicommissarius agens rei vendicatione contra tertium possessorem debet concludenter docere de fideicommisso.*

10 *de Vocatione actiua in defectum, filiorum, nepotum, & pronepotum non benè infertur ad passiuam.*

11 *de Testatoris voluntate inducendi perpetuum fideicommissum debet constare saltem per coniecturas vehementes.*

12 *cum Descendentibus aquè decessisse is dicitur qui vnicum filium reliquit, quam qui filijs, nepotibus, & pronepotibus relictis diem vltimum obijt.*

13 *Sub descendentium nomine veniunt non nati.*

14 *Dictio, in infinitum, non alterat conditionem negatiuam.*

15 *Descendentium mentio comprehendit de sui natura omnes in infinitum.*

16 *Conditio si sine filijs, nepotibus, pronepotibus in infinitum videtur apposita in fauorem descendentia hæredis scripti.*

17 *Nec inde infertur pernecesse grauamen restituendi.*

18 *Fideicommissum perpetuum an inducatur, quando fideicommissi verba sunt directa non in personas, sed in rem.*

19 *Fideicommissum reale non transit extra personas ibi expressas, & fideicommisso comprehensas.*

20 *Verba, tali casu, restringunt dispositionem ad conditionem superius expressam.*

21 *Substitutio facta morienti si sine filijs, nepotibus, pronepotibus in infinitum, tali casu admittatur substitutus, eius filij, nepotes, pronepotes in infinitum, expirat relictis filijs, cessatque omnis infinitas.*

## DECISIO CCXCI.

Domini pro confirmatione sententiæ Rotalis responderunt non obstantibus quæ contra eius validitatem, & iustitiam magna verborum serie deducuntur.

Nec visum fuit obstare primam nullitatem ex eo deductam, quod sententia lata sit contra Lucam, qui eo tempore erat mor-
1 tuus vt constat ex fide Parochi. † Vnde subiacet vitio nullitatis, *l. in summa, ff. de re iudic. & ibi Bart. & alij scribent, l. penul. ff. quæ sent. sint appellab. cum alijs adductis in causa Maceraten. fideicomm. 13. Martij 1616. coram R.P.D. meo Canalerio.*

2 Quicquid enim sit † si sententia contra mortuum sustineatur quando in actis tantum abest vt constet de eius morte, quin procurator eius nomine semper cõparuerit vsque ad diem sententiæ, & ab ea appellauerit post eius pronunciationem secundum doctrinam *Guidopap. decis. 86. num. 2. Becc. cons. 110. num. 2.* à Rota approbatam apud *Put. decis. 186.* Placuit alia responsio, quod
3 sententia potest ferri contra mortuũ quando adest in actis procurator dominus litis effectus, & licet sententia eo casu sit conconcipienda contra talem procuratorem in specie nominatum de rigore iuris ciuilis, tamen de æquitate iuris canonici non
4 obseruatur, ita exactè cum parum aut nihil intersit vtrum feratur contra procuratorẽ, vel contra dominum specificè nominatum vt per *Bart. in l. 1. nu. 8. col. 2. in fin. vers. breuiter opinio, C. de sent. & interloc. Castr. in l. nihil circ. fin. vers. de ista materia, C. de proc. Vant. de nullit. ex defect. citat. nu. 85. & 86. Guidop. decis. 86. num. 1. in fin. & decis. 431.* quam opinionem vt benigniorem secuta fuit Rota in vna *Imolen. bonorum 16. Decem. 1619. coram R.P.D. meo Buratto.*

5 Et in omnem euentum † sustineretur quoad viuos, licet esset nulla quoad mortuũ, *Gabr. cons. 56. n. 13. & seq. lib. 1. & tenuit Rota in vna Vicen. augmenti 16. Decembris 1588. coram bon. mem. Penia*, licet forsitan
6 quando † esset executioni demandata remanere posset nulla propter indiuiduitatem materiæ, vt in *d. Maceraten. fideicommissi coram R.P.D. meo Canalerio.*

Nec etiã obstat secunda nullitas dũ dicitur sententiã fuisse latam contra Leonardũ tamquam fratrem Agathæ, & ita principalem, quia tollitur obiectio ex lectura sententiæ latæ ab Inquisitore Melitensi inter Leonardum Xaram procuratorem Nicolai Lucæ, & Agathæ ex vna, & Paulum Testaferratã ex altera. Et dum ipse Leonardus vti procurator in Rota comparuit, citatusque fuit ad sententiam eo solum, & non

principi

principali nomine si legitur nominatus in sententia Rotali, non ideo sequitur eum vti principalem fuisse condemnatum, sed vti procuratorem stante verbo sententiæ subsequenti. Respectiuè singula enim singulis congruè sunt referenda præcipuè pro
7 substinendo actu† pro quo omnis benigna facienda est interpretatio, *l. quoties, ff. de reb. dubijs*, *Rota decis. 287. num. 3. par. 1. recent.* Eaque serie facti remanet sublata tertia prætensa nullitas dum in processu legitur sententia lata ab Inquisitore.

Quo verò ad iustitiam dictæ sententiæ ea satis verificatur ex duabus decisionibus in hac causa factis coram R.P.D. meo Caualerio die 14. Martij 1618. & 13. Nouembris 1619. in quibus multis rationibus, & auctoritatibus accuratè deductis compro-
8 batum fuit † non adesse tales coniecturas quæ sufficiant, vt possit recedi *à cons. Oldrad. 21.* toties à Rota laudato, & approbato. Idque præcipuè cum in toto testamento non appareat Testatorem habuisse respectum ad conseruationem agnationis, nec adsit aliqua prohibitio alienationis, aut talis vehemens præsumptio ex qua clarè possimus elicere voluntatem Testatoris ad effectum vt à tritis regulis iuris recedatur.
9 Descendentes enim Antonellæ tenentur docere concludenter de fideicommisso, vel ex verbis testamenti, vel saltem ex mẽte Testatoris præsumpta præcipue cum agatur contra tertium possessorem rei vindicatione: verba autem non conueniunt,
10 quia de actiua vocatione, in defectum filiorum, nepotum, & pronepotum non bene infertur ad passiuam, vt in decis. comprobatur, *& in Viterbien. fideicommissi coram R. P.D. meo Manzanedo quæ est decis. 486. n. 22 par. 1. inter recent.*
11 De voluntate Testatoris deberet constare si non expressè saltem per coniecturas vehementes indicãtes talem omnino fuisse eius voluntatem inducendi perpetuum fideicommissum; vt post multos quos citat *Peregr. de fideicomm. art. 29. num. 31.* quæ coniecturæ in hac facti specie non concurrunt, vt à dicto cons. Oldradi Rota voluerit recedere.

Illa enim quæ deducitur ex eo quod Testator posuit non solum nepotes, & pronepotes in infinitum eadem erat in dicto
12 cons. Oldrad. quia æquè dicitur cum descendentibus decessisse is qui filium vnicum reliquit, quam qui filijs, nepotibus, & pronepotibus relictis diem vltimũ obijt
13 cum etiam non nati veniant sub nomine descendentium, *Mant. de coniect. vlt. volun.*
14 *lib. 8. tit. 11. num. 3. & 4.* Nec dictio, *in infinitum*, alterat conditionem negatiuam, quia verbum illud *descendentes*, comprehendit de sui natura omnes in infinitum, *l. fin. C. de suis, & legit.* & ita adiectio dictionis, *in infinitum*, videtur expressio eius, quod per iuris interpretationem tacitè inest, sicque nihil operatur.
15 Quinimò hæc conditio videtur apposita in fauorem descendentiæ Gabrielis hæredis scripti, vt non nisi totaliter extincta linea per decessum ipsius sine filijs, nepotibus, pronepotibus vsque in infinitum possint venire Antonella, & eius filij, vnde non debet inducere grauamen restitutionis, quod esset contrarium fauori prædictæ descendentiæ, vt in specie declarauit *Socc. sen. cons. 87. num. 24. lib. 3. & Tudertina decisio quæ est 491. par. 4. recent. inter impressas Lugd.*

Neque secunda coniectura videtur releuans dum illa verba in infinitum ponderantur tamquam impossibilia respectu conditionis purificandæ viuente Gabriele vnde inferunt constare de voluntate Testatoris circa conseruationem bonorum in
17 descendentes vocatos; Quia eadem ratione tollitur dum simul esse potest, quod Testator noluerit Antonellam eiusque filios succedere nisi Gabriel decesserit sine filijs, nepotibus, & descendentibus in infinitum ampliando fauorem descendentiũ dicti Gabrielis primi hæredis scripti, & tamen inde non infertur perneçessè grauamen restituendi, vt in terminis respondi dicta decisio Tudertina, & d. Viterbien fideicommissi.

Tollitur etiam tertia coniectura in vltima decisione in qua magnum faciebant fundamentum informantes pro Nicolao,
18 & alijs de Xaris fundata in eo, quod verba huiusmodi fideicommissi erat directa non in personas, sed in rem quo casu prætenditur induci fideicommissum perpetuũ, itaut ad quemcumque transeat bona censeantur cum onere ea restituendi, vt per *Decian. respons. 41. num. 51. lib. 1. Curt. iun. cons. 139. num. 21. fuse Peregr. de fideicom. art. 12. num. 8.*

Placuerunt enim Dominis responsiones
19 datæ in vltima decione † fideicommissum licet reale non transire extra personas ibi expressas, & fideicommisso comprehensas secundum celeberrimum cons. Dec. vt etiã

fuit responsum in *Bononien. fideicommissi de Lambertinis*, alijsque decis. ibi allegatis. Deinde † apparet Testatorem dum vsus est verbo *tali casu*, restrinxisse suam dispositionem ad conditionem superius expressam, quæ cum defecerit cessat quoque fideicómissum reale ab ea dependens, ex allegat. per *Peregr. de fideicomm. art. 12. num. 6.*

Non placuit responsio facta (ad verba *tali casu*) quasi Testator non se restrinxerit ad præfatos casus mortis filiorum Gabrielis, sed potius respexerit ad perpetuitatem; nam apparet testatorem rationem habuisse perpetuitatis tantum in substitutione actiua Antonellæ, quatenus casus
11 prædicti venissent, † ac si defecerint prout non extiterunt cessat omnis infinitas, vt dicitur in illa *Maceraten. hereditatis coram R. P. D. meo Pirouano 13. Aprilis 1619.* & in alijs in vltima decis. allegatis.

Reliquis alijs coniecturis satis fuit responsum in dictis decisionibus in hac causa factis quo vero ad obseruantiam, & confessionem partium benè respondent informantes tam in facto, quàm in iure eum quibus Domini transierunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## AMPVRIEN. CANONICATVS.

*Veneris 4. Decembris 1620.*

### ARGVMENVVM.

Regula de annuali, vt intret quomodo possessio probetur, & in quibus beneficijs intret.

### SVMMARIVM.

1 *Possessio quando probata dicantur per testes.*
2 *Possessio censetur continuata nisi probetur interruptio.*
3 *Testis dictum, qui dicit se non recordari de tempore, debet declarari ab alys testibus deponentibus de certo tempore.*
4 *Prouisus ab Ordinario non præsumitur distulisse capere possessionem.*
5 *Regula de Annali habet locum etiam in beneficio reseruato.*
6 *Et iuuat omnes intrusos solo heretico excepto.*
7 *Regula de annali vt non obstet subrogato ad litem debet doceri de lite, & num. 8.*
9 *Annalis possessio non interrumpitur vbi nulla adest lis, & sit sola subrogatio in iure.*
10 *Lis non censetur introducta ad effectum impediendæ pacificæ possessionis ex citatione ad dicēdum contra cum inhibitione obtenta ab asserto procuratore licet postea consecutus fuerit legitimum mandatum.*
11 *Annus ad effectum regulæ de annali incipit currere à die captæ possessionis.*
12 *Regulæ de annali effectum non impediunt gesta per assertum procuratorem post acquisitam per annum pacificam possessionem etiam si fuisset à principali ratificata.*

### DECISIO CCXCII.

Domini dixerunt obstare Francisco regulam de annali ea ratione, quia Bernardus legitimè probauit de mense Septembris 1611. fuisse prouisum ab Episcopo de Canonicatu, de quo agitur, tamquam vacante per obitum Augustini, eiusque possessionem pacificam adeptum fuisse versus finem dicti mensis Septembris vel principium mensis Octobris eiusdem anni quam possessionem continuauit per annum, & amplius sine vlla interruptione.

Quod autem Bernardus probet annalem possessionem patet ex depositionibus testium, quorum primus deponit dum in lecto eger decumberet circa finem d. mensis Septembris, vel principium Octobris 1611. sciuisse à patruo Canonico eo die per Capitulum fuisse traditam possessionem Canonicatus dicto Bernardo, & paulò post se vidisse ipsum Bernardum sedentem in Choro insignibus Canonicalibus ornatum vna cum alijs Canonicis, ipsumque Bernardum fuisse electum Iudicem Capitularem ad effectum fulminandi bullas Doctoris Ioannis Mostæ Pœnitentiarij maioris dictæ Ecclesiæ, fuisseque descriptum in albo Canonicorum, distributionesque quotidianas à Collectore percepisse. Secundus verò testis non solum idem deponit, sed etiam se fuisse præsentem in actu adeptæ possessionis per D. Bernardū. Tertius verò testis deponit de publica vo-
1 ce & fama, † quibus sic stantibus visum fuit satis superque probatam possessionem Bernardi, *Innoc. in cap. in litteris num. 3. de restit. spol. Abb. in cap. 2. num. 7. de const. & in cap. transmisso num. 13. de elect. Cassad. dec. 8. num. 2. de caus. poss. & propr. Cesar de Grassis decis. 10. eod. tit. Rota decis. 12. de restit. spol.*
2 *in nou.* quæ censetur satis continuata per annum

annum, & vltra nisi probetur interruptio ex sola iuris præsumptione, de qua in *l. si possedit cum ibi notat. C. de probat. Caputaq. decis. 246. par. 2.* & in his terminis *Seraph. decis. 983.* & fuit dictum in *Seguntina Canonicatus 2. Iuny 1603. coram Litta.*

Nec obstat secundum testem qui fuit præsens non præcisè deponere de anno cū dicat se nō recordari an fuerit de anno 11.
3 vel 12. quia eius dictum declaratur à primo, & tertio teste, qui de anno, & tempore certo deponunt, *ad text. in cap. cum tu, & ibi Butr. num. 1. & 2. Abb. num. 2. & alij de testib. Alex. cons. 109. num. 9. lib. 1.* quæ veritas temporis probatur ex confessione ipsius Francisci in precibus porrecta vbi narrat dictum Canonicatum vacasse de mense Septembris, & postea de mense Decembris dicti anni 1611. de dicto Canonicatu fuisse prouisum Gauinum à Sede Apostolica nulla tamen capta possessione vsque ad annum 1614. quo Franciscus per dimissionem dicti Gauini fuit prouisus ex
4 qua confessione duo resultant non censeri prouisum per Ordinarium tamdiu distulisse possessionem Canonicatus, de quo d. mense Septembris 1611. fuerat per Ordinarium prouisus, *Gonzal. ad reg. 8. §. 5. num. 72.* Nec esse verisimile Gauinum de mense Decembris prouisum si possessio fuisseat vacans eam non fore adeptum.
5 Nec reuocari potest in dubium regulam de annali habere locum etiam in beneficio reseruato quod expresse statuisse Gregorium XI. testatur *Eelin. in c. in nostra n. 35. de rescript. Seraph. decis. 1600. num. 8.* & fusissime deciditur, & comprobatur in dicta Seguntina Canonicatus coram Litta, ex cuius decisionis lectura tollitur distinctio quæ fit inter beneficia reseruata in corpo-
6 re iuris dum firmat d. regula iuuari omnes intrusos solo hæretico excepto. Vltra quod etiam tollitur ex facto obiectio; nam Gauinus apud Sedem Apostolicam non dimisit nisi ius suum quod consistebat in reseruatione mensis Septembris Episcopo alternatiua gaudente certum est autem reseruationem mensis esse inductam per regulas Cancellariæ.

Nec etiam obstat fuisse interruptam possessionem Bernardi intra annum per prouisionem Gauini obtentā duobus mensibus à Sede Apostolica. Vnde inferunt
7 Francisco † subrogato in personam Gauini regulam de annali non obstare, *l. si eum §. qui iniuriarum, ff. si quis caut. Rota decis. 391. n. 8. par. 1. in rec.* sicuti non obstaret Gauino si hodie ius suum contra Bernardum prosequeretur. Huic enim obiectioni patet responsio non subsistere in facto dictam subrogationem; nam tam ex litteris gratiæ principalis quam gratiosę subrogationis, quæ dantur in Summario Francisci num. 2. & in Summario Bernardi num. 1. apparet dictum Franciscum solum fuisse subrogatum in ius, & possessionem Augustini, nulla facta mentione iuris d. Gauini.
8 Vltra quod ad effectum, † vt regula non obstet subrogato ad litem deberet docere
9 de lite; nam quando nulla adest lis, & fit sola subrogatio in iure non interrumpitur annalis possessio, *Sarn. de annal. quæst. 78.*

Non obstat denique causam fuisse commissam ab asserto procuratore Bernardi in Curia contra dictum Gauinum 28. Martij 1613. qui obtinuit citationem cum inhi-
10 bitione, † licet enim postea consecutus fuerit legitimum mandatū 10. Martij 1614. propterea non censetur introducta lis ad effectum impediendæ pacificæ possessionis Bernardi quia ex eo mandato non censetur inducta ratificatio retroactiua, vt in terminis *Crescent. decis. 15. de causis poss. & propr.*

Placuit, & alia responsio possessionem Bernardi fuisse captam ad minus in prin-
11 cipio mensis Octobris sufficereque ad effectum regulæ, vt postea per annum pacificè possederit, & ita de anno 1612. & mense Octobris fuisse completam annalem, vt declarat *Rebuf. super eadem regula, Mandos. quæst. 19.* Vnde sequitur omnia gesta de anno 1613. non impedire, quo minus non sit semper annalis possessor pacificus, vt per *Sarnen. in dicta regula*
12 *quæst. 50.* vltra quod † gesta per assertum procuratorem post acquisitam per annum pacificam possessionem non impediunt effectum regulæ etiam si fuissent à principali ratificata, vt per *Sarnen. in dicta reg. quæst. 48.*

Et ita decisum &c.



fuit responsum in *Bononien. fideicommissi de Lambertinis*, alijsque decis. ibi allegatis. Deinde † apparet Testatorem dum vsus est verbo *tali casu*, restrinxisse suam dispositionem ad conditionem superius expressam, quæ cum defecerit cessat quoque fideicómissum reale ab ea dependens, ex allegat. per *Peregr. de fideicomm. art. 12. num. 6.*

Non placuit responsio facta (ad verba *tali casu*) quasi Testator non se restrinxerit ad præfatos casus mortis filiorum Gabrielis, sed potius respexerit ad perpetuitatem; nam apparet testatorem rationem habuisse perpetuitatis tantum in substitutione actiua Antonellæ, quatenus casus
11 prædicti venissent, † ac si defecerint prout non extiterunt cessat omnis infinitas, vt dicitur in illa *Maceraten. hæreditatis coram R. P. D. meo Pirouano 13. Aprilis 1619.* & in alijs in vltima decis. allegatis.

Reliquis alijs coniecturis satis fuit responsum in dictis decisionibus in hac causa factis quo vero ad obseruantiam, & confessionem partium benè respondent informantes tam in facto, quàm in iure cum quibus Domini transierunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## AMPVRIEN. CANONICATVS.

*Veneris 4. Decembris 1620.*

### ARGVMENTVM.

Regula de annali, vt intret quomodo possessio probetur, & in quibus beneficijs intret.

### *SVMMARIVM.*

1 *Possessio quando probata dicantur per testes.*
2 *Possessio censetur continuata nisi probetur interruptio.*
3 *Testis dictum, qui dicit se non recordari de tempore, debet declarari ab alijs testibus deponentibus de certo tempore.*
4 *Prouisus ab Ordinario non præsumitur distulisse capere possessionem.*
5 *Regula de Annali habet locum etiam in beneficio reseruato.*
6 *Et iuuat omnes intrusos solo hæretico excepto.*
7 *Regula de annali vt non obstet subrogato ad litem debet doceri de lite, & num. 8.*
9 *Annalis possessio non interrumpitur vbi nulla adest lis, & sit sola subrogatio in iure.*
10 *Lis non censetur introducta ad effectum impediendæ pacificæ possessionis ex citatione ad dictum contra cum inhibitione obtenta ab asserto procuratore licet postea consecutus fuerit legitimum mandatum.*
11 *Annus ad effectum regulæ de annali incipit currere à die capta possessionis.*
12 *Regulæ de annali effectum non impediunt gesta per assertum procuratorem post acquisitam per annum pacificam possessionem etiam si fuisset à principali ratificata.*

## DECISIO CCXCII.

Domini dixerunt obstare Francisco regulam de annali ea ratione, quia Bernardus legitimè probauit de mense Septembris 1611. fuisse prouisum ab Episcopo de Canonicatu, de quo agitur, tamquam vacante per obitum Augustini, eiusque possessionem pacificam adeptum fuisse versus finem dicti mensis Septembris vel principium mensis Octobris eiusdem anni quam possessionem continuauit per annum, & amplius sine vlla interruptione.

Quod autem Bernardus probet annalem possessionem patet ex depositionibus testium, quorum primus deponit dum in lecto eger decumberet circa finem d. mensis Septembris, vel principium Octobris 1611. sciuisse à patruo Canonico eo die per Capitulum fuisse traditam possessionem Canonicatus dicto Bernardo, & paulò post se vidisse ipsum Bernardum sedentem in Choro insignibus Canonicalibus ornatum vna cum alijs Canonicis, ipsumque Bernardum fuisse electum Iudicem Capitularem ad effectum fulminandi bullas Doctoris Ioannis Mostæ Pœnitentiarij maioris dictæ Ecclesiæ, fuisseque descriptum in albo Canonicorum, distributionesque quotidianas à Collectore percepisse. Secundus verò testis non solum idem deponit, sed etiam se fuisse præsentem in actu adeptæ possessionis per D. Bernardū. Tertius verò testis deponit de publica vo-
1 ce & fama, † quibus sic stantibus visum fuit satis superque probatam possessionem Bernardi, *Innoc. in cap. in litteris num. 3. de restit. spol. Abb. in cap. 2. num. 7. de conf. & in cap. transmissa num. 13. de elect. Cassad. dec. 8. num. 2. de caus. poss. & propr. Cæsar de Graffis decis. 10. eod. tit. Rota decis. 22. de restit. spol.*
2 *in nou.* quæ censetur satis continuata per annum

annum, & vltra nisi probetur interruptio ex sola iuris præsumptione, de qua in *l. si possedit cum ibi notat. C. de probat. Caputaq. decis.246. par.2.* & in his terminis *Seraph. decis.983.* & fuit dictum in *Seguntina Canonicatus 2. Iunij 1603. coram Litta.*

Nec obstat secundum testem qui fuit præsens non præcisè deponere de anno cũ dicat se nõ recordari an fuerit de anno 11.
3 vel 12. quia eius dictum declaratur à primo, & tertio teste, qui de anno, & tempore certo deponunt, *ad text. in cap. cum tu, & ibi Butr. num.1. & 2. Abb. num.2. & alij de testib. Alex. cons.109. num.9. lib.1.* quæ veritas temporis probatur ex confessione ipsius Francisci in precibus porrecta vbi narrat dictum Canonicatum vacasse de mense Septembris, & postea de mense Decembris dicti anni 1611. de dicto Canonicatu fuisse prouisum Gauinum à Sede Apostolica nulla tamen capta possessione vsque ad annum 1614. quo Franciscus per dimissionem dicti Gauini fuit prouisus ex
4 qua confessione duo resultant non censeri prouisum per Ordinarium tamdiu distulisse possessionem Canonicatus, de quo d. mense Septembris 1611. fuerat per Ordinatium prouisus, *Gonzal. ad reg.8. §.5. num.72.* Nec esse verisimile Gauinum de mense Decembris prouisum si possessio fuisset vacans eam non fore adeptum.

5 Nec reuocari potest in dubium regulam de annali habere locum etiam in beneficio reseruato quod expressè statuisse Gregorium XI. testatur *Felin. in c. in nostra n.35. de rescript. Seraph. decis.1600. num.8.* & fusissimè deciditur, & comprobatur in dicta Seguntina Canonicatus coram Litta, ex cuius decisionis lectura tollitur distinctio quæ fit inter beneficia reseruata in corpo-
6 re iuris dum firmat d. regula iuuari omnes intrusolos solo hæretico excepto. Vltra quod etiam tollitur ex facto obiectio; nam Gauinus apud Sedem Apostolicam non dimisit nisi ius suum quod consistebat in reseruatione mensis Septembris Episcopo alternatiua gaudente certum est autem reseruationem mensis esse inductam per regulas Cancellariæ.

Nec etiam obstat fuisse interruptam possessionem Bernardi intra annum per prouisionem Gauini obtentã duobus mensibus à Sede Apostolica. Vnde inferunt
7 Francisco † subrogato in personam Gauini regulam de annali non obstare, *l. si eum §. qui iniuriarum, ff. si quis caut. Rota decis.391. n.8. par.1. in rec.* sicuti non obstaret Gauino si hodie ius suum contra Bernardum prosequeretur. Huic enim obiectioni patet responsio non subsistere in facto dictam subrogationem; nam tam ex litteris gratiæ principalis quam gratiosę subrogationis, quæ dantur in Summario Francisci num.2. & in Summario Bernardi num.1. apparet dictum Franciscum solum fuisse subrogatum in ius, & possessionem Augustini, nulla facta mentione iuris d. Gauini.
8 Vltra quod ad effectum, † vt regula non obstet subrogato ad litem deberet docere
9 de lite; nam quando nulla adest lis, & fit sola subrogatio in iure non interrumpitur annalis possessio, *Sarn. de annal. quæst.78.*

Non obstat denique causam fuisse commissam ab asserto procuratore Bernardi in Curia contra dictum Gauinum 28. Martij 1613. qui obtinuit citationem cum inhi-
10 bitione, † licet enim postea consecutus fuerit legitimum mandatũ 10. Martij 1614. propterea non censetur introducta lis ad effectum impediendæ pacificæ possessionis Bernardi quia ex eo mandato non censetur inducta ratificatio retroactiua, vt in terminis *Crescent. decis.15. de causs poss. & propr.*

Placuit, & alia responsio possessionem Bernardi fuisse captam ad minus in prin-
11 cipio mensis Octobris sufficereque ad effectum regulæ, vt postea per annum pacificè possederit, & ita de anno 1612. & mense Octobris fuisse completam annalem, vt declarat *Rebuf. super eadem regula, Mandos. quæst.19.* Vnde sequitur omnia gesta de anno 1613. non impedire, quo minus non sit semper annalis possessor pacificus, vt per *Sarnen. in dicta regula*
12 *quæst.50.* vltra quod † gesta per assertum procuratorem post acquisitam per annum pacificam possessionem non impediunt effectum regulæ etiam si fuissent à principali ratificata, vt per *Sarnen. in dicta reg. quæst.48.*

Et ita decisum &c.



## CORNETANA LEGATI.

*Veneris 4. Decembris 1620.*

### ARGVMENTVM.

Clausula deducens omne ius &c. operatur, quod censeantur intentata alia remedia præter expressa: Requisita Saluiani ex quibus probata dicantur.

### SVMMARIVM.

1 *Remedium l. fin. C. de edict. D. Adr. toll. non competit instituto in re certa vbi datus est hæres vniuersalis.*

2 *Institutus in re certa non dicitur hæres, sed merus legatarius.*

3 *Pro legatis non datur via executiua.*

4 *Remedia omnia competentia vltra expressa censentur intentata vbi in monitorio adsunt clausula deducens omne &c. petens sibi iustitiam ministrari non solum prædicto sed etiam omni meliori modo.*

5 *Legatario pro recuperatione rei legatæ competit Saluianum.*

6 *Mors alicuius probatur ex fide Parochi iunctis adminiculis.*

7 *Inuentarium factum ab hærede scripto probat contra habentem causam ab eo.*

8 *Inuentarium iunctis adminiculis etiam contra tertium probat identitatem.*

9 *Identitas non excluditur licet confinia varient in duobus inuentarys, si vnum illorum concordet cum demonstratione ipsius testatoris expressa in testamento.*

10 *Instrumentum, in quo dicitur conuentum inter fratres vt vinea matri consignaretur, non probat proprietatem vineæ, & possessionem matris, nisi probetur identitas vineæ, consignatio, & effectus conuentionis.*

11 *Testator potest legare rem sui hæredis.*

12 *Fructus vtrum debeantur à die occupationis quando spectant iure actionis, & ratione dominij.*

13 *Legatario etiam ante agnationem acquiritur dominium fideicommissi particularis.*

14 *Sententia recipit interpretationem passiuum à iure.*

### DECISIO CCXCIII.

Conclusum fuit pro confirmatione sententiarum extra Rotam latarum, nisi forsan obstet defectus aliquot terminorum substantialium de quo particulariter videbitur quia constat de earum iustitia & validitate.

Nec obstat nullitas opposita contra primam sententiam ex defectu iurisdictionis nam ea tollitur in facto ex instrumẽto authẽtico deputationis R.P.D. Sacchetti per A. C. factæ sub die 4. Maij 1618. Dominis exhibito.

Nec etiam obstat alia nullitas, quæ deducitur ex defectu actionis intentatæ vigo-
1 re remedij, *l. fin. C. de edict. Diu. Adr. tollen.*
quod non competit ex huiusmodi relicto,
etiam quod esset factum per viam institutionis
dum fuit datus hæres vniuersalis,
*Menoc. de adipisc. remed. 4. num. 15.* cum in-
2 stituti † in re certa non dicantur cohære-
des, sed meri legatarij, *l. ex facto proponebatur & ibi Bart. & Bald. ff. de hæred. instit. l. quoties C. fam. excisc.* tum etiam quia pro
3 legatis non datur via executiua secundum
opinionem, quam Rota seruat, vt fuit resolutum in causa *Medilanen. Legati 30. Octobris. 1685. coram Card. Pamphilio, & alias sæpè.*

Nam hæc obiectio tollitur ex lectura
4 monitorij, † quod habet clausulas amplissimas videlicet, *deducens omne ius &c. petens sibi iustitiam ministrari non solum prædicto, sed etiam omni alio meliori modo,* quibus stantibus censentur omnia remedia competentiã vltra expressa, *Bolog. cons. 79. num. 38. lib. 1. Aym. cons. 201. nu. 45. Menoch. de recup. in prælud. num. 16. Seraph. dec. 1184. num. 3.* Vnde sequitur rectè, & ritè fuisse concessam immissionem vigore vtilis Sal-
5 uiani † quod competit legatario pro recuperatione rei legatæ sibi vt ex multis firmauit, *Rota coram Reuerendiss. D. meo Damasceno in illa Romana Legatorum de Columna 25. Maij 1616.*

Quo vero ad iustitiã attinet de ea visum fuit satis constare, quia probatur purificatum fuisse fideicommissum in fauorẽ Capituli & litis consortium, & verificata duo extrema in iudicio Saluiani requisita, &
6 quoad primum Caput attinet † licet sola
fides Parrochi ad hunc effectum forsan nõ sufficeret nihilominus iunctis adminiculis satis iustificatur mors Dianæ post cuius obitum erat vocatum Capitulum. *Imol. cons. 110. ad fin. Mandos. in reg. 18. q. 10. n. 4.* & nuper fuit dictum in vna *Tirasonen. Canonicatus 17. February prox. præter. coram Reuerendissimo Damasceno,* quæ adminicula in hoc casu non desunt quia vltra fidem iuratam duorum testium datur depositio priuigni ipsius Dianæ qui de causa scien-

tiæ

tiæ eius mortis clarissimè deponit.

Visum etiam fuit probatum primum ex tremum scilicet hanc domum vineam, & oliuetum possessa fuisse per Sebastianum testatorem, qui hæc eadem bona Dianæ vxori legauerat cum onere restituendi tertiam partem Antonio fratri & hæredi scripto duas alias tertias partes Capitulo & locis pijs in dicto testamento specificatis.

Probatur enim hæc identitas per duo inuentaria publica quorũ primum factũ fuit à curatore hereditatis ex officio Iudicis, secundum ab Antonio hærede scripto, quæ;
7 inuentaria ✝ plenè probant contra Alexandrum Morellum causam habentem ab ipsomet Antonio cum ipsemet in articulis & positionibus in Rota datis fassus est se esse hæredem Beatricis Morellæ, quę fuerat vxor dicti Antonij cui successerat propter defectus agnatorum & cognatorum etiam intra 10. gradum. Quin imò iunctis adminiculis inuentarium etiam contra tertium probaret identitatem, vt respondit Rota in *Vrbeuetana Legati* 20. *Octobris* 1582. *coram Cantuccio*, multoque magis geminatum, nec in hac facti specie desunt adminicula.

Nam ipsemet Morellus non solum articulauit Sebastianum testatorem hæc eadẽ bona cum finibus expressis in testamento possedisse esseque eadem illa, quæ ipse possidet, & à Canonicis vindicantur, sed quod multo magis ipse probauit eandem identitatem per testes ab ipso examinatos quorum dicta dantur in Summario nu. 6. & 8. & sic frustra prætendit vti reuocatione confessionum, quæ etiam dicitur facta duobus abhinc diebus post duas sententias latas.

9 Et quamuis ✝ confinia olíueti præcipuè varient in duobus inuentarijs, ideo non sequitur excludi identitatem cum sufficiat vltimum inuentarium concordare cum demonstratione ipsius testatoris expressa in testamento, quod scilicet situm sit in contrada *della salita*, præcipuè iuncta depositione tertij testis ab ipsomet Morello examinati, qui asserit esse illudmet oliuetum, quod fuit possessum per Sebastianum relictum Dianæ, & quod hodie possidetur per dictum Morellum.

Nec etiam obstat, quod dicitur probari domum, & vineam possessam hodie per d. Morellum fuisse possessam à Griseida matre testatoris, & Antonij vti dotalem, quo casu solum specta sset medietas ad testatorem, alia vero ad Antonium hæredẽ, quia hæc possessio si quæ adest præsumitur
10 iure familiaritatis ✝ nec enim instrumentũ diuisionis probat proprietatem vineæ, & possessionem Griseidæ, dum dicitur conuentum inter fratres, vt vinea matri consignaretur; nam nec identitas vineæ, nec consignatio & effectus conuentionis probatur, *Dec. conf.* 15. *nu.* 1. *Natt. conf.* 357. Idem que dicendum de testamento Griseidæ.

Quo vero ad dicta testium nihil concludunt cum detur depositio vnius de simplici auditu, qui nihil probat, nam testes potius per ipsum Morellum examinati excludunt intentionem ipsius secundus enim testis iuxta 22. dicit, *hò veduto Bastiano in casa sua propria con la madre, doue stà adesso il Sig. Alessandro Morello*, & iuxta 23. *mio Padre ricognosceua per padrone di detta vigna Griseida, & Sebastiano suo figliuolo*, idemque dicit in effectu tertius testis, qui de vinea loquens fatetur eam cultam fuisse à Sebastiano suis sumptibus ipsumque fructus percepisse. Sicque non probatur vllo modo dictam vineam, & domum spectasse iure dominij, nec etiam possessam à Griseida, sed forsitan iure familiaritatis, sed etiam si probaretur nihil releuaret, quia
11 certi ✝ iuris est in Legato particulari potuisse Sebastianum testatorem legare medietatem domus tanquam rem hæredis quod legatum omnino tenetur hæres præstare, vt ex multis firmauit, Rota in illa *Viterbien. fideicommissi de Vrsinis coram Reuerendiss. D. meo Damasceno, & per Peregr. de fideicom. art.* o. *num.* 6.

Sed quia pro parte Morelli opponitur sententiam saltem esse iniustam, quia indistinctè condemnauit ipsum ad restitutionẽ fructuum etiam ante motam litẽ bona fide perceptorum, quicquid sit de ea quæ-
12 stione vtrum debeantur fructus à die occutionis quando spectant iure actionis, & ratione dominij non ex officio Iudicis, petuntur, vt per *Surd. decis.* 25. *per tot.* & præ-
13 cipuè cum agatur de fideicommisso particulari cuius dominium legatario, etiam ante agnationem acquiritur præcipuè fauore Ecclesiæ Domini responderunt hoc esse disputandum cum agetur de liqui-
14 datione fructuum, ✝ sententiæ si quidem recipere debent interpretationem à iure passiuam.

Et ita decisum.

CA-

CAPVTAQVEN. ABBATIAE.

*Lunæ 25. Maij 1620.*

## ARGVMENTVM.

Subrogatio, vt detur collitiganti requiritur lis super titulo beneficij, & quando de ista dicatur constare.

## SVMMARIVM.

1 *Subrogatio gratiosa dari debet collitiganti, num. 30.*
2 *Lis non potest controuersi stante commissione, & citatione illius vigore obtenta, executa, & reproducta.*
3 *Subrogatio ad hoc vt debeatur collitiganti necesse est litem esse super titulo beneficij.*
4 *Lis etiam super titulo beneficij censetur commissa quando status beneficij fuit narratus ad effectum canonizandæ prouisionis, præcipuè stantibus clausis vna cum incidentibus, & quam & quas.*
5 *Subrogatio vt obtineatur vltra litem requiritur titulus saltem coloratus, & n. 6.*
7 *Subrogatio denegatur quando adest calumnia præsumptio.*
8 *Calumniæ præsumptio excluditur ex magno fumo iurispatr.*
9 *Patronus non potest præsentare, nec Ordinarius instituere lite pendente.*
10 *Lis non potest dici introducta per inhibitionem obtentam.*
11 *Lis extinguitur per mortem naturalem, vel ciuilem.*
12 *Confessio præiudicat confitenti.*
13 *Beneficium primum vacat per assecutionem Episcopatus.*
14 *Lis dicitur extincta per necessariam renunciationem liti resultantem ex acceptatione Episcopatus incompatibilis.*
15 *Vacatio non inducitur ex sola promotione ad Episcopatum, nisi etiam sequatur possessio, & contrarium procedit vbi Papa in actu promotionis decernit vacare beneficia, & num. 16.*
17 *Declara id procedere ad effectum extinctionis pensionis, vel ammissionis primi beneficij, non autem ad effectum colorandi titulum.*
18 *Patroni possunt præsentare, & Ordinarij instituere post prouisionem ad Episcopatum, non vt statim habeat suam plenarium effectum institutio, sed habere debeat post adeptam possessionem Episcopatus.*
19 *Calũnia vt excludatur sufficit bona fide credere beneficia vacare per solam promotionem.*
20 *Quod beneficia vacent ex sola promotione Stylus comprobatus videtur, ex gratia retentionis.*
21 *Gratia retinendi beneficia compatibilia non comprehendit incompatibilia.*
22 *Titulus comendatus est validus quando post gratiam retentionis beneficiorum, beneficium fuit concessum in commmendam.*
23 *Calumnia sola attenditur in materia danda, vel denegandæ subrogationis.*
24 *Ignorantia facti alieni præsumitur.*
25 *Subrogationem vt quis consequi possit non est necessarium, quod sit legitimus possessor, sed sufficit quod absit dolus, & culpa.*
26 *Absque dolo & culpa potest quis æstimare post promotionem ad Episcopatum vacare ne dum titulum, sed etiam possessionem beneficij.*
27 *Intrusus in possessionem quando qui dici non possit ad effectum gratiosæ subrogationis, & num. 28.*
29 *Intrusus vt subrogetur in ius defuncti sufficit quod demittat possessionem.*
31 *Subrogatus in ius defuncti non tenetur iustificare, & probare veritatem tituli sui.*

## DECISIO CCXCIV.

POST plures propositiones, & dubio maturè discusso, an esset danda subrogatio Antonio Francisco Domini affirma-
1 tiuè responderunt† stante namque lite ipse habet fundatã intentionem, tam de iure ex dispositione, *cap. 2. vt lit. penden. in 6.* qu am vigore *reg. de subrog. Sarnen. in d. reg. q. 1. n. 1. in fin. Mandos. ibidem q. 2. num. 2. Put. decis. 141. & 144. lib. 3. Seraph. decis. 1165. n. 1.* & fuit sæpissimè decisum.

Lis non potest controuerti stante com-
2 missione & citatione illius vigore obtenta per Veteranum ac citationis executione, & reproductione *Lancellott. de attentat. lit. pend. in præfat. num. 30. & seq. Milet. in ver. litis pendentia, Rot. decis. 4. vt lit. pend. in antiq. Cassad. decis. 6. nu. 3. super regulis,* & fuit sæpissimè decisum.

3 Non obstat † quod adhoc vt debeatur subrogatio collitiganti necesse sit litem esse super titulo beneficij, *d. c. 2. vt lit. penden. in 6. Cassad. decis. 6. num. 2. de rescript. & decis. 4. vt lit. penden. Mandos. super regul. de subrog. quæst. 2. num. 5.*

Nam

Nam licet commissio videatur super statu beneficij non autem super titulo, An scilicet esset secularis, vel regularis. Ta-
4 men † cum talis status fuerit narratus ad effectum canonizandæ prouisionis obtentæ per Veteranum, & excludendi Antoniũ Franciscum, qui obtinuerat hoc beneficium vti seculare & curatum satis fuit cõmissa lis etiam super titulo stantibus præcipuè clausulis vna cum incidentibus; *Et quam & quas Cassad. decis. 9. vers. item commissio de caus. poss. & propr. Mohed. dec. 6. de rescript. Mandos. super reg. de subrog. q. 14. num. 7.* fuit dictum in *Barchinon. Parrochia. lis 20. Iunij 1611. coram Reuerendiss. D. meo Decano, qua est in recentior. decis. 343. nu. 2. vers. tamen in causa par. 1. in Nucerina Iurispatronat. 14. Maij 1612. coram R. P. D. meo Caualerio, & nuper in Conchen. beneficij de Iuccita Vener. 20. Decembr. 1619. coram Reuerendiss. D. meo Decano.*
5 Non obstat quod † vltra litem requiratur titulus in petente subrogationem, *c. 1. & 2. vt lit. pend. in 6. Sarnen. in reg. de subrogan. quæst. 12.* Quia & de titulo constare
6 visum fuit † non enim est necessarius titulus verus ad effectum obtinendæ subrogationis, quia alias non esset opus subrogatione, sed sufficit coloratus, *Egid. decis. 6. num. 3. vers. sic itaque* pro quo sufficit ostendere titulum fuisse collatum ab habente potestatem, *Egid. d. decis. 116. in princ. Mandos. in reg. 16. q. 27. num. 6.* Et licet Antonius Franciscus non habeat simplicem collationem ab Ordinario, sed institutionem ad
7 præsentationem patroni. Tamen † cum adsit etiam sententia Ordinarij canonizatoria iurispatronatus excluditur omnis præsumptio calumniæ propterquã subrogatio denegatur, vt fuit dictum in *Aprutina beneficij Veneris 11. Martij 1611. coram Reuerendiss. D. Lugdunen.* Maximè quia fine sententia Ordinarij, ex iuribus productis per Antonium Franciscum negari non potest quin saltem detur magnus fumus iurispatronatus ex quo excluditur præsum-
8 ptio calumniæ † cum ad id quælibet causa colorata sufficiat, *Rebuff. ad reg. de subrog. glos. 7. num. 3.* fuit dictum in dicta *Aprutina beneficij & in Pampilonen. Abbatia de Allegra Veneris 20. Iunij 1603. coram Illustriss. D. Card. Ludouisio.*

Non obstat, quod dicitur hunc titulum fuisse habitum lite pendente in Rota coram bo. me: Andrea, & antea introducta coram Ordinario inter Veteranum, & Ber-
9 nardum Scottum præsentatum, qua lite pendente nõ poterat Patronus præsentare, nec Ordinarius instituere, vt fuit dictum in *Recanaten. benefic. 14. Martij 1628. corã bo. m. Card. Lancellotto, qua est in recentior. decis. 216. nu. 7. p. 2.* & fuit dictum in *d. Aprutina coram Reuerendiss. D. Lugdunen.*

Nam quoad litem, quæ prætendebatur introducta in Rota obiectum cessabat ex clausula apposita in commissione, *Dummodo molestia non fuerint iudicialiter illata.* Cum enim antea esset introducta lis corã Ordinario talis commissio nullam tribuit
10 iurisdictionem, & per consequens † non poterat dici introducta lis per inhibitionẽ obtentam *Mohed. dec. 75. alias 1. vt lit. pend. Caputaq. decis. 44. alias 41. lib. 2. in manuscript. Modern. de claus. par. 1. claus. 36. nu. 5. & 6.*

Quo vero ad litem pendentem coram Ordinario informantes pro Antonio Fran-
11 cisco † dicebant extinctam fuisse per mortem naturalem Scotti, & ciuilem Veterani. *Cassad. decis. 3. num. 6. vt lit. pendent. Lancell. de attent. cap. 4. in præfat. num. 313. & 314. Rot. in recentior. decis. 531. sub numer. primo par. 2.*

Cum enim ex iuribus productis pro parte Antonij Francisci resultet si non plena & concludens probatio saltem magnus fumus, quod hoc beneficium sit curatum
12 accedente maximè confessione Veterani, quæ illi præiudicabat, *l. cum præcum C. de liber. caus. Rot. in recentior. decis. 274. num. 1. par. 2.* per assecutionem Episcopatus sicut
13 vacauit † hoc beneficium tanquam incõpatibile, *c. de multa & c. quia in tantum de præben. & c. gratia de rescript. in 6. clem. gratia eod. tit. Rebuff. in prax. par. 2. tit. de dispens. ratione ætatis in verb. incompatibilia nu. 1. & 2. Rot. diuers. decis. 309. num. 3. in fin. vers. quæ*
14 *titulus, & num. 4. par. 2.* ità † dicitur extincta lis per necessariam renunciationem vti resultantem ex acceptatione Episcopatus, incompatibilis, vt fuit dictum in *Conchen. Archipresbyteratus Luna 27. Februarij 1589. coram Card. Platto, & in Compostellana Parochialis Luna 16. Decembris 1596. coram Orano,* quas comprobauit Rota in vna *Vicen. Parrochialis Luna 27. Februarij 1606. coram Reuerendiss. D. Lugdunen.* ad effectum, vt Ordinarius possit de beneficio vti vacãte prouidere quicquid sit ad alios effectus.

Non obstat quod de tempore præsentationis Veteranus nõ dum assecutus fuisset pos-

15 possessionem & quod † ex sola promotio-
ne non fuerat inducta vacatio vt latè di-
sputato hoc articulo firmauit *Rota apud C. Seraph. decis.* 110. in qua fuit dictum stylum
16 Curiæ & *decis. Cassad. 2. de constit. allegat.*
in contrarium procedere vbi Papa in actu
promotionis decernit vacare beneficia.

Nam huic obiecto, quod videbatur fa-
cere difficultatem Domini omissa discus-
sione super veritate huius articuli quo ad
alios effectus nempe extinctionis pensionis
17 vel amissionis primi beneficij † ad quos
effectus non videtur sufficere sola promo-
tio, sed requiratur etiam assecutio, *c. si quis iam translatus 21. quæst. 2. c. si quis Episcopi 92. distinct.* ad effectum colorandi titulum
ne dicatur calumniosus & improbus colli-
18 tigans sicut Papa statim post promotionē
prouidet de vacanti non vt statim habeat
effectum, sed habere debeat postquam pro-
motus cōsecratus fuerit & adeptus sit pos-
sessionem, vt ponderat *Abb. declarando stylum Curiæ in c. cum in cunctis §. cum vero de elect.* vbi *Dec. num. 7.* dicit stylum superue-
nisse eo quia promoti regulariter consen-
tiunt, ita & patroni videntur posse præsen-
tare & Ordinarij instituere non vt statim
habeat suum plenarium effectum institutio
sed habere debeat post adeptam possessio-
nem Episcopatus.

Considerarunt etiam Domini quicquid
sit de veritate *decis. Card. Seraph.* satis esse
19 ad † excludendam calumniam, quod res
non sit ita clara quin cōtrarium eius quod
fuit firmatum in *dicta decis.* potuisset sine
calumnia sentire Antonius Franciscus, &
bona fide credere beneficium vacasse per
solam promotionem non vigore styli, sed
*extrauag. ad regimen.* innouatam per regu-
lam primam S. D. N. super qua *extrauag. est fundata decisio Cassad.* & latè comprobat
*Mandos. in reg. 1. q. 15. n. 3.*

Non obstat Veteranum obtinuisse gra-
tiam retentionis, & deinde prouideri in
specie de hoc beneficio in Commendam.
20 Nam vltra quod † ex gratia retentionis
videtur comprobatus stylus, quod bene-
ficia vacabāt ex sola promotione, *Rot. diuer. dec. 233. n. 1. p. 1.*

21 Fuit responsum gratiam prædictam esse
restrictam ad compatibilia, & per conse-
quens posse dici nō comprehendi hoc be-
neficium, quod tanquam curatum antea
obtinuerat Veteranus, & licet post gratiā
retentionis fuisset concessum Veterano in
Commendam. Tamen ex hoc non sequi-
tur, quia titulus comendatus non possit di-
22 ci coloratus imò validus † ex quo in instā-
ti intrauit vacatio per gratiam in Cōmen-
dam, vt ponderat *Lambert. par. 3. lib. 2. q. 9. art. 19. num. 3.*

Verum quicquid sit de veritate harum
23 conclusionum Domini dixerunt † ad effe-
ctum excludendi calumniam, quæ atten-
ditur in materia dandæ, vel denegandæ su-
brogationis satis esse Antonium Franciscū
ignorasse dictam gratiam retentionis, pro
24 vt † ignorasse præsumitur cum sit de facto
alieno, *l. verius ff. de probat. c. præsumitur de reg. iur. in 6.*

Non obstat Franciscum esse intrusum
dum cæpit possessionem beneficij adhuc
existente in possessione Veterano. Nam
placuerunt responsiones datæ per infor-
mantes pro Antonio Francisco, quod vt
25 quis † possit consequi subrogationem vi-
gore regulæ non esse necessarium, quod
sit legitimus possessor, sed sufficere, quod
26 absit dolus & culpa † dolus autem & cul-
pa potuit abesse hoc casu, quia Antonius
Franciscus potuit existimare per promo-
tionem vacare nedum titulum, sed etiam
possessionem *iux. decis. Guidop. decis. 106.*
vbi dicit propter extrauag. ad regimen stā-
te decreto irritante discolorari titulum, &
possessionem adeo vt promotus spoliatus
non veniat restituendus.

27 Nec ex eo quod † possessio fuerit atten-
tata vti capta infra 10. dies potest dici in-
trusus ad effectum gratiosæ subrogationis,
vt ex *Sarnen. in reg. de subrogan. quæst. 4. Cassad. decis. 6. de causis possess. & propriet.* fuit
dictum in vna *Parmen. prioratus coram Cardinale Mantica quia est decis. 71. numer. 7. in impressis.*

28 Placuit etiam responsio † ad effectum
regulæ non sufficere possessionem Instru-
mentalem, *Card. Seraph. decis. 1165. num. 4. vers. verum huic Rot. in recent. decis. 531. n. 2. vers. præsertim par. 2.*

29 Et in omnem euentum sufficere, quod
Antonius Frāciscus dimittat possessionem
*Rebuff. in prax. par. 2. tit. de subrogan. collitig. glos. 4. num. 3. & num. 25. Rot. in recentior. decis. 342. numer. 9. vers. & in omnem euentum par. 1. & decis. 531. num. 2. vers. quia cum intrusio par. 2.*

Quæ autem dicebantur de vacatione in
Curia per promotionem Veterani stante
morte Scotti, quod esset prouidendum per
Papam non placuerunt Dominis, quia Ve-
teranus postea obtinuit beneficium in Cō-
men-

mendam, & deinde commisit causam contra Antonium Franciscum coram me per
30 quam vt fuit supra firmatum † dum fuit introducta lis sequitur dandam esse subrogationem Antonio Francisco per obitum Veterani Colligitantis.

Nec etiam placuit non posse Antonium Franciscum obtinere subrogationem in iuribus Veterani, qui obtinuit beneficium vti regulare & simplex in Commendam
31 qui est titulus contrarius, nam † Antonius Franciscus non tenetur iustificare, & probare veritatem tituli sui vt respondit, *Rota apud Bellamer. decis. 116. n. 3. vers. sic itaque fateri oportet.*

Et ex his vtraq; parte informante Domini censuerunt Antonio Francisco esse dandam subrogationem.

## ROMANA CENSVS SEV DROGHERIAE.

*Lunæ 14. Decembris 1620.*

### ARGVMENTVM.

Censum ad effectum extinguêdi si alicui fuerint datæ pecuniæ cũ obligatione tamen de restituendo prioribus, & anterioribus creditoribus nõ obstante prætensa satisfactione poterit agi vtili actione, ex æquitate, & exceptio cedendarum quando non admittenda.

### SVMMMARIVM.

1 *Obligatio Cameralis habet executionem paratam, nec admittit appellationem suspensiuam.*

2 *Clausula, si quid exequendum, in rescripto ad lites impedit effectum suspensiuum, præseruat viam executiuam.*

3 *Redimens censum cum obligatione de restituendo pretium creditoribus prioribus redimentis, si à dictis creditoribus molestetur potest agere ex primæua actione.*

4 *Intellige vt recuperes sortem solutam, & cõsequatur fructus decursos ante reueditionem, non autem vt census reuiuiscat.*

5 *Pecunia recepta cum obligatione de restituẽdo illas creditoribus anterioribus non efficiuntur recipientis.*

6 *Obligatio de restituendo &c. præseruat ius creditoribus anterioribus.*

7 *Liberatio conditionalis nõ operatur quousque conditio impleatur.*

## DECISIO CCXCV.

VISVM fuit Dominis mandatum contra 13. Aromatarios relaxatum ab A. C. in fauorem D. Equitis Ascanij Hierutij esse exequendum, quia fuit relaxatum seruatis seruandis in vim obligationis Came-
1 ralis † quæ habet executionem paratam, nec admittit appellationem suspensiuam, *Castren. in l. & post rem indicatam ff. de re iudic. Gallesi. de oblig. Camer. quæst. 37. nu. 8. Vestr. in prax. lib. 2. c. 8. Cassad. dec. vnic. de mut. petit. Rot. dec. 119. par. 1. diuers.* & alias millies fuit decisum.

2 Nec reuocari potest in dubium † clausulam si quid exequendum in rescripto mihi directo appositam præseruare viam executiuam & impedire effectum suspensiuum appellationis, *Abb. in cap. inter cætera num. 8. de re iud. & ibi Felin. col. fin. Verall. dec. 18. in fin. lib. 1. Paleot. decis. 133.* cum adductis in vna *Romana Vinea de Fabris 20. Decembris 1604. coram R. P. D. meo Decano.*

Nec obstat quatenus opponeretur censum scu. 1200. pro quo isti 13. Aromatarij se obligarunt fuisse extinctum ex pretio Aromatariæ, Respondetur enim illas pecunias fuisse cõsignatas D. Equiti Ascanio ad effectum extinguendi dictum censum cũ obligatione tamen de restituendo prioribus, & antecessoribus creditoribus, &
3 ideo cum dictus Hierutius vigore dictæ obligationis molestetur bene potest agere ex primæua actione contra dictos Aromatarios non obstante d. satisfactione saltem vtili actione ex æquitate, *Rota coram Tan. decis. 117. & in causa Romana anterioritatis 4. mensis Februar. anni 1608. & in Romana Census 20. Februar. 1612. coram R. P. D. meo Pamphilio,* vbi firmatur prædicta non procedere, vt census reuiuiscat, sed solum operari ad effectum recuperationis sortis principalis, & fructuum ante talem solutionem decursorum.

Nec enim potest dici pecunias d. Equiti
5 cum hac lege consignatas esse suas cum possint ab anterioribus alijs creditoribus vindicari *l. solum ff. de rei vindic.* Vnde cũ
6 dicta † obligatio de restituendo reseruet Ius creditoribus anterioribus, qui hodie molestant dictum Equitem pecuniæ habẽtur, ac si non essent ab ipso receptæ, *Castr. in l. si procuratoris §. si plures nu. 5. vers. quid autem ff. de tributor. act.*

Nec etiam obiici potest dictum Equitẽ præ-

præsumi satisfactum cum non reddiderit compntum, & habuerit in manibus pretiũ Drogariæ eiusq; libros cum appareat eam fuisse venditam de consensu Deputatorum Vniuersitatis prævio Iudicis Decreto, & citra innouationem & præiudicium quorumcunque Iurium dicti Ascanij & libros fuisse consignatos Exactori communiter deputato ex quibus cessat præsumptio satisfactionis intratque trita Iuris regula præsumptionem veritati cedere.

Nec obstat denique alias coram A. C. proposita exceptio cedendarum ex quo d. Eques Ascanius liberauit aliquos Aromatarios. Patet enim responsio quod illi Aromatarij, qui accesserunt dictæ obligationi de restituendo prioribus non sunt ex illis 13. Aromatarijs, qui sunt obligati pro censu scut. 1100. & isti 13. recognouerunt bonam fidem sicque cum non haberent releuatores contra quos agere possent non potest admitti exceptio cedendarum.

Vltra quod dicta liberatio fuit facta salua obligatione, & promissione dictorum Aromatariorum liberatorum de releuando dictum Equitem Ascanium indemnem vt patet ex tenore Instrumẽti, vnde sequitur hac præseruatione stante non induci nouationem cum hæc liberatio sit conditiona-
7 lis, † quæ nihil ponit in esse & nihil operatur quo vsque cessent molestiæ illatæ dicto Equiti, *l. cum ad præsens vbi Ias. num. 2. ff. si cert. petat. Bart. in l. à Titio in princ. & ibi Ias. num. 5. ff. de verb. oblig. Felin. in c. si cautio num. 13. ff. de fid. instr. cum alleg. per Mantic. decis. 297. num. 6.*

Et ita decisum vna tantum parte informante altera sæpius citata, & non comparente.

## FIRMANA HAEREDITATIS.

*Mercurij 27. Ianuarij 1621.*

### ARGVMENTVM.

Institutio mutua regulariter non dicitur prohibita, quando fit t. men ex mutua, & simplici affectione, secus si conditionaliter facta sit, scilicet ad aucupandam alienam hæreditatem, & reijcitur Sarmien. opinio, dum non benè sentit, vt institutiones captatoriæ dicantur, sufficiat esse correspectiuas, licet dispositiones non sint conditionales, quia nihilominus iudicandum est, à conuentione processisse &c. ac recipitur opinio Cuiaci, qui non ex proprio capite, sed cũ textibus locutus est in hac materia.

### SVMMARIVM.

1 *Institutio mutua non damnatur, nisi per adiectionem conditionis excludatur mutua affectionis ratio.*
2 *Institutio captatoria à iure reprobata, vt intret, non est necesse vt dispositio sit conditionalis, sed sufficit vt sit correspectiua ad altam.*
3 *Correspectiuitas sola ex eo, quia duo ad inuicem heredes se instituant, non excludit, quin institutio possit à sola mutua affectione procedere.*
4 *Fratres ratione sanguinis, & ad perpetuanda bona in agnatione præsumũtur moueri ad inuicem se instituendum ex mutua affectione.*
5 *Institutiones, vt tanquam captatoriæ irritentur, oportet, vt sint factæ sub specie vicissitudinariæ institutionis.*
6 *Captatoriæ voluntates dicũtur illæ, quæ fiunt repræsentandi futuri nondum accepti beneficij.*
7 *Captatoriæ voluntates non illæ dicantur, quæ repræsentant iam receptum beneficium.*
8 *Hæreditas, quotiescumque alicui obuenit ob aliquod eius meritum, tunc non potest dici institutionem esse captatoriam.*
9 *Sarmient. select. interpret. lib. 2. cap. 4. nu. 2. dum sentit solam correspectiuitatem absque conditione sufficere ad inducendam captatoriam institutionem reycitur cum loquatur ex proprio capite.*
10 *Cuiac. in l. captatoria ff. de hæred. instit. opinio recipitur, cum fundat eius opinionem in l. ille autem ff. eodem.*
11 *Captatoria non dicitur illa institutio, quæ in præteritum, & non in futurum est collata.*
12 *Contra Sarmient. select. interpret. lib. 2. c. 4. n. 2. est communis opinio.*
13 *Decis. Seraphin. 359. in quibus terminis loquatur.*
14 *Institutiones quando sunt correspectiuæ vna ad aliam, tunc vna reuocata dicitur quoq; altera reuocata.*

### DECISIO CCXCVI.

SVB die 7. Iunij 1619. fuit resolutum Institutionem Mandricardi factam ab Isidoro eius germano fratre non esse captatoriam cui resolutioni cum Eneas non ac-

acquiesceret hodie causa reproposita Domini resolutionem confirmarunt Moti ex eo quod licet Isidorus & Mandricardus eadem die coram eodem Notario & Testibus se vicissim hæredes instituerint id tamen purè fecerunt nulla addita conditione ex qua intelligi possit, quod non mutua affectione, sed animo occupandi siue corripiendi fraternam hæreditatem ad id dispo-
1 nendum processerint † non damnatur vero mutua institutio, neque captatoria censetur nisi per adiectionem conditionis excludatur mutuæ affectionis ratio, *l. captatorias 70. l. illa autem institutiones ff. de hæred. instit. Cuiac. ad lib. 6. resp. Papin. in eadem l. captatorias Suar. in l. quoniam in prioribus in declaratione l. Reg. limit. 5. num. 11. & seq. C. de inoff. Test. Ant. August. Alciat. Coras. Vasq.* & alij quos plenè cum alijs refert, *Menoch. cons. 409. nu. 2. Pereg. de fideicom. art. 33. sub num. 62. & Surd. dec. 98. sub. n. 4.*

Neque ab hac receptissima traditione censuerunt Domini esse recedendum ob solius *Sarmien. opinionem qui selectarum interpret. lib. 2. cap. 4. num. 2.* substinere cona-
2 tus fuit † non esse necesse, vt dispositio sit conditionalis, sed sufficere vt sit correspectiua ad aliam cum exindè iudicandũ
3 sit à conuentione processisse, nam † sola correspectiuitas à Sarmien. deducta eo quia duo ad inuicem hæredes se instituant non excludit quin institutio possit à sola mutua affectione procedere præsertim ve-
4 ro † inter fratres qui ratione sanguinis, & ad perpetuanda bona in agnatione præsumuntur moueri ad se inuicem instituendũ ex mutua affectione, *Dec. cons. 561. num. 4. Paris. cons. 20. num. 11. lib. 2. plenè Peregrin. cons. 34. num. 1. lib. 5.*

Sed & quin imò ad tollendam mutuæ affectionis præsumptionem & ad inducendam contrariam, vt dispositiones processerint à præuia conuentione, & sic tanquam
5 captatoriæ irritentur † nec sufficit si vnus alium instituat eo quia iam fuit ab eo vicissim institutus, sed oportet vt sit facta institutio sub spe futuræ vicissitudinariæ in-
6 stitutionis † Illæ enim tantummodo dicuntur captatoriæ voluntates, quæ fiunt causa repræsentandi non dum accepti beneficij,
7 quæ verò repræsentant iam receptum non improbãtur, vt benè deducit, *Cuiac. ad prædictam l. captatorias*, qui scitè animaduerte-
8 tit † quascumque hæreditates, & legata nobis non sine causa obuenire ob meritũ aliquod nostri & hinc non esse damnatam institutionem sub ea forma factam qua ex parte me Lucius Titius hæredem scripsit ex ea parte mihi Lucius Titius hæres esto.

9 Quod si vera esset Sarmien. opinio, vt sola correspectiuitas sufficeret non aliàs adiecta conditione in futurum concepta Institutio sub prædicta forma facta nõ substineretur, quia correspectiuitas quam solam exigit Sarmien. in illa videtur expressa, & tamen Cuiac. non ex proprio capite fuit loquutus cum dictam formulam ponat *Papinian. in l. illæ autem 71. ff. de hæred. instit.* qui Papin. explicitè subdit ideo institutionem ità conceptam non esse captatoriam,
11 quia in præteritum non in futurum collata est.

12 Sed & † contra tradita à Sarmien. communis est opinio quam tex. *Oldrad. consil. 174. Bal. cons. 276. lib. 1. Suar. in d. l. quoniam in prioribus in declaratione l. Reg. limit. 5. nu. 11. Petr. Pecch. de Testam. coniug. lib. 1. cap. 17 num. 1. & cap. 18. num. 1. & alij alleg. per Tiraquel. de primog. quæst. 68. & latius per Peregr. cons. 31. num. 29. in fin. & cons. 32. nu. 9. & cons. 34. nu. 1. lib. 5.*

Neque huic casui censuerunt Domini
13 applicari posse *decis. Seraph. 359.* † quia ibi dispositio erat conditionalis non autem simpliciter facta, & quæ ideo posset dici prouenisse à mutua affectione.

Quia vero prætenditur ab Enea Institutionem Isidori esse correspectiuam ad institutionem de illo factam per Mandricar-
14 dum, & ideo ea reuocata censeri deberet, & istam reuocatam fuit dictum, vt super hoc particulariter audiatur.

Et ita decisum vtraq; parte informante.

## FERRARIEN. DOTIS.

*Sabbati 28. Ianuarij 1621.*

### ARGVMENTVM.

Attentata vt purgata dici valeant quæ sint necessaria.

### SVMMARIVM.

1 *Attentata vt possint dici purgata res debet reduci ad eumdem statum in quo erat tempore, quo fuit attentatum.*

2 *Appellatione pendente non est dubium quin omnia gesta dicantur attentata.*

3 *Factum alterius non præiudicat tertio.*

DECISIO CCXCVII.

Attentata non controuertuntur, sed solum dubitatum fuit an D. Catharina Barona sufficienter dicta attentata purgauerit & Domini negatiuè responderunt.

1 Nam ad hoc vt attentata possint dici purgata res debet reduci ad eumdem statum, in quo erat tempore quo fuit attentatum, vt bene deducitur in *decis. R. P. D. mei Buratti 16. Nouembris 1618.* in hac causa facta quod in proposita facti specie non reperitur factum cum libræ 2241. penes Rondinellum depositatæ ante sequestrum appositum ad instantiam Catharinæ, & illarum cõsignationem factam penes Montem Pietatis essent omninò liberæ absque vllo vinculo & obligatione possetque Superbus de illis ad libitum disponere absque alicuius citatione vel alio adimplemento & depositum illarum vltimò loco factum penes Montem non fit liberum, sed sub expressa conditione, quod deberent remanere sub sequestro, & non solui nisi de mandato Rotæ, & citata dicta Catharina propterea attentata non possunt dici in pristinum statum reducta.

Non obstat, quod de tempore inhibitionis Rotalis iam istæ pecuniæ reperirentur sequestratæ penes Rondinellum, Placuit enim responsio, quod attentata non solum prætenduntur ob gesta post dictam inhibitionem, sed etiam ante pendente ap-

2 pellatione † qua stante non est dubium quin omnia gesta dicantur attentata, & propterea nõ potest controuerti quin etiã dictum sequestrum factum post appellationem etiam ante inhibitionem fuerit attentatum, *c. non solum de appellat.* cum certum sit quod ab illa sententia dabatur appellatio, vt fuit decisum in hac causa die 14. Martij 1614.

Nec denique sequestrum potest sustineri ex eo quod fuerit renunciatum appellationi, & lite non subsistente attentata nõ dentur placuit enim responsio, quod talis renunciatio nõ legitur facta à Superbo cui

3 non † præiudicat factum alterius, *Felin. in c. ex parte il 2. num. 2. de rescript. Gabr. cons. 36. nu. 5. lib. 1. Rot. decis. 191. n. 4. & dec. 391. n. 3. p. 2. in recent.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

FIRMANA HAEREDITATIS.

*Lunæ 15. Martij 1621.*

ARGVMENTVM.

Correspectiuæ licet quando sunt duæ dispositiones, si vna deficiat, altera quoque necesse est, vt corruat, tamen regula ista non est perpetua, ideoque potissimum cessat, quando subiecta materia id non patitur, veluti si simus in duobus testamentis correspectiuis, cum ambulatoria sit humana voluntas, vsque ad supremum vitæ spiritũ, vndè si vnus reuocet testamentum, alius nõ censetur quoque mutare suum, dum aliud non disponit.

SVMMARIVM.

1 *Correspectiuitas tunc operatur, vt vna ex dispositionibus reuocata, censeatur quoque altera reuocata, quando materia subiecta id patitur.*

2 *Vltimarum voluntatum natura est, vt sit ambulatoria vsque ad supremum vitæ spiritum.*

3 *Testator vsque ad mortem habet liberam disponendi voluntatem.*

4 *Haredes, qui inuicem se instituerunt, non debent coarctari, vt si alter reuocet dispositionem, non possit alius, vel propriam reuocare, vel cum illa decedere.*

5 *Contractum aliquem celebrans, censetur se accommodare ad naturam ipsius contractus.*

6 *Hæredes, qui inuicem se instituerunt consequens est, voluisse sic se inuicem instituere, vt cuilibet ipsorum remaneret libera reuocandi facultas.*

7 *Testamenti reuocatio pendet ab ipsa voluntate testatoris.*

8 *Fratres, quando inuicem se instituerunt hæredes, censendum est id fecisse ratione mutuæ affectionis, & vt bona permaneant in familia.*

9 *Quæ affectio erga fratrem & agnationem, cũ non pendeat ab interesse vicissitudinaria institutionis, sic reuocata vna, non potest dici sublata altera.*

10 *Institutiones, vt dicantur correspectiuæ, ita vt sublata vna, censeatur quoque altera sublata, quid sit necessarium.*

11 *Argumentum deductum à correspectiuitate, remanet æquiuocum, si causarum diuersitas considerari possit.*

12 Ha-

12 *Haeredes, qui inuicem se instituerunt, tunc ab vno reuocato testamento, censetur, & aliud reuocatum, si probetur absque ista vicissitudine non fuisse eos sic disposituros.*

13 *Haeredes, si duo inuicem se instituerint, & vnus moriatur prius reuocato testamento, tunc si superstes propriam voluntatem noluerit mutare, signum est euidens voluisse cum ea decedere.*

## DECISIO CCXCVIII.

DOMINI inhærendo resolutioni captæ sub die 7. Iunij 1619. censuerunt correspectiuitatem resultantem ex institutione facta eadem die & coram eodem Notario ab Isidoro de Mandricardo fratre & vicissim à Mandricardo de Isidoro non potuisse efficere, vt reuocato pro Mandricardo testamento dispositio Isidori reuocata pronuncianda sit.

1 Nam tum demum † correspectiuitas facit vt vna ex dispositionibus reuocata alia tollatur si materia subiecta id patitur, vt per *text. in l. cum eiusdem ff. de edilit. edict. & post Bal. & Castren. in l. petens C. de pact. tradit. Mandell. consi. 45. n. 3.*

Materia autem vltimarum voluntatum
2 non est talis quia † de sui primordiali natura est vt sit ambulatoria, ita vt semper testanti vsque ad mortem libera disponendi ac mutandi dispositionem facultas ma-
3 nere debeat quo fit, vt † qui vicissim se hæredes instituerunt non debeant arctari, vt si alter reuocet dispositionem nõ possit alius, vel propriam reuocare, vel cum illa
4 decedere, sed quin imò † cum ad testandũ accesserunt censendi sunt accommodasse propriam intentionem ad naturam actus
5 omninò & semper reuocabilis, & qui ab alterius voluntate pendere non potest, ac
6 in consequens voluisse sic se vicissim instituere vt cuilibet ipsorum maneret libera
7 reuocandi facultas & reuocatio ipsa penderet à propria voluntate ex quo nulla deceptio contingere potest, quia ità fert natura actus quem gesserunt, vt bene ponderat *Corn. cons. 159. num. 1. vers. quibus tamen non obstantib. lib. 4.* ac post illum *Vasq. de success. resol. lib. 1. §. 1. n. 10.*

Idque faciliùs dixerunt Domini procedere debere in dispositione duorum fratrũ, qui censendi sunt se instituisse vicissim ratione mutuæ affectionis, & vt bona perpe-
8 tuarent in Agnatione, vt per *Dec. cons. 561. num. 4.* & alios fuit in præterita decisione firmatum, quæ ratio affectionis erga fratrẽ
9 & agnationem, vt non pendet ab interesse vicissitudinariæ institutionis ita reuocata vna non potest dici sublata altera.

Et hinc sequitur quod vt coniectura à correspectiuitate desumpta cõcludat opus
10 esset constare quemlibet ex fratribus motum fuisse ad disponendum ea sola ratione, quia vicissim ab alio fratre instituebatur, ità vt possibilitas, quod ratione affectionis esset motus excluderetur vti in proposito iudicandi voluntatem captatoriam, fuit in alia decis. ponderatum, & bene cõprobat *Alciat. in l. licet numer. 2. C. de pact.* Dum ponderat quod potest concurrere mutua affectio, ac etiam consideratio mutui præmij & ideo data diuersitate causarũ
11 argumentum deductum à correspectiuitate remanet æquiuocũ, & id etiam est quod voluit, *Alex. in l. cum donationis nu. 7. vers. tamen potest respondere C. de transact.* dum
12 firmat quod ita demum defectus causæ facit cessare vltimam dispositionem si probetur testatorem alias sine illa dispositurum non fuisse.

Demumque ponderarunt Domini quod
13 Mandricardus prædecessit neque Isidorus per quinque annos quibus superuixit propriam voluntatem curauit reuocare signũ euidens, quod voluit eum illa decedere quamuis Mandricardus propriam voluntatem mutasset.

Ex quibus & alijs fusissimè deductis per informantes pro D. Cap. Alexandro Roberto Domini vnanimi voto vtraque parte informante responderunt testamentum Isidori per mutationem vltimæ voluntatis Mandricardi non fuisse reuocatum pro vt in decisionibus in hac causa factis fuerat resolutum &c.

Et ita &c.

## TREVEREN. BONORVM.

*Lunæ 21. Martij 1621.*

## ARGVMENTVM.

In alienatione bonorum Ecclesiæ copulatiuè requiritur causa, & solemnitas, Beneplacitum Apostolicum in alienatione bonorũ Ecclesiæ, hodie vigore Paulinæ est necessarium sub pœna nullitatis alienationis.

Alienatio bonorum Ecclesiæ, licet fiat in aliam Ecclesiam, nihilominus requiruntur solemnitates.

## SVMMARIVM.

1 *Bona Ecclesiæ, quando alienantur duo copulatiuè requiruntur causa scilicet, & solemnitas .*

12 *Beneplacitum Apostolicum hodiè requiritur in alienatione bonorum Ecclesia .*

3 *Alienatio bonorum Ecclesia facta sine beneplacito Apostolico est nulla .*

4 *in Alienatione bonorum Ecclesiæ si interuenerint solemnitates de iure requisitæ, non requiritur beneplacitum Apostolicum, sed ista fuit opinio Beroi semper à Rota reprobata , & in quo d. Berous fallatur, num. 5 .*

6 *Constitutiones frustratoriæ essent , si se non extenderentur vltra terminos iuris communis .*

7 *Ecclesia quando alienat in aliam Ecclesiam , an sint necessaria solemnitates requisita in alienationibus bonorum Ecclesia, & n. 8.*

9 *Cultus diuinus potest esse maior in vna, quam in alia .*

10 *Ecclesia vni non est danda occasio alteram spoliandi .*

11 *Alienatio bonorum Ecclesia , si fiat in alteram Ecclesiam etiam de iure communi sunt necessaria solemnitates .*

12 *Beneplacitum Apostolicum , si in alienatione bonorum Ecclesia de consensu partium requiratur, & sub hac conditione fuerit conclusum .*

*Tunc illo deficiente contractus dupliciter est nullus .*

13 *Gratia Papa quando est in forma simplicis commissionis , & non est præsentata , expirat per mortem Papæ .*

14 *Iudicandum non est iuxta formam supplicationis .*

15 *Gratia forma , si non seruetur , irrita redditur ipsa gratia .*

## DECISIO CCXCIX.

DOMINI vnanimiter venditionem fuisse nullam & inualidam responderunt , est enim clara Iuris conclusio in
1 alienatione † rei Ecclesiæ duo copulatiuè requiri causam & solemnitatem, *c. sine exceptione 12. quæst. 2. c. 1. & 2. de reb. Eccles. non alien. Card. Mant. decis. 41. num. 1.* & fuit sæpissimè decisum . Quicquid enim sit vtrum adsit causa tamen cum deficiat beneplaci-
2 tum Apostolicum † quod hodie requiritur vigore Constitutionis Pauli II. *Cas. de Grass. dec. 4. in fin. de reb. Eccles. non alien. Nauar. in Commen. de alien. rei Eccles. num. 19. Card. Mant. d. dec. 41. Ricc. in prax. resol. 383.*
3 *num. 1.* & fuit sæpissimè resolutum sequitur pernecesse istam venditionem fuisse ex defectu Beneplaciti nullam præcipuè cum agatur de bonis iurisdictionalibus , & magnæ considerationis .

4 Non obstat, quod vbi interuenerunt solemnitates de iure requisitæ non requiritur Beneplacitum, vt dicit *Bero. cons. 91. n. 18. lib. 1.* Nam (vltra quod de hoc multum Domini dubitabant ) eius opinio semper fuit à Rota reprobata fallitur enim Berodum ponderat verba constitutionis , ibi , *præterquam in casibus à Iure permissis.* Nam illa important limitationem quando non debet seruari solemnitas Paulinæ, vt patet ex lectura Constitutionis, & declarat *Caiet. in summ. ver. excommunicatio c. 75. Stephan. Quarant. in compend. Bullarij & in ver. alienatio rerum Ecclesiæ num. 5. & 39.* qui casus enumerantur à *Barthol. Peret. in d. extrauag. ambitios. in ver. præterquam in casibus à Iure expressis n. 1. & seqq.* frustratoria enim esset
6 Constitutio Paulina si non extenderetur vltra terminos iuris communis .

Minus etiam visum fuit obstare , quod
7 Paulina , non habeat locum quando vna Ecclesia alienat ad fauorē alterius , vt latè deducebant informantes pro Collegio põderando, verba illa Paulinæ *prophanis vsibus applicare*, quæ non possunt conuenire quando vna Ecclesia alienat in aliam Ecclesiam . Nam fuit responsum Constitutionem non niti hac sola ratione , sed vl-
8 terius progredi ibi , Aut cum maximo illarum ac Diuini cultus detrimento exquisitis modis vsurpare præsument, quæ verba possunt conuenire , vbi fit alienatio in
9 aliam Ecclesiam, quia cultus Diuinus potest esse maior in vna quam in alia Ecclesia , & daretur occasio vni Ecclesiæ aliam spoliandi, vt notat *Hostien. in c. de reb. Eccles. non alienan. in 6. & ibi Io. Andr. num. 2.* & in terminis alienationis inter duas Ecclesias respondit *Rota in Neapolitana Spolij Mercurij 3. Iunij 1601, coram bo. mem. Card.*
11 *Lancellotto*, & optima ratione , quia etiam de iure communi requiruntur solemnitas vbi fit alienatio in aliam Ecclesiam, *cap. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6. Abb. in cap. tua nu. 4. & ibi Dec. de his qui fiunt à maior. part. Prælat. Dec. cons. 174. num. 1. Rot. decis. prima, de reb. Eccles. non alienan. in nouiss. cum allegatis .*

Et quod omnem sustulit scrupulum illud est quod ex partium conuentione illud Bene-

Beneplacitum fuit requisitum. Nam Capitulum dedit mandatum procuratoribus ad vendendum sub beneplacito Apostolico, & patres illud obtinere pro-
11 prijs sumptibus promiserunt, ex quo sequitur contractum fuisse inualidum non solum ex defectu solemnitatum, sed etiam consensus, qui censetur deficere eo ipso quod deficit beneplacitum consensui correspectiuum *Aym. consil.461. numer.39. in fin. Rot. in recent. decis.428. nu.6. & 7.to.1.*

Non obstat ex confessione Capituli cõstare de beneplacito Apostolico, quia in prohibitis non statur assertioni partium praecipuè in Ecclesiae praeiudicium, *Gemin. in cap.1. de reb. Eccles. non alien. in 6. Calder. cons.4. de reb. Eccles. non alienan. Rot. diuers. dec.607.n.2. & dec.572.n.3.p.1.*

13 Nec visa fuit suffragari supplicatio à fel. record. Clement. VIII. signata quia illa est in forma simplicis commissionis neque fuit praesentata, & ideo per eius mortem expirauit, *Bald. in l. vlt. num.3. vers. & ista conclusio de offic. deleg. & in terminis Card. Mantic. d. decis.41.n.2.* & postea fuit dictum in vna *Ferrarien. bonorum die 19. Ianuarij 1615. coram me.*

Quod multo magis hoc casu Domini dixerunt esse recipiendum, quia fuit apposita clausula in litteris latissimè extendenda, quae operatur, vt fuerit necessaria litterarum expeditio. Vnde illis non expe-
14 ditis obstat regula de non iudican. iuxta formam supplicationis, vt respondit *Rot. in d. dec. Card. Mant. dec.41.n.3.*

Nec etiam supplicatio signata in Actis exhibita vllo modo potest inseruire pro confirmatione venditionis, nam in ea expressè Papa mandauerat, vt vnico contextu inuestiretur pretium in rebus stabilibus
15 vtilioribus Mensae Capitulari, quae forma cum non doceatur adimpleta redditur irrita gratia beneplaciti *cap., cum dilecta de rescriptis*, & in terminis fuit decisum in vna *Valentina Baroniae 10. Martij 1613. coram Reuerendiss. Attrebaten.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

ROMANA LVCRI DOTIS.

*Lunae 8. Martij 1621.*

ARGVMENTVM.

Mandatum de manutenendo debetur habenti possessionem de tempore motae litis.

*SVMMARIVM.*

1 *Mandatum de manutenendo datur ei de cuius possessione constat de tempore motae litis.*
2 *Solutio probatur ex partitis banchi.*
3 *Fideiussor non est qui in instrumento est obligatus vti principalis.*
4 *Sententia per appellationem suspensa non tollit effectum possessorium.*

DECISIO CCC.

DOMINI dixerunt contra D. Abbatem Branconium dandum esse mandatum de manutenendo in quasi possessione exigendi fructus census de quo agitur,
1 quia constat de possessione D. Victoriae de tempore motae litis, *§. retrouendendae initit. de interdict. Abb. & Rip. in cap. cum Ecclesia Sutrina ille num.22. iste num.32. de caus. poss. & prior. Guidopap. dec.24.* qui loquitur de actu solutionis factae, & maximae ex instrumento in quo apparet soluta fuisse scu.90. in hâc causam dictae Victoriae per Abbatem Branconium mediantibus quibusdam Ban-
2 chis. Vnde apparet de actuali, & reali solutione praecipuè cum dictae partitae fuerint extractae ab ipsomet Notario rogato instante D. Ioanne Baptista principaliter obligato, vt in Summar. additionali *Bart. in l. solutiones ff. de solution. Puteus dec. 163. libro 1.*

Et licet dicatur dictum Abbatem fuisse solum fideissorem, quia ipse in Instrumento dotali est obligatus vti principalis, &
3 Victoria contra ipsum vti principalem dirigere potest actionem, & executionem & petere potest mandatum de manutenendo à quo dictos fructus exegisse probatur.

Non obstat sententia declarans Victoriam teneri accipere tot bona in solu-
4 tum in Territorio Aquilae, quia dum illa est suspensa per appellationem non tollit effectum possessorium ex quo remanet sine effectu ante rem iudicatam, *l.1. ad Tertull. t. veniens de iur. iur.*

Et ita decisum vtraque parte informante &c.



## ROMANA CENSVS SEV DROGHERIAE.

*Luna 8. Martij 1621.*

### ARGVMENTVM.

Obligati extinguere censum non sunt liberati per consignationem pecuniarum alicui factã sub fideiussione de restituendo Prioribus & potioribus, quando superuenerunt molestiæ.

### SVMMARIVM.

1 *Obligatio de liberando fundum non consumitur per solutionem factam cum obligatione de restituendo creditoribus prioribus.*

2 *Obligatio de conseruando indemnem comprehendit quodcumque genus molestiæ.*

3 *Actio vtilis est subsidiaria, & tanquam data à lege non subiacet iudicio executiuo.*

4 *Relatum qualificat & determinat referens.*

### DECISIO CCCI.

ITERVM causa proposita vtraque parte informante censuerunt Domini mandatum ad fauorem Equitis Ascanij contra 13. Aromatarios relaxatum esse executioni demandandum, & ita steterunt in decisis sub die 14. Decembris prox. præt. coram me ex rationibus fusè deductis in dicta decisione.

Considerarunt enim primæuam illam obligationem 13. Aromatariorũ non fuisse extinctam per solam extinctionem census. Promiserunt enim Censum extinguere, & fundũ pro sorte obligatum libe-
1 rare, & affrancare liberè. Vnde cum scuta 1200. pro extinguendo Censu fuerint cõsignata d. Equiti Ascanio sub fideiussione de restituendo prioribus, & potioribus per quam dici non potest eorum obligatio cõsumpta, *l. 1. & 2. ff. de vsufr. earum rerum Franc. decis. 75. num. 8. & decis. 200. numer. 4.* semper erit dicendum, vel quod redemptio Census facta fuerint cum dicta pecunia vinculata, & sic intrat vtilis actio pro conseruanda d. sorte iam soluta, vel quod Eques Ascanius Censum de sua propria pecunia redemerit, & tunc intrat alia pars obligationis de conseruando eum indem-
2 nem quæ obligatio latè etiam comprehendit quodcumque genus molestiæ ad effectum obtinendi liberationem, *Bald. in l. final. §. fin. lib. 7. C. de vsur. rei indic.*

Nec reuocari potest in dubium obligatio dictorum Aromatoriorum pro vt in Sũmario, quod datum fuit in priori positione num. 1. in quo hæc verba leguntur, ac eosdem Vincentium Rugerium, & hæredes q. Horatij Hierutij pro dicta rata liberare, & indemnes conseruare, ac infra quinque annos ab hodie &c. censum prædictum extinguere &c. promisit &c. Ex quibus dignoscitur clare obligatio dictorũ Aromatoriorum, qui non solum tenentur ad extinctionem Census pro liberatione fundi, sed etiam ad liberandum ab omnibus molestijs dictum Equitem, & successiuè conseruandum eum indemnem, vnde sequitur vigore dictæ obligationis potuisse executiuè agere iuxta formam prædicti Instrumenti obligatione Camerali vallati.

Prout nec reuocarunt in dubium molestias cum contra dictum Equitem fuerit relaxatum mandatum, quod datum fuit in Summario præteritæ positionis numer. 4. nec tenetur expectare dicti mandati executiui executionem ad hoc vt iustificet molestias & factus fuerit locus obligationi dictorum Aromatariorum.

Non obstat, quod Eques Ascanius sibi imputare debeat, quod pecuniam vinculatam receperit. Quia Aromatarij docere debent ad arguendam culpam, quod liberam potuisset recipere absque onere cautionis præstandæ &c.

3 Neque etiam obstat, quod actio vtilis sit subsidiaria, & tanquam data à lege non subiaceat iudicio executiuo *Mant. dec. 218 n. 7. cum alys alleg.* Quia semper inhæret virtualiter priori obligationi, quorum reliquiæ extare videntur, sed nihilominus comprehenditur sub promissione indemnitatis, quæ æquè principaliter promissa fuit.

Nec obstat denique, quod dicitur mandatum fuisse excessiuum, & relaxatum contra omnes insolidum contra formam obligationis quæ est pro rata tantũ, dum enim mandatum refertur exprefsè ad obligatio-
4 nem, & sit relaxatum contra singulos illorum cum dicta relatione satis superque remanet iustificatum vulg. *l. Asse toto ff. de hær. instit.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

PAR-

PARMEN. PRIORATVS.

*Sabbati 23. Iunij 1621.*

ARGVMENTVM.

Reseruatio cessat in beneficijs de iurepatronatus, & de isto quando dicatur constare fusè discutitur.

*SVMMARIVM.*

1 *Breuis executio vt detur, requiritur clara, & aperta reseruatio, super qua Breue fundatur.*

2 *Reseruatio non intrat in beneficijs iurispatronatus, & num. 7.*

3 *Fumus iurispatronatus sufficit, vt cesset executio breuis stante clausula,* arbitrio.

4 *Præsentationes in iurepatronatus censentur effectuatæ dum per obitum præsentatorum fuerunt aliæ factæ.*

5 *Iuspatronatus dicitur probatum ex fundatione, & dotatione si constet de præsentationibus per centum annos effectum sortitis.*

6 *Descendentiam ab ijs, qui fuerunt in quasi possessione præsentandi sufficit probare ad effectum pertinentiæ iurispatronatus.*

7 *Iuspatronatus ex priuilegio cadit sub regula reseruatoria, num.*8.

9 *Iura ad hoc vt faciant fidem in alia causa in vim Innocentianæ debet constare fuisse authentica, & originaliter producta.*

10 *Sumptum de sumpto nullam facit fidem.*

11 *Verba præsentationum, quod iuspatronatus competat de iure, & de antiqua consuetudine intelligi debent de iure valido, & sic ex augumento dotis, quod æquipollet concessioni.*

12 *Asserens iuspatronatus esse ex priuilegio debet docere augmentum non fuisse æquiualens.*

13 *Cardinali ex Concil. Lateranen. non potest conferri beneficium minoris valoris ducatorum* 200.

14 *Valor expressus cum dictione,* vltra, *non probat certum, & verum valorem.*

15 *Exceptio non requirit altiorem indaginem, quando dubietas prouenit ex replicatione.*

DECISIO CCCII.

DOMINI censuerunt intrare arbitriū pro retardatione executionis Bre-
1 uis, quia vt detur executio requiritur clara, & aperta reseruatio super qua Breue fundatur, *Gonzal. ad reg. 8. in proœm. §. 3. num.* 216. & fuit sæpissimè decisum, & signanter in vna *Elnen. beneficij Veneris* 19. *Decembris* 1614. *coram me.*

Et licet in cōfessio sit apud partes Prioratum vacasse in mense Augusti reseruato
2 tamen † cum pro parte Nicolai rei, & possessoris allegetur iuspatronatus, cessat
3 reseruatio, & per consequens executio, & stante clausula, *arbitrio*, sufficeret etiam si non adesset concludens, & plena probatio magnus fumus, *Gonz. ad reg. 8. glos. 9. §. 1. & ad not. num. 286. & seq. Rot. in rec. dec. 413. num. 2. vers. fuit responsum, & decis. 658. num. 1. par. 1.* fuit dictum in dicta *Elnen. coram me*, & in alijs causis ibi relatis.

4 Dantur enim præsentantiones 150. annorum effectum sortitæ dum per obitum præsentatorum fuerunt aliæ factæ iuxta *cons. Oldrad.* 229. toties in Rota Canoniza-
5 tum, ex qua † continua quasi possessione præsentandi vltra 100. annos certum est resultare præsumptiuam probationem iurispatronatus ex fundatione, & dotatione cum simus in personis priuatis fuit sæpissime dictum, & signanter in *Lancianen. Archipresbyteratus 2. Maij 1616. coram R. P. D. meo Buratto in Lucana Iurispatronatus 1. Iulij 1619. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno, & in illa Lucana Iurispatronatus 1. Iulij 1619. coram me.*

Non obstat super dictis præsentationibus fuisse motam litem in Rota coram Cardinali Mantica, quia vt constat ex decisionibus tunc factis, & signanter ex decisione 88. in princ. sola pertinentia non autem existentia iurispatronatus fuit in controuersiam deducta.

Nec obstat non probari descendentiam eorum, qui præsentarunt Nicolaum à pa-
6 tronis. Nam quicquid sit an fuerit probata descendentia ab alijs, qui fuerunt in quasi præsentandi possessione, quod sufficeret *Rota in recent. decis. 224. in fin. par. 1.* & fuit sæpissimè decisum satis est Nicolao
7 reo, & possessori ostendere beneficium esse de iurepatronatus, quod excludit reseruationem, & pro retardatione executionis sufficit magnus fumus.

Non obstat præcipuum fundamentum, quod informantes pro Octauio prouiso Apostolico faciebant nempè Prioratum esse de iurepatronatus ex augmento dotis concesso à Ioanne V. & confirmato à Martino V. quod caderet sub regula reserua-

to-

toria 8. fuit confirmatum. in illa *Compsana coram bo. mem. Penia*, *& Litta in Paduana Iurispatronatus* 14. *Iunij* 1613. *coram Reuerendiss. D.meo Decano*, & nuper in illa *Casarugustana de Maella coram eodem*.

8 Nam plures responsiones dantur, & primo iura ad probandum iuspatronatus ex priuilegio nõ esse in forma probanti, quia licet fuissent extracta vigore Innocentianæ ex processu agitato coram Cardinali Mantica tamen non constat iura tunc producta fuisse authẽtica, & originaliter pro-
9 ducta, † prout requirebatur ad hoc, vt faciant fidem in alia causa in vim Innocentianæ, vt fuit dictum in *Hispalen. decimarum de Ayamonte* 14. *Iunij* 1610. *coram Illustriss. D. Cardinali Ludouisio*, quin imò dicitur tunc fuisse productum sumptum
10 de sumpto, quod nullam facit fidem, *Put. decis.* 427. *numer.* 2. *lib.* 3. *Rota diuers.* 733. *num.* 1. *par.* 1.

Fuit etiam responsum prædicta iura nõ fuisse tunc producta à patronis, & quatenus fuissent producta non præiudicarent his, qui præsentarunt Nicolaum cum non sint hæredes illorum.

Demum fuit responsum, quod cum Nicolaus possessor fundauerit suam exceptionem in continuatis præsentationibus vltra 100. annos, & in aliquibus dicatur cõ-
11 petere de iure, & de antiqua consuetudine, quod intelligi debet de iure valido, & sic ex augmento dotis, quod æquipollet concessioni. Octauius prouisus Apostoli-
12 cus, † qui replicat iuspatronatus esse ex priuilegio, quod cadere debeat sub reseruatione debet docere augmentum non fuisse æquiualens, *Rol. cons.* 13. *nu.* 64. *lib.* 3. *Card. Seraph. dec.* 518. *num.* 1. à qua decisione licet fuit recessum in decis. 555. & 575. tamen in dictis decisionibus non fuit ex professo discussus hic articulus, sed ex alijs rationibus fuit recessum, & in omnẽ euentum semper remanet fumus probationis d. Iurispatronatus, de quo in petitorio accuratiùs examinabitur.

Nec visum fuit aliquid cõcludere, quod Prioratus de tempore sæcularizationis retineretur per Cardinalem, cui ex Concil.
13 Lateranen non poterat conferri beneficiũ minoris valoris ducat. 200. quia non constat Prioratum fuisse collatum dum esset Cardinalis, nec constat Concilium emanasse ante dictam collationem.

Et aduerterunt Domini, quod Prioratus tunc temporis erat de mensa, & ad nutum amouibilis, & sic omnia spectabant ad Monasterium, à quo dum fuit facta dismembratio, & sæcularizatio non apparet quid, & quantum fuerit illi applicatum, & sic dos potuit esse modica.

Nõ obstat in litteris Ioannis fieri mentionem de florenis 200. quia cum fiat mentio de pluribus terris, & possessionibus, &
14 de dicto valore cum dictione, *vltra*, non potest dici constare de certo, & vero valore.

Et in omnem casum cum exceptio Nicolai sit probata, & dubietas proueniat ex replicatione Octauij, qui dicit Iuspatronatus esse ex priuilegio, ex quo augmentum non præponderat concessioni intrat regu-
15 la, quod quando dubietas prouenit ex replicatione non dicitur exceptionem requirere altiorem indaginem saltem ad effectum de quo agitur.

Et ex his Domini dixerunt cessare obiectum ex decisione Cæsaraugustana de Maella, quia ibi constat clarè fuisse datum, quid modicum, & ibi Iuspatronatus fuerat erectum infra 40. annos hoc verò supra 40. annos.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## PAMPILONEN. DE TAFALLA.

*Veneris* 13. *Nouemb.* 1620.

## ARGVMENTVM.

Iurispatronatus materia ad effectum concedendæ remissoriæ reputatur prophana. In materia prophana ad hoc, vt concedatur remissoria, quid sufficiat. Iuspatronatus in antiquissimis, quando probetur.

## SVMMARIVM.

1 *Iurispatronatus materia ad effectum dandæ remissoria dicitur prophana.*
2 *Remissoria in materia prophana, vbi articuli sunt releuantes, passim datur remissoria sine fumo.*
3 *Iuspatronatus ex quibus acquiratur.*
4 *Iuspatronatus in antiquissimis probatur fama iuncta quasi possessione 40. annorum.*
5 *Iuspatronatus initium, quãdo constat ex concessione Ordinarij, tunc non potest prætendi ex fundatione.*
6 *Iurispatronatus concessio facta ab Ordinario, vt præiudicet Patrono, qui acquisiuit iuspa-*

*iuspatronatus ex fundatione, requiritur acceptatio.*

7 *Productio scripturæ facta à Procuratore non habente speciale mandatum, ex tali productione non resultat confessio principalis.*

8 *Productio scripturæ facta in alio iudicio, & ad alium effectum non probat in diuerso iudicio.*

9 *Iurispatronatus concessio facta ab Ordinario non videtur incompatibilis, cum probatione fundationis, & dotationis.*

## DECISIO CCCIII.

DONINI recesserunt à decisis versamur enim in materia iurispatrona-
1 tus, quæ ad effectum dandæ remissoriæ dicitur prophana, *Acchil. decis. 15. de iurepa-*
2 *tronatus*, & in materia prophana vbi articuli sunt releuantes passim datur remissoria absque fumo, *Cassad. decis. 2. de dilat. Cas. de Graf. decis. 1. num. 10. eod. tit. Rot. in recent. decis. 748. num. 1. par. 1.* & fuit sæpissimè decisum.

Releuantia fuit visa clara, dum articulatur fundatio Ecclesiæ necnon augmentū dotis portionum ab immemorabili tempo-
3 re, ex quibus acquiritur iuspatronatus, & cum versemur in antiquissimis sufficit ad
4 illud probandum fama, iuncta quasi possessione quadraginta annorum stante declaratione Sac. Congregationis Illustrissimorum Interpretum Sac. Concil. Trident. cuius copia data fuit.

Non obstat, quod hic constet de initio ex concessione Ordinarij de anno 1496. &
5 ex cōfirmatione Alexandri VI. & ideo non posse prætendi acquisitionem ex fundatione, & augmento dotis dum constat de acquisitione ex priuilegio. Nam Bulla Alex. non loquitur de concessione iurispatronatus, sed de modo præsentandi; ex quo tollitur fundamentum super obseruantia subsequuta. Quia cum præsentationes dicantur factæ iuxta formam Bullæ Alex. debent intelligi quo ad modum datum in d. Bulla Alex. VI.

Non obstat concessio Ordinarij, quia plures responsiones fuerunt datæ. Prima
6 quod non constat fuisse per Vniuersitatem obtentam, seu acceptatam, prout requiritur, vt illi præiudicare potuisset, *Bald. consil. 1. vers. in contrarium lib. 1. Calder. cons. 1. de translat. prælator. Oldrad. cons. 304. n. 10. Couar. var. resol. lib. 3. cap. 16. num. 1. ante fin.*

Nec per productionem postea factam in lite potest dici acceptata per Vniuersi-
7 tatem. Tum quia productio fuit facta à Procuratore non habente speciale mandatum, prout requiritur ad effectum, vt ex tali productione resultet confessio, & declaratio animi ipsius Vniuersitatis, quod non haberet alium titulum, vt tenuit Rota in *Pampilonen. decimarum 10. Iuny 1610. coram Illustriss. D. Cardinali Ludouisio quæ est in recent. dec. 285. sub num. 4. par. 2.* Tum
8 quia productio fuit facta in alio iudicio ad alium effectum nempe incidenter ad effectum reuocandi inhibitionem cum causa principaliter ageretur super abusu præsentandi, vt fuit dictum in dicta *Pampilonen. decimarum*, in qua aliæ decisiones cumulantur *sub num. 4.*

Secunda responsio quæ tollit omnia deducta per informantes pro Guglielmo est,
9 quod talis concessio non videtur incompatibilis cum probatione dotationis, & fundationis, & immemorabilis cum potuerit obtineri priuilegium ad comprobationem præscriptionis, vel tituli fundationis, & augmenti dotis, *glos. in cap. nullos pluribus vers. vnde verius dicas de regulis iur. in 6. Bald. in l. 1. nu. 28. C. de furt. Abb. in cap. Abbate num. 12. de verbor. signific. & in cap. auditis nu. 12. de præscript. idem Abb. post glos. in cap. veniens num. 18. vers. item quod præscriptio, & ibi Imol. nu. 9. vers. sed si iustum esset Alex. de Neuo num. 39. de præscript. Dec. cons. 272. num. 19.* & fuit dictum in *Constantien. Iurisdictionis Vener. 16. Nouembr. 1607. coram Reuerendissimo D. meo Attrebaten.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## BONONIEN. LEGATI.

*Veneris 15. Decemb. 1623.*

## ARGVMENTVM.

Testamenti executio non est retardanda prætextu falsitatis, nisi incontinenti probandæ, quando illud fuit recognitum, & nec est abolitum, nec cancellatum, quod procedit etiam si in diuerso iudicio, in quo tamen ille, qui petit testamenti executionem, non fuit citatus, tale testamentum falsum fuit declaratum, & Notarius in pœnam vltimi supplicij fuit cōdemnatus, ac prædicta sententia executioni demandata. Notarij confessio, quod confecerit

in-

instrumentum falsum, non præiudicat tertio, nec ipsi instrumento.

*SVMMARIVM.*

1 *Testamentum, quando est recognitum, & non est abolitum, nec cancellatum, non debet retardari eius executio prætextu falsitatis, nisi ea in continenti doceatur.*

2 *Sententia, vt aliquem afficiat, debet pro eius interesse in causa citari.*

3 *Sententia lata in iudicio criminali, per quã instrumentum fuit declaratum falsum, non potest præiudicare alteri dicto instrumento vtenti.*

4 *Rota ex antiquo, & laudatissimo stylo tenet, vt sententia sine actis non probet etiam ad effectum exceptionis.*

5 *Notarij confessio, quod falsum instrumentum condidit, non præiudicat instrumento.*

6 *Confessio vnius non debet alteri nocere.*

7 *Notario asserenti, se falsum instrumentum fabricasse, non statur.*

8 *Sententia super falsitate instrumenti contra Notarium lata, an præiudicet tertio.*

9 *Iudex ferre debet sententiam secundum allegata, & probata, & non secundum scientiam priuatam.*

10 *Testamentum, quod fuerit falsum, probari potest ex multis adminiculis, & coniecturis.*

11 *Instrumento publico, vt fides tollatur, non sufficiunt coniectura.*

12 *Coniecturæ, quæ magis præponderant in concursu veniunt attendendæ.*

## DECISIO CCCIV.

ADministratores Hospitalis Mendicantium Bononiæ egerunt coram Vicario Illustrissimi Archiepiscopi Bononień pro consecutione legati ducatorum trium milliũ vigore testamenti quon: Comitis Herculis Fontanæ contra Co: Ioannem Mariam hæredem d. Herculis Testatoris obtinueruntque decretum de exequendo qua lite pendente Procurator Fiscalis Serenissimi Ducis Mutinæ prætendens Testamentum productum in actis coram R.P.D. Vicario esse falsum coram Iudice Ciuitatis Mutinæ prosecutus est iudicium criminale falsitatis non citatis neque vocatis dictis Administratoribus contra Henricum Bedinam Notarium rogatum contra quem fuit lata sententia capitalis, per quam supradictum testamentũ fuit declaratum falsum, & ipse in pœnam vltimi supplicij fuit condemnatus, quæ sententia postea fuit executioni demandata, qua vna cũ confessione d. Notarij coram dicto Vicario producta dictus Comes Ioannes Maria obtinuit sententiam absolutoriam, à qua pro parte dictorum Administratorum fuit appellatum. Causaque mihi commissa in Rota dubitaui vtrum sententia de partibus esset confirmanda, vel infirmanda, quo dubio proposito Domini pro informatione dictæ sententiæ responderunt.

Moti sunt ea præcipuè ratione, quia dicti administratores † habent intentionem
1 fundatam super testamento recognito non abolito, nec cancellato. Vnde non debet retardari eius executio sub prætextu exceptionis falsitatis nisi in continenti doceatur, *l. 2. vbi glos. l. falsum, & ibi Bart. nu. 2. Salycet. Alex. Ias. & alij*, C. *de edict. Diu. Adr. tollen.* cum alijs fusè cumulatis per *Menoch. de adipiscen. remed. 4. num. 8.* & fuit in terminis decisum in vna *Ciuitatis Castellanæ hæreditatis 17. Aprilis 1612. & 13. Iunij 1613. coram R.P.D. meo Caualerio.*

Nec visum fuit hanc exceptionem falsitatis satis probatam per sententiam in indicio criminali latam, tum quia lite pen-
2 dente debuerunt dd. Administratores pro interesse ipsorum in illo iudicio Mutinæ facto citari ad hoc, vt ipsos afficiat, tum etiam quia regulariter sententia lata in iu-
3 dicio criminali per quam Instrumentum fuit declaratum falsum non potest præiudicare alteri d. Instrumento vtenti per *tex. express. in l. 2. C. de fid. instrum. Bart. in l. denunciasse, §. quæritur, ff. de adult. Rol. cons. 13. n. 14. vol. 2. Clar. in prax. crimin. §. falsum num. 13. Boss. in tit. de fals. num. 12. Menoch. cons. 49. nu. 12. & seq. Surd. cons. 173. num. 81. & decis. 135. num. 3. Seraph. decis. 723. num. 12. & decis. 639. par. 2. in recent.* & fuit dictum in vna *Rom. Vineæ de Carcarasijs 24. Ianuarij 1622. confirmata 17. Martij 1623. coram R.P.D. meo Vbaldo.*

Quod eo magis est dicendum, quia de antiquo, & laudatissimo Rotæ stylo sen-
4 tentia sine actis non probat, nec etiam ad effectum exceptionis, *Mohed. decis. 3. n. 1. & 2. de testib. Seraph. d. decis. 615. num. 6. & 723. num. 12. & d. decis. 639. par. 2. in recentior.*

Nec obstat confessio Notarij rogati de
5 Instrumento, † qui fatetur se falsum in-

stru-

strumentum condidisse; nam non obstante eius confessione standum est instrumento
6 tum quia vnius confessio non debet alteri nocere, *l. duobus*; §. 1. *vbi Ias. de iureiur.*
7 tum quia † non statur dictio Notarij asserentis se falsum instrumentum fabricasse, *Specul. in tit. de instr. edit. §. postremo, vers. numquid. Castr. in l. seia mancipia, ff. ad vellian. cum cumulat. per Rolan. cons. 13. nu. 15. & consil. 58. num. 11. vol. 2. Surd. consil. 173. num. 81. & decis. 135. num. 2. Seraph. decis. 1300. num. 4. & 5.*

Nec obstat *cons. Bald.* 252. quia ipsemet
8 Bald. † secundum regulas iuris fatetur sententiam super falsitate contra Notarium latam non nocere tertio, sed consuluit Iudicem vt aliunde veritatem eliciat si fieri
9 potest. † Certum est autem etiam in foro conscientiæ Iudicem teneri secundum allegata, & probata sententiam ferre, & non secundum scientiam priuatam, vt post *SS. Ambrosium & Augustinum tradit S. Thomas 2. 2. quæst. 47. art. 2. per tot.*

Nec obstare visum fuit, quod dicitur adesse multa adminicula, & coniecturas
10 ex quibus dictæ sententiæ criminali, & cōfessioni Notarij potest à Iudice fides adhiberi cum verisimile nō sit testamentum factū fuisse in Hospitio luogo detto Santo Cæsareo status Mutinæ, & non in Ciuitate Bononiæ, & quod omnes testes sint præmortui antequam istud testamentum fuerit in iudicio exhibitum. Quia placuit responsio data à *Surd. d. cons. 173. nu. 86. & 87.* vbi respondit supradictis, & fortioribus præ-
11 sumptionibus † quæ non sufficiunt ad tollendam fidem instrumenti publici, nec adminiculandam confessionem Notarij in præiudicium tertij.

Quo vero ad alias coniecturas per informantes pro D. Comite adductas visæ sunt
12 admodum leues præcipue † cum pro parte Administratorum, multa fuerint in facto, & summario deducta, quæ præponderant præsumptionibus pro parte dicti Comitis adductis.

Et ex his vtraque parte informante ita fuit decisum.



## ROMANA DEVOLVTIONIS DOMVS.

*Veneris 24. Ianuarij 1624.*

### ARGVMENTVM.

Possessor anterior quando sit manutenendus aduersus posteriorem ex facto Iudicis possidentem. ex quo Iudex non ritè & rectè processerit. Appellatio in possessorio, quando detur.

### SVMMARIVM.

1 *Manutentio non potest denegari ei, de cuius anteriori possessione constat.*
2 *Possessio probatur ex cōfessione partis petentis relaxari, mandatum de associando, seu immittendo, illiusque executione.*
3 *Possessor agnitus non videtur, citatus pro suo tantum interesse, nisi purè, & simpliciter de directo contra ipsum fuerit relaxatū mandatum de associando.*
4 *Iudex ritè & rectè procedens possessori tollit suam possessionem.*
5 *Possessio ciuilis sufficit ad petendam, & obtinendam manutentionem.*
6 *Possessio capta pendente termino ad appellandum, vel post appellationem est attentata.*
7 *Executiua via non competit contra tertium.*
8 *Appellatio datur à quocumque grauamine de iure canonico.*
9 *Aegidiana ad hoc vt non intret sufficit quod Reus, seu Actor sint Ecclesiastici.*
10 *Appellatio datur à sententia, quæ continet mixturam.*
11 *Deuolutio vt habeat locum, necessarium est identitatem concludenter probare.*
12 *Exceptiones requirentes altiorem indaginem, non possunt retardare manutentionem.*

### DECISIO CCCV.

ROTA vtraque parte informante censuit Ioanni Bertono dandum esse
1 mandatum de manutenendo, quia † de eius anteriori possessione constat; vnde ei meritò non potest denegari manutentio, *§. retinendæ instit. de interdict. Bartol. in l. 1. §. quod ait prætor num. 14. ff. eod. tit. Rot. in rec. par. 1. decis. 685. num. 1.*

Hæc autem possessio visa fuit satis probari ex confessione RR. PP. S. Augustini, qui ipsum Ioannem citarunt ad videndum relaxari mandatum de associando, seu immitten- 2

mittendo, quod obtinuerunt eiectò è domo controuersa dicto Ioanne quod fuit
2 executioni demandatum † ex qua geminata confessione facta in iudicio censetur iustificata possessio eius contra quem relaxatum fuit mandatum, & executioni demandatum, *Dec.cons.125 num.1. Rota in recen. decis.551. num.2. par.2.* & fusissimè in vna *Romana Domus de Blanchis 10. May 1619. coram R.P.D. meo Buratto.*

Nec obstat, quod d. Ioannes fuerit solum citatus pro suo tantum interesse quo casu non videtur agnitus possessor,
3 quia † ex eo quod purè, & simpliciter de directo contra ipsum fuit relaxatum mandatum de associando hodie non potest diuidi hæc confessio sub prætextu, quod sit error Notarij postquam dicti Patres eo mandato vsi sunt, & illius vigore possessionem dictæ domus adepti. *Bart. in l. Antelius, §. idem quæsiit, ff. de liber. legat. Cin. in l.1. quæst.3. de confes. Barbat. cons.3 n.34. vol.2. Surd. cons.258. num.4. Rota in recent. decis.167. num.17. par.1. recent.*

Nec obstat possessio dictorum Patrum,
4 facta Auctore Prætore † pro quo præsumitur, quia hoc intelligitur quando Iudex ritè & rectè procedit, & non quando excedendo terminos iuris possessori tollit suam possessionem, *l. nam iustè possidet, ff. de sent.*
5 *& re iudic.* † qui semper retinet ciuilem, quæ sola sufficit ad petendam, & obtinendam manutentionem, *Castr. in l. fin. nu.11. & ibi Alex. num.16. C. de edict. diu. Adr. toll. Rota in recent. decis.632. num.2. par.1. & coram fel. rec. Greg. XV. dec.546. num.2.*

Nec potest saluari dictorum Patrum possessio à vitio nullitatis, & attentatorum quia non solum pendente termino ad ap-
6 pellandum, sed etiam post † appellationē legitimè intra tempora interiectam in vim d. decreti possessionem d. domus arripuerunt, & sic nulliter, & attentatè, *cap. non solum de appellat. in 6. Lancellott. de attentat. appellat. penden. num.180. Seraph. dec.1583. num.1. Rota in recent. decis.592. num.1. & decis.701. num.1. par.2.*

Quod autem daretur appellatio Domini habuerunt pro indubitato, aut enim agebant vigore obligationis Cameralis in in-
7 strumento concessionis appositæ, & † eo casu contra tertium non comprehensum non obligatum, non nominatum non competebat via executiua, *Galles. de oblig. Cam. q.2. ad 2. par. n.3. Rot. cor. fel. rec. Greg. XV. decis.22. num.1.* Aut agebant † in possesso-
8
rio, & de iure canonico à quocumque grauamine dabatur appellatio, *Alex. cons.99. num.1. & 2. lib.5. Couarr. variar qq. cap.23. sub num.8. Contard. in l. vnic. limit.3. nu.2. C. si de moment. poss. Rota in recent. dec.681.*
9 *num.2. par.1.* † nec possunt vti remedio Ægidianæ cum agatur inter personas Ecclesiasticas de fundo cuius directum dominium prætenditur ab Ecclesia, quo casu sufficit, quod Reus, seu Actor sint Ecclesiastici, *Rota in Romana de Scapuccis coram Reuerendissimo D. meo Decano, Rota apud Statil. de Saluian. decis.234. in fin. & decis.236. pariter in fin. in nou.*

Visum etiam fuit sententiam extra Rotam latam continere mixturam dum dat mandatum de associando ad eo quod dicta domus sit deuoluta ad dictos Patres, vnde per indirectum canonizat deuolutionem
10 ob lineam finitam, † quo casu datur appellatio, & nunquam intrat Ægidiana, *Put. decis.7. de Ægidian. Cotard. de moment. lim.2. num.9. & seq. Rota decis.323. par.1. diuers. & coram Greg. XV decis.251. num.10.*

Dubitabant etiam Domini si sententia esset iusta, & ex actis iustificaretur, nam
11 non constat in actis de identitate domus, cuius concessio in emphyteusim prætenditur quæ ad hunc effectum debuit clarè, & concludenter probari, vt respondit *Rota in vna Romana S. Petri 6. Nouembris 1615. & in d. Romana de Blanchis coram R.P.D. meo Buratto.*

Nec ad effectum deuolutionis domus satis videbatur probatum dominium ex sola concessione, nec etiam lineam finitam eorum, cui fuit data in emphyteusim dicta domus quæ omnia erunt videnda in alio
12 iudicio, & † respiciunt altiorem indaginem, & non possunt interim retardare manutentionem d. Ioannis.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## RECANATEN. HAEREDITATIS.

*Veneris 15. Ianuarij 1624.*

### ARGVMENTVM.

Statuta non comprehendunt bona extra locum, ac iurisdictionem statuentium existentia, prout nec comprehendunt personas exteras etiamsi de bonis in loco sitis agatur, & vt istius etiam bona comprehendant quæ requirantur.

SVM-

*SVMMARIVM.*

1 *Sententia lata iuxta iuris communis dispositionem est iusta.*

2 *Statutum loquens de successionibus non extenditur ad bona extra territorium sita.*

3 *Nec comprehendit forenses ad successionem venientes etiam si defunctus ac bona eodem statuto subiaceant, & num. 4.*

## DECISIO CCCVI.

FVit coram R. P. D. meo Verospio in ista causa decisum sentẽtiam per R.P. D. Torniellium latam ad fauorem Horatij & aliorum de Scoccia campanis ex capire validitatis, & iustitiæ confirmandam esse contra Marioctiam, & alias de Lazzarinis quæ cum non acquiescerent resolutioni absente D. Verospio tamquam subrogatus iterum proposui dubium, & Domini esse standum in decisis existimarunt.

Subsistere nanque visa sunt decisionis fundamenta, cum sententiæ validitas detegatur ex actorum reuolutione in quibus, nedum de iurisdictione D. Tornielli patet ex commissione à Signatura Iustitiæ ad instantiam eiusdem Marioctiæ obtenta verum etiam de citationibus, ac procuræ mandato, & validitatem dicta mulier non impugnat, sed insistit super iustitia, de qua
1 non est dubitandum, † eum sententia lata extiterit iuxta iuris communis dispositionem, *ad text. in §. fineque fratres, & §. nulla vero, auth. de heredib. ab intest. venient.*

Neque obstare Ciuitanouæ statuta, vnde Amicus iunior de cuius hæreditate contenditur oriundus erat, aut alia Recanateñ Ciuitatis, vbi dictus Amicus commorabatur, ac decessit, statuta enim Ciuitanouæ in casu nostro non habere locum fuit optime in decisione consideratum, & informantes pro Marioctia nullam super eis fecerunt fundamentum, vnde quoad bona in ea, illiusque territorio existentia non magnam videntur habere difficultatem.

Statuta verò Recanaten. Ciuitatis non posse attendi pro eisdem Ciuitanouæ bo-
2 nis † ad quæ tamquam extra illius territorium non extenduntur, cum statuentes ibi nullam habeant iurisdictionem, *l. cunctos populos, vbi D.D. & glos. in verbo quos, C. de summ. Trinit. & fid. Cathol. Castr. in terminis eiusdem statuti in cons. 16. num. 1. ad fin. lib. 1. & Rot. coram fel. rec. Greg. XV. in Ciuitatis Castelli 10. Maij 1606. & in Collen. hæreditatis 10. Iunij 1616. coram R. P. D. meo Buratto, & in Ciuitatis Castelli supplementi legitimæ 11. Decembris 1617. coram R.P.D. meo Pamphilio.*

Minusque habere locum in bonis in eodem territorio sitis, etiamsi defunctus, ac maior bonorum pars eisdem statutis subiaceant, quia cum partes hinc inde de huiusmodi successione contendentes sint ex-
3 teræ † statuta quæ censentur edita ad commodum, dumtaxat suorum ciuium, non autem forensium, *l. Imperialis, C. de nuptijs, Rota decis. 673. num. 2. par. 1. & decis. 413.*
4 *num. 1. par. 4. diuers.* † requirunt vtramque subiectionem, nempe quod bona, & personæ tam defuncti, quàm illorum qui succedere contendunt subiaceant eisdem Ciuitatis Recanaten. statutis, vt fuit firmatũ *in decis. 295. num. 4. par. 1. diuers. & in Camerinen. hæreditatis 29. Ianuarij 1588. coram Card. Pamphilio,* & in alijs per R. P. D. Verospium cumulatis à quibus propterea Domini censuetunt non esse recedendum.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## OXOMEN. BENEFICII

*Veneris 27. Ianuarij 1624.*

ARGVMENTVM.

Ex quibus dicatur iustificata gratia Apostolica etiam quod vnus modus vacationis ex pluribus iustificetur.

*SVMMARIVM.*

1 *Obitus extra Curiam probatur ex fide Parochi formiter extracta, etiam ad effectum reseruationis, præcipuè adminiculata ex testibus de publica voce & fama, & ex confessione partis venientis ex eadem vacatione, & num. 2. & 3.*

4 *Clericatus, & ortus probatur non solum ex attestatione Ordinarij, sed etiam ex testibus.*

5 *Valor beneficij iustificatur tam ex confessione partis, quàm ex testibus deponentibus de publica voce & fama.*

6 *Probatio talis qualis sufficit ad probanda ea quæ non reddidissent Papam difficiliorem ad concedendam gratiam.*

Mm Gratia

7 *Gratia, quæ non est restricta ad certum modum vacationis sufficit pro illius iustificatione, quod vnus modus narratus iustificetur ad hoc vt sustineatur, præcipuè si fuerit narratus sub alternatiua.*

8 *Gratia non redditur inualida ex falsa nuncupatione, vbi constat de identitate beneficij.*

9 *Beneficiorum pluralitas non præsumitur.*

10 *in Bulla potest addi verbum per errorem in supplicatione ommissum.*

## DECISIO CCCVII.

DIxerunt Domini gratiam Matthæi Rodriguez esse iustificatam, & quo ad reseruationem in qua præcipuè consistit fundamentum gratiæ videtur satis iustificata, scilicet quod per obitum Ioannis
1 Palentia vltimi possessoris d. beneficij, qui obijt extra Curiam de mense Ianuarij constat ex fide Parochi formiter extracta, *Rot. decis.321.num.3. & decis.621.num.4. & decis.700.num.4. par.1. in recent.* etiam ad effectum reseruationis, vt fuit dictum in *Terulen. beneficij 7.Iunij 1610. coram Reuerendissimo D.meo Patriarcha.* † præcipuè cum concurrant adminicula, scilicet depositio
2 duorum testium qui deponunt eumdem Ioannem decessisse in possessione d. beneficij, & de hoc esse publicam vocem & famam, quod sufficit *Put. decis.87. lib.3. Seraph.decis.1441. Rota decis.116.nu.3.par.2. inter recent.* Idque tanto magis quia Petrus Martinez obtinuit prouisionem d.beneficio vti vacante per obitum dicti Ioannis
3 vltimi possessoris, † quæ confessio suffragatur Matthæo, *Ægid. decis.596.* & pluries fuit in Rota decisum.

Quod autem Matthæus de tempore dat esset Sacerdos, & oriundus ex Diœcesi Palentin. constat non solum ex fide, & attestatione Episcopi sui Ordinarij, sed etiam ex dictis testium qui eum viderunt celebrare, & loquuntur de publica voce & fa-
4 ma † quæ probatio sufficit, *Rota in Cæsaraugustana portionis coram bon. mem. Iusto apud Marches. de commiss. tom. 1. fol. 340. & coram R.P.D. meo Pirouano, in Toletana Cappellaniæ 18. May 1615. & apud Seraph.decis.262. num.1.*

Quoad narratiuam valoris fructuum ea
5 iustificatur tam ex confessione dicti Petri, quam ex depositionibus dictorum testium qui loquuntur de publica voce & fama non solum quoad valorem beneficij controuersi, sed etiam obtentorum, *Caputaq. decis.277.num.8.lib.1. Rota decis.298. nu.1. par.1. diuers. & decis.572.num.3.par.1. inter recent.*

Idemque dicendum scilicet quod per testes de publica voce & fama probetur D. Matthæum ius habere ad Parochialem Ecclesiam Sancti Saluatoris Volllsoletanæ Diœces. & quod obtineat aliud simplex beneficium in Ecclesia Villa de Herreros
6 Palentin. Diœc. † Ad hæc enim omnia probanda, quæ non difficiliorem Papam reddidissent ad concedendam gratiam sufficit talis qualis probatio, & quod testes deponant de publica voce & fama iuribus supradictis.

Nec obstat, quod in litteris fuit expressus alius modus vacationis, scilicet per resignationem non effectuatam; nam vltra quod etiam aliquibus ex Dominis videbatur is modus vacationis plenè iustificatus
7 in hoc omnes conuenerunt, quod † cum gratia Matthæi non sit restricta ad certum modum vacationis sufficit pro illius iustificatione, quod vnus modus vacationis narratus iustificetur ad hoc vt gratia sustineatur, quicquid sit de cæteris, præcipuè cum fuerit narratus sub alternatiua per illam dictionem, *seu, Ægid. decis.28. Seraph. decis.330. num.1.* cum cumulatis per *Garciam de benefic. part.1. cap. 1. numer. 68. & seqq.*

Nec visa fuit Dominis obiectio releuans dum dicitur in supplicatione hoc beneficium nuncupari situm in Ecclesia parochiali loci de Duero Oxomen. Diœc. & postea in Bullis additum fuisse istud verbum, *de Aranda*, quod fuerat omissum in
8 supplicatione, nam † dum adsunt plures aliæ demonstrationes prout in hoc casu ex quibus apparet de identitate istius beneficij omissio illa nuncupationis non reddit gratiam inualidam, *Abb. in cap. significante num. 5. & ibi Folin. in fin. de rescript. Rota decis. 4. eodem tit. in antiq. Cassad. decis. 11. num.3.de preb. & decis.23. num.4. par.2. in recent.* & in terminis fuit dictum in *Mindonien. Archipresbyteratus 1.Iuly 1616. coram R.P.D.meo Vbaldo*, quæ identitas comprobatur ex depositionibus testium qui deponunt Ioannem Palentiam obijsse in possessione Beneficij siti in parochia loci de Aranda del Duero, & regulariter † pluralitas non præsumitur; vnde iure optimo

Can-

10 Cancellaria quæ habet facultatem corrigendi in similibus litteras, vt in regula vltima Cancellariæ §.2. addere potuit hoc verbum per errorem in supplicatione ommissum.

Et ita decisum vna tantum parte informante.

## VICENTINA MATRIMONII.

*Luna 11. Martij 1624.*

ARGVMENTVM.

Assignantur necessaria requisita pro valditate matrimonij.

*SVMMARIVM.*

1 *Præsentia Parochi, vel alterius de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia in matrimonio requiritur de forma, qua non adimpleta corruit matrimonium, nec potest per æquipollens adimpleri.*

2 *Dictio, omnino, significat omnem casum, & euentum sine vlla exceptione, remedio, & dispensatione.*

3 *Inhabilitatis personis in matrimonio inhabilis redditur materia.*

4 *Necessitas non excusat ab inualiditate matrimony, quando agitur de forma essentiali.*

5 *Sacramentum consistit ex materia apta, & forma.*

6 *Ecclesia potest in matrimonio ineptitudinem materiæ constituere.*

7 *Materiæ defectus impedit matrimonij perfectionem.*

8 *Licentia administrandi Sacramenta Eucharistiæ, & Pænitentiæ non potest extendi ad celebrationem matrimonij. Amplia in licentia data ad ministrandum Sacramenta magis necessaria.*

9 *Licentia generalis concessa à Parocho administrandi omnia Sacramenta sine vlla restrina comprehendit etiam Sacramentum matrimonij.*

10 *Licentia concessa à Parocho administrandi Sacramenta post eius mortem expirat.*

11 *Libris Parochi est standum in mantrimonio probando.*

12 *Declara quando tractatur incidenter de matrimonio ad effectum legitimitatis prolis.*

13 *Decisio 337. post 2. lib. consf. Farin. & decis. 750. num. 6. par. 1. diuers. declarantur.*

14 *Sacri Concilij dispositio sess. 24. cap. 1. de matrim. an debeat recipere interpretationem, vt etiam si forma præscripta ad vnguem non fuerit seruata matrimonium substineatur, & num. 16.*

15 *Publicationes, & denunciationes tamquam solemnitates extrinseca in matrimonio possunt ex vrgentissima causa omitti, secus præsentia Parochi qua est forma substantialis, nec potest per æquipollens adimpleri.*

14 *Decretum irritans afficit etiam ignorantes, licet forsan quoad alias pœnas bona fides possit excusare.*

18 *Matrimonium non est necessarium pro salute æterna concubinæ, sed sufficit contritio.*

19 *Bona fidei, & æquitatis ratio non est habenda quando maius, & perniciosius imminet periculum, & via aperitur fraudibus, clandistinisque matrimonijs.*

20 *Matrimonia clandestina canones abhorrent.*

21 *Lex non est statuenda super his quæ rarissimo accidere solent.*

22 *Dispositio cessat cessante supposito.*

23 *Episcopus est Parochus vniuersalis totius Diœcesis.*

24 *Parocho deficiente requirenda est licentia Ordinarij in matrimonio contrahendo.*

25 *Dispositio Sac. Conc. sess. 24. cap. 1. de matrim. non habet locum in terris sub dominio hæreticorum sitis.*

26 *Bona fides vnius ex coniugibus sufficit vt proles legitima dicatur licet postea matrimonium nullum esse detegatur.*

27 *Sentētia debet recipere interpretationem passiuam à iure communi.*

## DECISIO CCCVIII.

VINCENTIVS Nucius Ciuis Vicentinus ruri degens in loco Barbarani, qui est pagus Diœcesis Vicentinæ Candidam Clupanam tunc viduam amauit pudicitiam expugnauit, pregnantem reddidit quæ proxima partui vultu squalido languentibus oculis summum dolorem præferens grauiter etiam cum vitæ discrimine cæpit ægrotare. Vnde dictus Vincentius enixis dictæ Candidæ periclitantis precibus, lacrymis, turgidique ventris miseratione delinitus, & compulsus statuit eam vxorem ducere, vocauitque illico Parochum vt coram ipso, & testibus legitimè nuberet.

Sed cum eademmet die, & forsitan hora Archipresbyter Barbarani qui est solus Parochus diem clausisset extremum, nec vllus alius Sacerdos reperiretur præter Ioannem Scacchum, qui paulò ante vocatus vt dicto Presbytero moribundo Sacramenta Ecclesiæ ministraret, & illi tunc mortuo iusta persoluebat coram dicto Presbytero

Scaccho, & duobus testibus Vincentijs, & Candida declararunt se insimul matrimonium contrahere, quod ad relationem dicti Scacchi reperitur adnotatum ab Occomo in libris Archipresbyteratus dicti pagi de Barbarano.

Postmodum Candida post felicem partum ex morbo conualuit, & per aliquot menses sub velo, & figura dicti matrimonij insimul cum d. Vincentio habitauit, quousq; fuerunt authoritate Ordinarij ex officio à thoro separati. Tandemque Vincentius pœnitentia facti ductus intentauit iudicium nullitatis supradicti matrimonij coram Vicario, obtinuitque sententiam fauorabilem pro nullitate matrimonij tamquam celebrati à Sacerdote nullam haben te potestatem, neque propriam, neque delegatam. A qua sententia pro parte dictæ Candidæ fuit appellatum, causam ad Rotam deuoluta, mihique commissa, dubitaui, vtrum dicta sententia esset confirmanda. Quo dubio proposito, & maturè discusso omnibus Dominis votantibus decisum fuit prædictam sententiam vti iustam, & validam esse confirmandam.

Maximum, & præcipuum decisionis fundamentum elicitur ex verbis Sacri Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 1. de matrim.* vbi, *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit prout eos præsenti decreto irritos facit, & an-*
1 *nullat.* ✝ Ex quibus verbis clarè apparet induci formam præcisam, & substantialem sine qua actus subsistere non potest, quæ nec potest adimpleri per æquipollens dum irritatur factus sine illa forma specifica, *Felin. in cap. dilecta de rescript. num. 6. Bart. in l. de his, ff. de transact. Surd. cons. 484. n. 7. Rota in Tolentina Matrimonij coram Vicecomite 26. Iunij 1579. & 1. Februarij 1580. impress. post cons. Menoch. 398.*

Ponderarunt etiam Domini dictionem
2 illam *omninò*, ✝ quæ significat omnem casum, & euentum sine vlla exceptione, remedio, ac dispensatione cum sit dictio præcisa, *Iason in l. 1. num. 3. ff. de iurisd. omn. iud. glos. in Clem. 1. in verbo omnino de vit. & honest. Cleric. Præpos. in cap. tua de sponsal. nu. 10.* cum susissimè cumulatis per *Tiraq. in l. si vnquam, C. de reuoc. donat. in verbo reuertatur num. 78. & seq.*

Quod eo magis est dicendum quia sacrum Concilium omnes personas non seruata hac forma cōtrahere volentes inhabilitat, idest ipsam materiam Sacramenti, ex quo sequitur propter hanc ineptitudinem materiæ non subsistere matrimonium, nullaque quantumuis vrgens necessitas potest supplere defectum huius materiæ, & hæc est ratio, cur nullo modo possunt consanguinei matrimonio copulari sub prætextu
3 cuiusuis necessitatis, ✝ quia inhabilitatis personis inhabilis redditur materia, *Sotus lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 4. Metin. 1. 2. quæst. 96. art. 4. argum. 2. Henric. cap. 1. de matrim. ad fin.*

Licet enim lex Ecclesiastica non obliget in extrema necessitate cum tanto rigore, vt non liceat aliquando contrauenire, nihi-
4 lominus ✝ dum agitur de essentiali forma Sacramenti necessitas non excusat ab inualiditate matrimonij, non tam vi legis Ecclesiasticæ quam ratione legis naturalis, & diuinæ ibi inclusæ quę prohibet omnem accessum ad non suam vxorem, eo enim ipso quod Ecclesia inhabilitat materiam, idest personas aliter contrahentes daretur accessus ad non suam contra præceptum diuinum.

Certum siquidem est ex doctrina Theo-
5 logorum Sacramentum consistere ex mate-
6 ria apta, & forma; & Ecclesiam posse in matrimonio hanc ineptitudinem materiæ
7 constituere, qui defectus materiæ impedit matrimonij perfectionem, & sic nulla etiā grauis necessitas potest supplere hunc defectum, & validare actum à principio nullum, vt in ijsdemmet terminis nostris consuluit *Nauar. lib. 4. cons. 44. tit. de sponsal. & cons. 6. de clandestina desponsat. Sarn. lib. 1. selectar. cap. 6. num. 7. Segur. director. iudic. 2. par. cap. 15. num. 44. Henric. lib. 11. de matr. cap. 3. num. 5. & 8.* cum multis alijs quos citat, & sequitur *Sanch. de matrim. lib. 3. disput. 17.* vbi ex professo hanc materiam tractat, & decidit refutatis Authoribus contrariæ sententiæ, *Rota decis. 643. n. 1. par. 1. diuers.*

Constat autem ex facti serie Ioannem Scacchum Presbyterum coram quo legitur hoc matrimonium fuisse celebratum nullā omnino habuisse authoritatem. Quinimo contrarium constat ex depositione quatuor testium, & ex ipsiusmet confessione qui liberè fatetur nullam habuisse licentiam nisi administrandi Sacramentum Euchari-
8 stiæ, & Pœnitentiæ Sacramentum ✝ quæ non

non potest extendi ad celebrationem matrimonij sicuti in simili licentia data ad ministrandum Sacramenta magis necessaria censuit *Rota decis. 643. in vltim. verbis par. 1*
9 *diuers.* † Requireretur vt ei fuisset concessa licentia generalis à Parocho administrandi omnia Sacramenta sine vlla restrictiua, vt in terminis *decis. Rotæ 750. num. 6. par. 1. diuers.* Quæ huic casui applicari non potest.
10 Quinimò † si Parochus dum viueret ipsi Ioanni licentiam dedisset sine dubio post eius mortem quæ ante celebrationem huiusmodi mattrimonij euenerat expirasset, *l. mandatum, C. mandat. cap. gratum, & cap. relatum de offic. deleg. cum vulgar.*

Nec obstat quod dictum matrimonium fuit descriptum ab Oeconomo in libro matrimoniorum, qui debet confici per Parochum ex officio iuxta dispositionem dicti
11 sacri Concilii † cui libro ad huc effectū, solet plena fides adhiberi, ex not. per *Rot. decis. 340. num. 2. par. 2. diuers.* quia decisio procedit quando tractatur incidenter de matrimonio ad effectum legitimitatis pro lis vt patet ex narratiua decisionis, sed hic agitur principaliter super fœdere matrimonij.
13 Prout † non applicatur *decis. 337. post 2. lib. cons. Farin. nec decis. 750. num. 6. par. 1. diuers.* Quia in vno casu matrimonium erat celebratum coram proprio Parocho, & in alio nō reuocabatur in dubium, quod adesset licentia generalis data à Parocho, sed in eo consistebat difficultas, vtrum specialis requireretur ad effectum celebrandi matrimonia. In hac autem facti specie frustra recurritur ad præsumptiones, quando clarè constat ex actis hoc matrimonium fuisse celebratum sine Parochi, aut Episcopi licentia.

Nec obstat, quod dictum matrimonium dicitur celebratum vrgente grauissima necessitate ipsa Candida in articulo mortis constituta quæ bona fide nupsit ex rationabili causa, ne salus animæ ipsius, quæ vt concubina ad hunc vsque diem vixerat periclitaretur, & vt prauæ affectioni in illo
14 agone consultum esset, † quo casu videtur iunctis alijs circumstantijs huius facti sacrum Concilium debere recipere interpretationem vt etiam si forma præscripta ad vnguem non fuerit seruata actus substineatur etiam si legitimè impedita non potuerit formam præscriptam adimplere, *Brun. in tract. de form. & solemnit. tit. de potest. & form. solemnit. limit. 34.* iux. deducta per *Lap. alleg. 82. nu. 5. & Dec. in c. 1. n. 21. de elect.* vbi licet iuxta dispositionem *cap. quia propter de elect.* requiratur pro forma substantiali, quod electio fieri debeat per tres scrutatores tamen si in Collegio nō adsint tres qui possint eligi scrutatores valet electio de minori numero, vel sine illis facta.

Placuit enim responsio formam præscriptam à sacro Concilio non esse solemnitatem extrinsecam, & accidentalem vt sunt publicationes, & denunciationes, & aliæ
15 similes, sed realem, essentialem, & substantialem, quæ nec potest adimpleri per æquipollens, & nunquam potest ommitti etiam ex quacumque vrgentissima causa ad inducendam actus validitatem, vt post *Bal. Dec. cons. 466. num. 14. Bero. cons. 66. num. 26.* & in terminis in quibus allegabatur impossibilitas respōdit *Rot. in vna Ferrarien. bonorum 16. Iunij 1614. confirmata 10. Decembris eiusdem anni coram me.* Vn-
16 de † nullam potest aliam recipere interpretationem sacri Concilij dispositio quæ voluit formam præcisam inducere. Ad hoc vt Sacramentum Matrimonij ritè & rectè celebraretur coram Ministro Ecclesiæ proprio Pastore, vel de eius licentia, alias actus corruat necessè est.

Nec bona fides Candidæ potest conualidare actum ipso iure prohibitum, & nul-
17 lum præcipuè stante *decreto irritanti*, quod afficit etiam ignorantes licet forsan quoad alias pœnas bona fides possit excusare, *glos. in Clem. 2. de hæretic. & ibi Card. post notab. 6. Imol. num. 2.* cum cumulatis per *Sanch. d. disput. 17. sub finem.*

Nec etiam visum fuit adesse talem necessitatem quæ posset cogere dictos Vincentium, & Candidam ad contrahendum matrimonium non seruata forma Concilij sine licentia Parochi, aut Episcopi, quia
18 nulla assignari potest necessitas cum † pro salute æterna concubinæ non esset necessarium matrimonium, sed sufficiebat contritio anteactæ vitæ, & propositum abstinendi à peccatis, potuitque expectari licentia Episcopi, nullo existente Parocho cū propterea nullum adesset periculū animæ, siue Cādida nupta, aut innupta decederet.
19 Nec vlla habenda est ratio bonæ fidei, & æquitatis quando maius, & perniciosius imminet periculum si sub prætextu, & velo necessitatis, quæ in actu matrimonij merè voluntario non est considerabilis eluderetur forma essentialis à sacro Concilio requisita, vt optimè obseruat *Nauar.*

*dicto cons.6.* Et via aperiretur fraudibus,
20 clandestinisque matrimoniis, † quæ sacri Canones tantopere abhorruerunt habere siquidem videtur speciem iniqui omne magnum exemplum, quod contra singulos
21 vtilitate publica rependitur, † nec super his quæ carissimo accidere solent statuenda lex *l. ex his, ff. de legib.*

Nec etiam obstat quod dicitur dispositionem sacri Concilij militare quando pro tempore existit Parochus, sed non quando reperitur tunc temporis mortuus ex regula
22 iuris, quod † quando vnum supponitur, tunc supposito cessante, cessat dispositio, *l. si mancipio, & ibi glos. in vers. vocandam, C. de furt. Rolan. cons. 10. num. 14 lib. 4. Dec. cons. 251. num. 5.* cum allegatis. Quia semper militat decretum sacri Concilij, cum extaret Episcopus à quo huiusmodi licen-
23 tia erat petenda, qui est Parochus vniuersalis totius suæ Diœcesis, *cap. Apostolica, & ibi Arb. de donat. glos. in cap. 2. de pœnit. & remis. Caputaq. decis. 340. par. 3.*

Et ideo sacrum Concilium non exigit præsentiam solius Parochi, sed alterius Sacerdotis de ipsius Parochi, vel Ordinarij
24 licentia. Et † deficiente Parocho perne-cessè requirenda, & expectanda erat licentia Ordinarij, qui viginti, vel circiter passuum millibus ab eo loco distabat.

Et ideo non obstat Epistola bon. mem. Cardinalis Bellarminij de ordine Sanctissimi, & sacræ Cōgregationis Concilij scripta, nec declaratio eiusdem Congregatio-
25 nis, quia ex earum lectura apparet † locum non habere dispositionem sacri Concilij in illis terris sub dominio temporali hæreticorum sitis, in quibus nec adsunt Parochi, nec etiam Episcopi, qui Sacramenta possint subiecto sibi gregi ministrare quæ ratio non vrget in Diœcesi Vincentina cum liber esset accessus ad Episcopum deficientibus Parochis, & possint verba sacri Concilij alternatiuè concepta verificari petendo licentiam, vel ab Episcopo, vel à Parocho proprio.

Nec obstat quod dicitur sententiam Vicarii in eo saltem esse iniustam, quia non declarauit filiam post dictum matrimoniū
26 natam esse legitimam † cum ad effectum vt proles legitima dicatur sufficiat bona fides vnius ex coniugibus licet postea matrimonium nullum esse detegatur.

Nam hæc obiectio tollitur ex lectura sententiæ, vbi Iudex postquam matrimonium esse nullum, & inualidum pronunciauit, condemnat dictum Vincentium ad restitutionem dotis dictæ Candidæ, & ad præbenda alimenta filiæ communis, nec vltra progreditur, sed remittit hoc dispo-
27 sitioni iuris communis † secundum quod sententia debet recipere interpretationem passiuam iuribus vulgaribus.

Quò verò ad nullitates per informantes pro Candida oppositas contra sententiam visæ sunt ex reuolutione actorum non subsistere.

Prima enim quod testes fuerint examinati ex officio absque citatione partis tollitur, quia licet primo ita fuerint examinati, tamen fuerunt postea de anno 1622. die 29. Octobris repetiti præcedente citatione, de qua constat in processu fol. 93.

Secunda nullitas deducta ex eo, quod sententia lata fuerit nemine instante, cessat, quia in processu fol. 102. legitur instantia facta pro parte Vincentij.

Tertia quod dicta sententia fuerit lata iuris ordine non seruato, ac nimis præcipitanter non subsistit, quia ex reuolutione processus ab anno 1618. quo causa fuit reassumpta vsque ad diem latæ sententiæ nempe 14. Decembris 1622. apparent omnia ritè & rectè seruata, de quibus per *Caputaq. decis. 262. par. 2.* Tamen etiam quia fuerunt Candidæ concessæ plures dilationes ad probandum, vt in processu fol. 95. Et citatio ipsa ad sententiam fuit sæpius prorogata.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

## NVLLIVS, SEV APRVTINA IVRISDICTIONIS.

*Lunæ 11. Martij 1624.*

### ARGVMENTVM.

Episcopis debetur manutentio exercendi iurisdictionem spiritualem in omnibus locis suæ Diœcesis. Et qualiter debeant probare, quod aliqua loca existant in sua Diœcesi, & quo casu duriori onere probandi grauatur.

### SVMMARIVM.

1 *Ordinarij habent intentionem fundatam de iure communi exercendi iurisdictionem spiritualem in omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis, & in omnes personas degentes intra limites sui Episcopatus, limita num. 6.*

Mann-

2 *Manutentio an concedatur ex sola assistentia iuris communis.*

3 *Loca omnia, seu castra præsumuntur esse alicuius Diœcesis certæ.*

4 *Loca præsumuntur esse illius Diœcesis, cui sunt viciniora.*

5 *Ad fines antiquos probandos leniores requiruntur probationes.*

7 *Ordinarius quo casu teneatur clare, & concludenter probare aliqua loca esse sita intra limites suæ Diœcesis. & n. 8.*

9 *Præsumptiones non sufficiunt, quando aliquid clarè, & concludenter est probandum.*

10 *Exemplum exempli nullus genus probationis facit.*

11 *Bulla, quæ emanauit ad supplicationem partis, non probat in præiudicium tertij.*

12 *in Bulla quæ emanauit ad supplicationem partis, præsumitur inesse clausula, si ita est.*

13 *Enunciatiuæ non probant quando principaliter disputatur de enunciato.*

14 *Confinium, & limitum natura ea est, ut debeant ita esse coniuncti, vt ab omnibus lateribus capiant, & quodammodo includant omnia loca confinata.*

15 *Probatio dubia non releuat.*

15 *Decis. 405. num. 1. part. 1. recentior. declaratur.*

17 *Testes, qui deponunt sub certis finibus, & limitibus, debent etiam non requisiti assignare rationem concludentem, non per actum intellectus, sed per sensum corporis.*

18 *Testibus referentibus se ad aliquam scripturam informem non plus creditur, quam ipsimet scripturæ.*

19 *Episcopi vti delegati Sedis Apostolicæ possunt visitare omnes Ecclesias viciniores, etiam si sint nullius Diœcesis.*

20 *Probatio non vera, sed æquiuoca elicitur ex actu qui potest referri ad plures causas.*

21 *Scientia, & patientia Domini requiritur ad hoc, vt quis constituatur in quasi possessione aliquid faciendi.*

22 *Testis depositio redditur æquiuoca si dependeat à ratiocinatione, & intellectu testis, & non à sensu corporeo.*

23 *Testes non probant fines antiquos, si nullam aliam rationem reddunt, quam de auditu, & non specificant personas à quibus id audierunt.*

24 *Testes de auditu ad hoc vt probent precipuè in antiquis debent concurrere requisita cap. licet, & quæ de testibus.*

## DECISIO CCCIX.

MOTA lite super Iurisdictione spirituali Castrorum, seu locorum Murri, Musciani, & Notaresci inter D. Episcopum Aprutinum, & D. Abbatem S. Mariæ de Propezzano, & S. Angeli de Musciano, Causa ad Rotam deuoluta. Mihique commissa die Mercurij 26. Iunij 1619. dubitaui cui dandum esset mandatum de manutenendo in exercitio Iurisdictionis spiritualis dictorum locorum. Verum quia in dispositione huius dubij pro parte prætendebatur manutentio ex sola assistentia iuris communis quam habent Ordinarij in omnibus Ecclesijs suæ Diœcesis, & pro parte dicti D. Abbatis acerrimè negabatur supradicta loca esse inter fines Diœcesis Aprutinæ, sed esse Nullius. Ideo Domini voluerunt particulariter videre vtrum prædicta loca probarentur esse intra limites d. Diœcesis ad effectum vt ex assistentia Iuris communis competeret d. D. Episcopo manutentio quo dubio multoties proposito, maturèque discusso tandem hodierna die Domini negatiuam sunt amplexi.

1 Non dubitarunt Domini Episcopum iuxta sacros Canones habere intentionem fundatam de iure communi exercendi Iurisdictionem spiritualem in omnibus Ecclesijs suæ Diœcesis, & in omnes personas degentes intra limites sui Episcopatus, *can. omnes Basilicæ, & ibi DD. 16. quæst. 7. cap. conquærente de offic. Iud. ordin. cap. 1. de ap-*
2 *pell.* † Et ex sola assistentia iuris communis nulla alia probata possessione Ordinario conceditur manutentio, *cap. cum personæ,*
3 *& ibi DD. de priuil. in 6.* † Certumque est omnia loca, seu Castra præsumi esse alicuius Diœcesis certæ, *Felin. in cap. graue*
4 *num. 6. vers. imò debetur de offic. Iudic.* Et præsumptio est esse illius Diœcesis, cui sunt vicioniora *Natt. cons. 672. num. 17. Rota in vna Fauentina Iurisdictionis 18. Maij 1605. coram bon. mem. Iusto, & in vna Andrianen Iurisdictionis 22. Iunij 1622. coram R. P. D. meo Pironano.* Nec etiam contro-
5 uertitur ad probandos fines antiquos leuiores requiri probationes, *cap. cum causam de probat. cap. cum olim, vbi glos. de censibus, c. si Papa, & ibi glos. in verbo probatur de priuileg. Mant. decis. 143. num. 12. vers. 2. Rota decis. 405. num. 8. par. 1. & decis. 334. num. 1. par. 2. in recent.*

6 Verum omnes istæ regulæ limitantur, & non habent locum quotiescumque inferiores

res

res Prælati probant se exercuisse Iurisdi-
ctionem spiritualem in ijsdemmet locis su-
per quibus Episcopus petit manotentionē
ex sola assistentia iuris communis vt in hoc
casu pro parte D. Abbatis multi dantur
actus iurisdictionales eum scientia, & pa-
tientia Episcoporum Aprutinorum, ex qui-
bus prætendit se esse in possessione forsan
immemorabili exercendi omnimodam iu-
risdictionem spiritualem in supradictis lo-
7 cis, † eo enim casu tenetur Episcopus pro-
bare clarè, & concludenter illa loca sita
esse intra limites suæ Diœcesis, *Abb. in cap.
cum olim num. 2. de cens. DD. in cap. cum ve-
nerabilis de religios. domib. Anchar. con. 110.
num. 5. Paris. cons. 95. lib. 4. Surd. cons. 429.
lib. 1. num. 61. Rota apud Seraph. decis. 1278.
num. 4.* vbi in simili denegauit manutentio-
8 nem † Episcopo, quia non concludenter
probauerat loca controuersa esse intra fines
suæ Diœcesis, cum cumulatis in vna *Con-
stantien. Iurisdictionis 16. Nouembris 1607.
coram Reuerendissimo Attrebaten. & in illa
Andrien. Iurisdictionis 28. May 1612. coram
9 R. P. D. meo Vbaldo.* Nec sufficiunt præsum-
ptiones cum probatur possessio inferioris
ibidem exercentis iurisdictionem, *Rota di-
uers. decis. 207. par. 2. & in d. Andrien. Iu-
risdictionis*, tunc enim ad probandos anti-
quos fines coniecturis non est locus, du-
riorique onere probandi grauatur Episco-
pus, *Menoch. præsumpt. 3. Surd. cons. 429.
num. 61. lib. 3.*

Hoc posito fundamento existimarunt
Domini examinatis omnibus probationi-
bus adductis pro parte D. Episcopi eas om
ninò esse imperfectas, aut saltem non esse
sufficientes ad probandum dicta loca esse
sita intra fines Diœcesis Aprutinę siue fun-
det se in scripturis, aut in depositionibus
testium.

Et primo quoad Bullam Anastasij IV.
10 ea est scriptura informis exemplū exempli
quod nullum gradum probationis facit,
*auth. si quis in aliquo, & ibi DD. C. de eden.*
11 Deinde ex eius lectura apparet eam ema-
nasse ad supplicationem partis, & sic non
probat in præiudicium tertij, *Abb. in c. du-
dum n. 3. de decimis, Imol. in Clem. 1. col. pen.
de probat. Innoc. in c. inter dilectos n. 6. de fid.
instr. Rom. cons. 108. nu. 3. Rota decis. 780. n. 1.
12 par. 1. diuers. Seraph. decis. 278. nu. 12.* Præ-
sumitur enim inesse dictæ Bullæ clausula
*si ita est, cap. 2. de rescript.* Vltra quod dicti
limites sunt enunciatiuè in d. Bulla positi,
13 & certum est tunc nō probare enunciati-
uas, quando principaliter disputatur de
enunciato, *Felin. in c. per tuas n. 12. vers. 2.
de probat. Alex. cons. 136. num. 1. lib. 1. Aym.
con. 29. n. 3. Put. decis. 381. n. 3. lib. 1.*

Considerarunt denique Domini dictam
Bullam Anastasij IV. quæ videtur assignare
confines Diœcesis Aprutinæ, aut non fuisse
in vsu, aut saltem nullum probationis gra-
dum facere, quia intra limites ibidem assi-
gnatos plurimi vicini Episcopi habent mul
ta loca, & castra in quibus exercent Iuris-
dictionem spiritualem, & sunt in effectu
Asculanæ, Firmanæ, Montisalti, & Ripanæ
diœcesum vt constat ex fide authentica dd.
14 Episcoporum, & id non † controuertitur
certum est autem in iure eam esse naturam
limitum, & finium vt debeant ita esse con-
iuncti vt ab omnibus lateribus capiant, &
quodam modo includant omnia loca con-
finata, *l. patronus, §. Sempronius, ff. de leg. 3.
l. inter eos, ff. de acquir. rer. domin. Montan.
de finib. cap. 15. num. 8. Rota in Cæsanaten. bo-
norum corā Card. Platto 15. May 1589. & in
eadem apud Mant. decis. 169. n. 4.* Ex quo per-
necesse sequitur limites in d. Bulla Anasta-
siana specificatos non esse fines certos, &
incōcussos, itaut super his debeat fieri fun-
15 damentum † cum non probetur hoc esse,
quod ab hoc contingit abesse, *cap. in præ-
sentia de probat. l. neque naturaliter, Cod. de
probat.*

Nec existimarunt Domini aliquod fun-
damentum posse fieri in Mappa, quæ cir-
cumfertur, nam vltra quod supradictos de-
16 fectus patitur, † ea non facta fuit seruatis
seruandis, & ideo parum, aut nihil probat
sicuti de scriptura typis impressa, *Guidop.
decis. 67. & licet in decis. 405. nu. 1. par. 1. rec.*
fuerit d. Mappa pro adminiculo conside-
rata ideo factum fuit, quia vtraque pars cō-
corditer eādem Mappam agnoscebat fuis-
se legitimè factam.

Quo verò ad probationes quæ ex depo-
sitionibus testium pro parte D. Episcopi
examinatorum eliciuntur visum fuit eas
17 non esse sufficientes, certum est enim om-
nes testes qui deponunt super certis fini-
bus, & limitibus debere etiam si non sint
requisiti assignare rationem concludentem
non per actum intellectus, sed etiam per
sensum corporis ad hoc vt eorum deposi-
tiones stringant, *Bald. cons. 286. nu. 3. lib. 2.
Dec. cons. 220. num. 5. Aym. cons. 61. num. 5.*
In hac autem facti specie testes pro D. Epi-
scopo examinati non assignāt rationes con-
cludentes pro probandis finibus. Maior

enim

enim pars se refert ad Bullã Anastasianam, & ad mappã quas scripturas ex supradictis non probare firmatum fuit. Et ita non
18 probant dicti testes † non enim plus creditur testibus referentibus se ad scripturã, quam ipsimet scripturæ, *Aymon. cons.* 112. *num.* 13. *Seraph. decis.* 206. *num.* 1.

Alij verò reddunt rationem sui dicti, quia fuerunt in visitatione cum Episcopo quæ ratio non concludit. Cum enim ex
19 dispositione Sacr. Conc. Tridentini possint Episcopi, vti delegati Sedis Apostolicæ visitare omnes Ecclesias viciniores etiamsi sint nullius diœcesis, *cap.* 9. *de reformat. sess.* 24. Inde sequitur ex actu qui potest referri ad plures causas non elici veram probationem, sed æquiuocam quæ in hoc casu non sufficit, *Surd. cons.* 168. *numer.* 33. *lib.* 2. & in ijsdemmet terminis *Rota coram R. P. D. meo Vbaldo respondit in causa Andrien. seu nullius iurisdictionis* 24. *Maij* 1612 *&* 18. *Martij* 1618.

Sed consideratum fuit, quod ijdem testes expresè dicunt, quod Episcopus non visitauit loca de quibus agitur. Vnde ratio visitationis non applicatur casui nostro.

Imò consideratum fuit, quod etiamsi daretur aliqua visitatio, vel aliquis alius
21 actus iurisdictionalis necesse esset, vt probaretur id factum fuisse cum scientia, & patientia dicti D. Abbatis, quæ fuisset necessaria ad constituendum D. Episcopum in quasi possessione iurisdictionis, *Doctores in cap. cum Ecclesia vbi Rip. num.* 64. *de caus. possess. & propriet. Abb. in cap. cum contingat nu.* 11. *de for. compet. Calderin. cons.* 12. *in fin. de iurepatr. Rota apud Cæsar. de Graf. decis.* 7. *num.* 9. *de testib. & apud Put. dec.* 281. *num.* 3. *&* 4. *lib.* 2.

Alij verò testes reddunt rationem vicinitatis asserentes dicta loca vti propinquiora comprehendi intra fines diœcesis Aprutinæ, Nam vltra quod etiam hæc ratio tollitur ex facto cum sint viciniora alteri Episcopatui hæc ratio non stringit,
22 redditurque æquiuoca probatio cum hoc dependeat à ratiocinatione, & intellectu testis, & non à sensu corporeo, *Bald. dicto cons.* 286. *in fin. lib.* 2.

23 Alij verò qui nullam aliam rationem reddunt, quam de auditu, & non specificant personas à quibus id audiuerunt etiã in antiquis finibus probandis non con-
24 cludunt, *Montan. de finib. num.* 51. *cap.* 9. Ad effectum enim vt testes de auditu probent præcipuè in antiquis deberent concurrere requisita, *cap. licet, & qua de testib. Corn. cons.* 48. *num.* 5. *lib.* 3. *Aym. de antiquit. par.* 1. §. *viso de fama num.* 12.

In quam sententiam eo libentius iuerunt Domini, quia pro parte D. Abbatis adducuntur vehementes probationes tam per scripturas, quam per testes ex quibus iustificat multos actus iurisdictionales per longissimum tempus ab Abbatibus prædecessoribus factos, & cum scientia, & patientia Episcoporum Aprutinorum quæ ex eo necessariò colligitur, quod ipsimet Episcopi Aprutini multis Clericis sacros Ordines contulerunt cum litteris dimissorijs dicti D. Abbatis; & cum expressa narratiua, quod dicta tria loca controuersa erant nullius diœcesis. Ex quibus & alijs quæ in disputatione dubij principalis super mandato de manutenendo particulariter examinabuntur visum fuit probationes factas per D. Episcopum aut elidi, aut saltem turbidas reddi, itaut ad effectum obtinendi manutentionem ex sola assistentia iuris communis non probauerit supradicta loca de quibus agitur esse intra fines dictæ diœcesis.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CAEPHALVDEN. ARCHIDIACONATVS.

*Lunæ* 18. *Martij* 1624.

## ARGVMENTVM.

Pro retardatione executionis Breuis sufficit quod narrata in gratia reddantur turbida, & agitur de turbida probatione, quod Archidiaconus esset prima dignitas.

## SVMMARIVM.

1. *Executio breuis retardari non solet, vbi iustificantur ea, quæ comprehenduntur sub clausula,* constito.
2. *Executio breuis retardatur, vbi redduntur probationes turbida Prouisi Apostolici.*
3. *Dignitas prima post pontificalem, vt dignoscatur potius consuetudo, seu solitum Ecclesia particularis, quam ius commune attendi debet.*
4. *Testes de auditu, vel non reddentes rationem,*

*nem, quare Archidiaconatus sit prima dignitas non concludunt.*

5 *Sessio ad dexteram non infert pernecesse praeheminentiam eius, qui sedet à sinistra.*

6 *Arbitrio vt sit locus sufficiunt probationes offuscantes probationem contrariam.*

7 *Arbitrium relaxat aliquid de rigore iuris.*

8 *Beneficia manualia possunt fieri perpetua.*

9 *Beneficij perpetuitas probatur ex prouisionibus de beneficio factis in titulum.*

10 *Possessor qui offuscauit probationem actoris non est priuandus sua possessione.*

## DECISIO CCCX.

ARCHIDIACONATVM vacantem in Ecclesia Caephaludeñ contulit tamquam in suo mense Ordinarius d. loci Alphonso de Montoia, & de eodem Archidiaconatu vti prima dignitate fuit à Sede Apostolica prouisus Paulus de Maio ad cuius fauorem emanauit Breue de capienda possessione nomine Camerae, cuius vigore obtinuit sententiam ab A.C. contra Alphonsum, qui cum appellasset, & petijsset causam in Rota committi Signatura rescripsit, *Parito Breui arbitrio Rotae*, quae hodie consulta respondet intrare arbitrium pro retardatione moti fuerūt Domini, quia licet executio Breuis de capienda possessione nomine Camerae retardari non soleat, vbi iustificantur ea quae comprehenduntur sub clausula, *constito*, *Rota decis.45. n.1. par.2. diuers. & dec.580. num.5. & decis.691. num.1. par.1. in recen.* Attamen in hoc casu, quamuis multa deducerentur ad iustificandam narratiuam, quod Archidiaconatus esset prima digni-

2 tas post Pontificalem, nihilominus etiam multo plura deducta fuerunt pro parte Alphonsi, ex quibus turbidae redduntur probationes prouisi Apostolici, quod sufficit pro retardatione executionis Breuis, *Rota decis. 70. num.13. par.1. diuers. & ad decis. san. mem. Greg. XV. dec.411. nu.5. vers. aduertendum in fine.*

Ad excludendum enim quod Archidiaconatus sit prima dignitas, quod Paulus probare nititur ex assistentia iuris communis iuxta *notat. in cap. 1. de offic. Archidiac.* ex testibus deponentibus de communi reputatione, & ex quodam Instrumento de anno 1564. ex cuius lectura apparet quemdam prouisum de hoc Archidiaconatu habuisse in actu per eum captae possessionis stallum in parte dextera Chori: Respon-

3 sum fuit ad dignoscendum quaenam sit prima dignitas attendi potius cōsuetudinem siue potius solitum Ecclesiae particularis, quam ius commune, *Grammat. decis. 64. num. 17. & 18. Mantic. decis. 175. num.3.* & communem reputationem, & publicam famam loci, *Boer. decis.286. numer.8. Rota decis.518. num.12. par.1. diuers. & dec.585. num.2. par.4. in nouiss. Mantic. vbi supra decis.175. num.3.*

4 Quo verò ad testes attinet † visum fuit nō posse ex eis desumi probationem concludentem cum vel deponant de auditu, vel non reddant rationem quare Archidiaconatus sit prima dignitas post Pontificalem, *Bart. in l. solam num.3. Salyc. n.2. C. de testib. Abb. in cap. consuluit num.2. de appell. Card. cons.25. num.4. Felin. quā de communi in cap. causam num. 3. vers. fallit secundo de testib. Corn. cons.347. num.2. vers. ea enim lib.1. Rol. cons.3. num.52. lib.1.* Nec super possessione data Archidiacono 1564 vis fieri potest tum quia est vnicus actus, &

5 situs ad dexteram non infert pernecesse praeheminentiam eius, qui sedet à sinistra, *Rot. decis.4. de elect. in non. & in Calaguritana praeheminentiarum 2. Decembris. 1612. coram bo. mē. Iusto, Gonzal. super reg.8. glos. 51. num.59.*

Et nihilominus pro parte Alphonsi fuit data in Summario *num.1.* sententia in qua declaratur Prioratum esse primam dignitatem, nec non Constitutio synodalis ex qua idem praesupponitur, & fuerunt datae nonnullae prouisiones antiquae enunciantes Prioratum esse primam dignitatem in hac Ecclesia, & alia iura exhibita, quae probationes etiamsi in aliqua parte forsan paterentur difficultatem, nihilominus simul

6 iunctae visae fuerunt † sufficientes ad conquassandam suae offuscādam probationem contrariam ad effectum vt sit locus *arbi-*

7 *trio*, per quod iuris † rigor aliquo modo relaxatur, *Crescen. decis.4. numer.4. de testib. Rot. in recen. decis.284. num.5. & decis.607. n.3. par.2.*

Nec obstare dictum fuit Prioratum in Ecclesia Regulari tamquam manualem non posse habere dignitatem equipollentem Archidiaconatui dignitati perpetuae, quia in primis non constat de tali manua-

8 litate, quod est probandum, & possunt talia beneficia fieri perpetua, *Cassad. dec.10. num.9. de praeben. Mandos. reg.3. q.9. num.3.*

9 Et stantibus prouisionibus de dicto Prioratu

ratu factis in titulum, & exhibitis pro parte Alphonsi satis videtur probari perpetuitas, *Rota in Parmen. prioratus 14. Aprilis 1600. coram bon. mem. Penia*. Saltem ad effectum de quo agitur, quia interim cum hæc iura hinc, & inde producta exa-
10 minabuntur ✝ non est possessor qui offuscauit probationem Actoris pro nunc possessione sua priuandus, vt in terminis fuit dictum in vna *Elnen. beneficij die 22. Iunij 1620. coram me*.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## MAVRIANEN. PENSIONIS.

*Veneris 22. Martij 1624.*

Argumentum ex Summario.

1 *Lis dicitur introducta per citationem vigore commissionis:*
2 *Lite pendente gesta sunt nulla, & attentata, & ideo reuocanda.*
3 *Actor tenetur sequi forum rei.*

## DECISIO CCCXI.

AD instantiam Reuerendiss. D. Episcopi Maurianensi dubitaui an constaret de attentatis quæ veniant reuocanda. Quo dubio proposito Domini affirmatiuè responderunt. Nam dum die 24. Ianuarij 1622. vigore commissionis Rotalis Alexander Carrà fuit citatus ad comparendum in Rota intra terminum 30. die-
1 rum per quam citationem fuit contra eum introducta lis iuxta *notat. in rubric. C. de in ius vocan. Clem. 2. vt lit. pend.* Et tamen die 16. Aprilis eiusdem anni D. Alexander obtinuit arrestum contra dictum D. Episcopum à Senatu Sabaudiæ cuius vigore etiam procurauit fieri plures executiones contra D. Episcopum, & apponi sequestrum super fructibus mensæ Episcopalis institetitque vt venderetur granum ad hoc, vt de eius pretio ei posset fieri solutio summæ per dictum Arrestum adiudicatæ.
2 Quæ omnia tamquam lite pendente gesta sunt nulla, & attentata, & ideo reuocanda *tot. tit. vt lit. pend. Lancellott. de attent. ampliat. 10. num. 1. & seqq.*

Quæ omnia tanto magis procedunt cum Alexander adiuerit Iudices laicos causa pendente in Rota, & sic omnino incom-
3 petentes contra personam Episcopi, cuius forum tamquam rei, Alexander vti Actor tenebatur sequi, *l. 2. C. de iurisd. omn. Iud. cap. si Clericus de for. compet.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA DOMVS, SEV AROMATARIAE.

*Veneris 22. Martij 1624.*

## ARGVMENTVM.

Venditionem non vnicam, sed diuersam conuincit diuersitas rei venditæ, pretij, & pactorum adiectorum.

## SVMMARIVM.

1 *Venditio diuersa censetur ex diuersitate pretiorum etiam si postea totum pretium fuerit insimul coaceruatum.*
2 *Dictiones, autem, &, vero, de sui natura implicant diuersitatem casuum.*
3 *Conuentiones separatæ respectiuè considerari debent, vbi in vnaquaque de per se particularis dispositio reperitur.*
4 *Venditionis diuersitas inducitur ex diuersitate rei venditæ, & pretij.*
5 *in Contractibus bonæ fidei non verba; sed mens contrahentium debet attendi.*
6 *Verba recipiunt interpretationem secundum subiectam materiam, & secundum intentionem partium, imò etiam quandoque improprian tur.*
7 *Coaceruatio diuersarum summarum facta ex diuersis pretijs non inducit indiuiduitatem, & minus inducit redemptionem talem quæ diuidi non possit.*
8 *Venditio vnica dicitur licet in capita separata sit constitutum pretium quando manifestum est non nisi omnes res insimul quem empturum fuisse.*
9 *Merces in loco publico venales plus æstimantur ratione auiamenti, quam in alijs locis non satis commodis.*
10 *Res inter alios acta tertio non præiudicat.*

## DECISIO CCCXII.

DOMINI steterunt in vltimo loco decisis ex rationibus optimè deductis in decisione coram Reuerendissimo Domino meo Caualerio facta sub die 6. Februarij 1623.

Existimarunt enim tota serie facti perspecta satis superque constare de mente con-

contrahentium, quod intellexerint non
vnicam, & indiuiduam venditionem, &
emptionem facere, sed penitus diuersam,
& distinctam, quod colligitur ex diuersi-
sitate rei venditæ, pretij, & pacti appositi
in retrouenditione. Vendita enim fuit
domus quæ est res stabilis, & aromataria,
idest merces, quæ vt res immobiles æsti-
mantur domus empta est pretio scutorum
mille distincto, & separato à pretio Aro-
matariæ. Certum, & limitatum est pretium
domus, incertum pretium mercium cum
id remissum sit arbitrio Peritorum, & ipse-
met emptor dum post triduum vendidit
Hortentio merces dictæ Aromatariæ reti-
nendo pro se domum videtur agnouisse
separatam esse venditionem. Vnde sequi-
2 tur ex diuersitate pretiorum censeri diuer-
sam venditionem, *l. cum eiusdem, & l. si iura ff. de edilit. edict. l. quod sæpe §. in his, ff. de contrah. empt.* Etiam quod postea totum
pretium fuerit insimul coaceruatum, *Card. Mant. de tacit. & ambig. lib. 2. tit. 3. n. 18.*

Considerarunt etiam Domini verba
Instrumenti ita concepta: *Hanc autem venditionem fecit pro pretio, & pretij nomine respectu domus eiusque membrorum, & iurium supradictorum pro scutis mille.* Respectu au-
tem Aromatariç aduertendo ad sensum, &
sermonem penitus separatum per dictio-
nem, *autem*, quæ de sui natura implicat di-
uersitatem casuum, *l. hoc amplius, §. de his, ff. de damno infect. vbi glos. in verbo autem*,
cum concordantibus, quç diuersitas magis
inducitur ex simili dictione, *vero*, apposita
in pacto de retrouendendo post explicitum
pactum de restituendo domum pro scutis
mille Aromatariam verò pro pretio æsti-
mando.

Ex quibus verbis infertur, quod pactum
de retrouendendo respectu domus sit per-
fectum. Respectu verò Aromatariæ sit im-
perfectum quousque penderet æstimatio,
& sic vt interim non posset impedire resti-
tutionem, & retrouenditionem domus;
3 vnde resultat, quod conuentiones respe-
ctiuè separatæ considerari debeant cum in
vnaquaq; de per se particularis dispositio
reperiatur.

Nec obstat, quod contrahentes vsi fue-
runt in singulari verbo venditionis, & non
4 in plurali, quia diuersitas rei venditæ, &
pretij inducit diuersitatem venditionis, &
5 in contractibus bonæ fidei non verba, sed
potius mens contrahentium debet atten-
di, *tot. tit. plus valeris*, & propterea verba
6 recipiunt interpretationem secundum sub-
iectam materiam, & secundum intentio-
nem partium; imò etiam quandoque
impropriantur, *l. si vno, ff. locat. Dec. cons. 160 num. 2. & cons. 269. numer. 7. Menoch. cons. 27. n. 42. & seqq. Surd. cons. 450. n. 134.*

Nec obstant illa verba super quibus fit
vis in prima decisione *restitutis scutis 2500. & eo quod plus fuerit æstimata Aromataria.*
Quia placuit responsio, quod illa verba
fuerunt adiecta ad demonstrandum modũ
faciendç restitutionis casu quo pluris æsti-
maretur Aromataria, quam scuta 1500. si
enim plus excederet scutis 300. voluerunt
partes, vt restituerentur Cæsari scuta 2500.
iuncto pretio domus, & illud plus possit
ei restitui in tot rebus, vt dicitur assorti-
7 tis, & ita ille ablatiuus, absolutus non re-
stringit redemptionem faciendam quasi il-
la fieri debeat de vtroque corpore vendi-
to, sed in casu quo vtrumque redimatur,
& pretium Aromatariæ excedat scuta 300.
vltra sc. 1500. quod restitutis Cæsari scutis
2500. in pecunia numerata residuum pos-
sit reddere in tot rebus assortitis. Certũ m-
que est coaceruationem diuersarum sum-
marum factam ex diuersis pretijs non in-
ducere indiuiduitatem, & minus inducere
redemptionem talem, quæ diuidi non pos-
sit, *Tiraq. de retract. lignag. §. 23. glos. 1. num. 17. Card. Mantic. d. tit. 3. lib. 2. n. 18.*

8 Nec etiam obstat, quod licet in capita
separata sit constitutum pretium nihilomi-
nus dicitur vnica venditio quando mani-
festum est nõ nisi omnes res insimul quem
empturum fuisse, vt ait *text. in dicta l. cum eiusdem vers. interdum ff. de edilict. edict.*
vt in hoc casu videtur Cæsarem non fuis-
se empturum domum sine aromataria, &
aromatariam sine domo, quia ratione auia-
9 menti, vt vulgo dicitur plus æstimantur
merces in loco publico vænales, quam in
alijs locis non satis commodis. Hæc enim
obiectio tollitur ex facto, quia post triduũ
dictus Cæsar vendidit Hortentio dictas
merces aromatariæ pro eodemmet pretio
ijsdemque pactis retenta domo licet eam
eidem locauerit ad certum tempus. Vnde
apparet Cæsarem emisse dictam aromata-
riam animo eam alteri vendendi retenta
pro se domo cessatque penitus interesse
ipsius Cæsaris, aut hæredum cum per re-
trouenditionem dictæ domus nullum peni-
tus sentiat damnum cum semper subsistat
venditio aromatariæ, quam Iulius ratam
habuit.

Nec

Nec obstat denique quod dicitur quando Cæsar restituet domum Iulio posse conueniri eumdem Cæsarem ab Hortentio pro redimenda Aromataria, & sic erit necessè hæredibus Cæsaris reperire scuta mille & quingenta pro tali redemptione facienda. Quia istud pactum si quod adest inter Hortentium, & Cæsarem fuit appositum inscio Iulio, nec potuerunt alterare aut innouare contractum inter dictum Cæsarem, & Iulium factum Maximè, quia Iulius ratam habuit venditionē Aromatariæ in actis A. C. & obtulit se paratum quatenus opus sit iterum in actis eamdem venditionem ratificare, Et sic non tenetur stare pactis inter Cæsarem, & Hortentium factis, † quæ nullum ipsi præiudicium ad ferre possunt tanquam inter alios acta iuribus vulgaribus.

Et ita decisum vtraque parte informante &c.

## ROMANA VSVSFRVCTVS.

*Luna 22. Aprilis 1621.*

### ARGVMENTVM.

Onus super re legata impositum, & ad legatarium, & ad hæredem spectare potest iuxta coniecturatam mentem testatoris.

### SVMMARIVM.

1 *Solutio census impositi super re legata spectat ad hæredem, non ad legatarium.*
2 *Maximè quando alias legatum esset nullius vel modicæ vtilitatis.*
3 *Obligatio contracta non adhibitis solemnitatibus statutarijs est nulla.*
4 *Obligatio facta ex falsa causa super supposito quod in iure non subsistit est inualida.*

### DECISIO CCCXIII.

GERARDVS scripto hærede Ioanne Baptista, Barbaræ vxori reliquit vsufructum domus, & quia eadem domus à testatore fuerat venalis exposita iussit vt pretium ex illius venditione prouenturum Inuestiretur in censibus vel Montibus non vacabilibus sub nomine hæredis reseruata omnium fructuum dispositione eidem Barbaræ loco sui vsusfrctus, sed quia super dicta domo iam fuerat constitutus census scutorum 700. Ideo hinc orta est controuersia inter Barbaram vsufructuariam, & hæredem ad quem scilicet eorum pertineret onus soluendi illius fructus, hac quæstione in iudicio agitata duæ emanarunt sententiæ vna à R.P.D. Virili ad fauorem Barbaræ vsufructuariæ, altera ab Auditore Illustriss. Archipresbyteri Lateran. in fauorem hæredis. Tandem causa ad Rotam deuoluta mihique commissa proposui dubium an sententia Reuerendiss. Archipresbyteri sit confirmanda, vel infirmanda, & Domini pro informatione responderunt.

Nam quicquid sit de ea Iuris quæstione 1 an onus impositum super re legata spectet ad hæredem vel legatarium super qua ad fauorem legatarij consuluit, *Menoch. consili 997 per tot. & cons.* 1009. & hanc opinionem quæstione ad partes agitata sequitur, *Modern. Perus. de censib. par. 2. cap. 2. quæst. 3. art. 7. num. 3. & seqq.* hæc quæstio sine difficultate deciditur ex coniecturata mente testatoris, nam cum hęc domus locaretur pro annuis scutis 65. Census autem super ea impositus ad rationem scutorum octo annuorum pro cētenario absorbebant scuta 56. habita ratione, quod domus in Vrbe aliquando nō possunt ob penuriam inquilinorum locari, & expensarum quæ singulis annis fiunt pro reparatione domorum vtili si Barbara legataria teneretur ad solutionē dicti census, vel nullam vel certè modicam ex legato vsusfructus huius do- 2 mus consequeretur vtilitatem, quo casu onus super ea impositum spectat ad hæredem, vt bene probat *tex. in l. qui concubinā §. qui hortos ff. de legat. 3. & ibi glos. Dyn. Bart. Roman. Alex. & aly Surd. cons. 493. sub n. 6. & decis. 28. num. 8. Menoch. d. cons. 997. n. 22. & de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 196. num. 14. Riminald. iun. cons. 172. numer. 22. & seq. lib. 2.*

Nec releuare visum fuit, quod dicta Barbara hoc onus agnouerit dum se obligauerit per acta Curię Capitolinę concurrere pro rata ad soluēdum dictum censum, 3 Respondetur enim, quod non constat hic adhibitas fuisse solemnitates à statuto Vrbis requisitas, vnde obligatio per dictam Barbarā contracta de cōcurrendo pro rata non subsistit & est nulla. Tum etiam quia 4 facta esset ex falsa causa seu supposito quod in iure non subsistit, *Crescen. decis. 104. & decis. 199. lib. 1. Pute decis. 153. lib. 3. Rot. decis. 129. n. 4. p. 1. diuers.*

In quam sententiam eo libentius Domi-

ni descenderũt, quia Testator legauit vsũfructum dictæ domus ità, & taliter quod liberè & absolutè eam locare & dislocare, ac pensiones exigere, & in suos vsus conuertere valeat & possit, & sic cum illis, & sua dote viuat &c. Vnde cum dos dictæ Barbaræ non excedat scuta 300. si verba dicti legati sunt verificanda debuit intelligi de vsufructu libro ab omni onere, quia alias residuum vna cum dote non posset etiam miserrimę mulieri sufficere ad viuendum, & sic dicta verba directa ad vxorem quam testator præsumitur dilexisse nihil operarentur, vt ad propositum, *Surd. dicto cons. 493. num. 6. vers. fin.*

Et ita decisum vna tantum parte informante &c.

## BRVNDVSINA PAROCHIALIS.

*Lunæ 20. Maij 1621.*

### ARGVMENTVM.

tunc ex Summario.

### *SVMMARIVM.*

1 *Mandatum de manutenedo datur ei, de cuius possessione constat de tempore motæ litis.*

2 *Possessio instrumentalis sufficit alio non existente in possessione ad effectum retinenda in beneficialibus.*

### DECISIO CCCXIV.

DOMINI vna parte tantum informãte censuerunt dandum esse manda-
1 tum de manutenendo Ecclesiæ Parochialis nuncupatæ Terræ Liberani D. Raphaeli de cuius possessione constat de tempore motæ litis, *§. retinendæ Inst. de interdict. l. 1. & 2. ff. vti possidet.*

Quod autem de tempore motæ litis d. Raphael esset in possessione dictæ Parochialis constat primo ex instrumento publico mandati procuræ facti per dictum Raphaelem de persona Camilli & Francisci Goffredi vigore cuius accepit possessionem dictæ Ecclesiæ, vt apparet ex instrumento publico sub die 10. Nouembris
2 1623. quæ possessio instrumentalis sufficit alio non existente in possessione ad effectũ retinendæ in beneficialibus, *Rot. decis. 334. num. 2. par. 2. decis. 268. in princ. coram Gregor. XV. decis. 293. num. 4. par. 1. recentior. in Spoletana Parochialis 5. Maij 1621. & in Crotonen. Parochialis 17. Decembris eiusdem anni coram R. P. D. meo Vbaldo.*

Tanto magis quia dicta possessio Instrumẽtalis adminiculatur ex attestatione duorum Clericorum, qui disponunt de possessione dicti Raphaelis.

Et ita decisum vna tantum parte informante &c.

## CORDVBEN. IVRISPATRONATVS.

*Veneris 10. Maij 1621.*

### ARGVMENTVM.

Proximitas grauati & non grauantis licet regulariter attenditur, attamen ab ista opinione ex coniecturis receditur, & quæ sint coniecturæ assignatur.

### *SVMMARIVM.*

1 *Proximitas grauati, non grauantis attendi debet, nisi contrarium appareat ex præsumpta mente testatoris, seu fundatoris, & num. 2.*

3 *Proximitas testatoris attenditur vbi in testamento adsunt verba, Proximior meus, qui tali tempore vixerit.*

4 *Fideicommissum, seu Iuspatronatus semel ingressa vna linea nõ deuoluitur ad aliam nisi prima deficiente qualiter intelligendum sit.*

5 *Citare ad sententiam non est opus post conclusionem in causa de stylo Hispaniæ.*

6 *Limita si post conclusionem in causa fiant alia citationes, productiones, aut decreta, ex quibus circumducitur conclusio in causa.*

### DECISIO CCCXV.

BArtholomæus in suo vltimo Testamento erexit & fundauit, quoddam Iuspatronatus in capella quadam sita in Cathedrali Ecclesia Corduben. illudque primo loco reliquit Bartholomæo nepoti vita eius durante, & eo mortuo voluit, vt in dicto Iurepatronatus succederet suus consanguineus proximior, qui tali tempore vixisset dummodo masculus esset mortuo dicto Bartholomæo primo instituto patrono successit Petrus pronepos testatoris quo etiam mortuo orta est lis inter Ioannem nepotem ex filia dicti Petri ex

ex vna, & inter Andream fratrem d. Petri ex altera in qua causa duæ emanarunt sententiæ in fauorem dicti Ioannis hodie causa mihi commissa dubitaui vtrum dictæ sententiæ essent confirmandæ, nec ne, & Domini pro infirmatione sententiarum responderunt tam ex capite nullitatis quam iniustitiæ.

Et quo ad iustitiam attinet quicquid sit
1 de illa quæstione, an proximitas attendi debeat grauati, vel grauantis in qua Rota circumscriptis coniecturis pluties pro grauati proximitate respondit, vt in illa *Bononien. de Muletis Lunæ 11. Decembris 1623 coram R. P. D. meo Buratto, & Peregrin. de fideicom. art. 20. num. 2.* Attamen quando ex serie facti adducuntur vrgentissimæ coniecturæ ex quibus apparet testatorem, seu fundatorem considerasse potius suam proximitatem propriam quam grauati eo casu receditur ab illa regula ex præsumpta mente testatoris, seu fundatoris, *Peregr. d. art. 20. num. 1. Mantic. de coniectur. vlt. vol. lib. 8. tit. 12. num. 10.* eum fusè deductis, & cumulatis, in illa *Iannen. Iurispatronatus Lunæ 25. Iunij, 1607. coram bon. mem. Card. Lancellotto.*

In hac autem facti serie satis visum fuit constare de enixa volunatate Bartholomæi testatoris ex illis verbis testamenti; *Proximior meus qui tali tempore vixerit*, quæ ver-
3 ba satis demonstrant testatorem considerasse solum proximitatem suam, & nullam habuisse rationem proximitatis nepotis, quem vita solum durante ad dictum Iuspatronatus vocauerat, & non filios, & descendentes patronorum, *Gabriel. conclus. 1. num. 97. de verb. signific. Mantic. de coniectur. vlt. vol. lib. 8. num. 8.* vt in terminis respondit *Rota in illa Bononien. fideicommissi de Cattaneis 12. Iunij 1615. coram R. P. D. meo Pirouano, quæ est decis. 697. part. 2. recentior. optimè Peregr. dicto art. 20. numer. 9. Decian. cons. 21. lib. 3. Peregr. cons. 18. numer. 4. lib. 4. Ladercb cons. 136. num. 5. vers. plenior tamen*, ex quibus sequitur, quod cum Andreas sit proximior testatori, quam Ioannes, debet ad eum spectare dictum Iuspatronatus.

Proximitas autem dicti Andreæ probatur ex arbore data in Summar. num. 4. quæ optimè iustificatur ex depositionibus testium ex illaque apparet Andream esse proximiorem testatoris duobus gradibus Ioanne.

Nec obstat, quod dici posset semel in-
4 gressa vna linea fideicommissum seu Iuspatronatus non deuolui ad aliam lineam nisi prima deficiente, quia cessat hæc regula quoties successio peruenit ad aliquã lineam irreuocabiliter secus autem si reuocabiliter cum aliqua qualitate, vel conditione adiecta, vt in hoc casu, quo Testator proximiores sibi consanguineos prædilexit eosque ad dictum Iuspatronatus vocauit, *Molin. de primogen. hispan. lib. 3. cap. 10. n. 36 & 37.* sicut dicitur de seniote de familia vocato, qui est casus *cons. Cardin. 48. Lambert in. de Iurepatronatus 2. par. lib. 1. art. 33. quæst. 2. Rot. in supradicta Iannen. Iurispatronatus, & dec. 100. p. 2. diuer. & dec. 627. n. 4. & 5. p. 2. recent.*

Quo vero ad nullitatem dictarum sententiarum ea appatet ex defectu citationis nam prima sententia lata est 3. Augusti 1617. Et citatio ad sententiam facta 17. Decembris 1616. quo tempore licet etiam
5 facta fuerit conclusio in causa postquam de stylo Hispaniæ non est opus amplius citare ad sententiam tamen, si post conclusionem in causa fiant aliæ citationes productiones, aut decreta dicitur circumducta conclusio in causa *Afflict. decis. 115. num. 2. & decis. 172. num. 2.* & fuit resolutum in *Conchen. Decimarum de Casagon. 5. Maij 1614. coram R. P. D. meo Pirouano*, quæ nullitas influit in secundam sententiam latam sub die 10. Augusti 1618. cum à die
6 citationis ad diem prolatæ dictæ sententiæ fuerunt facta plura decreta interlocutoria, & sic euanuit dicta conclusio in causa ex supra allegatis.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CREMONEN. BENEFICII.

*Lunæ 20. Maij 1624.*

## ARGVMENTVM.

Communitas an possit nominare personas sibi gratas Episcopo, quæ curam animarum exerceant ita quod Episcopus teneatur illas approbare.

## *SVMMARIVM.*

1 *Ius præsentandi vt competat Communitati debent adesse requisita Sac. Conc. Trid.*

2 *Iuspatronatus est ex mero priuilegio si sit erectum ex bonis antea incorporatis Ecclesiæ authoritate Apostolica.*

3 *Ius nominandi concessum Communitati ex priuilegio fuit reuocatum per Sac. Concil. Trid.*

4 *Communitas potest prætendere ius honorificum nominandi coram Episcopo personas Ecclesiasticas, quæ curam animarum exerceant, & si hoc ius habent ab immemorabili Episcopus sine iusta causa non potest reijcere nominatum, & num. 5. quæ tamen opinio reijcitur, vt num. 6.*

7 *Immemorabilis exclusa dicitur eo ipso quo constat de initio.*

## DECISIO CCCXVI.

CONCESSO mandato de manutenendo D. Laurentio aduersus Dominum Thomam præsentatum à Dominis de laude, Dubitaui an constaret de Iure præsentandi, seu nominandi Communitatis loci Bordolani à qua fuit donatum Iuspatronatus, seu Iusnominandi DD. de Laude, & Domini vnanimiter responderunt negatiuè.

Et quoad Iuspræsentandi Informantes
1 pro Thoma non insistebant cum deficerent omnia requisita per *Sac. Conc. Trid. sess. 25. vbi num. 3.* allas decisiones & declarationes Illustriss. D D. Cardinalium Sac. Conc. interpretum refert.

Deficit namque immemorabilis dum deducitur initium ab anno 1459. de tempore Pij II. Deficit etiam fundatio, & dotatio ex quo hoc beneficium fuit erectum in vim litterarum Pij II. ex bonis antea incorporatis Ecclesiæ. Vnde etiam si vigore dictarum litterarum potuisset Archipresbyter concedere Communitati Iuspatronatus illud esset ex mero priuilegio ad tradita, *in cap. Apostolicos in fin. 12. quæst. 2. vbi gloss. in verbo consentiente Abb. in cap. ad audientiam de Eccles. ædific. num. 10. Felin. in c. cum venerabilis num. 37. de except.* quod quidem fuit sublatum à dicto *Sac. Conc. Trid. c. 9. vers. reliqui patronatus.*

Quo vero ad Iusnominandi concessum per dictum Archipresbyterū Domini censuerunt illud non competere ea ratione, quia vbi per tale Ius prætenditur posse cogi Ordinarium ad instituendum nominatum. Multoque minus Papam, quo minus in mensibus reseruatis cui visum fuit conferat dictum beneficium, certum est
3 tale prætensum Iusnominandi fuisse sublatum per decretum Sac. Concilij, quia in effectu nulla inter Iuspræsentandi & nominandi dari posset differentia, & beneficiū remaneret seruituti subiectum cum definit esse liberum, & hæc distinctio visa fuit nō subsistere, sed ideo adducta ab informantibus ad euitandas exactas probationes à Sacr. Concilio requisitas.

Ex quibus cessant quæ pro consouendo Iure prætensi Patroni deducuntur, scilicet
4 Vniuersitatem posse prætendere Ius illud honorificum nominandi coram Episcopo personas gratas, quę curam animarū exerceant, ex latè relatis per *Gonzal. ad reg. 8. gloss. 18. n. 90.* Quo stante quando populus habuit hoc Ius à tanto tempore cuius memoria non extet in contrarium tunc Epis-
5 copus non potest sine iusta causa recusare nominatum, *Lambertin. de Iurepatronatus lib. 1. p. 1. q. 10. artic. 8.* Respondetur enim eumdem Lamberrin. non figere pedem, sed potius per modum discursus hanc quę
6 stionem proponere cum similia Iura beneficia non ligent ordinarium multoque minus Papam *Abb. in c. quod Dei honorem de stat. regul. Dec. cons. 129. vers. 4. Ferrett. cons. 33. num. 4. vers. & de ista & cons. 252. num. 4. & per tot. Roch. de Iurepatr. quæst. 15. num. 196.*

Vltraquod sumus extra casum Lamber-
7 tin. quia Vniuersitas non docet. Imò nec docere potest se esse in possessione immemorabili cum constet de initio vitioso, vt in terminis respondit *Rot in vna Pampilonen. beneficiorū de Tafalla coram me die 27. Ianuarij 1620.*

Multoque minus visum fuit suffragari posse Vniuersitati antiquam sententiam latā per Archipresbyterum Cremonen. delegatum Apostolicum, quę adiudicat dictæ Vniuersitati istud Ius nominandi in vim litterarum fel. record. Pij II. nam nulla in dictis litteris erat attributa facultas dicto delegato imponendi seruitutem d. beneficio cum dos constituatur in bonis iam Ecclesiæ incorporatis & quæsitis, vt apparet ex lectura Bullæ Pij II.

Nec potest vis fieri in illa sententia cū ex præsentationibus, & institutionibus appareat istam sententiam non fuisse obseruatam tum quia non fuit petita confirmatio electionis ab Archidiacono secundum dictæ sententiæ tenorem. Tum quia istud beneficium ordinarius contulit vti de Iurepatronatus Vniuersitatis de quo nullum verbum in sententia legitur.

Et ita decisum vtraque parte informante.

RO-

ROMANA FIDEICOMMISSI DE SPINIS.

*Lunæ 13. Maij 1624.*

ARGVMENTVM.

Immissio fideicommissarijs vt sit concedenda quæ requisita requirantur.

*SVMMARIVM.*

1 *Fideicommissarius agens contra tertios possessores concludenter debet probare rem fuisse de dominio fideicommittentis.*
2 *Dominium vel quasi dominium non probatur ex sola possessione.*
3 *Inuestitura benem probat dominium inuestiti.*
4 *Solutio Laudemij ostendit inuestituram fuisse effectuatam.*
5 *Inuentarium probat nõ adesse alia bona tempore mortis.*
6 *Sententia extra Rotã lata cum processus exhibitione probat dominium.*
7 *Testium defectus sanatur ex alijs probationibus se inuicem coadiuuantibus.*
8 *Identitas probatur ex demonstrationibus in inuestitura positis.*
9 *In materia confinium in antiquis non agitur rigidè.*
10 *Pluralitas non præsumitur.*
11 *Concessio in emphyteusim facta à duobus religiosis debet ratificari à toto conuentu.*
12 *De iure Tertij regulariter nemo potest dare.*
13 *Scientia sola sufficit in lucratiuis, & fauorabilibus.*
14 *Ex Laudemij solutione præsumitur ratificatio.*
15 *Ex Canonis augmento quando non possit inferri ad dominium.*
16 *Filius habitans in domo cum matre præsumitur habitare in ea tanquam in domo materna, non autem in sua propria.*
17 *Fundus dotalis dicitur quando in instrumento dotis adsunt verba quæ domus obligata sit, & remaneat pro dote.*
18 *Reo & possessori sufficit elidere, & turbidas reddere probationes actorum.*
19 *Actor debet concludenter probare suam intentionem.*

DECISIO CCCXVII.

FRidericus & consortes de Spinis vti fideicommissarij Francisci petierunt de anno 1602. immissionem in possessionem duarum domorum vnius nempè positæ ad Pontem Sixtum in regione Arenulę Alterius in via Balestrariorum, & coram Illustriss. Card. Millino Rota respondit dandam esse immissionem postmodum opposito per Bellapanos de defectu dominij Francisci fideicommittentis Rota coram eodem Illustrissimo dixit non probari dictum defectum, quo dubio hodie a me proposito Domini dixerunt non esse dandam immissionemDominis de Spinis quoad domum positam ad Pontem Sixtum ratio decisionis fuit.

1 Quia Domini de Spinis fideicommissarij, qui agunt contra Dominos de Bellapanis tertios possessores non probant dictum domum fuisse de dominio Francisci fideicommittentis prout cõcludenter probare debebant, *Bald. cons. 4. vol. 4. num. 1.* ibi non video quo iure possit conueniri possessor nisi probetur, quod defunctus fuit
2 Dominus, vel quasi quod non probatur ex sola possessione, & ad hoc probandum adducit, *l. cum res C. de probat. & not. per DD. in l. penult. de condit. instit.* quod tantum ab est, vt probent DD. de Spinis ad fideicõmissum vocati quin imò ex his, quæ pro Bellapanis deducũtur potius videtur probatum dominium Adrianæ à qua causam prætendunt, & non fideicommittentis.

Et primo probatur ex instrumento concessionis in emphyteusim facto per fratres S. Saluatoris Nardo de Rubeis patri dictæ Adrianæ, quam ex secundo renouationis dictæ concessionis ipsimet Adrianæ facto stipulantibus pro ea Francisco & Nicolao
3 filijs, quæ instrumenta benè probant dominium Adrianæ inuestitæ, *l. 1. in fin. & l. 2. ff. si ager vectigal. vel emphyt pet. l. 1. §. autem vbi Bart. ff. de supellect.*

Secundo ex solutione Laudemij per dictam Adrianam dictis fratribus facta, quæ
4 solutio ostendit inuestiturã fuisse effectuatam, & sic dominium dictæ domus fuisse transmissum ad dictam Adrianam, vt tenuit *Rot. in Terdonen. bonorum 5. Nouembr. 1610. coram Reuerendissimo D. meo Caualerio.*

5 Tertio ex inuentario, quod Adriana hæres Francisci fecit statim, eo mortuo in aditione hæreditatis, quia omnia bona

spectantia ad Franciscum, ac etiam melioramenta, quæ dictus Franciscus fecerat in dicta domo reperiuntur in eo descripta, præter istam domum vti propriam d. Adrianæ in qua nihil commune habebat Franciscus.

Quarto considerarunt Domini sententiam alias latam à Iudice Capitolino de anno 1552. super ista domo ad fauorem prædictorum hæredum Adrianæ, quæ sen-
6 tentia licet extra Rotam lata cum processus exhibitione probat dominium, vt fuit dictum in *Romana deuolutionis domus 15. Decembris 1595. coram bon. mem. Penia, Alex. cons. 98. num. 10. vers. & talis probatio lib. 5.* Ad hæc etiam accedit depositio trium testium. qui deponunt se audiuisse dictam Adrianam dictam domum habitasse sicuti suam propriam, qui testes
7 etiam si aliquas patiantur exceptiones tamen eorum defectus visum fuit sanari, ex alijs probationibus se inuicem coadiuuantibus.

8 Quo ad identitatem domus Domini dixerunt eam probari ex demonstrationibus positis in inuestitura del 1562. Nam in ea quinque ponuntur demonstrationes Prima in Regione Arenulæ, Secunda bona Augustini de Rubeis, Tertia bona Ioannis Carbonetti, Quarta retro bona eiusdem Augustini. Quinta ante viam publicam, quæ ducit ad Pontem Sixtum. Ponderarunt etiam Domini, quod sumus in anti-
9 quis vbi nō ita rigidè agendum est in ma-
teria confinium cum præsertim non præ-
10 sumatur pluralitas domus in eadem regione Arenulæ, *Rot. in causa Assisien. hæreditatis 18. Martij coram Reuerendissimo Domino meo Caualerio, & coram eodem in Romana fideicommissi de Marmittis 29. Nouembris 1610.*

Nec obstant quæ in contrarium pro Dominis de Spinis deducuntur. Et primo nō obstat illud, quod obijcitur de facultate duorum Monachorum qui dictam cōcessio-
11 nem fecerunt, quorum factum debebat à toto Conuentu ratificari, quia cum dictus Franciscus interuenerit in celebratione instrumenti dictæ concessionis, & pro Adriana stipulatus fuerit non crediderunt Domini, quod hæredes fideicommissarij eiusdem Francisci dare potuerint de defectu dicti mandati cum hæc exceptio respiciat Ius dictæ Ecclesiæ aliter dicti hæredes di-
12 cerētur dare de iure tertij, quod regulariter non est permissum, *Seraph. dec. 278. n. 1.*

Secundo non releuat, quod dictum instrumentum concessionis non fuerit per Adrianam ratificatum, quia dicta concessio
13 fuit vtilis d. Adrianæ. in lucratiuis enim & fauorabilibus sufficit sola scientia, *Rota in Romana domus de Crescis 14. Ianuar. corā Litta*, Iuncto etiam, quod ex solutione Laudemij præsumitur ratificatio cum veri-
14 simile sit quod dicta Laudemia Adriana non soluisset nisi dictam concessionem ad sui fauorem à dicto Francisco filio stipulatam non approbasset.

Tertio non obstat, quod Franciscus multa fecerit melioramenta in dicta domo, quę non fecisset si dicta domus ad eum nō spectasset, quia non est inconueniens, quod voluerit meliorare domum spectantem ad Adrianam eius matrem quam etiam instituit hæredem.

Quarto non obstat, quod dictus Franciscus auxerit Canonem huius domus ad ducatos decem, quia non probatur tale augmentum fuisse factum per eum vti Dominum dictæ domus, sed eo quia plura melioramenta in dicta domo fecit, quę augendo Canonem voluit donare Ecclesiæ cum onere, quod pro eius anima singulis annis tot celebrarentur Missæ, & sic de
15 augmento dicti Canonis non potest inferri ad dominium d. Francisci.

Quinto non obstat habitatio d. Francisci in dicta domo de qua deponunt aliqui testes pro parte DD. de Spinis dati, quia d. testes non deponunt simpliciter de habitatione d. Francisci, sed etiam de habitatione d. Adrianæ, vna cum d. Francisco. Vnde d. despositio videtur magis inseruire pro iustificatione dominij d. Adrianæ, quā
16 d. Francisci † qui habitando in d. domo cum Adriana matre præsumitur habitare in ea tamquam in domo materna non autem in sua propria.

Sexto & vltimo non obstat, quod dicitur de assecuratione facta à Francisco de dote Adrianæ super hac domo, quia hoc non fuit iustificatum per Dominos de Spinis. Quia imò ex instrumento dotis dictę Adrianæ apparet, quod pater eius assecurauerit dictam dotem, super hac domo ibi dum expressè loquitur de ea sita in regione Arenulæ, *quæ domus obligata sit & rema-*
17 *neat pro dote &c.* Quæ verba indicant fuisse fundum dotalem, vt fuit dictum in illa *Romana de Bombellis coram Reuerendiss. D. meo Decano*, Vltra quod exhibetur etiam quietantia solutionis Canonis dictæ domus

mus facta per Monasterium in fauorem d. Nardi patris d. Adrianæ, Ex quibus visum fuit prævalere probationes factas per
18 reos & possessores † quibus sufficit elidere & turbidas reddere probationes actorũ
19 quibus competit onus probandi concludenter suam intentionem Iuribus vulgaribus &c.

Et ita decisum vtraque parte informante.

### LVNEN. SARZANEN. OBLATIONVM.

*Veneris 24. Maij 1624.*

### ARGVMENTVM.

Super oblationibus destinatis ad certum vsũ Episcopus habet intentionem fundatum tam de iure, quam ex disposit. Concil. super ablationibus vno simpliciter factis solus Parochus habet intẽtionem fundatum: Et alia assignantur quando Episcopus, & Capitulum insimul cõcurrunt ad aliquem actum.

### SVMMARIVM.

1 *Manutentio danda est vtrique parti, quando de vtriusque possessione constat.*

2 *Episcopus habet intentionem fundatam in administratione eleemosynarum iuxta piorum mentem.*

3 *Parochus habet intentionem fundatam in oblationibus simpliciter factis, secus de oblationibus destinatis ad certum vsum.*

4 *Assistentia sola iuris non suffragatur contra capitulum existens in possessione.*

5 *Episcopus, quoties adhibetur ad rationem cõputorum in condemnatione, vel absolutione administratorum, vnicum habet votum prout alij, quibus ratio reddenda est.*

6 *Ius neque assistit neque resistit quando tractatur de consuetudine, vel præscriptione, vt Episcopus interueniat tanquã Prælatus, vel tanquam Canonicus.*

7 *Canonicus non prohibetur esse testis pro Capitulo, præsertim quo ad actus, qui expediuntur pro Capitulo.*

8 *Exceptiones contra personas testium non admittuntur in possessorio summarijssimo. Adeo, quod nec etiam exceptio, quod testis sit interressatus.*

### DECISIO CCCVIII.

ORTA controuersia inter Reuerendissimum D. Episcopum & Capitulum Ecclesiæ Catedralis Sarzanen. circa administrationem quarumdam oblationũ quæ fiunt Imagini Sanctiss. Crucifixi sita in vna ex Cappellis dictæ Cathedralis, Dubitaui cui ex partibus esset dandum mandatum de manutenendo, Et Rota respondit quoad retentionem clauium capsularũ in quarum vna reponuntur oblationes siue eleemosynæ pro fabrica, & in alia pro missis manutentionem esse dandam Episcopo, & Capitulo, quia testes in vtroque summario deponunt de visu, & de certa scientia, quod & claues ab vtroq; retineãtur & quod in aperitione capsularum, vel assistit Episcopus vel mittit claues, & sic in
1 dicto statu vtraque pars est manutenenda *vulgato §. retinendæ Inst. de interdict. l. 1. §. huius interdicti ff. vti possidetis.*

Circa vero administrationem eodem modo Rota dixit dandum esse mandatum vtrique parti cum testes deponant de dicta administratione facta à deputatis tam ab Episcopo, quam à Capitulo, vt in Summario Episcopi num. 2. Et licet informantes pro Capitulo vim facerent in quodam instrumento redditionis rationis de anno 1606. facto de dictis oblationibus soli Capitulo. Responsum fuit id euenisse propter absentiam Episcopi dum erat Nun-
2 cius in Germania, qui† dum agitur de distribuendis dictis eleemosynis iuxta piorũ mentem nempè partim pro fabrica, & partim pro Missis videtur in hoc habere intentionem fundatam tum in iure communi *cap. quæcumque decima quæst. 1. Felin. in cap. dilecti in princ. de offic. ordin.* tum in dispositione, *Conc. Trident. sess. 22. cap. 8. de reform.* Et ideo Capitulum debet esse contentum de hac communione, quia licet istæ oblationes fiant intra Parochiam Capituli fu-
3 mus tamen in oblationibus destinatis ad certum vsum, non autem in oblationibus simpliciter factis in quibus solus Parochus habet intentionem fundatam tanquam de Iure Parochiali, *cap. quia Sacerdotes, & cap. Sanctorum 10. quæst. 1. Rot. in recent. dec. 256. num. 1. par. 1. & dec. 360. num. 2. p. 2.*

Respectu vero Iuris votandi in Congregationibus, quæ fieri solent occasione dictarum oblationum nõ dantur aliqui actus positiui, sed solum duo testes quorum vnus deponit de publica voce, & fama, & alter

de

de certa scientia, eo quia interuenit in Congregationibus in quibus Episcopus dabat votum, vt quilibet Canonicus iuxta, quam testium depositionem Domini dixerunt dandum esse mandatum de manutenendo non obstante assistentia Iurs,
4 quam prætendere posset Episcopus ratione communionis, quam habet cum Capitulo, *iuxt. text. in cap. pastoralis de rescript. vbi glos. in verbo plures dat concord.* quia so-
5 la assistentia Iuris non suffragatur contra Capitulum existens in possessione, *Rot. decis. 685. num. 2. par. 1. in recentior. Rot. apud Marches. in vna Aquilana Iurisdictionis 1607 coram R.P.D. meo Pamphilio num. 1. fol. 480.* & ex multis firmatum fuit in illa *Aprutina seu Nullius iurisdictionis die 11. Martij 1624 coram me* stante presertim resolutione Concilij in altera *Lunen. Sarzanen.* de qua fit mentio in decisione *Placentina Voti 20. Nouembris 1612. coram bon. mem. Penia*, vbi habetur, quod quoties Episcopus adhibetur ad rationem computorum in condemnatione, vel absolutione administratorum, vnicum tantum habet votum prout alij qui
6 bus ratio reddenda est, † & quando tractatur de consuetudine, vel præscriptione vt Episcopus interueniat tanquam Prælatus, vel tanquam Canonicus Ius neque assistit neque resistit, *cap. à collatione vbi glos. & Doctores de appellat. in 6.*

Nec obstare dictum fuit, quod vnus ex dictis testibus sit Canonicus & Procurator Capituli, quia, & de mandato non constat
7 & alias Canonicus non prohibetur esse testis pro Capitulo presertim quo ad actus qui expediuntur pro Capitulo, quia melius probare non possunt, quam per ipsos Capitulares, ex pluribus per *Farinacc. de testib. quæst. 60. num. 460.* & demum quia in
8 hoc summarijssimo indicio non admittuntur exceptiones contra personas testium adeo quod nec etiam admittitur exceptio, quod testis sit interessatus, vt in vna *Mediolanen. Decimarum S. Mariæ passionis 19. Decembris coram Reuerendiss. D. meo Canalerio inter impress. penes Farinacc. post 2. librũ Consiliorum decis. 349. num. 2.* de qua in annotatione ad decisionem, *Gregor. XV. sanct. mem. dec. 449. n. 11. in fin.*

Et ita decisum vtraque parte informante.



ROMANA VINEAE.

*Mercurij 29. Maij 1624.*

ARGVMENTVM.

Ex Summario.

*SVMMARIVM.*

1 *Validitas sententiæ constat ex reuolutione actorum.*
2 *Iustitia sententiæ depromitur ex decisionibus in causa factis.*
3 *Articuli post trinum examen non sunt admittendi in possessorio, sed recipiendi ad petitorium.*
4 *Aegidiana vt intret prima sententia debet iustificari ex eisdem actis non ex probationibus postea faciendis.*

DECISIO CCCXIX.

1 DOMINI pro confirmatione sententiæ Rotalis responderunt, quia de eius validitate constat ex reuolutione acto rũ. Adsunt enim mandata procuræ vtriusque partis. De iurisdictione constat per commissionem, & de citationibus cum omnibus alijs requisitis pro validitate sententiæ de quibus per *Caputaq. decis. 260. par. 2. Rota decis. 678. num. 1. & decis. 780. num. 1. par. 2. in recent.*

Quo vero ad iustitiam remanet satis superque iustificata ex duabus decisionibus in hac causa factis tam coram R.P.D. meo Vbaldo sub die Mercurij 14. Iunij 1623. quam coram me sub die 29. Nouembris 1619. In quibus multis rationibus com-
2 probatur iniustè fuisse concessam immissionem ex interdicto qnorum bonorum pro tertia parte Petro & fratribus de Zacconis cũ non probasent requisita in hoc iudicio possessorio, & præcipuè possessionem ipsorum patris ex cuius persona intentauerunt hoc remedium, quæ decisionum rationes iterum examinatæ placuerunt Dominis.

Nec visum fuit admittẽdos esse articulos à d. Petro pro differẽda huius causæ resolutione datos pro examinãdis testibus in Curia, quia iam coram A.C. in primo iudicio & postea coram me, & postmodum coram R. P. D. meo Vbaldo super ijsdem articulis ad probandam possessionem dicti sui patris examinauit plurimos testes quorum dicta & depositiones non probare intentio-

tionem dicti Petri fuit in dictis duabus decisionibus firmatum.

Et quod maximè mouit Dominos illud est, quod prima sententia A.C. fuit lata in iudicio possessorio scilicet vigore interdicti quorū bonorū sententia verò Rotalis reuocat dictam sententiam vti iniustam, &
3 sic † non videntur admittendi isti articuli post trinum examen in hoc iudicio possessorio, sed reijciendi sunt ad petitorium.
4 Idque tanto magis quia † adhoc vt intret Egidiana debet prima sententia iustificari ex ijsdemmet actis & non ex nouis probationibus adhoc vt confirmari possit executio facta vigore sententiæ ab A.C. latæ, vt firmatur in supradictis duabus decisionibus eum quibus Domini transierunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## MEDIOLANEN. DECIMARVM.

*Luna 10. Iunij 1624.*

### ARGVMENTVM.

Causa criminalis debet silere quousque causa ciuilis prius intentata per rem iudicatam fuerit terminata.

### SVMMARIVM.

1 *Causa ciuilis tunc dicitur præiudicare criminali quando sententia lata in ciuili, parit exceptionem rei iudicatæ in criminali.*
2 *Sententia lata in petitorio, quæ transitum fecit in rem iudicatam, absorbet totaliter omnia remedia possessoria.*
3 *Causa Criminalis debet silere, quousque ciuilis, quæ prior fuit intentata, fuerit per rem iudicatam terminata.*
4 *Executionis, & contrauentionis mandati rotalis cognitio spectat ad Tribunal Rotæ.*

### DECISIO CCCXX.

ORTA lite in partibus, & postea ad Rotam deuoluta coramReuerendissimo Lugdunen. inter Rectores Plebis, & Capitulum Ecclesię Collegiatę Burgi Varisij super præstatione decimarum, & noualium dicti Rectores in summarijssimo possessorio obtinuerunt mandatum de manutenendo Rotale, quod dicitur fuisse aliquibus Canonicis intimatum postea in progressu causæ examinatis vtriusque partis iuribus in Rota fuit pluries resolutum decimas, & noualia spectare integrè ad dictū Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ, & post multas decisiones dictum Capitulum obtinuit duas sententias fauorabiles in Rota, qua litē pendente. Rectores prætendentes aliquos Canonicos contrauenisse dicto mandato de manutenendo à Rota concesso porrexerunt quærelam coram A. C. contra dictos Canonicos, qui recursum habuerūt ad signaturā obtinuerūtq; rescriptum fauorabile. Vnde iuxta mentem Signaturæ proposui dubiū, verū causa ciuilis sit præiudicialis criminali itant sit inhibēdum Iudici criminali, quo dubio hodierna die per me proposito Domini vnanimiter affirmatiuam sunt amplexi.

Præcipuum decisionis fundamentum in
1 eo consistit, quia tunc † dicitur ciuilis præiudicare criminali, quando sententia lata in causa ciuili parit exceptionem rei iudicatæ in criminali, *Bart. in l. 2. §. hoc edicto num. 3. ff. de vi bonor. rapt. Curt. iun. cons. 91. lib. 3. Lancellott. de attent. par. 2. cap. 4. limit. 23. nu. 23.* cum fusè cumulat per *Farinac. quæst. crimin.* 100. *nu.* 29. *&* 128. *Rota coram Reuerendiss. D. meo Patriarcha in vna Anconitana pecuniar. 5. Maij* 1069 *& alias sæpissimè.*

In hac autem facti specie certum est, quod si per tres sententias conformes ista causa in petitorio fuerit terminata, & constet per rem iudicatam nullum ius dictis Rectoribus competere super prætensis decimis, & noualibus tunc euanescet prætentio dictorum Rectorum, qui solo mandato de manutenendo nituntur, quod hodie da-
2 tur cras auferturr† Certi enim Iuris est sententiam latam in petitorio, quæ transitum fecit in rem iudicatam absorbere totaliter omnia remedia possessoria.
3 Vnde sequitur † interim debere silere causam criminalem quousque ciuilis, quæ prior fuit intentata fuerit per rem iudicatam terminata, *glos. & Bart. in l. ex morte C. ad l. Aquiliam Bart. in l. penult. ff. de calumn. in l. 2. §. 1. ff. de vi bonor. rapt. & in l. interdū ff. de public. iudic. Abb. in cap. suas nu. 5. vers. nam regula Iuris de procurat. Surd. cons. 139. num. 1. lib. 1.*

In quam sententiam eo libentiùs iuerunt Domini, quia agitur de executione & contrauentione mandati Rotalis, cuius
4 cognitio præcipuè deberet ad Tribunal Rotæ, vt de contrauentione inhibitionis Rotalis dixit *Rota in Lauretan. Spolij 30. Maij 1591. coram Illustrissimo Millino, quæ*

*est*

*est decis. 55. inter impressas part. 2. diversorum.*

Et ita decisum vna tantum parte informante, altera sæpissimè citata, & non comparente.

SVLMONEN. PECVNIARIA.

*Luna 10. Iunij 1624.*

ARGVMENTVM.

Statutaria Vrbis præscriptio ligat etiam forenses, & quamuis instrumenta, seu chirographa alibi sint confecta, si tamen eorum executio in Vrbe petatur, Administrator bonorum, dum est creditor Domini præsumitur se de suo credito satisfecisse, quod si non fecerit, dum id erat in sua potestate sibi imputet, si deinde illud reperiat præscriptum. forensi vt detur restitutio in integrum aduersus statutorum dispositiones debet esse ex omni parte probabilis, quæ penitus labefactatur, quando adest culpa, vel negligentia.

SVMMARIVM.

1 *Creditum si non petatur intra spatium 16. annorum intrat statutaria præscriptio.*

2 *Statutum Vrbis de præscriptione sibi locum vindicat etiam inter forenses, & vbi instrumenta, seu chirographa crediti alibi fuerunt confecta, dummodo petitio fiat in Vrbe.*

3 *Aerarius in Regno Neapolitano habetur pro administratore.*

4 *Administrator bonorum debitoris præsumitur de suo credito sibi satisfecisse.*

5 *Debitoris bona fide præscribendo creditum, valdè coadiuuatur, si eius creditor bona debitoris administrabat.*

6 *Forensi ex capite probabilis ignorantiæ aduersus statutorum dispositiones datur restitutio in integrum.*

7 *Restitutio in integrum vt detur forensi aduersus statuta, ignorantia debet esse ex omni parte probabilis.*

8 *per Italiam ferè totam adsunt statuta, quæ præscriptionem iuris communis reducunt ad terminos breuiores.*

9 *Forensis si traxit moram in Vrbe, non potest prætendere ignorantiam statutorum.*

10 *Administrator bonorum si sit creditor Domini, si sibi dum potuit non curauit satisfacere, sibi imputet, dum reperit præscriptum eius creditum.*

11 *Tutor, sicut potest creditoribus pupilli satisfacere, ita proprium creditum potest exigere à seipso.*

12 *Quod si non fecerit, non potest tamquam in culpa consequi vsuras retardatæ solutionis.*

13 *Negocia aliena gerens debet sibi satisfacere de suo credito, alias dicitur in culpa.*

14 *Restitutio in integrū aduersus statuta vt concedatur requiritur iusta, & probabilis eorum ignorantia.*
*Culpa stante excluditur iusta, & probabilis ignorantia, num. 14.*

15 *Restitutio in integrum vt detur ex capite iustæ ignorantiæ debet esse talis, vt nulla interuenerit negligentia.*

DECISIO CCCXXI.

Egerat Ioannes Antonius Colanannius contra D. Ioannem Antonium Citarellam vigore duarum apocharum quarum vna est scutorum 2134. altera scutor. 600. Vnde dubitatum fuit, an dictus D. Citarella teneatur ad solutionem prædictarum pecuniarum, & Domini negatiuè responderunt, quia cum vsque de anno 1593. di-
1 ctæ apochæ fuerint cōfectæ, intrat præscriptio statutaria sexdecim annorum, quæ
2 vendicat sibi locum etiam inter forenses, & vbi instrumenta, seu chirographa crediti fuerunt alibi confecta, dummodo tamen in Vrbe petitio fiat vt articulo maturè discusso, tenuit *Rota in Ianuen. seu Romana pecuniaria de Nigronib. 10. Iunij 1580. coram Card. Lancellotto seniore quæ est decis. 764. par. 4. diuers. in qua fuit recessum à decis. Caputaq. 207. par. 3.* vbi contrarium firmabatur.

Quam sententiam Domini libentius fuerunt amplexi cum idem Ioannes Antonius Colanannius metu excommunicationis reuelauerit se fuisse ærarium dicti Ci-
3 tarellæ, quod in Regno Neapolis habetur pro administratore, vt ex fide quæ data fuit & testatur *Carauita super ritu magnæ Curiæ 45.* & dicta administratio probatur effectuata cum dictus Colanannius tamquā ærarius consignauerit RR. PP. Iesuitis sal-
4 mas frumenti 730. itaut, vel intret præsumptio satisfactionis, *iuxta text. in l. debitor. ff. de negoc. gest. l. sed si damnum, §. peculium, ff. de pecul. cum alijs apud Surd. consil. 290. num. 32.* vel saltem valdè coadiuuat
5 bonam fidem debitoris qui se fundat in præscriptione, *Alba consil. 28. num. 3. vol. 1.*

Et licet pro parte Colananni replicaretur

6 tur sibi saltem competere restitutionem in integrum tamquam forensi ex capite probabilis ignorantiæ d.statuti, *iuxta decis.Caputaq.207.num.1.& 2.par.3.*

7 Placuit responsio, quoc ignorantia ad hunc effectum debet esse omni ex parte probabilis, vt dixit *Rota in Romana redditionis rationis coram Orano apud Pacific. de Solutan. interdict. decis.* 142. *& in Romana Saluiani interdicti coram Iusto apud eumdem Pacif. decis.*169. quæ probabilitas in hoc
8 casu cessare videbatur, tum quia ferè per totam Italiam adsunt similia statuta quæ præscriptionem iuris communis reducunt ad terminos breuiores, *Barbat.cons.56.n.16 & 12. lib.2. Odd.de restit. in integr.quæst.8. art.12.num.98.* Tum etiam quia d.Ioannes
9 Antonius traxit moram in Vrbe quod in his terminis ponderat *Rol. à Vall. cons.42. num.27. lib.3.* Tum demum quia cum ipse esset ærarius videtur in culpa constitutus cum se nedum hoc debitum summæ releuantis petere distulerit per tantum tempo-
10 ris spatium, sed etiam quia sibi ipsi dum posset non curauit satisfacere prout tenebatur, *iuxta text.in l. quotiet, §. sicut autem, ff. de administ. tutor.* vbi tutor sicuti potest
11 creditoribus pupilli soluere ita proprium suum creditum potest exigere à seipso, quod si non fecerit non poterit tamquam
12 in culpa à pupillo consequi vsuras retardatæ solutionis, quod etiam probat *text.in d.l.debitor, ff.de negoc.gest.* vbi gerens aliena negocia debet sibi satisfacere alias dicitur in culpa, vt benè ponderat *Surd.d.cons.*290
13 *sub num.*33. Vnde inferebatur quod stante dicta culpa excluditur illa iusta, & probabilis ignorantia quæ requiritur ad obtinendum restitutionem in integrum contra statutum, *Alba cons.* 18. *sub num.*1. *lib.*1.
15 Vbi quod ignorantia debet esse talis, itaut nulla interuenerit negligentia, quam sequitur *Rota in dicta Romana Saluiani interdicti coram Iusto, apud Pacif. d. decis.*169. *iuxta primam impress.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA VSVSFRVCTVS.

*Veneris 14. Iuny 1620.*

### ARGVMENTVM.

Non eget ob eius breuitatem.

### SVMMARIVM.

1 *Inuentarium plenè probat contra hæredem, qui illud conficit.*
2 *Alleganti se non fuisse consecutum integram legitimam incumbit onus probandi.*

## DECISIO CCCXXII.

CVM instaretur à Barbara pro expeditione huius causæ se opposuit hæres Gerardi Baguetti sub prætextu quod si ad eum spectet onus soluendi censum, non superesset ei integra legitima, vnde eum volui super hoc puncto audire, & cum pluries citatus non curauerit informare, sed solum dederit quamdam copiam articulolorum, qui non percutiunt punctum super quo disputatur, capta fuit iterum resolutio pro informante cum ex inuentario cuius copia data fuit satis appareat Testatorem reliquisse satis amplum patrimonium habita ratione modicitatis huius legati facti
1 Barbaræ, quod † Inuentarium plenè probat contra hæredem qui illud conficit, *l. fin. C.de arbitr. tutel. Bald. cons.*407 *lib.*1. *num.*1. *Castr.cons.*393 *num.*2 *lib.*2. *Dec.consil.*67. *num.*2. *Afflict. decis.* 313. *in princip.*
2 Et alias † alleganti se non fuisse consecutum integram legitimam incumbit onus probandi, *Seraph. decis.*311. *num.*18. & sequuta fuit Rota in *Bonon. de Rubeis* 8. *Martij* 1619. *coram* R. P. D. *meo Vbaldo*.

Et ita decisum vna tantum parte informante.

## VERONEN. CONTRIBVTIONVM.

*Lunæ 17. Iunij 1624.*

### ARGVMENTVM.

Manutentio non denegatur constito de possessione, & quando per superuenientiam noui tituli censeatur immutata possessio absque alia declaratione, necnon per decennium quando non dicatur omissa possessio.

### SVMMARIVM.

1 *Manutentio datur ex possessione probata de tempore motæ litis.*
2 *Probatio semiplena sufficit in summarissimo possessorio.*
3 *Titulo superuenienti præsumitur quis absque alia declaratione mutasse causam possessionis.* Pos-

4 *Possessio non censetur ammissa lapsu decennij, ubi quis fecit diligentias in Signatura, & Rota.*

5 *Possessio metienda est ex parte possidentis, nec variatur ex mutatione personarum contra quas fuit acquisita.*

## DECISIO CCCXXIII.

ROTA censuit dandum esse mandatum de manutenendo Rectori loci de Pazzano in possessione exigendi plaustrum frumenti, & vuarum, necnon certas mensuras vulgariter dictas bazzettas olei ab Archipresbytero S. Mariæ de Caprino pro
1 supplemento eius congruæ, quia † de eius possessione constat de tempore motæ litis, *vulgat. §.retinenda instit. de interdict.*

De hac enim deponunt duo testes examinati in Curia quorum primus deponit de confessione extraiudiciali Rocchi Archipresbyteri defuncti pluries facta dicto Rectori. Alius verò dicit se vidisse quietantias huiusmodi solutionum præstationis factas per Rectorem ad fauorem Archipresbyteri, & vterque testis deponit de publica voce & fama per verba fuit, & est, quæ depositiones coniunctæ cum alijs adminiculis satis probant in hoc iudicio summa-
2 rissimo † in quo sufficit semiplena probatio, *Menoch. de retin. remed. vltim. num.34. Seraph. decis. 392. & decis.561. in princip. Rota decis.214.num.3.par.1. recent.*

Adminiculatur etiam quasi possessio ex titulo præambulo, scilicet per sententiam Ordinarij Brixien. delegati à Congregatione sacri Concilij in qua sententia Curato adiudicatur dictum plaustrum frumenti vna cum alijs in quibus petitur manuten-
3 tio † ex quo titulo potuit absque alia animi declaratione dictus Rector sibi mutare causam possessionis, *Achill. decis.4. de caus. poss. & propriet. Cresc. decis.3.num.3.de rest. spoliat.*

4 Nec potest dici dictum Rectorem amisisse possessionem per lapsum decennij, quia constat ipsum multas diligentias fecisse tam in Signaturis, quàm in Rota, vt patet ex decreto Reuerendissimi D. mei Decani; necnon ex decisione in hac causa cora me facta sub die 30. Ianuarij 1617. in qua canonizatur bonum ius d. Rectoris.

Nec obstat denique, quod non probetur possessio contra Modernum Archipres-
5 byterum, quia possessio metienda est ex parte possidentis, nec variatur ex mutatione personarum contra quas acquisita fuit possessio, *iuxta decis. Guidop. 619. Seraph. decis.828.num.1.& 2. & coram fel. rec. Gregor. XV. decis.275.num.2.* Idque tanto magis, quia Rector agit contra Archipresbyterum pro præstatione annua debita Rectoriæ super fructibus ex decimis Archipresbyteratus.

Et ita decisum vna tantum parte informante, altera sæpius citata, & non comparente.

## BONONIEN. LEGATI.

*Veneris 21. Iunij 1624.*

## ARGVMENTVM.

Sententia pro falsitate testamenti lata contra Notarium quando non noceat legatarijs.

## SVMMARIVM.

1 *Sententia lata contra habentem principale interesse, tunc etiam nocet cæteris etiam non citatis.*

2 *Sententia lata contra hæredem scriptum præiudicat legatarijs etiam non citatis.*

3 *Sententia, cuius acta non fuerunt integrè transportata, dicitur sine actis.*

4 *Sententia criminalis iustitia, vel iniustitia, & validitas confessionis rei ex quibus probationibus dependeat.*

5 *Testis primo dicto iurato, & non vltimo standum est.*

6 *Etiam si vltimum dictum fuerit à Reo in tormentis ratificatum.*

7 *Sententia lata in crimine falsi contra Notarium, parti non citata non præiudicat.*

8 *Castren. in l. 2. num.6. C. de fide instrum. explicatur.*

9 *Res inter alios acta alijs in iudicio non comprehensis, nec præiudicium, nec vtilitatem adferre potest.*

10 *Testamentum signatum, & publicatum à Notario est legale.*

11 *Statutum locale non se extendit ad Castrum quod est feudum Imperiale, & alterius iurisdictionis.*

## DECISIO CCCXXIV.

PRoposito iterum dubio alias coram me resoluto die 10. Decembris anni præteriti, Domini hac causa maturè discussa vnanimi voto steterunt in decisis non

non obstantibus his quæ magna verborum serie per informantes pro D. Comite fuerunt deducta ad infringendam fidem testamenti cuius executio ab Hospitali prætenditur.

Et primo non obstat, quod dicitur per exhibitionem processus criminalis in Ciuitate Mutinæ fabricati hodie constare cōfessionem Notarij fuisse legitimè factam, & sic sententiam contra ipsum Notarium latam saltem per viam exceptionis probare quando ex actis constat de iniustitia

1 dictæ sententiæ, præcipue quando lata est contra habentem principale interesse tunc enim nocet cæteris etiam non citatis, *gloss. in l. de vnoquoque, ff. de re iudic. Castren. in l. 2. num. 6. vers. & sic, C. de fid. instr.* cum fusè cumulatis per *Tiraq. in tit. res int. alios*

2 *act. num. 5. & seq.* sicut sententia lata contra hæredem scriptum præiudicat legatarijs etiam non citatis, *Castr. in d. l. 2. C. de fid. instrum. num. 6. Bart. num. 3. Alberic. & Cynus num. 1.*

Huic obiectioni pluribus modis respon-

3 detur, & primo semper remanere sententiam criminalem sine actis quia non fuerunt integrè transportata, sed quædam pars processus criminalis mutilata ex qua impossibile est iudicium ferre super iustitia dictę sententiæ, nec enim ex actis productis in Rota constare potest vtrum adessent sufficientia indicia ad torturam, vtrum vltimæ confessiones factæ per dictum Notarium fuerint suggestiuæ, vel testes examinati pro informatione Curiæ fuerint legitimè repetiti ex quibus probationibus dependet iustitia, vel iniustitia sententiæ criminalis, & validitas confessionis Notarij.

Secundo respondetur potius ex actis causæ criminalis confirmari bonum ius Hospitalis cum appareat in duobus primis constitutis dicti Notarij ipsum cum iuramento affirmasse dictum testamentum esse verum, & legitimum, & non falsum, & licet postea in tertio constituto falsum fuisse dixerit reuocando primas assertiones

5 iuratas, nihilominus standum est primo dicto iurato, & non vltimo, *Abb. & Felin. in cap. locum in tua de testibus, Hond. cons. 102.*

6 *num. 38. lib. 1. Surd. decis. 135. nu. 42.* etiam si vltimum dictum fuerit à Reo in tormentis ratificatum, *Ceph. cons. 234. n. 13. Hond. d. cons. 102. n. 33. lib. 1.*

Tertio responsum fuit subsistere decisionis fundamentum, nec acta facta co-

7 ram Prætore Mutinæ, † nec sententiam latam contra Notarium præiudicare Hospitali cum intentata esset prius lis coram

8 Iudice Ecclesiastico pro consecutione legati, nec vnquam loca pia in dicto iudicio fuerunt citata, quod erat necesse vt afficeret dictum Hospitale, *iux. text. in l. 2. C. de fid. instrum. Bart. in l. denunciasse, §. quaritur, ff. de adult.* cum alijs cumulatis in d. decisione. Agebatur quidem de interesse vitæ Notarij, sed etiam principaliter agebatur de interesse Hospitalis ratione litis ciuilis prius intentatæ contra dictam Communitatem.

8 Nec potest applicari doctrina *Castren. in d. l. 2. num. 6. C. de fid. instrum.* quia magna est differentia quando fertur sententia seruatis seruandis contra hæredem, quæ aliquo modo potest afferre pręiudicium legatarijs, & quando pronunciatur sententia contra Notarium, vt in hac facti specie, nec dictus Comes erat in causa, nec Ho-

9 spitale, & † sic totaliter res inter alios acta quæ propterea alijs in iudicio non comprehensis, nec præiudicium, nec vtilitatem adferre potest, *vulgata l. de vnoquoque, ff. de iudicijs cum similibus.*

Nec obstat præsumptiones, & coniecturæ adductæ ad adminiculandas vltimas cōfessiones Notarij, nec enim deficit locus loci vt pro Comite præsupponitur cum testamentum legatur factum in Communita-

10 te Sancti Cæsarei in Taberna. Prout † non obstat defectus legalitatis, quia testamentum legitur signatum, & publicatum à Notario rogato, & licet non fuerit præsentatum in Archiuio iuxta constitutiones Ciuitatis Mutinæ, non ideo ei est demen-

11 da fides cum hæc † constitutio localis non se extendat ad Castrum S. Cæsarei, quod est feudum Imperiale, & alterius iurisdictionis, *l. 4. §. toties, & ibi Castr. ff. de damn. infect. cum alleg. in vna Bonon. dotis 1. Iunij 1618. coram R. P. D. meo Buratto.*

Quoad alias coniecturas ponderatas pro parte Comitis, placuit DD. responsio in decisione data, aut alias esse leuissimas, aut si cum alijs præsumptionibus deductis pro parte Hospitalis æqua lance ponderentur sine dubio præponderare illas coniecturas pro legalitate instrumenti, & iniustitia sententiæ extra Rotam latè deductas.

Et ita decisum vtraq; parte informante.

MEDIOLANEN. DECIMARVM.

*Mercurij 26. Iunij 1624.*

ARGVMENTVM.

Decimæ assignatæ pro dote Ecclesiæ non possunt spectare ad Rectores.

*SVMMARIVM.*

1 *Validitas sententiæ constat ex reuolutione actorum.*
2 *Non entis nulla potest dari possessio, nec qualitas.*
3 *Noualia non adesse suadet situs loci.*
4 *Rectores habent fundatam intentionem de iure communi super decimis etiam contra Ecclesiam matricem.*
5 *Limita quando fuissent assignata pro dote dictæ Ecclesiæ.*
6 *Verbum, respectiuè; videtur se referre ad loca superius expressa.*

DECISIO CCCXXV.

DOmini pro confirmatione vltimæ sententiæ Rotalis per Reuerendissimum D. meum Datarium latæ responderunt.
1 quia de eius validitate constat ex reuolutione actorum in quibus adsunt mandata procuræ commissiones quæ tribuunt, & firmant iurisdictionem citationes, & omnia requisita pro validitate sententiæ, de quibus per *Caputaq. decis. 262. par. 2. Rota decis. 203. num. 1. & 354. par. 1. recent.*

Iustitia autem dictæ sententiæ apparet ex decisionibus in hac causa factis coram Reuerendissimis DD. meis Lugdunen. Datario, & Pirouano, in quibus multis rationibus firmatur Rectores non posse prætendere noualia, nec decimas in septem locis expressis in decisionibus, & sententia R.P.D. mei Pirouani.

Et quod ad noualia nunquam Rectores potuerunt à plurimis ab hinc annis à quibus tam in partibus, quàm in Rota hæc causa fuit agitata probare in dictis locis adesse noualia, vnde dicendum ipsos nun-
2 quam vlla noualia possedisse, nam † non entis nulla dari potest possessio, nec qualitas, *l. 2. de vsufructu.*

Et quod nulla adesset noualia suadet
3 situs loci, nam † soli fertilitas & cæli salubritas totius status Lombardiæ, & præcipuè Diœcesis Mediolanen. talis est vt nulli agri inculti remaneant, sed omnes terræ rediguntur ad culturam vt notum est omnibus.

Quo verò ad decimas à Rectoribus præ-
4 tensas, quia † habent fundatam intentionem de iure communi etiam contra Ecclesiam matricem, *c. ad decimas de restit. spol. Pat. decis. 371. num. 2. lib. 1.* multis rationibus in dictis decisionibus deciditur, illas non posse spectare ad Rectores, sed ad Ec-
5 clesiam Collegiatam pro cuius dote dictæ decimæ fuerunt assignatæ tam habita ratione status antiqui, quàm præsentis quarum decisionum rationes multoties, & iterum examinatæ placuerunt Dominis.

Nec obstat si dicatur sententiam vltimo loco in Rota latam excedere, & extendi ad alia loca non comprehensa in prima sententia à R.P.D. meo Pirouano lata, vt videntur insinuare illa verba, *& aliorum*
6 *locorum respectiuè.* Quia dicta vltima † sententia per illud verbum *respectiuè*, videtur se referre ad loca quæ supra expresserat, & quæ per extensum in prima sententia Rotali legebatur.

Sed ne inde nascatur difficultas super interpretatione horum verborum declararunt dictam sententiam esse confirmandam quoad septem loca in prima sententia expressa.

Et ita decisum vna tantum parte informante in maximam contumaciam alterius quæ à multis annis in causa citata noluit informare, nec comparere.

AQVILANA PAROCHIALIS.

*Lunæ 1. Iulij 1624.*

ARGVMENTVM.

Probet Summarium.

*SVMMARIVM.*

1 *Manutentio datur ex possessione probata de tempore motæ litis.*
2 *Instrumentum publicum facit probationem probatam.*
3 *Possessio instrumentalis, alio non existente in possessione, plenè probat ad effectum manutentionis.*

DECISIO CCCXXVI.

DIxerunt Domini dandum esse mandatum de manutenendo Ascanio Picæ in possessione Parochialis Ecclesiæ, seu Archi-

Archipresbyteratus Sancti Cosmæ, & Damiani de cuius possessione constat de tempore motæ litis, § *retinendæ, in stit. de interd. l. prædia, ff. de acq. poss. & ibi Bart. l. non idcirco, & ibi Bald. C. de fid. instrum. Put. decis. 360. n. 8. lib. 1.*

De possessione autem ipsius constat per
2 instrumentum publicum, † quod facit probationem probatam. Et licet possessio sit
3 tantummodo † instrumentalis nihilominus alio non existente in possessione anteriori plenè probat ad effectum manutentionis, *Ros. dec. 21. de restit. spoliat. in antiq. Bisign. dec. 8. eod. tit. Cassador. dec. 20. in fin. de præbend. Mohed. decis. 238. Veral. dec. 334. nu. 5. par. 2. in impress.*

Et ita decisum vna tantum parte informante.

## CLVSINA GRANI.

*Mercurij 29. Iunij 1624.*

### ARGVMENTVM.

Iudicium coram A.C. etiam cum forensibus vltra montes, quando sustineatur etiam si non agatur vigore obligationis Cameralis, vel alterius obligationis executiuæ: Procuratoris Constitutio vt dicatur nulla, vtpotè facta sine solemnitatibus à minore, minoritas est probanda: Nullitates prioris sententiæ tolluntur per secundam in iudicatum transactam.

### SVMMARIVM.

1 *Reus conueniri debet in foro, vbi ipse aut eius pater sortitus est domicilium.*
*Fallit primo quando agitur in vim Cameralis obligationis, vel alterius executiuè, quia tunc trahi potest ad Curiam Romanam, num. 1.*
*Secundo fallit quando subiacet alteri foro ratione originis, domicilij, aut contractus, num. 1.*
2 *Tertio fallit quando personaliter citatus constituit Procuratorem in loco Iudicij.*
3 *Minor non potest constituere Procuratorem sine solemnitatibus statutarijs.*
4 *Aetas minor est probanda.*
5 *Iudex vigore rescripti Sanctissimi potest deputare Curatorem, & rectè contra eum iudicium continuatur.*
6 *Termini substantiales non sunt seruandi, quando ex forma commissionis vnica citatio requiritur.*
7 *Citandi non sunt coniuncti, quando ipsemet principalis fuit personaliter citatus.*
8 *Sententia Rotalis confirmans gesta coram A.C. quæ transitum fecit in iudicatum submouet nullitates primæ sententiæ.*
9 *Clausula apposita in prima commissione censentur influere in secundam.*
10 *Per comparitionem Procuratoris sanantur omnes defectus, qui possunt adesse in citatione facta principali.*

## DECISIO CCCXXVII.

VISVM fuit Dominis constare de validitate processus, & iudicij facti tam coram A.C. quam in Rota non obstantibus nullitatibus contra duas sententias in hac causa latas sufissimè deductis.

Opponebatur primo ex defectu iurisdictionis sententiam reddi irritam, quia iudicium fuit intentatum coram A.C. qui processit per viã monitorij contra D. Philippum filium Petri Strozzij contra quem præsupponitur dictum monitorium fuisse executum in Ciuitate Parisieñ. Et cum
1 non ageretur in vim obligationis Cameralis, vel alterius obligationis executiuæ, nec Philippus, nec Petrus poterant trahi ad forum Curiæ Romanæ, nec ratione originis domicilij, aut contractus; & ita debuit conueniri dictus Philippus in foro defuncti patris cum vterque sortitus fuisset domicilium in Regno Franciæ, *vulgata l. absens ff. de iudic. & est text. in l. nemo, C. de iurisdict. omn. Iudic.* & fuit dictum in *Spoletana prædij 9. Decembris 1619. coram R.P.D. meo Pamphilio*, cum allegatis per informantes pro parte hæredum, & hæreditatis dicti Petri.

2 Verum hæc obiectio tollitur ex eo, quod Philippus pluries fuit citatus in Gallia personaliter constituitque Procuratorem Robertum patruum cum facultate substituendi prout reuera substituit Paulum Prilium, qui acerrimè causam istam coram A.C. vsque ad sententiam prosecutus fuit, vt patet ex mandato procuræ dato in responsionibus *num. 1.* quod non est limitatum ad exigendum, sed cum amplissima ratificatione gestorũ per Robertum, & substitutos in quibuscumque causis coram quibuscumq; Iudicibus, & alijs clausulis solitis, & necessarijs pro legitimatione personæ dicti substituti, quæ tollunt defectum d. mandati, *Vant. de nullis. ex de-*

*fect. mandat. num.87. Bart. in l. praeses C. de transact. Bero. quaest.25.nu.2.& 3. & q.33. num.1. & seq.* Quin imò datur etiam *n.* 2. substitutio in extractu fol.450. Procuratorem Vrbeuetanorum pro Remissoria, ex quibus redditur validum iudicium factum à legitimo Procuratore stante praecipuè Rescripto sanctae mem. Pij Quinti, de quo infra.

Secundo oppositum fuit Constitutionem Procuratoris omninò esse inualidam,
3 & sic † non potuisse constitui Procuratorem sine solemnitatibus statutarijs stante
4 minoritate d.D. Petri. Placuit enim responsio hanc minorem aetatem nullo modo probari nec per supplicationem praesentatam pro parte bon. mem. Cardinalis Hippolyti Esten. quae dubitatiuè loquitur, nec per aliquod aliud genus probationis. Quae obiectio tanto magis redditur friuola, quia postea citato d. Philippo in Gallia personaliter vigore Rescripti Summi Pontificis idem Prilius Procurator comparuit nomine dicti Philippi, & protestatus fuit coram A. C. non esse locum deputationi Curatoris, quia d. Philippus suus principalis non probabatur minor, nec poterat procedi contra eum per audientiam contradictarum cum in actis iam constaret de sufficienti mandato, & ideo intendebat citari in quolibet actu.

Et cessat difficultas ex d. Rescripto fel. record. Pij V. vigore cuius potuit Iudex deputare Curatorem, & contra eum continuari iudicium multoque magis contra vtrumque tam primum Procuratorem, quam Curatorem nouiter electum.

Nec placuit, quod dicebatur non fuisse seruatos quatuor terminos substantiales. Nec dictum Philippum fuisse legitimè citatum iuxta formam commissionis, & supradicti Rescripti. Nam in processu legitur citatio facta vigore dictae commissionis Philippo in Regno Galliae personaliter re-
6 perto. Et † quo ad quatuor terminos ex lectura commissionis patet vnicam citationem fuisse pro validitate iudicij in Cu-
7 ria requisitam. Nec etiam † opus erat citasse coniunctos in Vrbe cum ipsemet principalis fuisset principaliter citatus. Vnde remanet clara iudicij validitas, quia supradictus Procurator, & Curator fuerunt in omnibus actibus, & in ipsa sententia coram A.C. lata citati.

Et quod omnem difficultatem Dominis sustulit illud est, quod postea illae praetensae nullitates sublatae sunt ex sententia Rotali, quae confirmauit omnia coram
8 A.C. gesta, † ex qua sententia confirmante cum transijt in rem iudicatã cessant omnes nullitates primae sententiae, *Gabr. conf. 49.num.1.lib.1. Cephal. cons. 203.num.21. lib.2. Acchil. decis.4. de re iudicata.*

Nec obstat nullitas quae contra sententiam Rotalem adducitur ex quo fuit citatus Fabius Arroneus Curator, nec fuerunt seruati quatuor termini. Nam clausulae
9 appositae in prima Commissione, seu Rescripto san. mem. Pij V. censentur influere in secundam *Rot. decis.321.nu.1. par.1. diuers. Marches. de claus. par.2. claus.11.* & fuit dictum in vna *Pampilon. beneficiorum de Tafalla Veneris 7. Aprilis 1617. coram me.* Vltra quod D. Torquatus Florauantes comparuit in iudicio Rotali, dixitque esse citandum dictum Arroneum Curatorem haereditatis iacentis d. Petri vti dominum
11 litis effectum. Et sic per † eius comparitionem videntur sanati defectus, qui possent adesse in citatione facta Domini Leoni Strozzio suo principali.

Quae dicuntur de legitimatione personarum Dominorum Estensium, & Serenissimi Principis Ducis Mutinae eorum haeredis iam fuerunt sublata in decisione in hac causa coram me 20. Decemb. 1619. facta. Et ideo non indigent responsione. Et ita decisum &c.

## NVLLIVS, SEV PENNEN. IVRISDICTIONIS.

*Lunae 22. Aprilis 1624.*

### ARGVMENTVM.

Iuris assistentia quam habet Episcopus quoad actus iurisdictionales in sua dioecesi cessat alio existente in possessione ad effectum manutentionis.

### *SVMMARIVM.*

1 *Assistentia iuris communis ad effectum manutentionis suffragari non potest alio existente in possessione.*

2 *Manutentio est danda probata quasi possessione.*

3 *Institutio non effectuata, vel quae dedit causam liti ad effectum manutentionis non habentur in consideratione, & n.4.*

5 *Assistentia sola iuris sufficit ad obtinendam manutentionem respectu omnium functionum,*

*num, & actuum iurisdictionalium alio non existente in possessione.*

DECISIO CCCXXVIII.

FVERAT sub die 7. Iunij 1619. coram Reuerendissimo D. meo Caualerio resolutum Abbati Vrsio prætendenti habere iurisdictionẽ Episcopalem, seu quasi in terra Planellæ dandum esse mandatum de manutenendo in quasi possessione iuris instituendi Parochum in Ecclesia parochiali Sancti Leonardi, & vnum Canonicum in Ecclesia Beatissimæ Virginis, & Sancti Antonij dicti loci Planellæ existentium de iurepatronatus Serenissimi Ducis Parmæ. In alijs verò iuribus nempè visitandi cognoscẽdi causas tam ciuiles, quam criminales conferendi beneficia dictæ terræ aliisque actibus iurisdictionalibus dandandum esse mandatum Episcopo. Causa verò deinde super iisdem sub die 28. Nouembris 1622. reproposita informante tantum Episcopo Domini quo ad Episcopum steterunt in decisis quo verò ad Abbatem declararunt illi quidem dandum esse mandarum de manutenendo quoad dictas institutiones, sed cumulatiuè cum Episcopo proposita hodierna die causa vtraque parte informante Domini dixerunt in primo loco decisis; mouebatur quia cum hodie ageretur in simplici possessorio, & Abbas doceret de sua possessione quoad institutiones per multiplicatos actus relatos in prima decisione in hac causa facta vbi Episcopus solum se fundat in assistentia iuris, consequenter ei dicta
1 assistentia ad effectum manutentionis suffragari non poterat alio existente in pos-
2 sessione. Vnde dicto respectu solum Abbati danda est manutentio, *Rota decis. 683. num. 2. par. 1. in recent.* fuit dictum in vna *Aquilana iurisdictionis 1607. coram R. P. D. meo Pamphilio apud Marches. fol. 980. tomo primo.*

Neque obstare visum fuit duas institutiones per Episcopum factas. Alteram de anno 1601. & alteram de anno 1618. datas in hodierno Summ. Episcopi, *num. 4.*
3 Quia quoad primam † non probatur effectuatio ad *cons. Calder. 12. de iurepatr. Rota decis. 174. num. 3. par. 1. in recent.* Secunda
4 verò tamquam † proxima huic liti illi causam dedisse censetur, & proinde etiam ad effectum manutentionis non habenda in consideratione, *Afflict. decis. 395. num. 7. Rot. in recentior. decis. 30. num. 1. par. 2. Rot. apud Gregor. XV. dec. 4. num. 2. & 5. & decis. 69. & 417. n. 4.*

5 Quo verò ad reliqua cum non probetur aliqua quasi possessio Abbatis visum fuit sufficere Episcopo sola iuris assistentia ad obtinendam manutentionem respectu omnium functionum, & actuum iurisdictionalium, *cap. cum persona de priuileg. in 6. Mantic. decis. 202. num. 8. Rot. in recent. dec. 273. 382. & 501. par. 2.*

Nec releuare visum fuit, quod pro parte Abbatis dicebatur oppidum Planellæ non probari intra fines diœcesis Pennẽ cum contrarium probetur tum ex pluribus visitationibus, & comparitionibus iudicialibus Abbatis prædecessoris, & aliorum dictæ terræ, vt dictum fuit in prima decisione tum ex sententia, in qua se fundat Abbas vbi enunciatur dictum oppidũ diœcesis Pennẽ, & in mandato Ducis idem asseritur.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

ROMANA PECVNIARIA.

*Lunæ 17. Iunij 1624.*

ARGVMENTVM.

Litteræ quando contineant mandatum, ita quod illarum vigore mandans remaneat obligatus: Successor in Episcopatu quando non teneatur pro debito antecessoris, sed bene istius hæres.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum potest etiam dari per litteras, & quando per illas præsumatur datum, & num. 2.*
2 *Verba*, faciat, & mittat, *sunt imperatiua adeo vt negari non possit quin importent ordinem, & mandatum.*
4 *Quod etiam concipi potest per verba deprecantia.*
5 *Excussioni non est locus, sed potest agi contra alterutrum in solidum, si agatur contra duos reos debendi.*
6 *Confessio agentis non præiudicat principali.*
7 *Successor in Episcopatu tenetur ad debita contracta pro necessitate Ecclesiæ, vel conuersa in ipsis Ecclesiæ vtilitatem.*
8 *Prælatus tenetur de fructibus litem sustentare, & si hoc facere commiserit tenentur*

*sius hæredes, non autem successores.*
9 *Et tali casu bona Ecclesiæ non remanent obligata.*

## DECISIO CCCXXIX.

DVbitaui an D. Archiepiscopus Elboreñ teneretur ad duas partitas, videlicet scutorum 422. auri in auro, nec non scutorum 926. similium, & Domini vtraque parte informante responderunt partitam scutorum 422. deberi, aliam verò non deberi. Mouebantur quia summa scutorum 422. fuit soluta pro expeditione Coadiutoriæ Ioannis Costæ quæ expeditio fuit ordinata ab ipsomet Archiepiscopo per eius litteras directas quon: Antonio Gomes, de quibus in Summario eius hæredum *num.* 1. Vnde Archiepiscopus tenetur ad restitutionem dictarum pecu-
1 niarum actione mandati, † quod non est dubium posse etiam dari per litteras, *l.* 1. *ff. mandat. l.* 1. *§. constituitur, ff. de procurato. Veral. decis.* 787. *num.* 2. *par.* 2. *Mantic. decis.* 100. *num.* 1. *& de tacit. tit.* 3. *lib.* 7. *n.* 24.

Nec obstare visum fuit, quod prædictæ litteræ continerent simplicem commendationem circa expeditionem dictæ coadiutoriæ, quia ex earum lectura contrariũ apparebat, ibi, *hunc fauorem mihi facere debes in expeditione Bullarum subiungendo, quod dirigat litteras cambij expensarum cui sibi benè visum fuerit ad hoc, vt statim fiat satisfactio soluendo pecunias cui erunt dictæ*
2 *litteræ directæ.* Vnde satis † patet ordo expediendi, & promissio soluendi, quod coadiuuatur ex alijs litteris postea scriptis per eumdem Archiepiscopum eius agenti in quibus eum certiorem facit, quod scripserat Antonio Gomes, vt faceret expedire dictam coadiutoriam, & mitteret litteras
3 cambij, quæ verba, *faciat, & mittat*, sunt imperatiua adeout negari non possit, quin important ordinem, & mandatum, quod
4 etiam concipi † potest per verba deprecatoria, *l.* 1. *& ibi glos. ff. mandat.*

Nec visum fuit prius esse excutiendum Vicarium pro quo fuerant expeditæ dictæ litteræ coadiutoriæ, quia Antonius habebat obligatum vtrumque nempe Archiepiscopum, qui dederat mandatum, & Vicarium ad cuius vtilitatem versæ fuerunt
5 pecuniæ. Et propterea duo erant rei debendi, & contra alterutrum agi potest insolidum, *Bart. in l. qui seruum, ff. de interrog. act.* Nec est locus excussioni, *Caputaq. dec.* 275. *n.* 1. *par.* 2.

Quo verò ad alteram partitam scut. 926. Domini dixerunt Archiepiscopum non teneri. Tum quia multum dubitabant, an ista partita iustificetur per solam litteram cambij Francisci agentis d. Archiepiscopi transmissam de anno 1604. & aliam de
6 anno 1606. cum sola confessio ipsius non possit Archiepiscopo præiudicare, tum
7 etiam quia non constabat quod dicta summa fuerit expensa pro necessitate Ecclesiæ, vel quod illa versa fuerit in ipsius Ecclesiæ vtilitatem, *cap.* 1. *de solut. Rot. decis.* 41. *de probat. in antiqu. & decis.* 805. *par.* 1. *diuers.*

Et vlterius quia licet modernus Archiepiscopus sit successor in Episcopatu Episcopi à quo fuit contractum debitum prætensæ partitæ non tamen est eiusdem Archiepiscopi hæres neque constat ad eum peruenisse fructus ex quibus erat soluenda dicta partita. Vnde dictum debitum non poterat spectare ad modernum Archiepiscopum, sed potius ad hæredes Archiepi-
8 scopi defuncti † cum Prælatus viuens teneatur de fructibus litem substentare, & si hoc facere omiserit teneantur eius hære-
9 des non autem successores † cum bona Ecclesiæ tali casu non remaneant obligata, *Put. decis.* 40. *lib.* 3. *Molin. de primogen. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 74.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## CALAGVRITANA ERECTIONIS CAPPELLAE.

*Veneris 15. Nouembris 1624.*

### ARGVMENTVM.

Iuspatronatus Ecclesiæ, quando non spectant ad Parochianos tunc isti non possunt se opponere dotationi, ac fundationi Cappellæ in d. Ecclesia cum ad dictum effectum exuberet consensus Rectoris, & licentia Ordinarij.

### SVMMARIVM.

1 *Patroni possunt legitimè se opponere ædificationi, & dotationi Cappellæ, quæ est de iurepatronatus ipsorum.*
2 *Episcopus licet absque consensu patroni layci possit res Ecclesiæ iurispatronatus ex illa*

*iusta causa aliena re, tamen patroni possunt contradicere.*

3 *Layci non possunt se intromittere in his, quæ ad agmentum cultus diuini, & honorem Ecclesiarum attinet, sed hoc dependet à iudicio Ordinarij.*

4 *pro Ordinarij iudicio præsumendum est.*

## DECISIO CCCXXX.

MARTINVS Perez Archidiaconus de Quartango zelo deuotionis motus statuit ædificare, & dotare Cappellam in parochiali Ecclesia de Estauillo obtentoque consensu Rectoris recursum habuit ad Ordinarium, qui tandem examinatis testibus super vtilitate, & commoditate dictæ fabricæ licentiam ædificandi, & dotandi dictã Cappellam ipsi concessit, quod moleste ferentes Parochiani mediante Oeconomo fabricæ se opposuerunt prærendentes se posse impedire dictam constructionem, & dotationem, quibus sic stantibus causa in Rota mihi commissa dubitaui vtrum contradictio incolarum esset legitima, & informante tantum d. Archipresbytero Domini negatiuè responderunt eum hoc tamen præsupposito, quod iuspatronatus d. Ecclesiæ parochialis non spectet ad dictos Parochianos, quia eo ca-
1 su videretur ipsos posse legitimè se opponere deberentque pro eorum interesse citari, & formari iudicium formiter contra ipsos sicut dicitur de alienationibus bonorum beneficiorum quæ sunt de iure-
2 patronatus laicorum, licet enim Episcopus possit res Ecclesiæ iurispatronatus ex iusta causa alienare tamen patroni laici possunt contradicere, vt not. *Innoc. in cap. 1. sub nu. 6. circa med. de his, quæ fiunt à Prælat. sin. cons. capit.* licet consensus d. laici non sit requisitus *DD. in cap. vnic. vbi præ cat. Imol. num. 30. vers. & prædicta, Anchar. cons. 122. incipit ex narratis num. 3. quem sequitur Rocch. de iurepatr. in verb. honorificum num. 10.*

Sed circumscripto iurepatronatus, de quo non docetur visum fuit contradictionem Oeconomi fabricæ, & Parochianorũ non esse legitimam eum adsit consensus Rectoris, cuius præcipuum interesse erat, & licentia Episcopi; nam regulariter lai-
3 ci non possunt se intromittere in his, quæ ad augmentum cultus diuini, & honorem Ecclesiarum attinet, quia hoc dependet à iudicio Ordinarij, *Innoc. in cap. 1. num. 6. Imol. num. 3. vt Eccles. & benefic. sine diminut. confer.*

Tantò magis quia Episcopus hanc licentiam impertitus est post examen testiũ qui probant præcedentes tractatus, vtilitatem Ecclesiæ, commoditatem situs, augmentum cultus diuini, ex quibus excluduntur prætensiones Oeconomi fabricæ, & Parochianorum, qui omnes sunt laici,
4 omnisque † præsumptio militat, quod si per dictam fabricam, & dotationem situs d. Ecclesiæ parochialis deturparetur; nec Rector vnquam qui est sponsus Ecclesiæ suæ præbuisset assensum; nec Episcopus ipse licentiam fuisset impertitus.

Et ita decisum &c.

## VALENTINA PRAETENSAE PROMISSIONIS.

*Veneris 28. Iunij 1624.*

## ARGVMENTVM.

Matrimonium quis præcisè non dicitur promisisse per promissionem de matrimonium non contrahendo nisi cum tali, cum ex huiusmodi verbis resultet tantum obligatio de non contrahendo cum alia.

## SVMMARIVM.

1 *Iudicium redditur nullum ex defectu mandati procuræ, & præcipuè in causa appellationis potest opponi.*

2 *Sententia lata absque citatione est nulla, quæ nullitas est omnino insanabilis.*

3 *Citatio prima debet fieri post factas diligentias, si non personaliter, saltem in domo solita residentia, & non in Ecclesia parochiali.*

4 *Citatio non seruata forma præscripta remanet penitus nulla.*

5 *Testes omni exceptione maiores requiruntur in causa matrimoniali.*

6 *Promissio de non contrahendo matrimonio cum nulla alia, nisi cum ipsa, non obligat præcisè promittentem ad contrahendum cum illa, sed tantum ad non ducendam aliam.*

7 *Et hæc verba non constituunt sponsalia, imo nec matrimonium quando essent verba de præsenti.*

DE-

## DECISIO CCCXXXI.

DOMINI dixerunt ſententiam in partibus latam contra Damianum Pertegas in fauorem D. Raphaelę Sanz ex capite nullitatis & iniuſtitiæ eſſe reuocandã, nam qno ad nullitatem attinet in toto pro ceſſu non adeſt mandatum procuræ Ioannis Baptiſtæ, qui nomine d. Raphaelæ cō-
1 paruit in iudicio † ex quo defectu mandati iudicium redditur nullum & pręcipuè in cauſa appellationis poteſt opponi, *l. licet, C. de appell. cap. in noſtra in fin. eod. tit. c. licet de appell. in 6.*

Secunda nullitas elicitur ex defectu citationis ad ſententiam, quæ eſt omnino inſanabilis, *l. 1. §. item cum de edicto ff. qua ſent. ſine appellat. reſcin. poſſ. l. de vnoquoque ff. de rę iudic. Rot. apud Gregor. XV decis. 4. num. 1.*
3 qui † defectus influit etiam in primam citationem generalem debuit enim fieri poſt factas diligentias ſi nō perſonaliter ſaltem in domo ſolitæ reſidentiæ, & non in Eccleſiæ Parochiali, *clem. cauſam de execut.* Nec etiam iuſtificatur Parochum obſeruaſſe formam ſibi à Iudice præſcriptam, vnde
4 citatio † remanet penitus nulla non ſeruata forma præſcripta, *l. 4. §. prætor ait ff. de damn. infect. Rot. apud Acchil. dec. 14. de dol. contumac. Capuaq. dec. 160. lib. 1. Seraph. dec. 972. num. 6. & in recentior decis. 624. num. 9. par. 1.*

Quo vero ad iniuſtitiam ſententiæ ea deducitur ex eo, quòd Iudex condemnauit Damianum ad contrahendum matrimonium cum d. Raphaela non ſatis verificata promiſſione d. Damiani prout requirebatur, nam vltra quod teſtes ſunt ſingulares viles perſonæ quorum aliqui loquuntur
5 de confeſſione extraiudiciali, & eorum depoſitiones non admittuntur in cauſa matrimoniali cum requirantur teſtes omni exceptione maiores, *cap. 1. & ibi gloſ. in verb. maiores de conſanguin. & affin. & ibi Abb. num. 5. gloſ. in cap. ex litteris de teſtib. cum allegatis per Gabriel. de teſtib. concluſ. 3. num. 1.* Hoc vnum eſt quod dictorum teſtium depoſitiones ſolummodo concludunt Damianum promiſiſſe dictæ Raphaelæ, quod *cum nulla alia contrahet matrimonium niſi*
6 *cum ipſa* † quæ oratio exceptiua non obligat ipſum ad contrahendum preeisè cum dicta Raphaela, ſed tantum obligat dictum Domianum ad non ducendam aliam, ſed non ideo ſequitur, quod teneatur cum ipſa contrahere fedus Matrimonij, quia hæc
7 verba non conſtituunt ſponſalia imò nec matrimonium quãdo eſſent verba de præſenti, vt ex multis rationibus & Theologorum auctoritatibus firmat, *Sanch. de matrimon. lib. 1. diſput. 19. per tot.* Quod eo tantò magis dicendum eſt, quia dictus Damianus profitetur ſe velle ad ordines ſacros promoueri, & ſic eius obligatio ad nihil reducitur.

Multa deducuntur ex depoſitionibus teſtium examinatorum ad perpetuam rei memoriam. quæ dant iuſtam cauſam Damiano non contrahendi matrimonium cum Raphaela ſi teſtes eſſent ritè, & rectè examinati.

Et ita deciſum vna tantum informante &c.

## TIBVRTINA PRÆTENSI SPOLII.

*Merc. 27. Martij 1624.*

### ARGVMENTVM.

Remedium reintegrandæ non competit ſine præcedenti poſſeſſione: Poſſeſſio quando nō dicatur probata ex clauſula conſtituti, ex inuentario, necnon ex locationibus.

### SVMMARIVM.

1 *Actio ſpolij non poteſt intrare non probata poſſeſſione.*
2 *Clauſula, conſtituti, ad fauorem emptoris appoſita benè ſubſiſtit quoad ipſum, ſed quo ad filios & hæredes qui agunt ſpolio ex propria perſona non poteſt ſuffragari.*
3 *Poſſeſſio defuncti non tranſit in hæredes etiã filios abſque apprehenſione.*
4 *Inuentarium benè probat donum eſſe in bonis defuncti, ſed ex eo non ſequitur, quod fuerit poſſeſſa ab eius hæredibus.*
5 *Exactio penſionum facta ab vno ex fratrib. non probat poſſeſſionem, reſpectu aliorum.*
6 *Teſtes de auditu nō ſufficiunt ad probandam communionem.*

## DECISIO CCCXXXII.

CVM in hac cauſa ſub die 3. Iulij 1623. coram R.P.D. Nauarro viſum fuiſſet Dominis non intrare ſpolium non acquieſcentibus Dominis de Pariſanis ſubrogatus in locum R. P. D. Nauarri ipſis inſtantibus iterum propoſui idem dubium

qua

quo proposito re maturè discussa Domini dixerunt standum esse in decisis.

Domini enim Parisani qui intentant remedium reintegrandæ nomine proprio & ex persona propria non probant sufficienter primum extremum nimirum, quod domus de qua agitur fuerit per eos possessa

1 fine† quo non possunt intentare actionem spolij *c. cum ad sedem de restit. spol. Afflict. decis. 364. num. 5. Rot. decis. 165. num. 1. part. 2. & dec. 66. num. 5. part. prima apud Farin.*

Et primo non visum fuit probari dictum primum extremum ex clausula *constituti* in instrumento emptionis domus controuersæ à Ioanne Baptista patre Parisanorum factæ apposita, cuius vigore informantes pro Parisanis prætendunt possessionem dictæ domus transire ad Hieronymum, & Parisianum filios Ioannis Baptistæ, nam

2 respondetur, quod dicta † clausula *constituti* ad fauorem Io: Baptistæ emptoris apposita benè subsistit, quoad ipsum, vt tenuit, *Rota in Romana Vineæ coram Penia*, sed quoad filios, & hæredes Io: Baptistæ qui agunt spolio ex persona propria non crediderunt Domini suffragari cum pos-

3 sessio † defuncti non transeat in hæredes etiam filios absque apprehensione, *l. cum hæredes ff. de acquiren. possess. & ibi Doctores*.

Secundo non probatur dicta possessio ex inuentario confecto à filijs Io: Baptistæ in quo describitur dicta domus, vti hære-

4 ditaria quia† ex hoc benè probatur, quod domus esset in bonis Io. Baptistæ, sed ex eo non sequitur, quod fuerit possessa ab eius hæredibus.

Tertio nulla resultat probatio ex locationibus cum perceptione fructuum à filijs Io: Baptistæ factis, nam quoad pensiones exactas viuente Ioanne Baptista intrat eadem responsio, quæ supra quod ex ijs probatur possessio Ioan. Baptistæ patris quo vero ad exactas post eius mortem non dantur nisi quietantiæ factæ à Iulio & Asca-

5 nio, † quæ non probant possessionem respectu Hieronymi & Parisani, qui intentant hodie actionem spolij ex persona propria.

Nec releuat illud quod per informantes pro Hieronymo, & Parisano obijcitur nimirum inter eos, & alios fratres de Parisanis, qui supradictas quietantias fecerunt adfuisse communionem, & hæreditatem paternam insimul possedisse & specialiter domum de qua agitur, non visum fuit enim satis concludenter hoc probari ex depositionibus testium, qui adhunc ef-

6 fectum dantur, nam dicti † testes deponũt de auditu tantum, quod non sufficit ad probandam dictam communionem, ex qua elici possit possessio dicti Hieronymi & Parisani, qui cum agant remedio reintegrãdæ debent plenissimè probare eorum possessionem ex suprallegatis.

Reliquis obiectionibus fuit responsum in dicta decisione R. P. D. Nauarri cuius rationes iterum examinatæ Dominis placuerunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ANCONITANA BONORVM.

*Lunæ 17. Iunij 1624.*

### ARGVMENTVM.

Quando de fructibus possit paecisci ab initio, & ad quam rationem.

### SVMMARIVM.

1 *Fructus promissi ob retardatam solutionem certæ quantitatis debentur quando fuerunt promissi intuitu renunciationis Iuris, vigore fideicommissi super quo fuerat introducta lis.*

2 *Pecunia est res de sui natura infructifera.*

3 *Fructus donec pretium numeretur pacisci potest.*

4 *Taxatio certæ quantitatis fieri potest ab initio quando est proportionata ad fructus rei, cuius respectu sit taxatio, & nu. 6.*

5 *Taxatio super pecunys intuitu bonorum stabilium ad rationem quinque pro centenario est proportionata ad fructus, qui solent percipi ex bonis stabilibus.*

## DECISIO CCCXXXIII.

Madrucius Ferrettus egit iudicio executiuo coram A. C. vigore obligationis Cameralis transactionis initę inter eum & Mutium & Pantasileam coniuges super solutione summæ scutor. 2000. & eorum fructuum ad rationem quinque pro centenario in dicta transactione contentorum obtentoque mandato illud exequi fecit super bonis dictorum coniugum sed quia dicti coniuges prætendebãt quasdam quantitates pecuniarum sub nomine fru-

fructuum ante dictam executionem solutas in diminutionem sortis principalis imputare, Ideo proposui dubium, an dicti fructus essent computandi in sortem principalem quo dubio proposito Domini negatiuè responderunt.

Ratio Dominorum fuit ipsa transactio ex cuius ventre apparet, quod Ferrettus cedit dictis coniugibus omne ius, quod poterat prætendere vigore cuiusdam fideicommissi super quo fuerat introducta lis.

1 Vnde † non solum potest dici quod fuerit intuitu dictę renunciationis promissa summa scut. 2000. sed etiam ipsimet fructus ad rationem quinque pro centenario, & sic cum transactio subsistat nec appareat de eius inualiditate debentur vna cum sorte fructus, *Surd.dec.33.n.6.Rot.dec.278.n.6.par.1.diuers.*

2 Nec releuat quod d. † fructus fuerint promissi ob retardatam solutionem certæ quantitatis pecuniarum, & sic de re de sui natura infructifera prout est pecunia, *Ioan. Andr.& alij in c. salubriter de vsur. Mohed. dec.2.& 3.eod.tit. Rot.dec.315.par.2. diuers.* Nam istud obiectum visum fuit tolli ex eo quod in casu isto Ferrettus prætendebat certa bona ex causa fideicommissi & dotis maternæ super bonis à Mutio & Pantasilea possessis, vnde licet per viam transactionis contentus fuerit loco dictorum bonorum recipere pecuniam tamen potuit

3 pacisci † quod interim donec pecunia numeraretur fructus ei soluerentur ne penes dictos coniuges remaneret res & pretium hoc est bona quæ sibi Ferrettus deberi prætendebat & pecunia quæ erat à dictis coniugibus loco dictorum bonorum soluenda contra æquitatem, *l. curabit & l. bona fides de act.empt. Afflict.dec.20.num.4.Capic.dec.19.num.1.*

Nec obstat, quod saltem illicita fuit taxatio certæ quantitatis ab initio, quia hoc

4 non † procedit quando taxatio est proportionata ad fructus rei cuius respectu fit taxatio, vt fuit dictum in *Ianuen. pecuniaria prima Martij 1613.coram R.P.D.meo Vbaldo, & in Romana pecuniaria de Columna coram R.P. D. meo Pirouano*, ac propterea cum in casu isto fuerit facta taxatio super pecunijs intuitu bonorum stabilium ad ra-

5 tionem quinque pro centenario † quæ est proportionata ad fructus qui solent percipi ex bonis stabilibus, *iuxt.glos. in cap. fin. in auth.perpet.& ibi Doctores C.de sacrosan. Eccles. l. si fundum, & ibi Ias. num.5.ff. de legat.1. Corn. cons.265. sub num.1. lib.1.* & fuit dictum *in Romana vsusfructus 16. Nouembris 1612. coram R. P. D. meo Vbaldo*,

6 Meritò substinetur, & benè potuit ab initio inter partes fieri. *Bald. in l. rogasti §. si tibi sub num.7.ff.si cert. petat. & ibi Purpur. sub num.39.Couar.var.resol.lib.3.cap.1. sub num.3.* & fuit dictum in *Ianuen. pecuniaria prima Martij 1613.coram Reu.P.D. meo Vbaldo*.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA DOMVS.

*Veneris 14. Iunij 1624.*

## ARGVMENTVM.

Fructus ex pecunia debentur quando ista fuit subrogata loco stabilium, quæ debebantur, & hoc casu taxatio ad rationem scut.5. pro centenario est licita.

## *SVMMARIVM.*

1 *Transactio facta cum omnibus solemnitatibus tam de iure, quam à statuto Vrbis requisitis præsumitur iusta, maximè quando adest Iudicis decretum, & n.2.*

3 *Agens repellitur à limine Iudicij propter iuramentum, nec potest audiri donec absolutionem obtinuerit.*

4 *Transactio & si formiter facta potest ex capite læsionis rescindi, quæ tamen debet esse enormissima etiam vltra dimidiam habito respectu ad futurum euentum, & num. 5. & 6.*

7 *Litem prosequendi animus ostenditur per appellationem.*

8 *Transactio vt subsistat sufficit litis suspicio.*

## DECISIO CCCXXXIV.

DAgalitus in suo vltimo testamento vltra dotem & lucrum dotale conuentum reliquit Lauræ vxori suæ habitationem partis cuiusdam domus sitæ in regione S. Angeli in platea Iudæorum, pro quibus omnibus iuribus d.Laura retinuit bona ipsius Agaliti eius mariti postea trãseundo ad secunda vota d. Laura ea omnia iura supradicta, donatione irreuocabili inter viuos cessit Mirabili cum pacto quod intra certum tempus scuta 200. solueret Lucæ Capannæ eius secundo viro alias di-

cta donatio esset reuocabilis ad eius nutu, vnde euenit vt d. Laura ob non adimpletā d. conditionem per dictum Mirabilem nisi pro media parte dictam donationem reuouocauerit, & aliam in fauorem Cæsaris del Conte fecerit, quæ tamen dicitur non habuisse effectum.

Quibus sic stantibus insurrexit Clementia quæ prætendens dicta bona Agaliti vigore testamenti cuiusdam Iulij del Conte egit contra dictum Mirabilem contra quā sententiam in sui fauorem reportauit aqua cum pro parte dictæ Mirabilis fuisset appellatum pendente dicta appellatione ad euitandas vlteriores molestias, quæ ex d. lite possent succedere inita fuit transactio inter dictam Clementiam, & Mirabilem, quæ postquam suum sortita fuisset effectū de nouo dicta Clementia cępit prætendere se fuisse læsam in dicta, transactione qua propter iudicium rescissorium intentando coram A.C. ab eo fauorabilem sententiam reportauit à qua pro parte Mirabilis fuit appellatum, vnde causa ad Rotam deuoluta mihique commissa dubitaui, An dicta sententia sit confirmanda nec nè quo dubio proposito Domini negatiuè responderunt.

1 Ratio Dominorum fuit quia † transactio quam annullauit dicta sententia A.C. reperitur facta cum omnibus solemnitatibus tam de iure, quam à statuto Vrbis requisitis, & ideo præsumptio militat pro eius subsistentia, *l. fratris l. Caritas C. de transact. l. in summa ff. de condit. indebit. Rol. conf.* 28. *num.* 33. *lib.* 4. Quod tanto magis est di-
2 cendum cum in dicta transactione interuenerit Iudicis decretum ex quo oritur præsumptio ritè, & rectè seruatis seruandis transactum fuisse nulloque modo partes cotrahentes fuisse læsas, *Ruin. conf.* 63. *n.* 1. *& 2. lib.* 1. *Rot. decis.* 316. *nu.* 20. *par.* 2. *recent.*
3 quin etiam d. † transactio erat iuramento vallata, vnde fiebat vt d. Clementia erat repellenda à limine iudicij nec poterat audiri donec absolutionem obtinuisset, *cap. cum contingat extra de donat. c. & si Christus de iure iur. cum similibus.*

4 Non obstat, quod † ex capite læsionis transactio, & si formiter facta possit aliquādo rescindi, *l.* 2. *C. de rescinden. vendic.* sed
5 vt † sit locus rescissioni transactionis Clementia, quæ asserit se fuisse læsam debebat plenè & concludenter probare læsionem, *Corn. conf.* 166. *num.* 5. *lib.* 1. *& conf.* 27. *sub num.* 11. *lib.* 4. *Mantic. de tacit. & ambig. lib.* 26. *tit.* 9. *num.* 29. *Put. dec.* 223. *in fin. lib.* 1. Nec sufficit quælibet læsio, sed debet esse enormissima etiam vltra dimidiam, *Rot. d. dec.* 715. *n.* 2. *par.* 2.

Nec visa fuit probata talis læsio ex eo, quod Mirabilis habuerit à Clementia vigore transactionis quamdam apothecam, & quod ipsa vice versa non habuerit à Mirabili nisi cessionem Iurium sibi competētium vigore cuiusdam donationis sibi à Laura factæ, quæ donatio tempore transactionis erat reuocata, & ex altera parte Clementia reportauerat sententiam ad sui fauorem ex interdicto quorum bonorum vna cum possessione subsecuta contra Mirabilem, vnde dicta Mirabilis cesserat ei Iura non sua.

Placuit enim responsio, quod transactio de qua agitur non solum fuit restricta ad cessionem Iurium Mirabili competentium vigore d. donationis à Laura sibi factæ, sed fuit etiam facta habito respectu scutorum centum, quæ iam soluerat Lucę secundo viro dictæ Lauræ pro quibus dato, quod donatio esset reuocata Ius ei competebat in dictis bonis Agaliti, vnde ad hoc
6 vt † constaret de læsione enormissima, vt requiritur ex supradictis debebat ostendi quantitas, & valor habito respectu ad futurum euentum, vt tenuit *Rota dec.* 715. *sub n.* 4. *par.* 2. *recent.*

Nec ex dicta sententia potest dici extincta lis quià tantum lata fuerat super remedio quorum bonorum, quod erat merè
7 possessorium à qua dicta Mirabilis † appellando satis ostendebat animum prosequēdi litem adeo quod Clementia non care-
8 bat suspicione litis † quod sufficit adhoc vt subsistat transactio, *l.* 2. *& ibi Doctores C. de transact. l. post rem iudicatam ff. eod. Angel. conf.* 2. *num.* 37. *Surd. conf.* 451. *nu.* 51. *&* 52. *Caputaq. decis.* 1. *de transact.* & in terminis quod simplex suspicio litis futuræ sufficiat pro substinenda transactione multis auctoritatibus & rationibus firmauit, *Rota in illa Romana Nullitatis transactionis Sabbati* 26. *Nouembris* 1616. *coram R. P. Domino meo Vbaldo.*

Et ita decisum vtraque parte informante.



PE-

PERVSINA PECVNIARIA.

*Mercur.13. Nouembris 1624.*

ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum aduersus remiudicatam neque minoribus competit quando non datur læsio non modica & isti fuerunt per consortes defensi: Reiudicatæ executio petita non potest retardari per superuenientem commissionem restitutionis in integrum.

SVMMARIVM.

1 *Restitutio in integrum non datur nisi docto de iniustitia sententiæ.*
2 *Aetas minor est concludenter iustificanda.*
3 *Restitutio in integrum aduersus sententiam, & rem indicatam minoribus non competit non docto de læsione, qua nec sufficit modica.*
4 *Minor in iudicio quando non dicatur indefensus.*
5 *Exequutio dicitur cœpta quando fuerunt decreta litteræ exequutoriales,*
*Restitutio in integrum non retardat executionem iam ceptam, imo nec petitam executionem, & num.6.*

DECISIO CCCXXXV.

POST varias decisiones in hac causa factas ad fauorem creditorum Iulij de Luciarijs fuit successiuè lata sententia per R. P. D. meum Verospium, quæ cum ob non legitimam appellationis prosecutionem transitum fecisset in iudicatum fuit ad instantiam filiorum, & hæredum eiusdem Iulij per Signaturam commissa mihi causa restitutionis in integrum, vnde dubitaui an constaret de causis restitutionis, & Domini sine aliqua controuersia pro informante responderunt, quoniam tantum abest quod d. filij, & hæredes actores in hoc articulo probent suam intentionem, & causas propter quas illis sit concedenda
1 restitutio † prout concludenter probare tenentur, *Rot.dec.1.de restit.in integr.in nouis.Put.dec.456.num.2.lib.2.& dec.453.n.2. lib.2.Seraph.dec.1327.num.1.* fuit dictum in *Romana bonorum de Ceulis 3.May 1606. coram Reuerendiss.D.Lugdunen.& in Ferrarien.bonorum 2.Aprilis 1618.coram R.P.D. meo Vbaldo,* vt clarissimè appareat de contrario ex dictis decisionibus ex quibus cũ iustificetur sententia restitutio dari non potest, *cap.1.& ibi Abb.num.2.de rest.in integr.Rot.dec.132.num.1.par.1.in recent.* adeo vt non dicatur probata causa restitutionis nisi docto de iniustitia sententiæ, *l. nam & postea §.si minor vbi Doct.ff. de iureiur.l.verum §.sciendum vbi Bart.ff. de minor. cum alijs per Surd.consf.95.num.20.Rot.d.decis.1. de restit.in integ. in nou.* fuit dictum *in Florentina pecuniaria 21.Iuny 1621. coram R. P. D.meo Vbaldo, & dec.329.num.1. par.2. in recentior.*

Nec obstare visũ fuit inter filios, & filias supradicti Iulij adesse nonnullos minores.
2 Tum quia hoc non probatur, & † minor ætas plenè & concludenter iustificanda, *l.in minorem C.de in integr. restit. Bald.consf. 19.num.4.lib.5. plenè Rota in Romana locorum Montium 13.Nouemb.1613.coram R. P. D.meo Vbaldo.*

3 Tum etiam quia † nec minoribus aduersus sententiam, & rem iudicatam competir restitutio non docto de læsione, quæ nõ sufficit modica. *glos.in l. scio verb. summam de in integr.restitut. & in l.penult.ubi etiam Bart ff.de minor.Butr.in cap.constitutus n.12 de in integr.restit.* cum alijs latè cumulat. pro communi per *Honded.de restit.in integ. p.1.quæst.4.art.12. num.105.vers.in contrarium tenent.*

4 Nec Minores possunt dici indefensi quãdo constat notoriè & ex actis ex defensione facta per litis consortes nullam quoque competere Minoribus legitimam defensionem, *Fab.dec.4.par.2.* fuit dictum in *Ferrarien.Saluiani 5. Decembris 1614. coram me, Rot.dec.674. num.6. p.1. recent.& inter impress.fel.mem. Greg.XV.dec.43.nu.11.* prout in hoc casu in quo sententia est canonizatoria decreti R. P. D. de Signis qui moderatus fuit inhibitionem A. C. quo ad bona Iulij debitoris ad effectum, vt subhastatione, & declaratione secuta precium inde redigendum consignaretur filijs dicti Iulij pro certa quantitate & residuum deponeretur penes Montem Pietatis ad effectum consignandi creditoribus d. Iulij ad omne mandatum Domini, *iuxt. doctrinam Cumani* qui dicit notandam *in l. à Diuo Pio §.quod si res in fin.ff.de re indic.* cũ alijs in puncto allegatis in decisione in hac causa facta *28. Iuny 1623. coram R.P. Domino Nauarro.*

Demum Dominis placuit ratio pro creditoribus deducta, quod cum antequam com-

commissio restitutionis prout de iure concederetur executoriales prædictæ sententiæ. & rei iudicatæ fuerint decretæ ex hoc illarum executio dicitur cepta, quam dicta superueniens commissio non potest retardare, vt fuit amplissimè deductum in *Burgen. Praheminentiarum 3. Iuny 1605. coram Illustriss. D. meo Patriarca, qua est dec. 138. num. 2. par. 1. in recent.*

6 Cum tamen sola etiam petita executione nedum cepta non possit per restitutionem in integrum impediri, vel retardari, vt per *Castren. in auth. qua supplicatio numer. 3. C. de precib. Imperat. offer. cum latè alleg. per Rot. dec. 346. num. 6. p. 1. diuers. & in vna Salernitana contributionis Luna 10. May 1614 coram me*, in qua multæ allegantur decisiones.

Et ita decisum vna tantum parte informante altera sæpius citata, & non comparente.

VERONEN. CONTRIBVTIONVM.

*Mercurij 20. Nouembris 1624.*

ARGVMENTVM.

Examinantur nonnullæ nullitates ex defectu scilicet legitimi iuramenti sine decreto Iudicis respectu examinis decreti sine trasportatione integrorum actorũ ac processus per contradictas ab existentiam procuratoris in Curia.

*SVMMARIVM.*

1 *Iuramentum nullum & irritum redditur nõ præcedente decreto Iudicis sub die quo cadebat citatio.*

2 *Decretum remanet nullum, & sine iurisdictione non transportatis integrè actis.*

3 *Commissiones, quæ superuenerunt debent referri ad primam, ita vt censeantur superuenientes commissiones repetitæ prout in prima vigore cuius lis fuit introducta.*

4 *Per contradictas procedi non potest quando procurator vti talis citatus comparuit coram Iudice promittens de rato, nisi prius idem citetur ad docendum de legitimo mandato, licet non constet de ratificatione.*

DECISIO CCCXXXVI.

DOMINI circumscripta pro nunc iustitia mandati quam particulari dubio examinandam censuerunt, Responderunt pro nullitate dicti mandati de manutenendo tribus præcipuè rationibus.

Et primo quia testes in Curia examinati super quorum depositionibus fundata est decisio sunt nulliter examinati, nam citatio ad videndum interponi decretum examinis testium facta est die 13. Maij ad primam, & decem sequentes dies cuius terminus cadebat sub die 17. & non apparet factum decretum sub dicta die 17. sed solum delatum fuit iuramẽtum die 21. 1 & 22. Maij, & sic † iuramentum nullum & irritum redditur non præcedente decreto Iudicis sub die quo cadebat citatio.

Secunda nullitas elicitur ex non transportatione actorum. Cum enim causa appellationis esset mihi commissa à Signatura inter Archipresbyterum, & Clericos super congrua debita Parocho, qui erat 2 in causa † ideo debebant acta integra trãsportari alias decretum remanet nullum & sine iurisdictione, *Rot. coram bon. me. Greg. XV. dec. 485. num. 11. & coram Reuerendiss. D. meo Decano dec. 15. num. 1. & dec. 274. num. 1.* quod habet locum etiam in quolibet possessorio, *Felin. in cap. Ecclesia S. Mariæ num. 26. in fin. de constit.* & in terminis datur decisio *coram bon. me. Card. Platto 21. Iuny 1587.*

Nec obstat, quod dicitur sententiam à qua fuit appellatum fuisse limitatam ad dictum Archipresbyterum, & Clericos, & causam in vim commissionis particularis tanquam in prima fuisse mihi commissam ad instantiam dicti Parochi. Placuit enim responsio sententiam Ordinarij Brixien. fuisse latam tam ad fauorem dicti Parochi quam Clericorum, & sic Parochus etiam ab initio erat in causa appellationis tenebaturque transportare omnia acta ante obtentionem dicti mandati cum in actis exhibuerit, & petierit executionem d. sententiæ Episcopi Brixien. in eius fauorem latæ à qua pro parte Archipresbyteri fuerat appellatum, & causa commissa bo. me. D. Seuerolo & postea in Rota. Tum quia 3 omnes † commissiones, quæ superuenerunt postea debent referri ad primam ita vt censeantur superuenientes commissiones repetitæ prout in prima vigore cuius lis fuit in Rota coram me introducta, vt fuit in terminis decisum in *Pampilonen. beneficiorum de Taffalla Veneris 7. April. 1617 & postea in Clusina Grani Mercury 29. May 1624. coram me.*

Placuit & aliquibus ex Dominis alia nul-

PERVSINA PECVNIARIA.

*Mercur. 13. Nouembris 1624.*

ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum aduersus remiudicatam neque minoribus competit quando non datur læsio non modica & isti fuerunt per consortes defensi: Reiudicatæ executio petita non potest retardari per superuenientem commissionem restitutionis in integrum.

SVMMARIVM.

1 *Restitutio in integrum non datur nisi docto de iniustitia sententiæ.*
2 *Aetas minor est concludenter iustificanda.*
3 *Restitutio in integrum aduersus sententiam, & rem iudicatam minoribus non competit non docto de læsione, quæ nec sufficit modica.*
4 *Minor in iudicio quando non dicatur indefensus.*
5 *Exequutio dicitur cœpta quando fuerunt decretæ litteræ exequutoriales,*
*Restitutio in integrum non retardat executionem iam ceptam, imo nec petitam executionem, & num. 6.*

DECISIO CCCXXXV.

POST varias decisiones in hac causa factas ad fauorem creditorum Iulij de Luciarijs fuit successiuè lata sententia per R. P. D. meum Verospium, quæ cum ob non legitimam appellationis prosecutionem transitum fecisset in iudicatum fuit ad instantiam filiorum, & hæredum eiusdem Iulij per Signaturam commissa mihi causa restitutionis in integrum, vnde dubitaui an constaret de causis restitutionis, & Domini sine aliqua controuersia pro informante responderunt, quoniam tantum abest quod d. filij, & hæredes actores in hoc articulo probent suam intentionem, & causas propter quas illis sit concedenda
1 restitutio † prout concludenter probare tenentur, *Rot. dec. 1. de restit. in integr. in nouis. Put. dec. 456. num. 2. lib. 2. & dec. 453. n. 2. lib. 2. Seraph. dec. 1327. num. 1.* fuit dictum in *Romana bonorum de Ceulis 3. May 1606. coram Reuerendiss. D. Lugdunen. & in Ferrarien. bonorum 2. Aprilis 1618. coram R. P. D. meo Vbaldo*, vt clarissimè appareat de contrario ex dictis decisionibus ex quibus eū iustificetur sententia restitutio dari non potest, *cap. 1. & ibi Abb. num. 2. de rest. in integr. Rot. dec. 132. num. 1. par. 1. in recent.* adeo vt non dicatur probata causa restitutionis nisi docto de iniustitia sententiæ, *l. nam & postea §. si minor vbi Doct. ff. de iureiur. l. verum §. sciendum vbi Bart. ff. de minor. cum alys per Surd. cons. 95. num. 20. Rot. d. decis. 1. de restit. in integ. in nou.* fuit dictum *in Florentina pecuniaria 21. Iuny 1621. coram R. P. D. meo Vbaldo, & dec. 329. num. 1. par. 2. in recentior.*

Nec obstare visū fuit inter filios, & filias supradicti Iulij adesse nonnullos minores.
2 Tum quia hoc non probatur, & † minor ætas plenè & concludenter iustificanda, *l. in minorem C. de in integr. restit. Bald. cons. 19. num. 4. lib. 5. plenè Rota in Romana locorum Montium 13. Nouemb. 1613. coram R. P. D. meo Vbaldo.*
3 Tum etiam quia † nec minoribus aduersus sententiam, & rem iudicatam competit restitutio non docto de læsione, quæ nō sufficit modica. *glos. in l. scio verb. summam de in integr. restitut. & in l. penult. vbi etiam Bart. ff. de minor. Butr. in cap. constitutus n. 12 de in integr. restit.* cùm alijs latè cumulat. pro communi per *Honded. de restit. in integ. p. 1. quæst. 4. art. 12. num. 105. vers. in contrarium tenent.*

Nec Minores possunt dici indefensi quā
4 do constat notoriè & ex actis ex defensione facta per litis consortes nullam quoq; competere Minoribus legitimam defensionem, *Fab. dec. 4. par. 2.* fuit dictum *in Ferrarien. Saluiani 5. Decembris 1614. coram me, Rot. dec. 674. num. 6. p. 1. recent. & inter impress. fel. mem. Greg. XV. dec. 43. nu. 11.* prout in hoc casu in quo sententia est canonizatoria decreti R. P. D. de Signis qui moderatus fuit inhibitionem A. C. quo ad bona Iulij debitoris ad effectum, vt subhastatione, & declaratione secuta precium inde redigendum consignaretur filijs dicti Iulij pro certa quantitate & residuum deponeretur penes Montem Pietatis ad effectum consignandi creditoribus d. Iulij ad omne mandatum Domini, *iuxt. doctrinam Cumani* qui dicit notandam *in l. à Diuo Pio §. quod si res in fin. ff. de re iudic.* cū alijs in puncto alleg. tis in decisione in hac causa facta *28. Iuny 1623. coram R. P. Domino Nauarro.*

Demum Dominis placuit ratio pro creditoribus deducta, quod cum antequam com-

commissio restitutionis prout de iure concederetur executoriales prædictæ sententiæ. & rei iudicatæ fuerint decretæ ex hoc illarum executio dicitur cępta, quam dicta superueniens commissio non potest retardare, vt fuit amplissimè deductum in *Burgen. Præheminentiarum 3. Iunij 1605. coram Illustriss. D. meo Patriarca, quæ est dec. 138. num. 2. par. 1. in recent.*

6 Cum tamen sola etiam petita executione nedum cępta non possit per restitutionem in integrum impediri, vel retardari, vt per *Castren. in auth. qua supplicatio numer. 3. C. de pracib. Imperat offer. cum latè alleg. per Rot. dec. 346. num. 6. p. 1. diuers. & in vna Salernitana contributionis Luna 10. Maij 1614 coram me*, in qua multæ allegantur decisiones.

Et ita decisum vna tantum parte informante altera sæpius citata, & non comparente.

## VERONEN. CONTRIBVTIONVM.

*Mercurij 20. Nouembris 1624.*

### ARGVMENTVM.

Examinantur nonnullæ nullitates ex defectu scilicet legitimi iuramenti sine decreto Iudicis respectu examinis decreti sine trãsportatione integrorum actorũ ac processus per contradictas ab existentiam procuratoris in Curia.

### SVMMARIVM.

1 *Iuramentum nullum & irritum redditur nõ præcedente decreto Iudicis sub die quo cadebat citatio.*

2 *Decretum remanet nullum, & sine iurisdictione non transportatis integrè actis.*

3 *Commissiones, quæ superuenerunt debent referri ad primam, ita vt censeantur superuenientes commissiones repetitæ prout in prima vigore cuius lis fuit introducta.*

4 *Per contradictas procedi non potest quando procurator vti talis citatus comparuit coram Iudice promittens de rato, nisi prius idem citetur ad docendum de legitimo mandato, licet non constet de ratificatione.*

### DECISIO CCCXXXVI.

DOMINI circumscripta pro nunc iustitia mandati quam particulari dubio examinandam censuerunt, Responderunt pro nullitate dicti mandati de manutenendo tribus præcipuè rationibus.

Et primo quia testes in Curia examinati super quorum depositionibus fundata est decisio sunt nulliter examinati, nam citatio ad videndum interponi decrerum examinis testium facta est die 13. Maij ad primam, & decem sequentes dies cuius terminus cadebat sub die 17. & non apparet factum decretum sub dicta die 17. sed solum delatum fuit iuramentum die 21.

1 & 22. Maij, & sic † iuramentum nullum & irritum redditur non præcedente decreto Iudicis sub die quo cadebat citatio.

Secunda nullitas elicitur ex non transportatione actorum. Cum enim causa appellationis esset mihi commissa à Signatura inter Archipresbyterum, & Clericos super congrua debita Parocho, qui erat

2 in causa † ideo debebant acta integra trãsportari alias decretum remanet nullum & sine iurisdictione, *Rot. coram bon. mė. Greg. XV. dec. 485. num. 11. & coram Reuerendiss. D. meo Decano dec. 15. num. 1. & dec. 274. num. 1.* quod habet locum etiam in quolibet possessorio, *Felin. in cap. Ecclesia S. Mariæ num. 26. in fin. de constit.* & in terminis datur decisio *coram bon. me. Card. Plato 22. Iunij 1587.*

Nec obstat, quod dicitur sententiam à qua fuit appellatum fuisse limitatam ad dictum Archipresbyterum, & Clericos, & causam in vim commissionis particularis tanquam in prima fuisse mihi commissam ad instantiam dicti Parochi. Placuit enim responsio sententiam Ordinarij Brixien. fuisse latam tam ad fauorem dicti Parochi quam Clericorum, & sic Parochus etiam ab initio erat in causa appellationis tenebaturque transportare omnia acta ante obtentionem dicti mandati cum in actis exhibuerit, & petierit executionem d. sententiæ Episcopi Brixien. in eius fauorem latæ à qua pro parte Archipresbyteri fuerat appellatum, & causa commissa bo. me. D. Seuerolo & postea in Rota. Tum quia

3 omnes † commissiones, quæ superuenerunt postea debent referri ad primam ita vt censeantur superuenientes commissiones repetitæ prout in prima vigore cuius lis fuit in Rota coram me introducta, vt fuit in terminis decisum in *Pampilonen. beneficiorum de Taffalla Veneris 7. April. 1617 & postea in Clusina Grani Mercurij 29. Maij 1624. coram me.*

Placuit & aliquibus ex Dominis alia nul-

nullitas, quia processum fuit per contradictas existente Procuratore Archipresbyteri in Curia cum idem Procurator fuisset citatus, & agnitus vti talis ad instantiam d. Rectoris, seu Parochi, & admissus ab ipsomet Iudice coram quo comparuerat
4 cum promissione de rato † & sic non erat locus procedendi per audientiam contradictarum, *Mohed. dec. 7. de iudic. Rot. in recen. dec. 486. num. 2. in fin. par. 2. & dec. 179. nu. 1. par. 1.* Debebat enim prius citari ad docendum de legitimo mandato, licet non constaret de ratificatione.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## SABINEN. CENSVS.

*Luna 2. Decembris 1624.*

### ARGVMENTVM.

Sententiæ ex quibus dicantur conformes ita vt sit locus statuto Vrbis lib. 1. cap. 180. de duabus conformibus. Reijciuntur nonnullæ nullitates ex defectu mandati procuræ, iuramenti calumniæ, ac transportationis actorum, & approbatur sententia, quod censuario debeatur prælatio etiam in subhastatione.

### SVMMARIVM.

1 *Sententiæ duæ conformes ex statuto Vrbis cap. 180. lib. 1. habent vim trium, & debent executioni demandari, & n. 5.*
2 *Sententia dicantur conformes quando vna confirmat alteram.*
3 *Origo probatur per fidem Parochi.*
4 *Locus, qui solum duodecimo ab Vrbe lapide distat, est intra districtum.*
6 *Procuratorem aliquem fuisse probatur ex reuocatione.*
7 *Priuatio præsupponit habitum.*
8 *Iuramentum calumniæ in qualibet parte Iudicij sufficit præstari, & censetur factum in reiteratione terminorum substantialium.*
9 *Nullitas non inducitur ex defectu transportationis actorũ quando agitur de causa profana, nisi doceatur defectum illum actorũ esse præiudicialem ita vt Iudex muneri potuerit ex visione actorum deficientium.*
10 *Dictum vnius est dictum nullius.*
11 *Actori incumbit onus transportandi acta.*
12 *Pralatio competens censuario ex Bulla Pij V. habet locum etiam in subhastatione.*
13 *Pralatio competens ex Bulla Pij V. non cõprehendit fundum non censuatum licet per vnicam venditionem sit venditus cum fundo censuato, & tunc potest diuidi venditio præuia æstimatione, & n. 16.*
14 *Limita quando emptor non opposuit imò declarauit se nolle diuidere instrumentum venditionis, & censuarius præfertur in totum.*
15 *Sententia recipit interpretationem passiuam à Iure.*

## DECISIO CCCXXXVII.

1 DIxerunt Domini † locum esse Statuto Vrbis cap. 180. lib. 1. quia constat de duabus conformibus, quæ habent vim trium & debent executioni demandari. Prima lata fuit ab A. C. secunda in Rota,
2 quæ † probantur conformes eo ipso, quod Rota confirmauit purè & simpliciter sententiam A. C. sine vlla adiectione, aut diminutione, *gloss. in clem. 1. in verbo alicuius ex eis de sent. & re iudic. Soccin. sen. cons. 39. num. 14. lib. 4. Rot. dec. 305. nu. 3. par. 1. diuers. & dec. 647. n. 1. p. 1. in recent.*

Nec etiam reuocatur in dubium actorē
3 esse originarium, quia † de hoc constat per fidem Parochi; Reos vero habitare in districtu Vrbis satis apparet cum sint nati, & habitent in Castro Eretano, quod vulgo dicitur de Monte Rotondo, quod duodecimo solum ab Vrbe lapide distat, & sic est
4 intra † districtum iuxta declarationem, quæ legitur in dicto Statuto Vrbis lib. 1. cap. 197.

5 Ex quo sequitur † vigore dicti Statuti dictas duas sententias conformes esse exequendas eum de illarum validitate, & iustitia constet non obstantibus ijs, quæ opponuntur ab informantibus pro Bernardino.

Et primo non obstat prætensa nullitas ex defectu mandati procuræ, ex persona Octauij Procuratoris dicti Bernardini, quia in actis apparet dictum Octauium dedisse articulos, produxisse iura quibus dictus Bernardinus vsus est & integrum processum vti Procurator fabricauit quo vsque
6 fuit reuocatus † in qua reuocatione constituendo alium fassus est dictum Octauiũ
7 fuisse Procuratorem. † Priuatio enim præsupponit habitum frustraque reuocasset illum quem non sciebat esse Procuratorem.

Secunda nullitas ex defectu iuramenti ca-

calumniæ cessat ex facto, nam in extractu A. C. legitur huiusmodi iuramentum præstitum fol. 59. per Procuratorem ad hoc specialiter constitutum de cuius mandato constat dicto extractu fol. 107. sufficitque
8 in qualibet parte iudicij semel istud iuramentum præstari tantò magis, quia in reiteratione terminorum substantialium de nouo censetur factum.

Nec obstat defectus transportationis actorum, quia
9 ✝ agitur de causa profana quo casu non inducitur nullitas, nisi doceatur defectum illum actorum esse taliter præiudicialem, vt Iudex moueri potuerit ex visione actorum deficientium, vt fuit nuper decisum in vna *Exodien. dominy coram Reuerendiss. D. meo Decano*.

In hac autem facti specie non deficit nisi depositio vnius testis intratq; iuris regula
10 clara dictū vnius esse dictum nullius neq; deducitur depositio, quæ percutiat substātiam huius iudicij vltra quod defectus pro
11 cedit ex parte Bernardini actoris ✝ cui incumbebat onus transportandi acta.

Quo vero ad iustitiam huius causæ de-
12 pendet ab eo vtrum Const. Pij V. concedat prælationem domino census etiam quando res venditur subhasta auctore Prætore. Hanc quæstionem in apicibus iuris multū controuersam rè maturè discussa omnibus Dominis votantibus, Rota decidit, *coram fel. record. Gregor. XV. quæ est dec. 193.* quam postea sequuta est in hac causa 26. *Aprilis coram Reuerendiss. D. Patriarcha.* Vnde Domini noluerunt amplius in dubium dictam decisionem reuocare, Placuerunt enim rationes iterum examinatæ Dominis.

Nec obstat vltimum motiuum, quod deducitur ad probandam iniustitiam dictæ sententiæ, quod in eo Iudex concessit prælationem non solum pro re censuata, sed etiam pro alia parte fundi venditi, quæ nō
13 erat censu grauata ✝ licet enim sit vnicus contractus venditionis non ideo sequitur priuilegium Bullæ Pij V. dare prælationē in fundo nō censuato cum commodè possit diuidi & separari.

Responsum enim fuit hoc nunquam fuisse à Bernardino oppositum imò ipsum de-
14 clarasse si nolle diuidere instrumentum
15 venditionis, & cum ✝ sententia recipiat interpretationem à iure passiuam debet intelligi, vt dependeat à voluntate ipsius
16 Bernardini, ✝ qui si velit poterit detrahere partem fundi non censuatam facta præuia æstimatione coram Iudice in executione dictarum sententiarum, quæ potius videntur latæ in fauorem ipsius ex cuius arbitrio dependet illa distractio, & cum hac declaratione, & modificatione Domini censu erunt locum esse dicto Statuto Verbis.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## VERONEN. CONTRIBVTIONVM.

*Lunæ 9. Decembris 1624.*

### ARGVMENTVM.

Subexecutor executorialium quoad censuras non potest se immiscere sine notorio vitio attentatorum cum pariter, fructuum liquidatio, & similia cognoscenda sint per Rotam, & non per subexecutorem.

### SVMMARIVM.

1 *Litteræ executoriales contra non parentes sunt intelligendæ quatenus sine aliqua iusta causa non pareant.*
2 *Declaratoria non datur nisi permittantur quattuor termini ad docendum de paritione.*
3 *Nec potest in his subexecutor se immiscere sine vitio attentatorum.*
4 *Quod procedit etiam quando agitur de litteris executorialibus emanatis vigore mandati de manutenendo.*
5 *Ad declaratoriam non potest subexecutor procedere fructibus parte citata legitimè non liquidatis.*
6 *Liquidatio fructuum debet fieri in Rota, & non ab executore.*

## DECISIO CCCXXXVIII.

PRoposito hodierna die dubio vtrum executio facta vigore mandati Rotalis esset attentata, & proinde reuocanda, Domini responderunt pro affirmatiua ea ratione, quia D. Marcus Aurelius Canonicus & Thesaurarius Ecclesiæ Cathedralis Veronæ, subexecutor in partibus, cui mandatum de manutenendo fuerat præsentatum processit ad plures actus, & decreta declarando Archipresbyterum excommunicatum eo quod non paruerat dicto mandato Rotali, quod facere non po-
1 tuit ✝ licet enim omnes litteræ executoriales contineant excommunicationem contra non parentes cum facultate denun-

ciandi ipsos incurrisse in censuras. Sunt tamen intelligendæ quatenus ipsi sine aliqua iusta causa non pareant de qua prius non potest constare, quam fuerit lata sen-
3 tentia declaratoria † ad quam Rota non procedit nisi præmittantur quatuor termi-
4 ni ad docendum de paritione, nec potest in his subexecutor immiscere sine vitio attentatorum, *Felin. in c. ad probandum nu. 6.*
4 *de re iudic.* & † hic stylus inuiolabiliter in Rota obseruatur etiam dum agitur, vt in hoc casu de litteris executorialibus emanatis vigore mandati de manutenendo, vt fuit sæpissimè in Rota decisum, & in terminis *coram Reuerendissimo D. meo Lugdun. 5. Maij 1608. in vna Tirasonen Decimarum, & postea coram Reuerendissimo D. meo Pamphilio in vna Vicen. Prioratus 19. Martij 1610.*

Nec etiam poterat subexecutor procedere ad declarationem censurarum, & ad executionem dicti mandati, antequam valor fructuum debitorum Rectori Passani ab Archipresbytero fuisset parte citata legiti-
6 mè liquidatus, quæ liquidatio fieri debebat in Rota, & non ab executore, *Acchill. decis. 1. de sent. excommun. & respondit Rota coram Illustrissimo Mantica 13. Aprilis 1592 in vna Turritana Tertiariæ, & in dicta Vicen. Prioratus coram Reuerendissimo D. meo Pamphilio.*

Ex quibus visum fuit Dominis omnia gesta per executorem esse attentata, & reuocanda vti gesta contra dispositionem iuris, & contra laudabilem, & inueteratum Rotæ stylum.

Et ita decisum vna tantum parte informante.

## AQVITANIEN. PRIORATVS.

*Veneris 20. Decembris 1624.*

### ARGVMENTVM.

Fatalia ob impedimentum partis quando non dicantur lapsa, ita quod causa non sit deserta non obstante lapsu biennij, ac vlterioris temporis, & hæc materia latè examinatur.

### SVMMARIVM.

1 *Sententia validitas colligitur ex actis.*
2 *Sententia post lapsum fatalium transit in rem iudicatam.*
3 *Testes examinati post lapsum fatalium dicuntur nulliter examinati, nec vllum probationis gradum facere possunt.*
4 *Clausula, quam & quas, non potest suffragari, quando Index tamquam Index appellationis pronunciauit, & non in prima vt poterat.*
5 *Fatalia non currunt impedito.*
6 *de Negligentia argui non potest appellans, si facto appellati expeditio causæ retardetur.*
7 *Commissa causa appellationis cum clausula, refectis expensis, dum discutitur ille articulus expensarum, non currunt fatalia.*
8 *Clausula, parito indicato arbitrio Rotæ, suspendit iurisdictionem Iudicis, qui interim prohibetur ad vlteriora procedere, quousque Rota interposuerit arbitrium.*
9 *Clausula, parito, continet tacitum mandatum de supersedendo quousque fuerit per Rotam declaratum, vtrum sit parendum necne.*
*Sufficitq. vt hoc rescriptum sit productum in actis, etiam si pars non fuerit citata. num. 9.*
10 *Impedimentum suspendit cursum fatalium, etiam si sit mixtum factum Principis, & Iudicis.*
11 *Fatalia prorogare potest Auditor Rotæ, vigore Innocentianæ cum vnica citatione.*
12 *Prorogatio fatalium non est necessaria quando quis fuit impeditus prosequi causam suæ appellationis, & dicitur impeditus dum disputatur de iustitia sententiarum ad effectum arbitry.*
13 *Annus ad prosequendam appellationem computatur à die quo fuit interposita.*
14 *Declara id procedere in appellationibus interpositis in Curia, secus dicendum in partibus vltra marinis, seu vltra montanis.*
15 *Fatalium cursum non suspendit Remissoria appellantis, sed appellati.*
16 *Fatalia non currunt sede vacante.*
17 *Vel quando appellatus opposuit de recursu ad Iudices laicos, vel de attentatis super quorum exceptionibus succumbuit, & numer. 18.*
19 *Rota semper in dubio pronunciat pro non desertione, præsertim ad substinendam sententiam Rotalem aduersus defectum iurisdictionis.*
20 *Fatalium cursum ad impediendum ob non prosecutam appellationem, sufficit qualibet diligentia appellantis.*

DE-

DECISIO CCCXXXIX.

DOMINI vnanimiter responderunt
sententiam latam in Rota in fauo-
rem Fr. Simonis le Petit esse validam, est
enim rectè & ritè lata seruatis omnibus re-
quisitis pro validitate sententiæ, de qui-
bus per *Caputaq. dec. s. 260. par. 1. Rota de-
cis. 678. num. 1. & decis. 708. num. 1. par. 2.
inter recent.*

Adest enim iurisdictio vt patet ex com-
missionibus in actis productis, constat de
mandatis procuræ vtriusque partis, necnon
de citationibus vt videre licet ex reuolu-
tione actorum.

Opponebatur pro parte Fr. Iacobi defe-
ctus iurisdictionis, quia non solum à die
interpositæ appellationis vsque ad diem
pronunciationis sententiæ Rotalis effluxit
biennium, sed etiam quinquennium, & ita
2 post lapsum fatalium duæ sententiæ in fa-
uorem dicti Fr. Iacobi latæ in Curia Me-
liten. dicuntur transisse in rem iudicatam,
*auth. ei qui, & l. fin. §. illud. C. de tempor.
appell. Butr. in c. ex ratione de appell. Cassad.
decis. 6. num. 8. de appellat.* Qui defectus iu-
risdictionis percutit etiam iustitiam sen-
3 tentiæ, quia † testes examinati vigore Re-
missoriæ Rotalis super quibus Rota fun-
dauit iustitiam vltimæ sententiæ sunt exa-
minati etiam post lapsum fatalium, & sic
nulliter, nec vllum probationis gradum
facere possunt, *Achill. decis. 1. de testib. Ca-
4 putaq. decis. 282. par. 3.* † nec potest suffra-
gari clausula, *quam & quas*. quibus Reue-
rendissimus D. meus Pirouanus pronun-
ciauit tamquam Iudex appellationis, vt
apparet ex tenore dictæ sententiæ, & non
in prima vt poterat, *Clem. si appellationem
de appellat. Gabr. cons. 54. nu. 1. & seqq. lib. 1.
Rota in Segobien. pensionis coram Iusto 27. De-
cembris 1605.*

Huic obiectioni responsum fuit non re-
uocari in dubium sententiam in Rota latā
esse post lapsum biennij, sed propterea
5 non sequitur lapsa fuisse fatalia, quia certi
iuris est detrahendum esse tempus dum
appellans fuit impeditus ab appellato,
quominus suam prosequi posset appella-
tionem; vnde non currunt fatalia, ea ra-
6 tione, quia non potest appellans argui de
negligētia si facto appellati expedio causæ
retardatur, *Put. dec. 419. lib. 1. late Rim. iun.
7 cons. 139. num. 6. 7. & seq.* vbi commissa
causa appellationis cum clausula, *refectis
expensis*, dum discutitur ille articulus ex-
pensarum non currunt fatalia.

Quę doctrina huic casui applicatur, quia
multa fuerunt præstita impedimenta pro
parte d. Fr. Iacobi, quibus stantibus non
poterat Fr. Simon prosequi causam appel-
lationis, maximum & præcipuum impedi-
mentum consistit in eo, quod causa ad in-
stantiam Fr. Simonis in Rota commissa di-
ctus Iacobus recursum habuit ad Signaturā
Sanctissimi, à qua obtinuit rescriptum cum
8 clausula, *parito iudicato arbitrio Rotæ*, quæ
clausula suspendit iurisdictionem Iudicis,
qui interim prohibetur ad vlteriora pro-
cedere, quousque Rota interposuerit arbi-
trium, *Put. decis. 419. lib. 1. cum cumulat. per
Martham super claus. 82. num. 2.* siquidem
9 hæc clausula, *parito*, continet tacitum man-
datum de supersedendo quousque fuerit
per Rotam declaratum, vtrum sit parendū
nec ne; sufficitque vt hoc rescriptum sit
productum in actis etiam si pars non fuerit
citata, *Rota par. 2. diuersor. decis. 297. lib. 2.*
Vnde clarè constat de impedimento præ-
10 stito per dictum Fr. Iacobum, † quod su-
spendit cursum fatalium etiam si sit mixtū
factum Principis, & Iudicis, *Caputaq. decis.
11. num. 12. & 13. par. 2. Lancell. de attent.
par. 2. cap. 12. in præfat. num 45.*

Nec placuit Dominis replicatio facta ab
informantibus pro dicto Fr. Iacobo saltem
currere tempora fatalium à die quo in Ro-
ta propositū fuit dubium, vtrum intraret
arbitrium pro paritione, & resolutum vt
videretur de iustitia sententiarum, quæ re-
solutio capta fuit sub die 27. Nouembris
1620. & cum sententia lata fuerit de mense
11 Iulij 1624. † non potuit dici durasse im-
pedimentum eum de facili posset recurre-
re ad Auditorem Rotæ, qui poterat vigore
Innocentianæ eum vnica citatione proro-
gare fatalia, ixta praxim traditam à *Vestrio
lib. 7. cap. vlt. num. 17.*

12 Placuit enim responsio † resolutionem
factam in Rota vt videretur de iustitia sen-
tentiarum fuisse captam ad effectum arbi-
trij, cum enim arbitrium reguletur à iure,
Domini existimarunt necessariam esse co-
gnitionem super iustitiam sententiarum
antequam interponerent arbitrium, & ita
remanebat semper suspensa iurisdictio Iudi-
cis quousque per duas decisiones firmata
fuit iniustitia sententiarum, semperque
durabat impedimentum præstitum appel-
lanti, non quod impeditus fuerit petere, &

obtinere prorogationem fatalium, sed quia sciebat se impeditum, quo minus prosequi posset causam suæ appellationis, ideo non curauit prorogari sibi fatalia cum esset certus sibi impedito non currere posse fatalia & ius sibi saluum remanere.

Visum etiam fuit Dominis non incipere cursum fatalium nisi à die quo causa in Rota fuit commissa, vel saltem verisimili-
13 ter potuerit committi, † licet enim annus ad prosequendam appellationem computetur à die, quo fuit interposita *Clem. sicut*
13 *de appellat.* † Id procedit in appellationibus interpositis in Curia, secus autem dicendum in partibus vltramarinis, & vltramontanis, *Felin. in cap. personas num. 6. vers. terminus ad prosequendum de appellat. Lancellott. de attent. d. par. 2. cap. 12. in præfat. num. 46. Put. decis. 147. & decis. 150. lib. 2. in nou.*

Visum etiam fuit detrahendum esse tempus Remissoriæ impetratæ per ipsummet Fr. Iacobum, nam licet Simon obtinuerit
15 Remissoriam, quæ Remissoria appellantis non suspendit cursum fatalium, tamen ex quo Iacobus illam obtinuit tunc impedimentum effectum est commune, & istud tempus quo Remissoria Fr. Iacobi non fuit expedita videtur detrahendum, *Cassad. decis. 9. de appellat. Caputaq. decis. 11. part. 2. Seraph. decis. 362. Lancellott. de attent. par. 2. cap. 12. in præfat. num. 36. Ant. August. in epitom. tit. de appell. desert. num. 8.*

Nec etiam potest denegari detractio temporis vtriusque sedis vacantis ad hoc vt fatalia non currant, *Paleot. dec. 35. Caputaq. 312. lib. 1. in manuscr. Cotta inter Miscellaneas decis. 297. Lancell. d. cap. 12. in præfat. num. 51.* prout etiam impedimentum præstitum dum fuit d. Fr. Simoni oppositum ob recursum ad Iudices laicos ipsum cecidisse ab omni iure, aut ei saltem denegan-
17 dam esse audientiam, † cum enim illa oppositio declarata fuerit friuola in Rota fatalia non potuerũt currere cum illa oppositio repelleret appellantem à limine iudicij, *Franc. in cap. ex ratione num. 37. vbi Dec. num. 39. qui n. 42.* exemplificat quando appellatus opponit de attentatis super quorum exceptione succubuit: *de appellat. latè Rimin. iun. dicto cons. 139. num. 6. cum sequen.*

Ex quibus simul iunctis apparet facto legitimè calculo deductis supradictis impedimentis tempus biennij non effluxisse, & iurisdictionem Iudicis non expirasse, inquam sententiam eo libentius Domini
19 iuerunt, quia Rota semper in dubio pronunciat pro non desertione præsertim ad substinendam sententiam Rotalem aduer-
20 sus defectum iurisdictionis, † qualibet enim diligentia appellationis sufficit ad impediendum cursum fatalium ob non prosecutam appellationem, vt respondit *Rota par. 2. recent. decis. 156. num. 3.*

Er ita decisum vtraque parte informante pro validitate sententiæ. Reseruata cognitione super iustitia particulari dubio examinanda.

## ROMANA DOMVS, SEV AROMATARIAE.

*Veneris 15. Decemb. 1623.*

### ARGVMENTVM.

Appellatio vt dicatur interposita coram Iudice, quid sufficiat.

### SVMMARIVM.

1 *Appellans habet integrum tempus anni ad committendam causam appellationis.*
2 *Paria sunt non appellare, & minus validè appellasse.*
3 *Appellatio de iure, & stylo Rotali interponendà est coram Iudice, secus coram Notario.*
4 *Decanus Rotæ iuxta stylum Tribunalis ius dicit absentibus Auditoribus ab Vrbe in locum eorum, qui absunt.*
5 *Appellatio verbalis non suffragatur, sed requiritur in scriptis.*
6 *Appellatio censetur in scriptis interposita die, quo procurator intra decendium coram Iudice comparuit reproducendo cedulam appellationis, quam diè præcedenti in manibus Notarij consignauerat iuxta opinionem Scacciæ, quæ approbatur reiectio Vestrio contrarium sentiente, & num. 9.*
7 *Attenditur tempus quo quis iudicialiter scriptura, vel appellatione vtitur, non autem illud, quo quis eam consignat Notario.*
7 *Vestr. lib. 7. cap. 3. num. 28. explicatur.*
*In supremis Tribunalibus tutius est peccare in tempore quam in iure, & ideo benigniores sententiæ magis arrident, præcipuè cum agatur de abbreuiando terminos à iure concessos.*

Sen-

10 *Sententia lata ante integram confectionem registri, an sit valida.*
11 *Pracipuè quando deest in registro mandatum procura partis in cuius fauorem lata fuit sententia.*

## DECISIO CCCXL.

POST latam sententiam Rotalem in fauorem Iulij Pocobelli cum pro parte ipsius prætenditur dictam sententiam fecisse transitum in rem iudicatam, dubitatum fuit, vtrum constaret de re iudicata, quæ veniret exequenda, quo dubio hodierna die per me proposito DD. negatiuè responderunt.

Moti sunt ea præcipue ratione, quia dicta sententia lata fuit die 3. Iulij, & die 11. & 13. eiusdem mensis fuit ab ea appellatum, & sic durante termino concesso à
1 iure ad appellandum, & † eadem die 13. Iudex respondit de testimonialibus, & de apostolis, & sic habebat appellans integrũ tempus anni ad committendam causam appellationis, *Put. decis. 36. lib. 2. in nou.* & hic stylus in Rota est in viridi obseruantia.

Nec obstat, quod dicitur neutrã appellationem fuisse legitimè interpositam cum
2 paria sint non appellare, & minus validè appellasse, *Rota decis. 595. nu. 1. par. 1. &*
3 *decis. 594. par. 2. recent.* nam † appellatio interiecta die 12. Iulij coram Notario cui consignata fuit cedula appellationis non est rectè & ritè interposita cum sit facta contra formam iuris, & styli Rotalis cum deberet coram Iudice fieri, *l. 1. §. dies, ff. quand appell. sit, cap. vt debitus de appellat. c. cordi nobis eod. tit. in 6.* cum multis cumulatis in vna *Salernitana contributionum Luna 12. Maij 1614. coram me.*

Nec etiam suffragari potest appellatio 13. Iulij facta coram Reuerendissimo D.
4 meo Decano, qui iuxta laudabilem, & inueteratum huius sacri Tribunalis stylum ius dicit absentibus Auditoribus ab Vrbe
5 in locum eorum, qui absunt † cum dicatur fuisse verbalem, & non in scriptis prout de iure requirebatur, *Franc. in cap. cum in Ecclesia 38. num. 12. de appell. Contar. in l. vnica in 25. limit. num. 4. in fin. C. de mom. poss. cum alleg.*

Placuerunt enim Dominis responsiones
6 datæ pro hæredibus Cæsaris Mangioli sufficere quod procurator intra decem dies coram Reuerendissimo D. meo Decano comparuerit, prout comparuit die 13. Iulij reproducendo cedulam appellationis, quam die præcedenti in manibus Notarij consignarant, quo stante semper verum erit ipsum coram Iudice interposuisse appellationem in scriptis redactam referendo se ad cedulam quæ erat præ manibus
7 Notarij cum adiuit dictum Iudicem, † nec enim attendi debet tempus, quo quis scripturam Notario consignat, sed tempus, quo quis iudicialiter dicta scriptura vtitur comparendo coram Iudice in actu iudiciali, vt benè obseruat *Scacc. de appell. q. 17. limit. 21. num. 23.*

Nec existimarunt Domini obstare tra-
8 dita per *Vestr. lib. 7. cap. 3. num. 28.* nam eius dicta procedunt quando quis appellat, prout in tali cedula, & illa cedula continet tantum appellationem ab vno certo grauamine simili non potest se referre ad illam cedulam qui non est casus, de quo agitur, in quo data fuit cedula, & reproducta coram Reuerendissimo D. meo Decano cedula appellationis ab vno, & eodem grauamine.

Considerarunt etiam Domini Vestrium fateri hunc esse rigorem, & ideo placuit magis opinio Sacc. reprobãtis Vest. tam-
9 quam benignior cum † in supremis Tribunalibus tutius sit peccare in tempore, quam in iure, & ideo benigniores sententiæ magis arrideant præcipuè cum agatur de abreuiando terminos à iure concessos.

Dubitabant etiam aliqui ex Dominis de
10 validitate sententiæ Rotalis, tum quia † dicitur lata ante integram confectionem regestri, & sic contra reformotarionem fel.
11 recor. Pauli V. Tum etiam quia † deest in dicto regestro, & processu mandatum procuræ dicti Iulij Pocobelli in fauorem cuius lata fuit dicta sententia, multa etiã congerebantur ab informantibus pro dictis hæredibus quæ accuratius examinabuntur coram Iudice secundæ instantiæ.

Et ex his vtraque parte informante ita fuit decisum.



FER-

FERRARIEN. CAPPELLANIAE.

*Lunæ 27. Ianuarij 1625.*

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus Ecclesiasticum existens in Ecclesia in qua Cardinalis sit Episcopus non dicitur reseruatum vigore regulæ 8. sed remanet sub dispositione iuris, & sic patroni debent præsentare, & Episcopus instituere.

SVMMARIVM.

1 *Presbyteratus probatur ex litteris patentibus Ordinarij.*
2 *Iuspatronatus Ecclesiasticum comprehenditur sub regula 8.*
3 *Limita in Ecclesijs in quibus S.R.E. Cardinales sunt Episcopi.*
4 *Quod procedit etiam respectu Capituli tamquam consortis.*
5 *Indultum concessum Ordinario collatori conferendi reseruata nihil de nouo tribuit, sed solum remouet obstacula reseruationum.*
6 *Quibus sublatis Capitulum, & Canonici patroni debent præsentare, & Episcopus instituere.*
7 *Papa potest concurrere cum Ordinarijs Collatoribus, & prauenire etiam si beneficium non cadat sub regula 8.*
8 *ex Clausula, dummodo, prouisio ad nos hac vice pertineat, colligitur mens Papæ volentis prouidere de beneficio uti reseruato, & non prauenire Ordinarium collatorem.*

DECISIO CCCXLI.

Vacante Cappellania Sancti Antonij de Vienna per obitum q. Philippi de Toleis vltimi possessoris de mense Octob. 1618. quæ est de Iurepatronatus Archipresbyteri, & Capituli Ferrarieñ fuit à dicto Capitulo præsentatus D. Bartholomæus Tortolettus coram Vicario Illustrissimi D. Cardinalis Lenij Episcopi qui sub prætextu quod beneficium istud vacans in mense Octobris esser reseruatum ex regula 8. denegauit dicto Bartholomæo immissionem; Vnde causa commissa in Rota, dubitaui, vtrum d. Bartholomæus esset instituendus, quo dubio proposito, Domini affirmatiuè responderunt.

Constat enim ex actis Capitulum, & Canonicos qui cum præsentarunt intra legitima tempora esse patronos ex tenore dotationis, & fundationis factæ de consensu tunc temporis Episcopi ordinarij, quæ fundatio & dotatio legitur in codicillis q. Calamelli fundatoris, nec reuocatur in dubium effectuatio, & dotatio cum Ecclesia, seu Altare sit constructum, & Capitulum sit in quasi possessione præsentandi.

Nec etiam dubitatur de qualitatibus requisitis à Testatore, cum probetur ipsum Bartholomæum de tempore præsentationis
1 fuisse Presbyterum, vt patet ex litteris patentibus Ordinarij quæ plene probant *cap. post cessionem de probat.* & millies fuit in Rota decisum.

2 Nec obstat, quod dicitur istud iuspatronatus esse Ecclesiasticum, & per consequens ex reg. 8. Sedi Apostolicæ esse reseruatum, quia in ventre dictæ regulæ 8. legitur exceptio Ecclesiarū, in quibus S.R.E. Cardinales sunt Episcopi, illæ enim non
4 comprehenduntur sub regula 8. & hæc exceptio prodest etiam Capitulo tamquam consorti, vt multis authoritatibus, & rationibus fuit firmatum in multis decisionibus super hoc articulo factis coram Reuerendissimis DD. meis Decano, Pirouano, Vbaldo, & Remboldo. in quibus firmatur remotis obstaculis Capitulum, & Canonicos reduci ad dispositionem iuris communis.

Nec obstat, quod loco reseruationis succedat Indultum Illustrissimi Cardinalis Episcopi conferendi beneficia etiam reser-
5 uata, quia in dictis decisionibus † Rota semper interpretata est huiusmodi Indulta nihil de nouo tribuere, sed solum remouere obstacula reseruationum; quibus sublatis Capitulum, & Canonici patroni debent præsentare, & Episcopus instituere, quæ interpretatio multis authoritatibus, & rationibus fuit in dictis decisionibus corroborata.

Nec obstat denique, quod Papa dederit
7 prouisionem alteri de hoc beneficio, † qui potuit etiam cōcurrere cum ordinarijs collatoribus, & præuenire etiam si dictum beneficium non cadat sub regula 8. & per consequens non sit reseruatum; Tollitur enim obiectio ex lectura ipsius gratiæ Apostolicæ, quia apparet Papam voluisse prouidere ad instantiam Illustrissimi Cardina-
8 lis Lenij tamquam de reseruato, † quod clarè colligitur ex clausula in dicta prouisione Apostolica inserta, scilicet, *dummodo dicta Cappella prouisio ad nos hac vice perti-*

*pertineat*. Ex quibus verbis satis colligitur mens Papæ volentis prouidere de dicta Cappella vti reseruata, & non præueniendo Illustrissimum Cardinalem ordinarium collatorem.

Et ita decisum vna tantum parte informante.

## TOLETANA PAROCHIALIS.

*Veneris 31. Ianuarij 1625.*

### ARGVMENTVM.

Possessor quando non dicatur se habuisse pro spoliato etiam si petierit reintegrationem, itaut sit manutenendus.

### SVMMARIVM.

1 *Manutentio datur ex possessione probata de tempore motæ litis.*
2 *Possessio probatur ex testibus.*
3 *Remedium retinendæ non competit ei, qui se habuit pro spoliato, sed remedium acquirendæ, vel reintegrandæ.*
4 *Possessio acquiritur, vel perditur animo.*
5 *pro Spoliato quis non censetur se habere, si petat manutentionem, & quatenus opus sit reintegrari, licet in commissione narrauerit Iudicem eum sua possessione spoliasse, & num. 7. & 8.*
*Quæ verba possunt intelligi de possessione naturali, secus verò de ciuili, num. 5.*
6 *Possessio ciuilis animo retinetur, & sufficit pro manutentione.*
9 *pro Spoliato, quando quis censetur se habere.*
10 *Procurator non potest facere actum aliquem ex quo principalis habeat se pro spoliato nisi constet de speciali mandato.*
11 *Sequestrum ex officio positum sine consensu partium non priuat possessione.*

### DECISIO CCCXLII.

1 Domini Petro Garciæ † dandum esse mandatum in possessione Parochialis Ecclesiæ de Daganæo responderunt, quia de eius possessione constat de tempore motæ litis §. *retinendæ instit. de interdict.*

2 Quod autem dictus Petrus Garcias possideret de tempore motæ litis, visum fuit satis sufficienter probari ex depositionibus quatuor testium conformium qui dicunt ipsum apprehendisse possessionem d. Ecclesiæ parochialis, & aliqui deponunt se fuisse præsentes dum d. Petrus vigore Bullarum Apostolicarum accepit possessionem dictæ Ecclesiæ parochialis, nec ei anterior possessio controuertitur ab informantibus pro Alphonso, & quintus testis super septimo articulo dicit illam apprehendisse à duobus annis cum dimidio præcedentibus qui testes fuerunt examinati de anno 1622 & de possessione posteriore Alphonsi capta 1623. constare visum fuit ex datis in eius Summ. num. 2.

3 Tota difficultas residet in eo, quod dicitur Petrum habuisse se pro spoliato, quia si agnouit se fuisse spoliatum non competit ipsi remedium retinendæ, sed alio remedio acquirendæ, vel reintegrandæ vti

4 debet cum possessio acquiratur, vel perdatur animo, *vulg. l. 3. §. in amittenda, ff. de acq. poss.*

5 Et visum fuit Dominis d. Petrum non se habuisse pro spoliato, licet in commissione narrauerit Iudicem d. partibus cum sua possessione spoliando beneficium Alphonso aduersario adiudicasse, quia omisso, quod hæc verba possunt intelligi de possessione naturali, secus verò de ciuili

6 quæ animo retinetur, & sufficit pro manutentione, *iuxta decis. Put. 409. lib. 2. in nou. Rota decis. 561. num. 6. & 7. par. 1. recent.*

7 hic cessat difficultas, quia in eadem commissione petijt manuteneri, vt Sum. nu. 3. & ideo non videtur se habuisse pro spoliato, *Rota in Sarsinaten. Parochialis 21. Aprilis 1621. coram R. P. D. meo Vbaldo, & in Elnen. Cameraria 13. Martij 1617. coram R. P. D. meo Buratto.*

8 Nec obstat, quod petijsset reintegrari quia petijt sub illis verbis, *quatenus opus sit*, vt d. Summ. num 3. *Rota decis. 546. & decis. 555. num. 2. coram fel. rec. Greg. XV.* & sic non officiunt manutentioni.

9 Nec obstat, quod Rota non simpliciter sequatur *d. decis. Put. 409. lib. 2.* sed quando ex circumstantijs facti apparet, quod qui dixit se spoliatum intellexit de turbationibus de facto illatis, secus si ex circumstantijs apparet contrarium vt si narrauit actum positiuum spoliationis, & egit pro recuperatione, *vt in Romana Domorum coram R. P. D. meo Vbaldo, quæ est decis. 704. la 2. par. 1. recent.* vbi aliæ decisiones allegantur, & fuit confirmata 22. *Iunij 1616. coram eodem R. P. D. Vbaldo, & in dicta Elnen. Cameraria coram R. P. D. Buratto*, quia hic nō videntur adesse tales circumstantiæ prout

prout erant in dicta Romana domorum, sed adducitur solum aditio iudicium laicorum pro admissione appellationis à decreto Vicarij Compluti, quam illi denegauerat, vt in Summario Alphonsi num. 5. ex quo non resultat, quod ipse habuerit se pro spoliato.

Nec obstat, quod eius procurator petierit restitui ab Alphonso claues Ecclesiæ,
10 & bona quia sufficit dicere quod iste procurator non habebat mandatum ad declarandum animum Petri, quod haberet se pro spoliato; imò illa petitio est sub die 18. Februarij 1623. & ipse fuit factus procurator à Petro die 23. Septembris eiusdem anni, vt dicto Summario num. 5. & tamen ad illum effectum declarandi animum requirebantur mandatum speciale, *Rota decis. 546. num. 13. coram Greg. XV.*

Nec obstat recursus, quia vigore rescripti S.D.N. fuit à me absolutus.

Nec obstat denique sequestrum apposi-
11 tum, quia notum est sequestrum ex officio positum sine consensu partium non priuare possessione, *Bart. in l. interesse puto, ff. de acq. possess. Rota in Casenaten. bonorum 21. Februarij 1622. coram R.P.D. meo Vbaldo*, & alias sæpè.

Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

NVLLIVS, SEV APRVTINA IVRISDICTIONIS.

*Mercurij 15. Ianuarij 1625.*

ARGVMENTVM.

Testes examinati extra terminum remissoriæ dicuntur examinati sine iurisdictione, quo casu aut raro, aut nunquam talis defectus sanari potest.

SVMMARIVM.

1 *Clausula, arbitrio, directa Iudici habenti iurisdictionem minuit aliquid de rigore iuris, fallit tamen hæc regula quando nullitas clara adducitur ex defectu iurisdictionis.*

*Qui defectus, aut raro, aut nunquam sanari solet præcipuè cum testes sint examinati sine interrogatorijs partis, num. 1.*

2 *Examen factum extra terminum Remissoriæ est nullum.*

3 *Arbitrium non potest interponi quoad testes examinatos extra locum remissoriæ.*

4 *Examen testium nullum sanatur per clausulam, arbitrio, quando testes fuerunt examinati cum interrogatorijs partis aduersæ.*

DECISIO CCCXLIII.

Reuerendissimus D. Abbas S. Angeli de Masciano recursum habuit ad Signaturam Sanctissimi pro obtinenda sanatione nullitatum examinis testium quæ sanatio fuit remissa arbitrio Rotæ, vnde proposito dubio, an intraret arbitrium, DD. negatiuè responderunt.

Multę allegabantur pro parte Reuerendissimi Episcopi Aprutini nullitates interuenisse in examine testium, verùm plures ex dictis nullitatibus visæ sunt ita turbidæ vt arbitrio locus esse posset, sed ex duplici capite omnes Domini conuenerunt non posse interponi arbitrium pro dicta sana-
1 tione, licet enim clausula, *arbitrio*, directa Iudici habenti iurisdictionem præcipue in supremis Tribunalibus diminuat aliquid de rigore iuris, fallit tamen hæc regula, quando nullitas clara adducitur ex defectu
2 iurisdictionis, qui defectus aut raro, aut nunquam sanari solet, præcipue cum testes sunt examinati sine interrogatorijs partis, *Rota decis. 462. n. 3. par. 1. recent.*

Quod autem adsit defectus iurisdictionis visum fuit satis constare ex eo quia te-
3 stes examinati fuerunt extra terminum remissoriæ, quia Remissoria cum termino vnius mensis ad probandum fuit concessa D. Abbati die 9. Iulij 1616. & intimata D. Episcopi die 23. Iulij eiusdem anni, vt in Summar. Abbatis num. 3. & sic ad summum mensis Abbati concessus durasset vsque ad diem 23. Augusti, & tamen testes iurarunt die prima, tertia, & nona mensis Septembris, & sic extra terminum, *Rota decis. 3. de testib. in nouis, Card. Serap. decis. 583. num. 2.*

4 Visum etiam † fuit arbitrium interponi non posse quoad duos testes examinatos extra locum Remissoriæ, & pendente termino ad dandum interrogatoria, *l. fine pars C. de dilat.* qui terminus licet postea fuerit, & forsan minus legitimè reuocatus, nihilominus reuocatio non fuit notificata Domino Episcopo nisi post completum examen; vnde illi non videtur posse imputari si non dederit interrogatoria, propter quæ Rota solet de facili arbitrium interponere, *Put. decis. 390. num. 2. lib. 3. in nou.*

Cresc.

*Cresc. decis. 1. de fer. Rota decis. 587. num. 3. par. 2. in recent.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## ROMANA DONATIONIS.

*Luna 27 Ianuarij 1625.*

### ARGVMENTVM.

Clausula, constituti, adiecta donationi, nullæ nullam transfert possessionem manutenibilem, & quando secunda donatio dicatur nulla ob aliam præcedentem.

### SVMMARIVM.

1 *Mandatum de manutenendo datur ex possessione probata de tempore mota litis.*

2 *Donatio facta ab eo, cui fuit interdicta per sententiam Rotalem alienatio bonorum, non potest subsistere.*

3 *Donare non solum est alienare, sed etiam perdere.*

4 *Clausula, constituti, apposita in donatione nulla non potest transferre aliquam possessionem.*

5 *Donans omnia bona irreuocabili donatione, cum clausula, constituti, reseruando sibi vsufructum non potest amplius in praeiudicium donatarij, cui ius, & possessio est quasita à donatione resilere.*

6 *Donatio secunda omnium bonorum praesentium, & futurorum non comprehendit bona iam donata.*

7 *Donans non censetur contrauenire voluisse primæ donationis iuratæ.*

8 *Nemo præsumitur voluisse incurrere in periurium.*

9 *ex Clausula, constituti, possessio manutenibilis dicitur translata.*

10 *Donatio secunda nulla facta mentione primæ continentis derogatorias ad sequentes donationes est nulla.*

11 *Donatio à principio est voluntatis ex post facto necessitatis.*

12 *Possessionis causam potest quis sibimet mutare ex superuenienti titulo etiam sine alia declaratione, multo magis si declarauerit. & num. 13.*

### DECISIO CCCXLIV.

Quondam Ioannes Baptista Coccinus Romanus de anno 1598. donauit donatione inter viuos irreuocabili omnia bona sua tam præsentia, quàm futura Pantasileæ d. Ioannis Baptistæ sorori, & post eius obitum Francisco Capoccio d. Pantasileæ filio reseruata certa summa pro facultate testandi, & vsufructu cum clausula, *constituti*, alijsque clausulis amplissimis etiam cum derogatoria ad futuras donationes, postmodum de anno 1610. iustis de causis per sententiam Rotalem fuit dicto Ioanni Baptistæ alienatio omnium bonorum interdicta vna cum obligationibus personalibus, relicta solum dicto Ioanni Baptistæ administratione, & perceptione fructuum quæ sententia transiuit in rem iudicatam, & debitæ executioni demandata, qua non obstante idem Ioannes Baptista nulla facta mentione primæ donationis de nouo donauit omnia eadem bona præsentia & futura Ioanni Baptistæ Rosciotto, & Catherinæ de Fabijs coniugibus cum ijsdemmet clausulis, & tandem die 16. Februarij 1624. idem Ioannes Baptista præuia ratificatione primæ donationis factæ in fauorem Pantasileæ sororis, & Francisci Capoccij ex sorore nepotis eisdem vsumfructum quem prius sibi reseruauerat in prædictis donationibus donauit inter viuos eidem Francisco Capoccio cum clausula, *constituti*, & facultate capiendi possessionẽ propria auctoritate vigore cuius donationis dictus Franciscus post obitũ matris de mandato Iudicis apprehendit possessionem omnium bonorum dicti Ioannis Baptistæ vna cum perceptione fructuum, & post obitum d. Ioannis Baptistæ declarauit se velle continuare possessionem tam vigore primæ, quàm vltimæ donationis, & omni alio meliori modo, quibus stantibus dictus Rosciottus, & Catherina coniuges vigore secundæ donationis prætendebant mandatum de associando in dictis bonis sibi donatis, ex altera vero parte d. Franciscus asserebat se esse manutenendum in possessione dictorum bonorum; Vnde dato super hoc dubio, Domini responderunt secundis donatarijs denegandum esse mãdatum de associando petitum, sed potius 1 concedendum esse mandatum de manutenendo Francisco, de cuius possessione constat de tempore motæ litis, *vulg. §. retinendæ instit. de interd. l. 1. & 2. ff. vti possidetis.*

Ex hac enim serie facti satis visum fuit 2 constare secundam donationem, aut fuisse nullam, aut saltem nullum ius competere posse

posse dictis donatarijs ad intentanda remedia possessoria contra possessorem cũ legitimo titulo nullitas apparet ex defectu
2 potestatis. Cum enim d. Ioanni Baptistæ donanti fuisset interdicta per sententiam Rotalem alienatio bonorum ante secundam donationem factam non potest subsi-
3 stere d. donatio; non enim solum donare est alienare, sed etiam perdere, vt dixit Iurisconsultus *in l. filius famil. ff. de donat.*
4 Et sic clausula, *constituti*, apposita in donatione nulla non potest transferre aliquã possessionem, *l. is qui cum ibi notat, ff. de acquir. poss. DD. in l. 1. §. si vir. & vxor. ff. eodem, & in l. ex testamento in fin. Cod. de fideicomm. Soccin. sen. cons. 38. num. 3. lib. 3. Gabr. concl. 4. de clausul. num. 8. Rota diuers. decis. 224. num. 1. par. 2. & in recent. dec. 694. num. 4. par. 1.*
5 Secundo † cum iam d. Ioannes Baptista donatione irreuocabili donasset omnia eadem bona sorori, & Francisco eius filio, & transtulisset possessionem in dictos donatarios reseruando sibi solum vsumfructũ in vim clausulæ, *constituti*, non poterat amplius in præiudicium eorum quibus ius & possessio erat quæsita à dicta donatione resilire, *l. id quod nostrum, vbi latè Cagnol. num. 3. & seq. ff. de reg. iur. l. cum maritus, ff. de iure dot. l. si constante, & ibi Bald. Cod. de donat.* & in iisdemmet terminis donationis factæ, & acceptatæ, tradit *Bart. in l. qui Roma, §. Flauius, ff. de verb. oblig.* Quando enim Ioannes Baptista secundo loco dona-
6 uit in genere omnia bona præsentia & futura sub illa generalitate verborum non censentur donata, & comprehensa bona alteri iam donata, *l. quintus, §. argento, ff. de aur. & argento legat. Bart. in l. codicillus, §. instituto nu. 4. de leg. 2. Rol. cons. 71. n. 28. lib. 2. cum allegatis in vna Romana de Mazzatestis 23. Iunij 1617. coram R.P.D. Vero-*
7 *spio*, vbi † notatur non censeri donantem contrauenire voluisse primæ donationi iu-
8 ratæ, quia alias incurreret in periurium quod non est præsumendum, *Hond. consil. 44. lib. 2. num. 52. & seq. Guidop. decis. 463.* præcipue cum dicta Pantasilea, & Franciscus censerentur extitisse in possessione vigore primæ clausulæ, *constituti*, ab anno 1598. in fauorem ipsorum apposita ex qua
9 clausula † possessio manutenibilis dicitur translata, *l. quod meo, & ibi DD. de acquir. poss. Tiraq. de constit. par. 1. num. 14. cum alleg. in d. decisione Romana de Mazzatestis 28. Aprilis 1617.*

10 Quo eo magis est dicendum, quia † prima donatio continet derogatorias ad sequentes donationes, vt puta si ex quauis causa dicta prima donatio reuocata fuerit toties dictus donans donabat ex nune prout tunc, vnde secunda donatio nulla facta mentione primæ nullo iure subsistere potest, *l. si quis in princip. ff. de leg. 3. Alex. cons. 25. num. 4. lib. 3. Clar. in §. testamentum quæst. 99. num. 3.* quæ regula si procedit in testamentis, multo magis debet habere lo-
11 cum in contractibus donationis, † quæ à principio est voluntatis ex post facto necessitatis, *l. perfecta, C. de donat. quæ sub mod.* ex quibus videtur clarè constare, non solummodo secundis donatarijs remedia possessoria non competere, sed nec etiam in petitorio posse vti secunda donatione in præiudicium primæ.

Quo vero ad dictum Franciscum visum fuit non posse illi denegari manutentionem, licet enim acceperit possessionem vi-
12 gore tertiæ donationis, & non primæ, certum est ipsum superueniente morte donatoris potuisse sibimet mutare causam possessionis etiam sine alia declaratione animi, *Acchill. decis. 4. in fin. de caus. poss. & propr. Cresc. decis. 3. de restit. spol. Rota dicta*
13 *decis. 134. par. 2.* † Multoque magis cum ipse declarauerit se velle continuare possessionem non solummodo vigore vltimæ, sed etiam vigore primæ donationis legitimæ insinuatæ, *& omni meliori modo sibi magis proficuo.*

Et ita decisum vna tantum parte in maximam contumaciam alterius informare recusantis.

## MACERATEN. IVRIS PRETII.

*Veneris 31. Ianuarij 1645.*

### ARGVMENTVM.

Pretia rerum per peritos æstimanda est modus approbatissimus, nec ad dictum effectum magni faciendæ sunt locationes, & præsertim in vrbanis.

### SVMMARIVM.

1 *Valorem rei æstimandi modus per peritos est à iure approbatus.*
2 *Pretium conuentum præsumitur iustum.*
4 *Aestimatio in bonis stabilibus debet fieri ex quantitate redditu.*

*Locatio*

4 *Locatio non probat valorem rei.*
5 *Opinio glosa in auth. perpetua C. de rescind. vendit. est dubia.*
6 *Valor vrbanorum prædiorum non mensuratur ex solis redditibus.*
7 *Ecclesia vt cogi possit vendere alteri Ecclesia vigore l. si quis sepulchrum, ff. de relig. & sumpt. fun. tria requiruntur.*

## DECISIO CCCXLV.

DOMINI respondendo strictè dubio proposito super iustitia pretij domus de qua agitur responderunt affirmatiuè pro iustitia pretij ea ratione, quia fuit taxatum per Peritos communiter electos, & concordes in relatione præsertim cum accesserit augmentum concessum ab Illustrissimo Cardinale Pio tunc tempo-
1 ris Marchiæ Legato scut. 300. Certi enim iuris est modum hunc æstimandi pretia rerum per peritos esse approbatissimum, *Bart. in l. 2. num. 22. & ibi Cagnol. nu. 258. C. de rescind. vendit. vbi de communi Seraph. dec. 665. num. 2. & 7. Honded. cons. 31. n. 46. lib. 1. Rota coram fel. recor. Gregor. Greg. XV. decis. 161. num. 8. & ibi addens.* Quod eo magis est dicendum, quia subsecuta fuit acceptatio partium domus, venditio cum receptione pretij taxati, & ita pretium
2 censetur transijsse in † conuentionem pro qua stat præsumptio, quod pretium conuentum præsumatur iustum, *l. minorib. C. de in integ. restit. Rot. decis. 194. num. 21. & decis. 321. num. 10. coram fel. rec. Greg. XV. fuit dictum in Romana residui dotis 31. Ianuarij 1611. coram bon. mem. Cardinali Lancellotto, & in eadem causa 29. Aprilis 1613. coram R.P.D. Vbaldo, Card. Mant. de tacit. lib. 4. tit. 20. num. 21.* vbi quod hoc habet locum etiam contra Ecclesiam.

Nec obstat, quod non fuerit habita ratio affictuum istius domus cum tribus apothecis, ex quibus percipiebatur annua
3 pensio scut. vltra 100. & aliàs † in bonis stabilibus debet fieri æstimatio ex quantitate redditiuum, vt per *Decian. de communi respons. 2. num. 174. lib. 1.* cum alijs allegatis, stante in viginti annis fructus censeantur æquari sortem iuxta *glos. in auth. perpetua C. de sacros. Eccles. Rota decis. 552. par. 1. recent. Rota in Romana vsusfruct. 16. Nouembr. 1612. coram* [illegible] *Iosè Mantic.* [illegible] *lib. 4. tit. 20. num. 12.*

Quia respondetur, quod isti fructus, seu pensiones regulantur per informantes
4 ex locationibus, † quas certum est non probare valorem cum quantitas maior, vel minor possit prouenire ex affectu conductorum, *l. pretia rerum in princip. vbi Do-*
5 *ctores, ff. ad l. falcid.* Vltra quod illa glosæ opinio in dicta authentica perpetua redditur dubitabilis ex pluribus per *Cagnol. in d. l. 2. numer. 233. C. de rescinden. vendit.*
6 Et præsertim in prædijs † vrbanis, in quibus ex solis redditibus non mensurari pretium tradit in terminis, *Natt. cons. 332. num. 4. quod cons. fuit canonizatum in Romana residui dotis 4. Maij 1612. coram R.P. D. Vbaldo.*

Sed quia pro parte Cruciferorum op-
7 ponebatur † hanc venditionem nullo modo substineri posse, quia non aderat nec probata fuerunt tria requisita ad effectum, vt cogi posset Ecclesia vendere alteri Ecclesiæ vigore *l. si quis sepulchum, ff. de relig. & sumpt. funer.* Et ideo non potuit tunc tẽporis Prior sine consensu Protectoris, & Superiorũ Ordinis validum præstare consensum huic venditioni, & alienationi. Visum fuit Dominis hanc exceptionem esse extra dubium quæ suis loco, & tempore poterit particulariter examinari. Pro nunc præsupposito, quod potuerint cogi Cruciferi vendere dictam domum firmarunt constare de iustitia pretij per Peritos liquidati, & aucti per dictum D. Cardinalem Legatum.

Et ita decisum vtraque parte informante,

## MELEVITANA FAMILIAE DE CHIANTAN.

*Veneris 10. Ianuarij 1625.*

## ARGVMENTVM.

Voluntas Testatoris si per Papam fuerit commutata dummodo omnium interesse habentium accedat assensus non poterit legitimè executioni demãdari sine omnium assensu, & aliter facta corruit.

## SVMMARIVM.

1 *Verba*, dummodo puellarum omnium vocatarum ad hoc accederet assensus, *in breui apposita: demonstrant Papam noluisse se restringere ad certam, & limitatum numerum dictarum puellarum, sed omnes voluisse comprehendere.*

2 *Dictio, omnium, est merè vniuersalis non restricta ad certum numerum, & qui omne dicit nihil excludit.*

3 *De interesse vocatarum, quæ in Monasterium recipi debent absque dote satis constat, si tantum aliqua fuerunt receptæ, cæteris exclusis.*

4 *Citandi sunt habentes interesse, saltem per proclama, quando infinitus est numerus & num. 5.*

6 *Citandi sunt per proclama creditores fideicommissarij, & conditionales vti habentes secundarium interesse.*

7 *Virgines præ pudore virginali rarissimo, & illibenter adduci possunt, vt ingrediantur Monasteria Conuertitarum.*

8 *Fides baptismi probat familiam baptizati.*

9 *Fides baptismi non bene concludit quem esse natum ex legitimo matrimonio.*

## DECISIO CCCXLVI.

HIERONYMA Chiantar instituit heredem vniuersalem Confraternitatem Charitatis ea lege, vt fundaret in Ciuitate Vallettæ Monasterium puellarum, Virginum ex legitimo matrimonio procreatarum, in quo mandauit semper permanere octo Moniales recipiendas absq; dote, & gratis, & mortua aliqua ex illis ingredi etiam itaut semper adessent in eo octo Moniales gratis recipiendæ, & eligendæ per dictam Confraternitatem ex puellis parochiæ Casalis Sigchui, & in earum defectum ex puellis aliorum locorum dictæ Insulæ, ita tamen quod si reperirentur puellæ de cognatione familiæ Chiantar ipsæ præferrentur alijs: Moniales Conuertitæ eiusdem Ciuitatis narrata dicta dispositione petierunt à Sede Apostolica commutari voluntatem d. Testatricis, & bona d. hæreditatis eis applicari cum onere recipiendi tantummodo quatuor ex dictis puellis, & obtinuerunt insorta clausula, *dummodo puellarum omnium vocatarum, & in Monasterio recipiendarum ad hoc accederet assensus, & non alias*, committendo executionem huius gratiæ Ordinario Meliten. cum clausula, *constito de præmissis*.

Præsentatis litteris Apostolicis coram Ordinario electæ fuerunt à dicta Confraternitate quatuor puellæ de cognatione familiæ Chiantar quæ receptæ fuerunt in Monasterium dictarum Conuertitarum, & consenserunt dictæ commutationi voluntatis, ac applicationi bonorum eidem Monasterio faciendæ. Et propterea stante huiusmodi consensu idem Ordinarius in executionem dictæ gratiæ pronunciauit, & præfata bona applicauit nõ citatis alijs puellis à Testatrice vocatis ex quibus eligi debebant puellæ ingressuræ, & recipiendæ in dictum Monasterium. Et quoniam familia de Chiantar dictam applicationem non substineri contendit, quia non fuerunt iudicialiter requisitæ, & non consenserunt omnes, vt supra vocatæ, sed tantum illæ quatuor electæ ideircò dubitaui, An obstet defectus consensus aliarum puellarum vocatarum agnatarum ex dicta familia tunc temporis existentium ex legitimo matrimonio procreatarum, quo dubio proposito Domini affirmatiuè responderunt.

Ratio Dominorum fuit, quia ex tenore Breuis Papæ satis apparet eum noluisse grauare, & præiudiciũ afferre dictis puellis familiæ de Chiantar, quarum intererat nè dicta commutatio concederetur, sed voluntas Testatricis seruaretur, & notanter ex illis verbis, *dummodo puellarum omnium vocatarum, & in Monasterium recipien-*
1 *darum ad hoc accederet assensus*; Quæ verba satis demonstrant Papam noluisse se restringere ad certum, & limitatum numerum dictarum puellarum, sed omnes voluisse comprehendere ponderando maximè dictionem, *omnium*,
2 quæ est merè vniuersalis non restricta ad certum numerum, & qui omne dicit nihil excludit, *l. 1. ff. de legi. Dec. in l. omnia in princ. ff. si cert. petat. glos. in Clem. 1. in verbo commodum de for. compet. & in c. ex parte de offic. deleg. Abb. in cap. qualiter, & quando el 2. numer. 8. de accusat. Alex. consf. 72. num. 2. lib. 2. Rol. consf. 84. num. 22. vol. 1. Seraph. dec. 351. n. 32.*

3 De earum verò interesse satis visum fuit constare, quia ipsarum intererat dispositionem Testatricis suum sortiri effectum, & non commutari voluntatem cum dicta Testatrix mandauerit extrui Monasterium, & in eo recipi octo puellas absque dote, & omnibus alijs præferri puellas consanguineas ex agnatione, & familia de Chiantar. Dum enim in commutatione facta, & applicatione bonorum Testatricis Monasterio Conuertitarum quatuor tãtum fuerunt receptæ alijs exclusis inde nascitur præiudicium irreparabile cum speratæ pos-

possent vti ad secundã spẽ vocatæ gaudere beneficio,& prouidentia Testatricis toti familiæ, & agnationi concesso quo præ-
4 iudicio notabili stante non solum ex forma Rescripti præcisa, sed etiam de iure communi debebant omninò citari;nec hodie ipsis denegari potest audientia, *Put. decis.91.lib.3.Tiraquel.de retractu lignaier §.1. glos.9. num.144. Rol.cons.70. num.35. vol.7. Soccin. iun.cons.52. col.3. vol.4.*

Nec obstat Papam non censeri requisiuisse consensum omnium puellarum non solum dictæ familiæ, & agnationis, sed etiam omnium aliarum vocatarum, quarum infinitus est numerus. Placet enim
5 responsio,† quod facile poterant citari per edictum publicum, & proclama, vt dicitur in dicta *decis. Putei 91.lib.3.* vbi mul-
6 tis auctoritatibus firmatur; non solum hæredes,sed & ereditores fideicommissarios, & conditionales vti habentes secundariũ interesse debere per proclamationem publicam citari alias sententiæ latæ in eorũ præiudicium non substinentur.

Nec etiam visum fuit contemnendum interesse desumptum ex eo, quod hæreditas Testatricis fuerit applicata Monasterio
7 Conuertitarum cum præ pudore virginali rarissimò, & illibenter puellæ virgines adduci possint, vt ingrediantur Monasteria Conuertitarum, vt omnibus est notissimum.

Nec obstat,quod hodie quæ veniunt ad causam non probauerint se oriundas ex dicta agnatione, & familia de Chiantar, quæ alijs puellis vocatis fuit prælata; nam vltra quod non solummodo d. agnatæ,sed etiam omnes puellæ parochiæ Casalis, & succesiuè omnes aliæ Insulæ Melitensis leguntur in Testamento ordine suo voca-
8 tæ. Tollitur obiectio, quia ex fide baptismatis in actis producta constat de existentia virginum cõsanguinearum de dicta familia prælata de tempore gratiæ, & illius
9 executionis; & quia fides baptismatis non plenè concludit,quod fuerint ex legitimo matrimonio d. puellæ natæ; ideò Domini responderunt obstare defectum consensus aliarum puellarum ex legitimo matrimonio natarum.



## VALLISOLETANA PAROCHIALIS.

*Veneris 31. Ianuarij 1625.*

### ARGVMENTVM.

Filius patrimonialis vigore Constitutionis Synodalis Vallisoletanæ, vt quis dicatur, quæ requirantur latè examinatur.

### SVMMARIVM.

1 *Sententia lata super statu personæ facit ius quoad omnes.*

2 *Et constituit eum, in cuius fauorem fuit lata in quasi possessione filij patrimonialis, ex quo reijcitur onus probandi contrarium ei, qui dictam sententiam, & quasi possessionem impugnat, & n.3.*

4 *Habitatio probatur per testes.*

5 *Patrimonialitatis ius ex quibus censeatur quaesitum.*

6 *Verbum, &c, est merum copulatiuum, & impropriatur, quando intelligitur pro, seu, & num.7.*

8 *in Constitutionibus, quæ potius sunt odiosa quam fauorabiles non impropriantur verba.*

9 *Copula, &c, vt, debeat sumi pro disiunctiua colligitur ex mẽte pronunciantis, seu dispo- nentis, & secundum subiectam materiam, & num.11. & 12.*

10 *Nepos vt sit melioris conditionis, quam filius repugnat dispositioni iuris.*

13 *Vitricus dum agitur de domicilio, vel habitatione electa largo modo dicitur, & indicatur vti pater.*

14 *Constitutio est interpretando de possibili habitatione parentum, non autem de impossibili.*

15 *Naturales, & patrimoniales idem in similibus constitutionibus æstimantur.*

16 *Animus contrahendi domicilium, vt eliciatur parum interest vtrum vti coloni, vel vti domini in aliquo loco habitauerint.*

17 *Præcipuè quando constat de continua habitatione per decennium, alijsque coniecturis.*

### DECISIO CCCXLVII.

IN diœcesi Vallisoletana adest constitutio synodalis quæ præsupponitur esse vsu recepta vt filij patrimoniales preferantur occurrente beneficiorum vacatione suarum Ecclesiarum cuius constitutionis hęc verba sunt pręcisa: *Vt aliquis sit, & dicatur filius patrimonialis illius loci,* & ter-

*& territorij, in quo eius auus, seu auia quamuis esset sub potestate eorum patrum vixerunt, & habitarunt existentes Parochiani per spatium decem annorum continuorum, aut in loco, in quo eius pater, & mater vixerunt spatio prædictorum decem anorum continuorum animo perseuerandi mercando bona stabilia circumuicinando in illo, & alijs coniecturis;* Quibus verbis sic stantibus Petrus Ninus cuius pater non erat originarius nec habitauerat in territorio oppidi de Fuentes, sed mater quę post obitum patris ad secunda vota conuolarat vna cum marito, & filijs primi matrimonij per tresdecim ad minus annos habitauit in d. Territorio vna cum d. Petro Nino qui vacante Ecclesia parochiali dicti loci de Fuentes se vti filius patrimonialis opposuit, & nihilominus ab Ordinario alius in concursu fuit de dicta Ecclesia parochiali prouisus à qua sententia fuit pro parte d. Petri Nini appellatum causaque mihi commissa omissis alijs inspectionibus de ordine Rotæ dubitaui vtrum dictus Petrus esset filius patrimonialis, nec ne quo dubio multoties proposito Domini tandem hodierna die opinionem affirmatiuam sunt amplexi.

Moti sunt hac præcipuè ratione, quia dictus Petrus habet pro se sententiam Ordinarij fundatam in probationibus per testes a 1 perpetuam rei memoriam examinatos præuio decreto, & publicatione edictorum contra alios filios patrimoniales, & alios sua interesse putantes, vt in Summario *num. 1. 2. & 3.* quæ sententia quæ transitum fecit in rem iudicatam super statu, & cum legitimis contradictoribus videtur ius facere quoad omnes iuxta notata in *l. ingenuum ff. de stat. homin.* aut
2 saltem negari non potest, quod d. Petrus sit constitutus in quasi possessione filij patrimonialis loci prædicti, ex quo reijcitur
3 onus probandi contrarium ei, qui dictam sententiam, & quasi possessionem impugnat iuxta not. in *c. lator vbi glos. in verbo probare, qui fil. sint legit.* cum multis fusè deductis in illa *Parmen. status 27. Aprilis 1622. coram Reuerendiss. D. meo Decano.*

Nec controuertitur ex depositionibus trium testium coram Ordinario tunc examinatorum d. Petrum vna cum vitrico, & matre habitasse in loco de Lugares, qui est Territorij d. Castri Fuentes vltra 13.
4 annos, quia ibi recipiebat Sacramenta, soluebat decimas Curato Ecclesiæ de Fuentes, vt ipsemet Curatus deposuit, & ibidem continuò habitabat vitricus, mater, & dictus Petrus, sed tota difficultas in eo residet, quod pro parte Ioannis Exquerra prætenditur dictum Petrum non posse dici filium patrimonialem, quia non habet qualitates requisitas à Constitutione Synodali cum auus, nec auia dicti Petri vnquam habitauerint in d. Territorio, nec
5 etiam pater. Et licet † mater habitauerit vltra tempus præscriptum non ideo sequitur ius patrimonialitatis quæsitum fuisse d. Petro; Verba enim constitutionis requirunt, vt pater, & mater habitauerint cum filio quæ debent intelligi copulatiuè, & non disiunctiuè ex propria natura verbi, *Et,*
6 quod est merè copulatiuum, *l. Seio §. Caius, ff. de fundo instr. vbi Bart. & l. Titia textores, §. nihil, ff. de leg. 1. l. 66. ff. de haered. instit. l. 142. ff. de verb. signif. l. 16. §. 1. ff. ad Sen. Cons. Trebel.* Et si deberet intel-
7 ligi, *Et,* pro, *seu*, impropriarentur verba, quod fieri non solet in Constitutionibus quæ potius sunt odiosæ quam fauorabiles.

8 Huic obiectioni responsum fuit beniigniorem interpretationem esse accipiendam, vt illa copula, *Et*, intelligatur pro disiunctiua accomodando se verbis statuentium, qui prius requisiuerant habitationem aui, vel auiæ, nec vlla potest allegari differentia saltem considerabilis, vt aui, vel auiæ sola habitatio sufficeret, & requireretur coniunctim habitatio patris,
9 & matris. Repugnat † enim dispositioni iuris, vt melioris conditionis sit nepos, quam filius in potestate patris cōstitutus, quod absurdum esset si auiæ sola habitatio cum nepote posset acquirere filiationem patrimonialem; & non sufficeret ha-
10 bitatio matris cum filio. Nec est nouum in iure, vt copula, *Et*, sumatur pro disiunctiua secundum subiectam materiam tam de iure Pontificio, quam ciuili, *cap. dudum de praeben. l. fin. §. 1. C. de codicill. l. si Titio, ff. de vsufruct. l. sapè, & l. coniunctionem, & vtrobique, Rebuff. ff. de verbor. signif. praesertim in d. l. coniunctionem, vers. sed dices*, vbi doctè tradit plures modos, quibus dignosci potest, quando particula coniuncta
12 stet pro disiuncta, † quod colligitur ex mente pronunciantis, seu disponentis, & secundum subiectam materiam, vt in *auth. vt fratrum filij circa med. Alberic. in l. cum quidam, C. de verb. signif. Andreas in cap. is qui de elect. in 6. Rot. dec. 6. num. 3. par. 1. recent.*

*cent.* & in terminis fuit dictum in vna *Meliten. Baiulatus 17. Decembris 1617. coram me*. Et tanto magis, quia probatur habitatio non solum ratione matris, sed eius secundi viri, & sic vitrici d. Petri, qui vi-
13 tricus dum agitur de domicilio, vel habitatione electa largo modo dicitur, & iudicatur vti pater, *l. si paterno C. de negoc. gest. cum cumulat. per Surd. de alimen. tit. 6. q. 16. num. 1.*

Consideratum etiam fuit ex serie facti apparere Petrum patre fuisse orbatum, & habitasse cum matre superstite si vterque vixisset tenebatur Petrus docere de habitatione vtriusque parentis, & in hoc essent verificanda verba cõstitutionis Synodalis, sed quia iam mortuo patre eius mater venit vna cum filijs ad habitandum in loco, seu territorio de Fuentes, in quo nupsit dicto eius vitrico, & Constitutio desiderat etiam habitationem filij, tunc quia impossibile est mortuum patrem extare ipse filius potuit acquirere domicilium ex persona propria per habitationem decenna-
14 lem cum matre pernecesse prædicta Constitutio est interpretanda de possibili habitatione parentum non autem de impossibili, *canon. erit autem lex distinct. 4.* atque ita ex propria sua habitatione, & matris videtur satisfecisse prout erat possibile necessitati constitutionis.

Nec obstat, quod ipse Petrus non sit originarius d. loci de Fuentes, sed alterius loci, vt probatur per testes. Quia prædicta Constitutio non requirit ad hoc, vt quis sit patrimonialis alicuius loci, quod
15 sit natus in d. loco. Nam naturales, & patrimoniales idem in similibus Constitutionibus existimantur, *Gonzal. ad reg. 8. glos. 9. §. 1. n. 13.*

Nec etiam obstat, quod dicitur nec matrem, nec vitricum Petri vnquam contraxisse domicilium in dicto loco, quia iure conductionis habitabant in agris, & finito tempore locationis poterant coloni ab il-
16 lo loco à domino excludi. Quia ad effectum eliciendi animum contrahendi domicilium parum interest vtrum vti coloni vel vti domini in aliquo loco habitauerint, vt in terminis *Soccin. in cap. vlt. n. 11. de for. compet. & num. 25.* Præcipuè quando constat de continua habitatione per
17 decennium, *Alberic. in l. si eius qui, la 21. §. celsus num. 8. ff. ad municip. Menoch. de arbitr. cas. 86. num. 14. Soccin. in d. cap. vlt. num. 25. in fin. & num. 26.* Præcipuè concurrentibus alijs coniecturis, quod mater soluerit decimas pullorum, frumenti, & ibidem diem vltimum clauserit, & fuit sepulturæ demandata.

Quæ deducuntur de recursibus habitis ad Iudices laicos. Vnde Petrus incurrit in censuras, & quod inciderit in pœnas, *cap. auaritia de elect. in 6.* Et quod Constitutio Synodalis nõ potest habere locum in d. loco de Fuentes visum fuit dominis esse extra dubium quæ si opus fuerit poterunt particulari dubio discuti.

Et ita decisum vtraque parte informante.

## TIBVRTINA LÆSIONIS, SEV PRAETENSAE RESCISSIONIS CONTRACTVS.

*Lunæ 3. May 1625.*

### ARGVMENTVM.

Contractus, vt rescindatur ex capite læsionis, ista debet concludi de tempore contractus.

### SVMMARIVM.

1 *Contractus vt rescindatur ex capite læsionis, læsio est probanda concludenter de tempore initi contractus.*
2 *Probatio, quæ desumitur ex scripturis, plurimum attendenda in conflictu testium.*
3 *Fructus viginti annorum in stabilibus regulariter adæquant sortem.*
4 *Fundus impensa, & cultura redditur pretiosior.*

### DECISIO CCCXLVIII.

CVM de anno 1565. Vincentius Brunellus permutando cum Andrea Coccanario quartam partem tenutæ, seu Castri diruti Saracineschi veteris dedisset quamdam vineam cum prato, duas apothecas, & tres annuos census, & scuta centũ in pecunia numerata itaut omnes summæ coaceruatæ conflarent summam scutor. 1325. dictus Andreas vsque de anno 1585. dedit libellum contra Brunellum super rescissione d. permutationis ex capite enormissimæ læsionis coram Prætore Tiburis causaque ad Rotam deuoluta dubitaui, an constet de læsione, & Domini

post plures propositiones negatiuè responderunt.

1 Ratio decisionis fuit, quia ad effectum rescindendi contractum ex capite læsionis læsio est probanda concludenter de tempore initi contractus, *l. si voluntate in fin. C. de rescind. vend. latè Cagnol. in l. 2. n. 214. C. eod. tit. Rol. cons. 59. num. 34. vol. 1. Laderch. cons. 129. num. 1. Seraph. decis. 1125. num. 5.*

In hoc autem casu visum fuit non bene probari valorem d. quartæ partis tenuræ permutatæ de d. anno 1565. Dantur enim hinc inde testes contrarij, quorum dicta

2 inuicem conquassantur, itaut in illorum conflictu videatur plurimum attendenda probatio quæ desumitur ex scripturis. Vnde cum dentur duæ locationes illius quartæ partis, & alterius similis, vt in Summario Brunelli *num. 15. & 16.* In quibus quarta pars non fuit locata nisi in scut. 60.

3 quolibet anno, & regulariter in stabilibus fructus viginti annorum adæquant sortem *iuxt. glos. in auth. perpetua, C. de sacros. Eccles. & in §. si verò, auth. de non alienand. Afflict. dec. 74. num. 4. Bursatt. cons. 84. n. 1.* Ex istis locationibus deprehenditur valorem d. quartæ partis solum attigisse scuta 1200. & consequenter non esse atten-

4 dendum † valorem de tempore præsenti cum potuerit tractu temporis, & impensa, & cultura Brunelli d. quarta pars tenutæ fieri pretiosior, *c. ad aures, & ibi glos. in vers. tunc de reb. Eccles. non alien. Calderin. cons. 5. de rer. permut. Cagnol. in d. l. 2. nu. 112. C. de rescin. vendit. Ruin. cons. 35. ad fin. lib. 1. Ias. cons. 54. num. 20. lib. 1. Aym. cons. 114. n. 16. Rot. diu. dec. 18. n. 4. par. 2.*

Et ita decisum vtraque parte informante.

## LAVRETANA PAROCHIALIS.

*Veneris 4. Martij 1625.*

### ARGVMENTVM.

Resignatarius qui possessionem accepit debet manuteneri donec de nullitate resignationis discutiatur.

### SVMMARIVM.

1 *Manutentio datur possessori de tempore motæ litis.*

2 *Possessio probatur per Instrumentum adeptionis illius.*

3 *Per perceptionem fructuum.*

4 *per Aduersarij confessionem, & n. 16.*

5 *Pensio est onus reale, & debetur ex fructibus beneficij.*

6 *Possessio beneficij amittitur per illius resignationem.*

7 *Limita vbi resignatio non habuit effectum.*

8 *Resignatio effectuata censetur si resignans possessionem dimittat ad fauorem resignatarij, qui possessionem accipiat.*

9 *Resignatio est nulla non facta mentione, quod resignans esset promotus ad titulum beneficij resignati, limita n. 11. & 12.*

*Pensionis reseruatio, non facta mentione antiquæ pensionis, est nulla, n. 9.*

*Quæ nullitas non suffragatur resignanti, sed resignatario, & n. 13.*

10 *Resignatarius non est priuandus sua possessione pendente causa nullitatis.*

11 *Gratia perinde valere tollit nullitates gratiæ.*

14 *Decretum irritans non impedit manutentionem, dum disputatur, an dispositio locum habeat nec ne.*

15 *Executor potest extraiudicialiter procedere stante clausula*, super quo conscientiam suam oneramus.

## DECISIO CCCXLIX.

DOMINI dixerunt dandam esse manutentionem Antonio Resignatario stante illius possessione de tempore motæ litis, *§. retinendæ inst. de interdict.*

2 De possessione constabat ne dum ex instrumento captæ possessionis in vim mandari Iudicis executoris, *l. iustè possidet, ff. de acq. possess. Rota in recentior. decis. 92. nu. 3.*

3 *par. 2.* Sed etiam ex perceptione fructuum, & alijs actibus possessorijs, *Cæsar de Graf. dec. 10. de restit. spol.* Quibus accedit etiam confessio Cesandri resignantis in monitorio per ipsum obtento pro solutione pensionis sibi reseruatæ contra dictum Antonium vti plebanum Ecclesiæ de qua agi-

4 tur. Ex hoc enim infertur Antonium habitum pro possessore cum pensio sit onus

5 reale, & debeatur ex fructibus beneficij, *cap. si quis laicus 16. quæst. 1. Gig. de pens. quæst. 40. num. 1. Rot. coram fel. record. Gregor. XV. dec. 107. num. 1.*

Non obstat anterior possessio Cesandri,

6 quia per † resignationem amisit tam ciuilem, quam naturalem possessionem, *glos. in cap. inter cætera in verb. assignari de præ-* ben.

*bon. Sarn. in reg. de public. quaest. 118. n.3. Rot.dec.1. sub num.2. & decis. 2. de rer. permut. in nou. Put.dec.175. num.2. lib. 3. Rot. d. decis.92. num.2. par.1. in rec.*

7 Et licet id non † procedat vbi resignatio non habuit effectum tamen hoc casu
8 non applicatur limitatio † cum resignatio satis effectuata fuerit dum Cesander possessionem dimisit ad fauorem Antonij, qui sessionem accepit, *Rot.decis.2.de renunciat. in antiq. & fuit dictum in Corduben. praestimoniorum 4. Maij 1607. coram bon. mem. Card. Lancellotto.*

9 Non obstat † resignationem fuisse nullam ob non factam mentionem, quod Cesander esset promotus ad titulum huius parochialis, & quod reseruatio pensionis scutor. 250. ad fauorem Cesandri fuerit nulla ob non factam mentionem alterius pensionis ducatorum 10. quia vltra quod
10 pendente causa † nullitatis Resignatarius non est priuandus sua possessione, *Rota in recent. d. dec.92. num.4. & 5. par.1. & coram fel. record. Greg. XV. decis.364. in fin.*
11 Cessare visae fuerunt dictae nullitates, tum quia obtenta gratia perinde valere. Tum
12 quia satis consultum † visum fuit menti S. Concilij Tridentini circa alienationem rerum ad quas Clerici sunt ordinati per reseruationem d. pensionis scut. 250. Et
13 licet non fuerit facta mentio in illius reseruatione de illa antiqua scut. 10. Tamen cum id non contigerit culpa Antonij, qui verisimiliter ignorabat hoc onus, sed potius culpa Cesandri, & Antonius, qui posset allegare dictam nullitatem non alleget non potest suffragari talis nullitas Casandro.

14 Non obstat in Sacro Concilio Tridentino adesse decretum irritans, quod inficit etiam possessionem. Quia donec dubium est, ac dictum decretum intret necnè interim debet manuteneri possessor, *C.Seraph. decis.1471. numer.5. & 7. & fuit dictum in Hidruntina beneficij 30.Octob.1613. coram R.P.D. meo Vbaldo.*

Non obstat executorem nulliter pro-
15 cessisse non iustificatis † litteris. Quia stante clausula, *super quo conscientiam suam oneramus &c.* poterat executor extraiudicialiter procedere, *Lap. allegat.60. num.4. Menoch. de arbitrar. lib.1. quaest.70. num.6. Rot. decis.14. & 15. de dol. & contumac. in antiquis, & fuit dictum in Fanen. tutela 21. Februarij 1622. coram R. P. D. meo Merlino.*

Et omnis difficultas visa fuit tolli ex actibus postea subsecutis per Cesandrum, per quos vt dictum est ipse approbauit Antonium pro possessore, & acquieuit immissioni licet fuisset nulliter data.

Et ex his ita vtraque parte informante fuit decisum.

## ROMANA VINEAE.

*Veneris 14. Martij 1625.*

## ARGVMENTVM.

Contractus à pupillo, vel pupilla sine Tutore, sed cum auctoritate Curatoris specialiter, ad contrahendum à Iudice deputatis quando valeat, & teneat. Alienatio bonorum pupilli facta ab eo, quod creditores vrgeant, quando valida sit.

## SVMMARIVM.

1 *Tutor, & non curator debet deputari, quando pupillus celebrat aliquem contractum.*
2 *Curator datus à Iudice pupillo, dum contrahit, tunc ille Curator subijt vices Tutoris.*
3 *Curatoris appellatione venit etiam Tutor.*
4 *Curator eamdem habet auctoritatem, & eodem fungitur munere, quo ipse Tutor.*
5 *Pupillus si non habeat Curatorem, & contrahere debeat, potest Iudex loco Tutoris Curatorem deputare, qui succedat loco Tutoris.*
6 *Curator quando absque difficultate succedat loco Tutoris, & suppleat illius vices.*
7 *Et hoc amplia si adsit obseruantia 30. annorum circa id, quod cum eius auctoritate fuit gestum.*
8 *Alienatio bonorum pupilli non tenet, si sit facta sine necessitate non vrgente aere alieno.*
9 *Sed ista vrgentia non est necessaria, quando debitum est sub vsuris.*
10 *Bona pupillorum quando sine solemnitate possint alienari.*

## DECISIO CCCL.

Mortuo ab intestato de anno 1571. sub die 31. Februarij Vincentio de Masis relictis post se Iuliano Victoria, Felice, Bernardina ac Clitia, filijs legitimis, & na-

& naturalibus pupillis, & in puerili ætate constitutis ex ipso Vincentio & Elisa vxore genitis dicta Elisa fuit in tutricem, & pro tempore Curatricem ac legitimam administratricem deputata, vt in Summar. Bernardini num. 3. quæ cum reperisset hæreditatem dictorum filiorum debitricem diuersis creditoribus, & cuperet dicta debita persoluere, & non haberet, vnde illa commodius soluere posset imposuit vnum annuum censum scutorum trium super vinea dictorum filiorum, & hæreditatis posita extra portam Portuensem, & de qua hodie est quæstio ad fauorem fidi della porta, nec non nomine quo supra sub die 21. Aprilis anni 1571. asserens cum pecunijs ad censum, vt supra captis non potuisse dicta debita persoluere ex eo, quia illas erogauerat pro liberando Iuliano vno ex dictis filijs à carceribus ideo alia scuta 50. monetæ ad censum super eadem vinea ab eodem fido della porta accepit, vt in eodē Summario num. 5. Et demum ab eodem alia scuta quinquaginta pro subleuandis eorum necessitatibus Summar. Theodori num. 3.

Quibus stantibus de anno 1576. de mense Aprilis prædictæ Fœlix, Victoria, & Clitia vineam de qua agitur dicto Phido della porta, pro scutis 300. vendiderunt quā venditionem de mense Maij eiusdem anni 1576. vt supra factam in 11. suæ ætatis anno constituta Bernardina dum in Monasterio S. Catharinæ existeret mediante Curatore deputato, & decreto Iudicis ratificauit & quatenus opus fuit de nouo fecit. Verum quia Bernardinus hæres prædictæ Bernardinæ ratificationem venditionis prædictæ, ac ipsam venditionem per eā factam nullam esse contendebat causamq; coram Reuerendissimo D. Protectore dicti Monasterij S. Catherinæ introduxit, Placuitque eidem Protectori seu Iudici ab eo deputato Rotam consulere, deditque dubium, An Bernardinæ competat aliquod Ius super vinea de qua agitur quo dubio hodierna die per me proposito Domini negatiuè responderunt.

Allegabatur enim pro Bernardina nullitas contractus venditionis factæ ex duplici capite, Et primo quia † cum ipsa in
1 vndecimo tantum suæ ætatis anno cōstituta reperiretur debebat in actu celebrationis ac ratificationis deputari Tutor non autem Curator, §. *pupilli Inst. de inutil. stipul. Paris. cons. 99. n. 39. lib. 1.*

Sed placuit responsio data Curatorem
2 illum † à Iudice deputatum subiuisse vices Tutoris in cuius locum à statuto subrogatur, nec fuisse necessarium Tutoris & Cu-
3 ratoris interuentum simul, † cum appellatione Curatoris, veniat etiam Tutor. *Montan. de Iur. Tutor. & Curat. cap. 1. n. 14.*
4 & † Curator eamdem habeat auctoritatem ac eodem munere fungitur quo ipse Tutor & ita cum ista pupilla Tutorem non haberet potuit Iudex loco Tutoris Curatorem
5 deputare qui succedit loco Tutoris.

Vltra quod in hoc casu visa fuit cessare omnis difficultas, quia interuenit præsentia Procuratoris Monasterij deputati in Congregatione in quo pupilla degebat,
6 qui Procurator sic à Congregatione deputatus succedit loco Tutoris & supplet ipsius vices, *Clem. quia contingit §. vt autem in vers. illi etiam quibus dictorum locorum gubernatio vbi glos. in verbo committatur, & in verbo Tutorem de religios. domib. Gratian.*
7 *discept. for. cap. 522. num. 17.* quæ † deputatio præsumitur amplissima tam ex obseruantia subsecuta 36. annorum, quam ex decreto Iudicis præsertim cum nō constet tunc temporis habuisse alium Tutorem.

8 Secundo quia † alienatio fuit facta sine necessitate non vrgente ære alieno, *iux. dec. Afflict. 249. & Rolan. consil. 33. libro primo per tot.*

9 Verum fuit responsum † vrgentiam non esse necessariam quando debitum est sub vsuris vt erant isti tres census, *l. magis puto §. non passim vers. si igitur ff. de reb. eorum Simoncel. de decret. lib. 1. tit. 1. n. 40.*

Vltra quod vt in facto præsupponitur
10 facta computatione æris alieni pro vt in calculo portio debita Bernardinæ remansisset redditus iuliorum quinque vel sex & sic potuisset absque solemnitatibus statutarijs alienari iuxta tradita per *Ricc. ad Statut. Vrb. glos. 7. à num. 263. vsque ad num. 274. & glos. 20. num. 2. & seqq.*

Et ita decisum vtraque parte informante.



RO-

## ROMANA DOMVS.

*Luna 3. Martij 1625.*

## ARGVMENTVM.

Bona emphyteutica Ecclesiastica, quidquid sit de iure, hodie ex generali consuetudine non possunt retinere per alias Ecclesias sed istæ tenentur alijs vendere.

## SVMMARIVM.

1 *Emphyteutica bona quando transeunt ad Ecclesias tunc Dominus directus potest compellere illas ad huiusmodi bona ponendum extra manus suas maximè quando agitur de emphyteusi inter duas Ecclesias nu. 3. & 4. & ibi vide rationem.*

2 *Bona Ecclesiæ incorporata alienari non possunt.*

5 *Ecclesia potest acquirere emphyteusim vt vendat, non vt retineat, etiam si agatur de emphyteusi admittente quoscunque successores, & n. 6. & 7.*

*in Contractu emphyteusi quemadmodum in cæteris contractibus ea, quæ sunt consuetudinis, semper insunt, nisi verba contrahentium moribus ex diametro aduersentur.*

9 *Verba liberè pertineat, sunt intelligenda de libertate quam natura contractus emphyteutici, & consuetudo admittit.*

10 *Geminatio verborum idem significantium non videtur inducere maiorem effectum.*

## DECISIO CCCLI.

DOMINI cum præsupposito, quod contractus factus anno 1562. inter Canonicos S. Eustachij, & Iulium de Bellantibus sit emphyteuticus recesserunt à decisis coram R.P.D. Verospio, & venerunt in eam sententiam quod Patres Sanctorum Blasij, & Caroli domum de qua agitur, alicui priuato vendere teneantur.

Nam quicquid esset dicendum secundum Iuris dispositionem, qua attenta non transit sine dubio virum bona emphyteutica ea lege concessa, vt ad extraneos etiã prouenient in Ecclesias, seu manus mortuas, vt vocant, possint irreuocabiliter transferri.

Tamen difficultatem cessare existima-
1 runt † ex generali consuetudine, quæ Ecclesias compellit ad huiusmodi bona ponendum extra manus suas propter præiudicium Domini directi, qui spe consolidationis dominij vtilis cum proprietatẽ, & laudemij emolumenro in perpetuum pri-
2 uaretur † cum bona Ecclesiæ incorporata alienari non possint ex sentent. *Speculat. de emphyteus. §. nunc aliqua nu. 143. Alex. cons. 120. num. 4. lib. 1. Ias. in l. fin. num. 91. vers. dicit etiam Speculat. C. de iur. emphiteut. Franc. Marc. dec. 535. nu. 6. par. 1. Vincen. de Franc. dec. 659. num. 2. & seq. Caldes. de iur. emph. lib. 1. quæst. 19. nu. 7. Modern. discept. Forens. cap. 481. num. 67.* & ita in hoc Tribunali fuit pluries definitum, vt in *decis. 368. n. 1. & 603. num. 1. par. 1. recentior. & decis. 543. in fin. par. 2.* & fuit dictum in *Romana cessionis bonorum die 17. May 1618. coram R. P. D. meo Buratto.*

Cui consuetudini eo libentius inhærendum putarunt in præsenti casu quia agitur
3 de emphyteusi inter duas Ecclesias quarũ alteri modicum infertur præiudicium cum precium domus sit habitura, nec debeat recusare amplecti eam æquitatem contra se quam ipsa si esset Domina directa sibi seruari ab alijs Ecclesijs cõtenderet, Altera
4 vero † quæ beneficio consuetudinis vtitur ad auertendam dominij vtilis irreparabilem amissionem tractat de considerabili damno euitando cui in specie Iustinianus Imperator prouidere volens constitutionẽ huiusmodi consuetudini conformem edidit in fauorem Ecclesiæ, etiam aduersus aliam Ecclesiam in *§. 1. vers. si vero contigerit auth. de alienat. & emphit. Franc. Marc. d. dec. 575. num. 7.*

Quibus iactis fundamentis facilis insurgit responsio ad auctoritates in contrarium allegatas quæ tendunt ad probandam Ecclesiæ capacitatem quo ad successionem in bonis emphyteuticis ad extraneos transitorijs. Id enim præsenti resolutioni mini-
5 mè repugnat quia † non controuertitur Ecclesiæ habilitas respectu acquisitionis, sed respectu retentionis ità vt translatio
6 emphyteusis facta in Ecclesiam per viam testamenti vel donationis habeat quidem principium subsistens, sed inefficacem per manentiam propter necessitatem vendendi, & impossibilitatem retinendi non tamen erit inutilis Ecclesiæ, quæ habebit precium rei seu æstimationem, *Alex. consil. 120.*

*fil.* 120. *nu.* 4. *lib.* 1. *Alciat. in l. si ita quis* §. *ea lege n.* 21. *vers. sic agitur & in casu nostro, &c. ff. de verb. oblig. Caldes. de iur. emphit. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 16. *Modern. discept. for. d. c.* 481.
7 *num.* 68. & † hanc sententiam Rotæ placuisse etiam in casu quo agitur de emphyteusi admittente quoscumque successores non obscurè colligitur, ex *decis.* 261. *num.* 7. *vers. & cessas &c. & decis.* 283. *num.* 1. *par.* 1. *in recentior.* in quibus decisionibus informantes pro Patribus constituebant præcipuum fundamentum.

Nec refragatur, quod Ecclesiæ S. Eustachij videatur imputandum, quæ cum domum concessisset Iulio transmissibilem ad quoscumque successores prævidere debuit ex vi huiusmodi verborum posse etiam ad Ecclesiam transferri, quia fuit responsum illam simul etiam prævidere potuisse implorandi beneficium cõsuetudinis in eum casum sibi viam non esse præclusam cum
8 ea † quæ sunt consuetudinis semper insint in contractu emphyteusis quemadmodum in cæteris contractibus nisi verba contrahentium moribus ex diametro aduersentur, *Soccin. in l. Gallus* §. *idem credendum num.* 6. *ff. deliber. & posth.* cum alijs quos abundè cumulat, *Calder. de iur. emph. lib.* 2. *q.* 7. *n.* 11. *& seqq.*

Non obstant verba illa quod domus es-
9 set libera & liberè pertineret ad Iulium eiusque hæredes & successores quoscumque. Quia responsum fuit ea esse intelligenda de libertate, quam natura contractus emphyteutici & consuetudo admittit iuxt. tradita ab *Alex. cons.* 80. *num.* 12. *lib.* 1. *Gonzal. cons.* 58. *nu.* 22. *Card. Seraph. dec.* 576
10 *num.* 4. † Nec geminatio illorum verborum idem significantium videtur inducere maiorem effectum, *Paris. cons.* 110. *num.* 45. *lib.* 1.

Et ità decisum vtraque parte informante.



BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE LVTIO.

*Lunæ 10. Martij 1628.*

ARGVMENTVM.

Fructus à die motæ litis restituendi non veniunt nisi illi qui fuerunt percepti.

*SVMMARIVM.*

1 *Fructus percepti debentur à die mota litis, & num.* 3.
2 *Fructuum perceptio non probatur ex dicto conductoris deponentis ad proprium commodum.*

DECISIO CCCLII.

FRVCTVS bonorum de quibus agitur censuerunt Domini ex hactenus deductis taxandos ad rationem dumtaxat lib. 9545. cappones 59. ædos sex & staria castanearum 13.

Licet namque Vrsina teneatur ad fructuum restitutionem à die 11. Decembris 1607. qua fuit mota lis vsque ad executionem sententiæ Rotalis sequutam de anno 1620. Nihilominus cum respectu medictatis apothecæ pro indiuiso cum Nico-
1 lao Vernicio † non doceretur de pensionum perceptione nisi ex dicto conductoris ad proprium commodum deponentis visum fuit illi non esse deferendum.

Quo vero ad casamenta alias per Vrinũ inhabitata cum ex testibus dotis, in Sum-
3 mario Vrsinæ † appareret pro maiori parte temporis non potuisse locari dixerunt non teneri ad restitutionem nisi fructuum perceptorum, & de quibus in quietantijs Iulij eius mariti videlicet ad libras 480.

Circa autem apothecas conductas per Iabantem, & Vaccharium cum non fuerint exhibitæ quietantiæ nisi per totum anuum 1617. & sic respectu Iabantis pro lib. 1000. Respectu vero alterius pro libr. 200. illa solummodo venire in liquidatione computanda.

Pensiones Dus Ioanni Antonio Cesche locatæ cum in processu fol. 65. & in Summario Ludouicæ appareret de quietantia Iulij Cardelli, pro omnibus pensionibus decursis eaque facta fuerit de mense Maij 1621. pro illis deberi computato, vt supra

pta à die motæ litis vsque ad executionem Rotalis sententiæ lib.1660.

Constabat etiam ex cumulatis in Summario Ludouicæ de quietantijs per Cardellum factis Ioanni Francisco Gallo per totum 1620. & exinde quoad apothecam per ipsum retentam tenetur Vrsina ad restitutionem lib.2925.

Fructus tandem apothecæ Ioannis Antonij Matthasij licet locaretur pro lib.400. attamen cum ex confessione conductoris, & etiam ex quietantijs Iulij appareret ex prædictis non fuisse exactas nisi libr.260. quolibet anno, quia residuum soluebatur Lauræ Locatellæ non esse liquidam nisi ad lib.3380.

Quæ omnes summæ si simul iungantur constituunt prædictam quantitatem libr. 9545.

Prætendebantur vlterius per Ludouicā nonnulla regalia à conductoribus debita, scilicet cappones 144. ædi 13. & stariæ castanearum 13. Quæ Domini reducenda putarunt ad cappones 59. ædos sex & staria castanearum 13. cum totidem, & non vltra ex quietantijs Iulij apparerent recepta.

Et ita fuit vtraque parte informante resolutum.

## ROMANA DOMVS.

*Luna 13. February 1625.*

### ARGVMENTVM.

Transactio vt ex falsa causa scindi valeat, concludenter dicta falsa causa est probanda.

### SVMMARIVM.

1 *Remedium quorum bonorum est merè possessorium.*
2 *Per appellationem ostenditur animus prosequendi litem.*
3 *Transactio vt substineatur sufficit timor litis.*
4 *Falsitas causæ non potest opponi nisi probetur quod iura cessa non competijsse cedenti, & eius prætensiones nihil releuarent habito etiam respectu ad futurum euentum.*
5 *Decretum Iudicis operatur vt omnia præsumantur solemniter gesta.*
6 *Transactio vt substineatur sufficit quod ius à principio competeret parti licet illud inualidum & iniustum esset.*

### DECISIO CCCLIII.

DOMINI steterunt in decisis sub die 14. Ianuarij anni præteriti non obstantibus motiuis, quæ tunc deducebantur, & hodie repetuntur, quæ visa fuerunt tolli per responsiones datas in dicta decisione.

Et primo non obstat, quod Clementia fuerit inducta, ad transigendum ex falsa causa, cum ea cesserit Mirabili apothecam valoris scutorum 600. quæ tamen Mirabilis viceuersa eidem Clementiæ cessit iura sibi competentia occasione donationis ei factæ à Laura della Valle, & non nulla iura competentia contra hæreditatem Iulij del Conte, cum tamen dicta donatio de tempore transactionis esset reuocata per sententiam, & nullum ius competeret Mirabili contra hæreditatem d. Iulij.

Quia respondetur primo, quod lis super donatione de tempore transactionis non erat adhuc extincta, quia à dicta sententia, quæ fuerat lata tantū super remedio, quo-
1 rum bonorum, † quod erat merè possessorium fuerat appellatum per mirabilem,
2 quod † satis ostendebat eius animum prosequendi litem, quod sufficit ad substinē-
3 dam transactionem, † cum ad hunc effectū sufficiat timor litis. *l.2. C.de transact. Mohed.dec.1.eod.tit.Seraph.dec.638.n.7.Rot.dec. 169.p.1.recent.*

Secundo cessio Mirabilis non erat restricta simpliciter ad d. donationem, & ad iura ei competentia contra hæreditatem d.Iulij sed fuit etiam facta de iuribus ei competētibus occasione d. donationis, quæ erant, quod dato quod donatio esset reuocata, adhuc mirabilis consequi debebat sc.110. prout in decis. firmatur, & vlterius cessio fuit generaliter facta de omnibus iuribus talibus, qualibus ei tàm occasione supradictorum iurium, quam de alijs iuribus, ei quomodolibet, & contra quascumque
4 personas competentibus; Vnde cum Clementia acceptauerit dicta iura talia, qua-
5 lia, mediante decreto Iudicis, † quod operatur vt omnia præsumētur solemniter gesta. *Rota decis.619.num.5.in fin.& dec.647. num.1.par.2.recent.* non potest opponere falsi-

falsitatem causæ nisi doceat nulla iura d. Mirabili competijsse, & quod eius prætiones nihil releuarêt habito etiam respectu ad futurum euentum. *Rota decis. 715.*
6 *num.4.par.1.recent.* & ità † cum pro parte Clementiæ dictæ causæ falsitas non probetur sufficit ad hoc, vt transactio substineatur, quod ius à principio competeret dicti Mirabili licet illud inualidum, & iniustum esset. *Bald.in l. 1.num.11.C.de condit.indeb. Ro.dec.245.n.7.p.2.rec.*

Aliæ obiectiones visæ fuerunt Dominis tolli, ex responsionibus datis in dicta decision.

Et ita vtraque &c.

# F I N I S.



# INDEX MATERIARVM

## OMNIVM DECISIONVM

## Bon. mem. R. P. D. Guglielmi Dunozeti Archiep. Seleucien. Sacræ Rotæ Romanæ Auditoris.

*Prior numerus Decisionem, alter vero numerum marginalem designat.*

# A



Rr illum

Lite

Ca-

CÆ-

Clau-

Cle-

ad-

Con-

COGNATIO.



COGNOMEN.



CVLPA.



CVRATOR.



DAM-

# D

## DAMNVM.



## DATVM.



## DEBITOR, ET DEBITVM.



## DECEPTI.



## DECIMÆ.



## SAC. ROTAE DECISIONES DECLARATAE.



## DECLARATORIA.

Do-

ENVNCIATIVA.



EPISCOPVS.



alias

Fra-

Gra-

FI-

Hæ-

Instru-

In-

IVDICIVM HOMINIS.



IVDICIVM IN GENERE.



IVDICIVM IN SPECIE.



IVRA.

# Index Materiarum.

Cle-

LIBRI IN GENERE.



LIBERATIO.



LIBERATVS.



LICENTIA.



LIBRI IN SPECIE.



Li-

Lit-

Man-



Pater

## POSSESSIO MANVTENIBILIS.

In-

non

RE-

Re-

Re-

SEN-

Sen-

SPES.

STATVTVM PARTICVLARE.

ad



# T

Te-

Ver-

FINIS.



